Digitized by Google

L,
VI, 75.

L
IV 52

Digitized by Google

L. III. 75

Digitized by Google

Digitized by Google

OPUSCULORUM

ADM. REVERENDI AC EXIMII

PATRIS MAGISTRI,

F. CHRISTIANI LUPI, IPRENSIS,

Sacræ Theologiæ Doctoris, & Regii Primarii Lovanii Profeſſoris, Provinciæ Belgicæ Ord. FF. Eremitar. S. AUGUSTINI quondam Prioris Provincialis,

PARS ALTERA.

EJUS OPERUM TOMUS DUODECIMUS, AC POSTREMUS.

STUDIO, AC LABORE

F. THOMÆ PHILIPPINI RAVENNATENSIS EJUSDEM ORDINIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE

VENETIIS, MDCCXXIX.

Proſtant { APUD JO: BAPTISTAM ALBRITIUM HIERON. F. ET SEBASTIANUM COLETI.

CUM GRATIA, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR HÆC SUNT.

I.

QUæſtio Quodlibetica, An ordo iſte Regularis, qui vulgò Eremitarum dicitur, ſit inſtitutus ab ipſo Sancto Auguſtino, poſſitque ea inſtitutio probari ex ipſius libris . pag. 1.

II.

Prodidagmata Philoſophica , toti philoſophiæ præambula, in quibus accurate explicantur quidquid circa Terminorum ſignificationem, ſuppoſitionem, ac prædicationem poſſibile eſt deſiderari: adeoque non ſolis Philoſophis & Theologis ; ſed & Juris-peritis perutilia, ac perneceſſaria. p.85.

III.

Apologia pro Anima ſenſitiva Ovi a baliſtis & fulminibus, quibus eam alma Marpurgenſis in Haſſia Univerſitas impugnat, & expugnare tentat, defenſa, & manutenta; in qua oſtenditur, quod ovum fœcundum anima ſenſitiva informetur, quodque ſit verum brutum, verumque animal. p.305.

IV.

Epiſtolæ tres; prima Noriſii ad P. Lupum. 2. Lupi ad Noriſium ; 3. Lupi ad P. Regentem S. Spiritus.

V.

Elenchus eorum, quæ in ſingulis totius operis tomis continentur.

NOI REFFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed approbazione del Padre F. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore nelli Libri intitolati: *Prodidagmata Philoſophica, Auctore F. Chriſtiano Lupo Ord. Erem. & Quæſtio Quodlibetica de origine Eremit. Clericor. &c. Auctore Chriſtiano Lupo &c.* non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi concedemo Licenza a *Sebaſtiano Coleti Stampatore*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli Ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 7. *Decembre* 1728.

(Gio: Franceſco Moroſini Cav. Reff.
(
(Pietro Grimani Cav. Proc. Reff.

Agoſtino Gadaldini Segr.

10. *Gennaro* 1728. *M. V.*

Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſs. degli Eſſecutori contro la Beſtemmia.

Antonio Canal Nod.

QUÆ-

QUÆSTIO QUODLIBETICA
DE ORIGINE
EREMITARUM, CLERICORUM, AC SANCTIMONIALIUM
SANCTI AUGUSTINI
DECISA EX IPSO S. AUGUSTINO,

Aliiſque ſanctis Patribus ei coævis, per F. CHRISTIANUM LUPUM, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini Presbyterum, Sacræ Theologiæ Licentiatum ac Profeſſorem.

In qua elucidantur varii antiqui Ritus Eccleſiæ Africanæ, ac diſcutitur Cenſura Lovanienſis operum Sancti AUGUSTINI.

Digitized by Google

Digitized by Google

ADMODUM REVERENDO

AC EXIMIO PATRI,

P. JOANNI MARIÆ THOMASIO,

Sacræ Theologiæ in Academia Duacena Doctori, ac Eremitarum Sancti AUGUSTINI in Civitate Iprenſi digniſſimo Priori,

NEC NON REVERENDIS PATRIBUS

P. ANTONIO ARENTS, SUPERIORI,

P. JACOBO SPYLIAERT,

P. JOANNI BAPTISTÆ DE WATERLEET,

P. JOANNI PETRI,

Ejuſdem Conventus Deputatis; omnibus denique iſtius Religioſæ familiæ PP. ac FF.

ADMODUM RR. PATRES,

A pluribus jam ſæculis inter veros P. N. Auguſtini filios per frivolam hanc lineam, Nos ſumus, vos non eſtis, *reciprocatur ſerra; Adeò, ut de mutuo noſtro* Nos ſumus *dici poſſit quod olim de Orthodoxorum ac Donatiſtarum quodam mutuo* Non licet *dixit Sanctus Optatus Epiſcopus Eccleſiæ* L. 5.
Milevitanæ. Vos dicitis *licet* Nos dicimus *Non licet*. Inter *licet* veſtrum & *Non licet* noſtrum mutant ac remigant animæ populorum, *ſimpliciumque Fratrum. Nutant ac remigant inter* Nos ſumus, vos non eſtis, *varia errorum ac nugarum fuligine nebuloſum. Lucidiſſimæ quippe Monachorum ac Clericorum ab Auguſtino factæ inſtitutioni contigit, quod quam maximè intelligibili, in qua tamen intelligenda adeò nunc laboramus, animæ noſtræ contigiſſe,* L. 10. c. 7. 8.
eleganter in libris de Sanctiſſima Trinitate teſtatur Auguſtinus: Eraſa non eſt, ſed intra erroneas phantaſmatum noſtrorum nebulas tecta dumtaxat ac quodammodò ſepulta. Ejuſmodi nebulas voco Sermones ad Fratres in Eremo, Venatorium Canonicorum Regularium, alioſque id genus plurimos partim ab Auguſtinenſibus Clericis, partim ab Eremitis cuſos libellos, quibus mutuus zelus ipſam veritatis meridiem conatus eſt offuſcare. Omnino, omnino veritatis meridiem. Etenim cuivis ſedulo Auguſtini Lectori laicus Eremitarum Monachiſmus adeo densè incurrit in oculos, ut nec ipſe Carneades

de

de iſto poſſit dubitare. Jam pridem ſanè nos oportuerat unanimiter iſti lectioni intendere, junctaſque vires in communes potiùs Magni Patris noſtri, traditæque per ipſum germanitùs Chriſtianæ veritatis hoſtes, quam in invicem convertere. Neque enim ſine cauſſis Divina Providentia Patrem noſtrum duplici fæcundavit Prole. Earum una fuit, ut numquam deeſſent pugiles, qui traditam ab ipſo Divinam doctrinam adversùm quoſvis hoſtes, quibus illa nullo unquam ævo caruit, neque ad finem uſque ſæculi caritura eſt, tamquam Cerethi & Phelethi propugnarent. Proinde rejectis omnibus de noſtra origine ac genealogia fabulis ac inutilibus quæſtionibus, in militiam iſtam evigilemus:
L. 5. *Reverà enim fratres ſumus. Uti rurſùm placet verbis Sancti Optati.* Nemo vobis credat, nemo nobis: Omnes contentioſi homines ſumus. Quærendi ſunt Judices. In terris de hac re nullum poterit reperiri judicium, de cœlo quærendus eſt Judex. Sed ut quid pulſamus ad cœlum, cum habeamus hic in Evangelio teſtamentum? Quia hoc loco rectè poſſunt terrena cœleſtibus comparari. Tale eſt, quod quivis hominum habens numeroſos filios, his quamdiu pater præſens eſt, ipſe imperat ſingulis: Non eſt adhuc neceſſarium teſtamentum. Sic & Chriſtus, quamdiu in terris fuit, pro tempore, quidquid neceſſarium erat, Apoſtolis imperavit. Sed quomodò terrenus Pater, cum ſe in confinio ſenſerit mortis, timens, ne poſt mortem ſuam rupta pace litigent fratres, adhibitis teſtibus voluntatem ſuam de pectore morituro transfert in tabulas diu duraturas. Et ſi fuerit inter fratres contentio nata, non itur ad tumulum, ſed quæritur teſtamentum. Et qui in tumulo quieſcit, tacitus de tabulis loquitur. *Hoc ipſo jure, Reverendi Patres, in præſenti hac quæſtione agendum credidi cum fratribus meis Canonicis Regularibus: Convictos eos volui ex ipſo Patris noſtri teſtamento, id eſt, ex ipſis operibus Sancti Auguſtini. Quod an verè fecerim, judicatum velim à nullo, quam à veſtro Judicio: Neque enim nanciſci poſſim Judices magis æquos. Iſtud namque Patris noſtri teſtamentum quotidie vobis verſatur ante oculos, atque ex illo nobis enatum Jus, tu Eximie Pater Prior, nuper in hac Academia, in aula tua Doctorali, acerrimè propugnaſti. Interim Judices quæro, non mercenarios Præcones. Cauſſam quippe ago agi dignam etiam coram Judice inimico. Quapropter ejus patrocinium ſecuri aſſumite, meque tamquam familiæ veſtræ amantem ac ſtudioſum filium pergite amare.*

Dabam Duacii ad Sanctum Auguſtinum, die 17. Februar. Anno Domini 1651.

Paternitatum Veſtrarum famulus officioſiſſimus

F. Christianus Lupus.

QUÆ-

QUÆSTIO
QUODLIBETICA,

An ordo iſte Regularis, qui vulgo Eremitarum dicitur, ſit inſtitutus ab ipſo Sancto Auguſtino, poſſitque ea inſtitutio probari ex ipſius libris?

REvera Auguſtinus eſt, fuitque ſemper unus ex illis, de quibus ad Timotheum ſcribit Apoſtolus: *Omnes, qui volunt pie vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur*. Eam utique perſecutionem, de qua ad
Epiſt. 62. Sanctum Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum ſcribit ſanctus Leo Papa magnus. *Perſecutio non in eo tantùm computanda eſt, quod contrà Chriſtianam pietatem aut ferro aut ignibus agitur, aut quibuſcumque ſuppliciis; cum perſecutionum ſævitiam ſuppleant & diſſimilitudines morum & contumaciæ inobedientium, & malignarum tela linguarum*. Auguſtinus quippe ex improviſo ac invitus à populo apprehenditur, flens ac gemens Valerio Epiſcopo in Presby-
Poſſid. in vita, c. 4. terum ordinandus ſiſtitur, ac in vanum reluctans ordinatur. Flebat *majori conſideratione intelligens, quam multa & quam magna ſuæ vitæ pericula è regimine & gubernatione Eccleſiæ*
Cap. 4. *impendere ac jam provenire ſpectaret*. At ecce malignæ linguæ *lacrymas ejus ſuperbè interpretantur, & tamquam eum conſolantes dicunt, quia locus presbyteri, licet ipſe majori dignus eſſet, appropinquare tamen Epiſcopatui*. Eligitur in Epiſcopum, pia amicorum Epiſcoporum fraude circumſcribitur, *compulſus atque coactus*
L. 3. cont. Petil. c. 16. *ſuccumbit*. At ecce maligna Megalii Calamenſis Epiſcopi ac tum in Numidia Primatis lingua eum de propinatis neſcio cui fœminæ amatoriis poculis infamat, eaque calumnia remoratur ejus conſecrationem. In Epiſcopatu vivit humilem ac pauperem monachum, vitam ſobriam ac jejunam, remotam ab omni contubernio alterius ſexus, etiam germanæ ſororis. Verum quid malignæ linguæ? Ei bonos dies appingunt, terrenamque felicitatem, de ejus continentia ſuſpicantur,
Serm. 53. de verb. Domin. c. 2. adeò ut in concione exclamet. *Malevolæ animæ quaſi dulciter ſapit, quod peſſimè ſuſpicatur. Tu autem ſi propter humanas laudes continentiam ſuſcipere voluiſti, reprehenſionibus humanis defeciſti, & totum, quod tibi propoſuerat, perdidiſti*. In aſſiduis ſe concionibus fatigat, corde puro nihil ex ipſis quærens niſi populi ſui ſalutem. Nihilominùs virulenta dicacitas ei haſce extorquet voces. *Quam multi impii metientes ſemetipſos ex ſemetipſis, dicunt de nobis, quod iſta in Eccleſia quærimus, honores, laudes, utilitates temporales? Quam multi dicunt me propterea loqui vobis, ut acclametis & laudetis me, & hunc me habere finem, & hanc intentionem, cum loquor?* Propter populi ſui Pſalm. 141.
neceſſitates quandoque invitus ſæculi principes ac poteſtates addit, *obſervat, ante oſtium ſtat, intrantibus dignis, & indignis exſpectat, nunciatur, vix aliquando admittitur, fert humilitates, rogat, aliquando impetrat, aliquando triſtis abſcedit*: Nihilominùs de illo dicitur, Serm. 111. de diverſ. c. 19.
Ivit ad illam poteſtatem, & quid quærit Epiſcopus cum illa poteſtate, moneat poteſtates, ut bona faciant, aliaque id genus. Populus Hipponenſis, Auguſtino in vanum reclamante ac manibus pedibuſque recalcitrante, Nobilem ac opulentum virum Pinianum apprehendit, eumque ſuum immobiliter Presbyterum eſſe tumultuosè cupit: Innocens Auguſtinus omnium Epiſt. 124.
reus eſt, *creditur cupiditate pecuniæ, non dilectione juſtitiæ ſervos Dei velle retinere*. Hiſce de cauſſis, aliiſque id genus multis, ſcribit ad Albinam, Pinianum iſtum ac Melaniam. Epiſt. 117.
Multi ſunt hic, qui detrahendo nobis cæterorum animos, à quibus diligi videmur, adverſus nos perturbare conantur, ut locum in eis diabolo faciant. Hiſce de cauſſis dicit: *Si hæc civitas,* Ibidem.
in qua laboramus, digna non eſt, quia nec ego audeo dignam putare, quæ nobiſcum de veſtra præſentia collætetur. Hiſce de cauſſis ſcribit ad alterum ſed Epiſcopum Profuturum. *Non deſunt* Epiſt. 149.
ſcandala, ſed neque Refugium: Non deſunt mærores, ſed neque conſolationes. Atque inter hæc quam vigilandum ſit, ne cujuſquam odium cordis intima teneat, neque ſinat ut oremus Deum in cubili noſtro clauſo oſtio, ſed adverſus ipſum Deum claudas oſtium, noſti optimè Frater. Subrepit autem, dum nulli iraſcenti ira ſua videtur injuſta. Addit multa de motu iræ, licet quoad ſpeciem juſtæ, compeſcendo atque fugando, iſta ſibi ex inimicorum jaculis fabricans arma juſtitiæ ſiniſtra, de quibus ſic ſcribit adverſus eximium ſuum calumniatorem Petilianum, Do- L. 3. c. 12.
natiſtarum Epiſcopum Conſtantinenſem. *Mi-*

litiam Chriſtianam militantibus ſervis Dei quæcumque ab inimicis convicia crimìnoſa dicuntur, quæ apud malevolos & temere credulos famam malam faciant, arma ſiniſtra ſunt. Etiam diabolus his expugnatur. Cum enim per bonam famam probamur, utrùm nos in ſuperbiam extollamus, & per malam famam probamur, utrum inimicos, eos ipſos à quibus nobis confingitur, diligamus, per arma juſtitiæ à dextra, & à ſiniſtra diabolum vincimus. Quæ cum Apoſtolus commemoraſſet, dicens, per arma juſtitiæ à dextra & à ſiniſtra; continuò tamquam exponeas, quid dixerit, per gloriam, inquit, & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, & cætera talia: Gloriam ſcilicet, & bonam famam numerans in armis dextris, in ſiniſtris autem ignobilitatem & infamiam. Si ergo ſum Dei ſervus & miles non reprobus, quamlibet diſertus conviciator in me Petilianus exiſtat, numquid moleſtè ferre debeo, quod mihi armorum ſiniſtrorum faber ſolertiſſimus paratus eſt? Opus eſt, ut his in adjutorio Domini mei apertiſſimè dimicem, & eis illum feriam, contra quem inviſibiliter pugno, qui perverſiſſima & antiquiſſima aſtutia callide intendit & agit, ut propter hæc Petilianum oderim, ac ſic præceptum Chriſti, quod ait, Diligite inimicos veſtros, implere non poſſim: Quod à me avertat ejus miſericordia, qui me dilexit & tradidit ſemetipſum pro me, ut pendens in cruce diceret: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt; meque de Petiliano & talibus inimicis meis dicere doceret, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid loquuntur.
Verùm quidnam iſtud Auguſtini inter mundi ſcandala ac mœrores refugium, quænam iſtæ
Epiſt. 109. ipſius conſolationes? Ipſe eas refert ſic ſcribens ad ſuas Moniales. *Soleo gaudere de vobis, & inter tanta ſcandala, quibus ubique abundat hic mundus, aliquando conſolari, cogitans copioſam congregationem & caſtam dilectionem, & ſanctam converſationem veſtram, & largiorem gratiam Dei, quæ data eſt vobis, non ſolùm ut carnales nuptias contemneretis, verùm etiam eligeretis in domo ſocietatem unanimes habitandi, ut ſit vobis anima una & cor unum in Deum: Hæc in vobis bona, hæc Dei dona conſiderans, inter multas tempeſtates, quibus ex aliis malis quatitur cor meum, ſolet utcumque requieſcere.* Et ſcribens Abbati Eudoxio, aliiſque ſub ipſo Fratribus Eremitis inſulæ Capraria.
Epiſt. 81. *Quando quietem veſtram cogitamus, quam habetis in Chriſto, etiam nos, quamvis in laboribus variis, aſperiſque verſemur, in veſtra charitate requieſcimus. Unum enim corpus ſub uno capite ſumus, ut & vos in nobis negotioſi, & nos in vobis otioſi ſimus.* Quapropter quiſquis Auguſtino ejus monaſteria, ejuſque non in domibus Epiſcopalibus Clericos, ſed in agris ac deſertis inſulis monachos eripit, non ſolummodò calumnioſus eſt, ſiniſtrorumque faber armorum, ſed inſuper eum omni ſolatio orbatum vult torquere ac conſumere mœrore. Hoc ſcelus volunt ejus filii: filii alieni nugacibus ratiunculis tanquam parricidalibus pugiunculis in pium Patrem armati. Verùm ad rem. Oſtendamus Eremitas ab Auguſtino inſtitutos ac fundatos, & quidem tamquam primogenitos ac longè cariſſimos filios, idque ex ipſo Auguſtino.

CAPUT I.

Auguſtinus à primo ſuæ converſionis exordio fuit ſemper ſtatui monaſtico mirificè affectus, ac ipſum etiam, prout tunc poterat, ſectatus.

De perpetuo ſuo in ſtatum monaſticum affectu ſic ſcribit Auguſtinus ad Hilarium Syracuſanum. *Ego, qui hæc ſcribo, per-* Epiſt. 89. q. 4.
fectionem, de qua locutus eſt Dominus, quando ait diviti adoleſcenti, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me, vehementer adamavi, & non meis viribus, ſed gratia adjuvante ſic feci. Neque enim quia dives non fui, ideò minùs mihi imputabitur. Nam neque ipſi Apoſtoli, qui priores hoc fecerunt, divites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui & illud quod habet, & quod optat habere, dimittit. Quantum autem in hac perfectionis via profecerim, magis quidem novi ego quam quiſquam alius homo, ſed magis Deus quam ego. Ex hoc amore factum eſt, L. 1. Re-
ut cum jam baptizatus Romæ eſſet, nec ferre ta- tract. c.
citus poſſet Manichæorum jactantiam de falſa & fallaci continentia vel abſtinentia, qua ſe ad imperitos decipiendos, veris Chriſtianis, quibus comparanda non ſunt, inſuper præferunt, ſcripſerit librum de moribus Eccleſiæ, eumque totum repleverit ſolis fermè laudibus monaſteriorum. Hunc amorem ei adhuc novello catechumeno implantavit Nobilis vir Potitianus, de quo ita
ipſe. *Ortus eſt ſermo ipſo narrante de Antonio* L. 8. con-
Ægyptio monacho, cujus nomen excellenter clare- feſſ. c. 6.
bat apud ſervos tuos, nos autem uſque in illam horam latebat. Quod ille ubi comperit, immoratus eſt in eo ſermone, inſinuans tantum virum ignorantibus, & admirans eandem noſtram ignorantiam. Stupebamus autem audientes tam recenti memoria, & propè noſtris temporibus, teſtatiſſima mirabilia tua in fide recta & Catholica Eccleſia. Omnes mirabamur, & nos, quia tam magna erant, & ille, quia inaudita nobis erant, inde ſermo ejus devolutus eſt ad monaſteriorum greges, & mores ſuaveolentiæ tuæ, & ubera deſerta eremi, quorum nos nihil ſciebamus. Et erat Monaſterium Mediolani plenum bonis Fratribus, extra urbis mœnia ſub Ambroſio nutritore, & non noveramus. Pertendebat ille & loquebatur adhuc, & nos intenti tacebamus, &c. Narrabat Cap. 7.
hæc Potitianus: Tu autem Domine inter verba ejus retorquebas me ad meipſum, auferens me à dorſo meo, ubi me poſueram, dum nollem me attendere, & conſtituebas me ante faciem meam, ut viderem, quam turpis eſſem, quam diſtortus & ſordidus, maculoſus & ulceroſus. Tunc verò quanto ardentius amabam illos, de quibus audiebam ſalubres affectus, quod ſe totos tibi ſanandos dederant, tanto exſecrabilius me comparatum iis oderam.
Tunc itum eſt ad hortum; tunc audita vox. L. 8. c.
Tolle lege, tolle lege: tunc lectus Apoſtolus; 12.
Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, ſed induimini Jeſum Chriſtum, & carnis providentiam ne feceritis in concupiſcentiis; tunc

quaſi

qnaſi lu ce ſecuritatis infuſa , omnes dubietatis
tenebræ diffugernnt ; tunc matri conceſſum eſt
plus, quam petete ſolebat miſerabilibus ſnis,
flebilib uſque gemitibus , converſus enim erat fi-
lius , ut jam nec uxotem quæreret , nec aliqnam
ſpem ſæculi hnjus , ſtans in ea regula fidei, in
qua illum ante tot annos ei Dominus revelatat;
L. 5.c. 2. tunc linguæ miniſterium ſubtractum eſt nundi-
nis loquacitatis , ac dereliċta catbedra mendacii;
C. 3. tunc dimiſſi civitatum tumultus , itumque ad
quietum rus : tunc competita ſunt Chriſtianæ
C. 6. humilitatis Sactamenta , tandemque ſuſcepta:
Hæc omnia operatus eſt amor enatus è laude
monaſteriotum .

Ex illo , inqnam , tempore vita monaſtica
ac Eremitica eſt inchoata , ac qnaſi inſtitutum
ptimum Eremiticum monaſterinm , in rure gram-
matici Verecundi , in quo degebant ac philoſo-
phabantur Auguſtinns, Alipins, Evodius, Navi-
gius , Trigetius , Licentins , Laſtidianus , Ru-
ſticus , Adeodatus , necnon ſanctiſſima matet ,
de cujus bac cohabitatione ita dicit ejus filins .
L. 9. c. 9. *Erat ſerva ſervorum tuorum . Nobis omnibus , Do-
mine , qui ex munere tuo ſiais loqui ſervis tuis , qui
ante dormitionem ejus in te jam conſociati vivebamus
, percepta gratia baptiſmi tui , ita curam geſſit,
quaſi omnes genuiſſet , ita ſervivit , quaſi ab omnibus
genita fuiſſet .* Quod portò ea fnerint vera cujuſ-
dam Eremitici Monaſterii incnnabu'a ac rudi-
C. 8. menta , ſic teſtatur idem in eodem opere. *Qui ha-
bitare facis unanimes in domo , conſociaſti nobis &
Evodium , juvenem ex noſtro municipio . Qui cum
Agens in rebus militaret , prior nobis ad te converſus
eſt , & baptizatus , & relicta militia ſæculari , ac-
cinctus eſt in tua . Simul eramus , ſimul babitabamus
placito ſancto . Quærebamus quiſnam locus nos uti-
lius baberet ſervientes tibi , pariter remeabamus in
L. 1. cont. Acad. c. 2. Africam .* Vivebant in nemotibus ac agris , adeò
ut ſolns Alipius , utpote rerum forenſium jam
pridem peritus , neceſſariotum gratia accederet
civitatem . Proinde Auguſtinns in Italia mona-
chatum peſſimè ac imperitiſſimè qnidam inter fa-
bulas computat : Certè ſi non ad Centum cellas,
in rure ramen Verecnndi monachnm egit , Pa-
tremque monachornm . Ibi namque in conven-
tum ſnum tanqnam Pater admiſit Evodinm : in
conventum , qui jam ſtabat in hominibus , ſed
nondum fixnm locum acceperat lapidum ac mu-
rorum . Quæ omnia matet altè conſiderans , fu-
turaſqne iſtius conventus propagines ſpiritu præ-
L. 9. conf. c. 10. videns , dixit . *Fili , quantum ad me attinet , nul-
la jam re delector in bac vita . Quid bic faciam ad-
buc , & cur bic ſim , neſcio , jam conſumpta ſpe bu-
jus ſæculi . Unum erat , propter quod in bac vita
aliquantum immorari cupiebam , ut te Chriſtianum
catbolicum viderem priùs quam morerer . Cumulatius
boc mibi Deus meus præſtitit , ut etiam te contempta
felicitate terrena ſervum ejus videam . Quid bic fa-
cio ?* Non talem ntique ſervum , qualem neceſſitate
ſalutis omnem oportet eſſe Chriſtiannm ; ſed qua-
C. 2. lem deſcribit Sanctus Poſſidins . *Monque ex intimis
cordis medullis ſpem omnem , quam babebat in ſæcu-
lo , dereliquit , jam non uxorem , non filios carnis ,
non divitias , non bonores ſæculi quæreas , ſed ſoli
Deo cum ſuis ſervire ſtatuit , in illo & ex illo puſillo
grege eſſe ſtudens , quem Dominus alloquitur dicens.
Nolite timere puſillus grex , quoniam complacuit Pa-
tri veſtro dare vobis regnum . Vendite quæ poſſidetis,
& date eleemoſynam : facite vobis ſacculos non vete-
raſcentes , theſaurum non deficientem in cælo , & ca-
tera . Et illud , quod iterum dicit Dominus , idem vir
ſanctus facere cupiens , Si vis perfectus eſſe , vende
omnia quæ babes , & da pauperibus , & babebis
theſaurum in cælis , & veni , ſequere me . Et ſuper
fidei fundamentum ædificare deſiderans , non ligna ,
fænum , ſtipulam , ſed aurum , argentum , lapides
pretioſos .* Erat quippe talis Dei ſervus , qualem
ei deſcripſerat Potitianus in gregibus monaſterio-
rum ac uberibus Eremi deſertis , qualem eò uſque
ipſe neſciebat . Talem Dei ſervum ſtatim ex illo
Potitiani ſermone ferventiſſimè ardere cæpit , ta-
liſque ſtatim , non corporis , ſed mentis habitu
factus eſt . Hinc namque Deo ſervire ſtatuit , non
ſolus , ſed *cum ſuis* : Hinc *ſimul erant , ſimul ba-
bitabant placito ſancto , quærentes quis eos locus ba-
beret utiliùs ſervientes Deo , pariterque in Africam
remeabant .*

CAPUT II.

*Auguſtinus cum ſuis in Africam redux ſemper tam-
quam Monachus ac Monachorum Pater vixit, ac
tandem factus Hipponenſis Eccleſiæ Preſ-
byter in agro ſuburbano primum
ædificat ſui Eremitici Ordinis
Conventum.*

AUguſtinns è portu Romano ad propria ſol-
vens rectà Carthaginem contendit , ibique
hoſpitio exceptus eſt à Nobili Viro Innocentio
Exadvocato vicariæ Præfecturæ , tunc graviter
ægrotante . Teſtatur hoc ipſe Auguſtinns ſic
ſcribens ad ſanctum Comitem Marcellinnm in
opere de civitate Dei . *Venientes de tranſmarinis* L. 22.
me & fratrem meum Alipium , nondum quidem cle- c. 8.
*ricos , ſed jam Deo ſervientes , ut erat cum tota do-
mo ſua Religioſiſſimus , ipſe ſuſceperat , & apud eum
tunc babitabamus .* Verbum *babitabamus* nonnul-
lam in domo iſta moram ſignificat , magnumque
iſtud ſanitatis per ſanctum Stephannm , quod ibi
Auguſtinns refert , donum , factum non videtur
ad primnm eorum ingreſſum . Ibi inchoata eſt
prima cum ſancto Aurelio Carthaginenſi Epiſco-
po amicitia . Viſitabant Infirmnm Innocen-
tium Exadvocatum , inqnit Augnſtinus , *quoti-
die ſancti viri , Epiſcopus tunc Uzalenſis beatæ me-
moriæ Saturninus , & Presbyter Geloſus , & Diaco-
ni Carthaginenſis Eccleſiæ , in quibus erat , & ex
quibus ſolus eſt nunc in rebus bumanis jam Epiſco-
pus , cum bonore à nobis debito nominandus , Aure-
lius , cum quo recordantes mirabilia opera Dei , de
bac re ſæpe collocuti ſumus , eumque valde meminiſſe,
quod commemoramus , invenimus .* Eaque amicitia Epiſt.
brevi tempore facta eſt tanta , nt adhuc novellus 64.
presbyter Auguſtinns haberet Epiſcopum Anreli-
nm tamquam alterum ſe , magnnmque ſui Ere-
mitici inſtitnti fautorem ac promotorem .

Carthagine progreſſus eſt Auguſtinus ad pro-
pria , non ad civitatem , ſed tamquam Mona-
chus ac Eremita ad agros Tagaſtenſes . Ita enim
dicit Sanctus Poſſidius . *Ac placuit ei percepta ba-* C. 3.
*ptiſmi gratia cum aliis civibus & amicis ſuis Deo
pariter ſervientibus ad Africam , & propriam*

domum, agroſque remeare. Ad quos veniens, & in quibus conſtitutus fermè triennio, & à ſe jam alienatis curis ſæcularibus, cum iis, qui eidem adhærebant, Deo vivebat, jejuniis, orationibus, boniſque operibus, in lege Domini meditans die ac nocte. Et de iis, quæ ſibi Deus cogitanti atque oranti intellecta revelabat, & præſentes & abſentes ſermonibus ac libris docebat. Quæ om-
A. 389. nia brevi ac eleganti commentario illuſtrat Cardinalis Cæſar Baronius. *Rediens una cum ſociis Alipio & Evodio in patriam, quem condixerant vitæ ſtatum, cum adhuc in Italia eſſent, exercere cœperunt. Secedentes enim rus, ibidem triennio permanſere. Porrò toto illo triennio laicus Deo ſervivit. Quo tempore, hoc, inquam, anno librum ſcripſit de magiſtro, nempe ſequenti anno à ſuſcepto baptiſmo, cum jam Adeodatus puer ſexdecim eſſet annorum, qui tempore baptiſmi, quem ſuſcepit anno ſuperiori, agebat annum decimum quintum, quem eodem fermè tempore ex hac vita diſceſſiſſe tradit. Scripſit etiam tunc duos libros contra Manichæos de geneſi, abſolvit & libros de muſica, addidit etiam commentarium de vera Religione adverſus Manichæos. Hæc, inquam, omnia edidit, antequam presbyter fieret, ipſo triennio commorationis in Eremo.* Rectè, Ampliſſime Cardinalis, *in Eremo*. Vivebat namque eam vitam, quam ei prædicaverat Potitianus, quæ ubique erat *in gregibus monaſteriorum ac in uberibus Eremi deſertis*.

Hæc tamen omnia non placent Gabrieli Pennotto, qui ex iſtis Poſſidii verbis varia infert, quorum quintum eſt, quod apprehenſionis ad
L. 1. c. 8. n. 2. Presbyteratum *tempore beatus Auguſtinus erat adhuc laicus*: Sextum, *quod adhuc tenebat agros proprios*: *Ait enim textus*: *Ad propriam domum & agros proprios remeavit, ad quos veniens, & in quibus triennio fermè conſtitutus*, &c. Et
N. 4. infra concludit, *etiam falſum eſſe, quod Cornelius Lancilottus & quidam alii ſcribunt, Beatum Auguſtinum ſtatim, ut ad propriam domum rediit, quod reliquum erat ſui patrimonii, vendidiſſe partem & pauperibus diſtribuiſſe, & ex parte alia tugurium ſibi & ſuis Eremitis in Eremo exſtruxiſſe: Nam Poſſidius aliter dicit*. Ex hinc falſitatis convinci putat ea, quæ quidam tradunt de monaſterio & Eremitica Auguſtini cum ſociis cohabitatione in Eremo agri Tagaſtenſis. Verum Pennottus miſerè errat. Fateor namque ac cum Sancto Poſſidio ipſoque Auguſtino profiteor, Auguſtinum, dum à populo ad Presbyteratum arriperetur, fuiſſe adhuc laicum. Nunquid ideò non monachus? Abſit. Palam namque eſt iſtius temporis monachos fuiſſe omnes laicos. Hinc enim Auguſtinus, dum de vulgari laico populo loquitur, paſſim vocat *Laicos inferioris propoſiti*, ut diſtinguat contra monachos, laicos propoſiti ſublimioris. Proinde dico Auguſtinum in agris propriis propè Tagaſtam, dudum antequam Hipponam adveniens ad Clericatum arriperetur, toti proprio ſuo quantulocumque patrimonio renunciaſſe, ac ipſum vel in pauperes vel in ſuorum ibi Coeremitarum primum monaſterium fuiſſe elargitum: Credibileque eſt idipſum feciſſe etiam Alipium, Evodium, alioſque Coeremitas omnes. Tradit id Auguſtinus in ſermone populari de diverſis, ſic dicens jam Epiſcopus ad plebem ac Clerum Hipponenſem. *Non attuli aliquid, non veni ad* Serm. 49. c. 1. *hanc Eccleſiam, niſi cum iis indumentis, quibus illo tempore veſtiebar*. Quia nempe omne patrimonium iſti monaſterio dederat, ideoque nil niſi unum veſtem ſecum poterat afferre Hipponam. Hinc namque apud nos etiamnum viget ea lex, quæ Fratribus ad Epiſcopatum aut aliam dignitatem extra Ordinem adſumptis nihil niſi veſtem unam efferre permittit, de reliqua autem eorum ſupellectile diſponi facit, quomodo ſolet de ſupellectile fratrum mortuorum. Longè clariùs tradit hoc ipſum Auguſtinus in Epiſtola ad Albinam, agens de cauſſa Hipponenſis ſui populi, qui quod nuper virum Nobiliſſimum atque opulentiſſimum Pinianum, quomodo olim ipſum Auguſtinum ad Presbyteratum rapuerat, gravi ubique laborabat infamia avaritiæ atque ſimoniæ. *Quo-* Ep. 228. *modò dicis hoc eos feciſſe turpiſſimo appetitu pecuniæ? Primò, quia ad plebem, quæ clamabat, omnino non pertinet. Sicut enim plebs Tagaſtenſis de his, quæ contuliſtis Eccleſiæ Tagaſtenſi, non habet niſi gaudium boni operis veſtri; ſic & Hipponenſis & cujuslibet alterius loci, ubi de mammonæ iniquitatis Domini præcepta feciſtis, vel eſtis ubicumque facturi. Non ergo populus, ut de ſanto viro Eccleſiæ conſuleret ſuæ, ardentiſſimè flagitans, ſuum pecuniarium quæſivit commodum à vobis, ſed veſtrum pecuniæ contemptum dilexit in vobis. Nam ſi in me dilexerunt, quod audierant paucis agellulis paternis contemptis ad Dei liberam ſervitutem me fuiſſe converſum, neque hoc inviderunt Eccleſiæ Tagaſtenſi, quæ carnalis patria mea: Sed cum illa clericatum mihi non impoſuiſſet, quando potuerunt, habendum invaſerunt: Quantò flagrantius in noſtro Piniano amare potuerunt, tantam mundi hujus cupiditatem, tantas opes, tantam ſpem ſanta converſione ſuperatam atque calcatam?* Ecce, palam dicit Auguſtinus, quod ſe in Eccleſia Tagaſtenſi omni paterna hæreditate exuerit, antequam eum Hipponenſes invaderent atque imponerent clericatum. Hinc in Eccleſiam Hipponenſem nihil detulit, niſi unicum, quo tunc amiciebatur, veſtimentum: Quia nempe omnia ſua jam à ſe alienarat, effuderatque in Eremum Tagaſtenſem. Niſi namque antea fuiſſent alienata, ſequi ipſum omnia debuerant Hipponem, uti manifeſtum eſt ex ea ſuorum monaſteriorum fundamentali lege, quam habet in Epiſtola ad ſanctum Alipium, ſcripta in cauſſa Eccleſiæ Thianenſis pro patrimonio Ep. 239. Fratris Honorati aſſumpti ex Tagaſtenſi monaſterio ad dictæ Eccleſiæ Presbyteratum. Honoratus iſte patrimonio dives, profeſſus ſub Alipio monachus Tagaſtenſis, ordinatus eſt in Presbyterum ac Rectorem Eccleſiæ Thianenſis, recenter à Donato converſæ ad Chriſtum. Hinc inter Alipii monaſterium atque iſtam Eccleſiam controverſia de ejus patrimonio. Pro monaſterio Alipius, pro Eccleſia agebat Auguſtinus. Alipius volebat patrimonium iſtud vel totum monaſterio relinqui, vel certè inter

mo-

monaſterium atque Eccleſiam ex æquo dividi; Auguſtinus autem volebat illud totum ſequi ſuum hominem, adeoque totum devolvi ad Eccleſiam iſtam, idque ideo, quia Honoratus iſte eò uſque necdum ſuum patrimonium alienarat: Iſtius quippe temporis monachi retinere poterant bonorum ſuorum proprietatem, ſola eorum adminiſtratione tranſlata in Prælatum. Sequebatur namque Auguſtinus hanc regulam fundamentalem. Ep. 239. *Videtur itaque mihi hæc regula eſſe in rebus hujuſcemodi retinenda, ut quidquid de eo jure, quo talia poſſidentur, ejus fuerit, qui alicubi clericus ordinatur, ad eam pertineat Eccleſiam, in qua ordinatur. Uſque adeò autem eodem jure Presbyteri Honorati eſt illud unde agitur, ut non ſolum alibi ordinatus, ſed adhuc in Tagaſtenſi monaſterio conſtitutus, ſi re ſua non vendita nec per manifeſtam donationem in quempiam tranſlata moreretur, non niſi hæredes ejus in eam ſuccederent, ſicut Frater Æmilianus in illos triginta ſolidos Fratris Privati ſucceſſit.* Quidam itaque monachatum profitentes res omnes ſuas à ſe alienabant, eas aut ipſi monaſterio aut pauperibus aut aliis piis cauſſis elargientes, alii autem earum proprietatem ſibi retinebant. Primi, dum ad alicujus Eccleſiæ clericatum evocabantur, nihil ſecum deferebant, nihil namque habebant; poſteriores autem conferebant omnia, conferebant namque ſuum, in quod monaſterio nihil erat juris, adeo ut monacho tali morienti non monaſterium, ſed legitimi ſuccederent hæredes. Hæc, inquam, in Auguſtini monaſteriis erat una lex fundamentalis. Jam porrò audivimus, quod Auguſtinus ad Eccleſiæ Hipponenſis Presbyteratum evocatus nihil præter unicum amictum ſecum iſti Eccleſiæ contulerit, ſed omnia reliquerit in Eccleſia Tagaſtenſi. Quo jure, qua de cauſſa? Quia omnia à ſe jam alienarat, dederatque Tagaſtenſi monaſterio, quod utique, Pennotte, quia Auguſtinus eò uſque laicus fuit, eſſe non potuit monaſterium Clericorum. Neque contrarium habet Sanctus Poſſidius. Verba quippe iſta, *Ad propriam domum agroſque*, ſignificant agros, non dominio ac poſſeſſione proprios, ſed proprios origine ac nativitate. Hoc namque locutionis genere etiamnum monachus Iprenſis aut Duacenſis, dum Ipras aut Duacum tendit, tendere ſe dicit ad domum propriam, proprioſque agros. Quin immo Poſſidius dicit idipſum de Auguſtino, quod Auguſtinus de ſeipſo: *Ad quos veniens, & in quibus conſtitutus fermè triennio, & ſe jam alienatis curis ſæcularibus, &c.* Quibus curis ſæcularibus? Sanè non aliis, quam temporalium bonorum. Senſus itaque Poſſidii eſt hic: veniens ad nativos Patriæ agros, atque in illis jam fixo Eremitico ac ſociali domicilio conſtitutus res omnes ſuas temporales à ſe alienavit, verumque vixit monachum atque Eremitam.

Cap. 3. Pergit Poſſidius. *Contigit fortè eodem tempore, ut quidam ex iis, quos dicunt Agentes in rebus, apud Hipponem Regium conſtitutus, bene Chriſtianus, Deumque timens, comperta ejus bona fama atque doctrina, deſideraret atque optaret eum videre, promittens ſe poſſe mundi hujus omnes contemnere cupiditates atque illecebras, ſi aliquando ex ejus ore Dei verbum audire meruiſſet. Quod cum ad ſe fideli fuiſſet relatione delatum, liberare animam cupiens ab hujus vitæ periculis, morteque æterna, ad memoratam ultrò atque confeſtim venit civitatem, & hominem viſum allocutus frequentiùs atque exhortatus eſt, quantum Deus donabat, ut quod Deo voverat redderet. Ac ſe ille facturum de die in diem pollicebatur, nec tamen in ejus tunc hoc implevit præſentia. Sed vacuum utique & inane eſſe non potuit, quod per tale vas mundum, in honore utile Domino, ad omne opus bonum paratum, in omni loco Divina gerebat providentia.* Ex tunc ergo Tagaſtenſis iſta Auguſtini Eremus, licet necdum conventualibus muris cincta, innotuerat uſque Hipponem, atque ex inde tyrones quærebat atque recipiebat. Dum porrò iſti boni operi Auguſtinus inſiſtit, ei à populo manus injiciuntur, fit Hipponenſis Presbyter, dicitque de ipſo Poſſidius. Cap. 5. *Factus ergo Presbyter monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſervis vivere cœpit ſecundùm modum & regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam. Maximè ut nemo quidquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed eis eſſent omnia communia, & diſtribueretur unicuique ſicut opus erat, quod jam ipſe prior fecerat, dum de tranſmarinis ad ſua remeaſſet.* Audiamus hæc omnia diſtinctiùs atque accuratiùs ex ipſo Auguſtino. Serm. 49. de Diverſ. cap. 1. *Ego, quem Deo propitio, videtis Epiſcopum veſtrum, juvenis veni ad iſtam civitatem, ut multi veſtrum noverunt. Quærebam, ubi conſtituerem monaſterium, & viverem cum fratribus meis. Spem quippe omnem ſæculi reliqueram, & quod eſſe potui, eſſe nolui, nec tamen quæſivi eſſe quod ſum. Elegi in domo Dei mei abjectus eſſe, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Ab iis, qui diligunt ſæculum, ſegregavi me, ſed eis, qui præſunt populis, non me coæquavi. Nec in convivio Domini mei ſuperiorem locum elegi, ſed inferiorem & abjectum: Et placuit illi dicere. Adſcende ſurſum. Uſque adeò autem timebam Epiſcopatum, ut quoniam cœperat eſſe alicujus jam momenti inter Dei ſervos fama mea, in quo loco ſciebam non eſſe Epiſcopum, non illo accederem, cavebam. Et hoc agebam quantum poteram, ut in loco humili ſalvarer, ne in alto periclitarer. Sed, ut dixi, Domino ſervus contradicere non debet; veni ad iſtam civitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari poſſe Deo, ut nobiſcum eſſet in monaſterio. Quaſi ſecurus perveni, quia locus habebat Epiſcopum. Apprehenſus, Presbyter factus ſum, & per hunc gradum perveni ad Epiſcopatum. Non attuli aliquid, non veni ad hanc Eccleſiam, niſi cum iis indumentis, quibus illo tempore veſtiebar. Et quia hic diſponebam eſſe in monaſterio cum fratribus, cognito inſtituto & voluntate mea, beatæ memoriæ ſenex Valerius, dedit mihi hortum illum, in quo nunc eſt monaſterium. Cœpi boni propoſiti fratres colligere, compares meos, nihil habentes ſicut nihil habebam, & imitantes me: ut quomodò ego tenuem paupertatulam meam vendidi, & pauperibus erogavi, ſic facerent &*

illi, qui mecum eſſe voluiſſent, ut de communi viveremus. Commune autem nobis eſſet magnum & uberrimum prædium, ipſe Deus. Perveni ad Epiſcopatum; vidi neceſſe habere Epiſcopum exhibere humanitatem aſſiduam quibuſque venientibus ſive tranſeuntibus. Quod ſi non feciſſem, Epiſcopus inhumanus diceretur; ſi autem conſuetudo iſta in monaſterio permiſſa eſſet, indecens eſſet. Et ideò volui in domo iſta Epiſcopi habere mecum monaſterium clericorum. Duo itaque inſtituit Auguſtinus monaſteria; Primum Presbyter Eremitarum in horto ſeu agro ſuburbano; alterum Epiſcopus in domo Epiſcopali Clericorum ſeu canonicorum.

CAPUT III.

Hæc Auguſtini ac Poſſidii adducta loca elucidantur.

PRimò, attendenda ſunt hæc Auguſtini verba. *Veni ad iſtam civitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari poſſe Deo, ut nobiſcum eſſet in monaſterio.* Dicet quis, in quo monaſterio? Eo tempore necdum erat monaſterium: Primum namque monaſterium fuit monaſterium Hipponenſe, quod tunc necdum erat, utique ædificatum dumtaxat poſt Auguſtini Presbyteratum, tunc primo inchoantis colligere fratres boni propoſiti. In quo ergo monaſterio cum Auguſtino adhuc laico futurus fuiſſet iſte amicus? Reſpondeo eum futurum fuiſſe in monaſterio ſeu Eremo Tagaſtenſi: Hujus namque bonam famam Agens iſte in rebus uſque Hipponem audierat, hujus ingreſſum voverat, hujus voti cauſſa venerat Auguſtinus Hipponem. Hoc eſt illud monaſterium, de quo ita dicit Poſſidius. *Factus*
Cap. 2. *Presbyter monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſervis vivere cœpit ſecundùm modum & regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam, Maximè ut nemò quidquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed eis eſſent omnia communia, & diſtribueretur unicuique, ſicut opus erat, quod jam ipſe prior fecerat, dum de transmarinis ad propria remeaſſet.* Ecce, jam ſtatim à ſuo in Africam ac agros proprios adventu vixerat vitam communem, & quidem eam ipſam, quam poſtea Presbyter inſtituit Hippone. Jam ergo ante Presbyteratum erat monaſterium, necdum tamen ex muris ac lapidibus, ſed ex ſolis hominibus ac ſanctis moribus ædificatum: Primi muri fuerunt in horto Hipponenſi.

Secundò, elucidanda ſunt hæc verba Auguſtini. *Quærebam, ubi conſtituerem monaſterium, & viverem cum fratribus meis*, Hoc eſt, Ego jam habens monaſterium ex fratribus, quærebam ubi conſtituerem monaſterium ex muris. Peto, quid quæreret, an fundum, an nummos, an aliquid aliud? Conſtanter aſſevero neque fundos neque nummos quæſitos fuiſſe, qui utique abundè ſuppetebant. Habebat fundos quoſpiam pauperibus parentibus natus Auguſtinus, habebat Agens in rebus Evodius, habebat nobilis ac opulentus Alipius: Ex his ſeligere poterant ædificio neceſſarios, de reliquis facere, quod de ſuis non ita dudum poſt fecerunt Paulinianus ac ejus frater Hieronymus, de quo ita hic ſcribit ad Pammachium. *Nos*
In iſta provincia ædificato monaſterio, & diverſorio propter exſtructo, ne fortè & modò Joſeph Ep. 25.
cum MARIA *in Bethleem veniens non inveniat hoſpitium, tantis de toto orbe confluentibus turbis obruimur monachorum, ut nec cœptum opus deſerere, nec ſupra vires ferre valeamus. Unde quia pœnè nobis iſtud de Evangelio contigit, ut futuræ turris non ante computaremus expenſas; compulſi ſumus fratrem Paulinianum ad patriam mittere, ut ſemirutas villulas, quæ Barbarorum effugerunt manus, & parentum communium cenſus venderet, ne cœptum ſanctorum miniſterium deſerentes, riſum maledicis & æmulis præbeamus.* Certè eo tempore necdum in Africam irruperant Barbari, necdum expilationibus atque exuſtionibus agrorum pretia diminuerant, neque opus erat longa peregrinatione. Proinde neque fundus neque nummus ædificio neceſſarius poterat Auguſtino deeſſe.

Dico ergo Auguſtino defuiſſe, atque ab illo quæſitum fuiſſe id, de quo ſic dicit ſanctum
Concilium Chalcedonenſe. *Qui verè & purè* Cap. 4.
ſolitariam eligunt vitam, digni ſunt convenienti honore. Quidam tamen monachorum habitu utentes indifferenter per civitates incedunt, necnon & monaſteria & ſeipſos propria præſumptione condemnant. Placuit igitur neminem aut ædificare aut conſtruere monaſteria, aut oratorii domum, ſine conſcientia ipſius civitatis Epiſcopi. Eos verò, qui per ſingulas civitates ſeu poſſeſſiones in monaſteriis ſunt, placet nobis Epiſcopo ſubjectos eſſe debere, & quieti operam dare, atque obſervare jejunia & orationes, in locis, in quibus ſemel ſe Deo voverint, permanentes. Scio hunc canonem eſſe Auguſtino poſteriorem: verùm, quoniam in omnium fidelium cordibus quaſi naturaliter inſcriptus eſt, per omnem Eccleſiam ſemper obſervatus fuit, eſtque Chalcedone non primò definitus, ſed dumtaxat innovatus ac in perpetuam ſcripturam redactus propter neſcio quos præſumptores. Et quidem eum obſervatum oportuit quam maximè à Sancto Auguſtino. Auguſtinus quippe rem inchoabat novam, Africanæ Eccleſiæ huc uſque inviſam ac inſuetam, eò uſque enim Africa nullos omnino monachos norat. Auguſtinus ergò nihil hic poterat aut volebat ſine licentia alicujus Epiſcopi: Hanc hinc inde inquirebat. Sic planè inſinuant hæc ejus verba. *Et quia hic diſponebam eſſe in monaſterio cum fratribus, cognito inſtituto & voluntate mea beatæ memoriæ ſenex Valerius dedit mihi hortum, in quo nunc eſt monaſterium. Cœpi boni propoſiti fratres colligere.* Ecce, Valerius de Auguſtini inſtituto ac voluntate cognovit, cognitum approbavit, hortum ſeu agrum dedit, cœpitque tunc Auguſtinus palam fratres colligere, utpote tunc habens publicam licentiam, Ordinemque ab Eccleſia approbatum. Approbatum, inquam, ab Eccleſia Hipponenſi: Etenim in nullam aliam Eccleſiam propaginem ſuam traduxit, niſi obtenta cujuſque Epiſcopi licentia, ut in decurſu ſum dicturus.

Tertiò, notanda ſunt hæc Auguſtini verba.

Et

Et quia hic diſponebam eſſe in monaſterio cum fratribus. Notanda eſt particula *hic*. Auguſtinus quippe non fuit ordinatus Presbyter à Sancto Valerio, quomodò Hieronymus à Sancto Paulino, ſed prout præcipit canon decimus quintus ac decimus ſextus Concilii Nicæni poſtmodum magis explicatus per hunc canonem Con-
Cap. 6. cilii Chalcedonenſis. *Neminem abſolutè ordinari jubemus Presbyterum neque Diaconum, nec quemlibet in Eccleſiaſtica ordinatione conſtitutum, niſi manifeſtè in Eccleſia ſuæ civitatis ſive poſſeſſionis, aut in martyrio, aut in monaſterio hic, qui ordinatur, mereatur ordinationis publicæ vocabulum. Eos autem, qui abſolutè ordinantur, decrevit ſancta Synodus vacuam habere manus impoſitionem, & nullum tale factum valere, ad injuriam ipſius, qui ordinavit.* Ordinari abſolutè eſt ordinari ſine canonico titulo, ac ſine fixa ad certam Eccleſiam adſcriptione. Iſtos porrò Nicænos canones fuiſſe apud Afros in viridi obſervantia, patet ex ipſo Auguſtino, ſic ſcribente ad Presbyterum Quintianum. *Inſtitutum eſt, ut clericum alienum nemo ſuſcipiat*. Presbyter ergo Auguſtinus videns ſe jam Hippone fixum, ſuum tamen monaſticum inſtitutum, quod ab audito Potitiano huc uſque obſervarat, firmus ſtatuit non deſerendum. Tunc ergo diſpoſuit hic eſſe in ſolitudine ac monaſterio, cœpit res ſuas Epiſcopo Valerio exponere; Valerius eas maturè cognitas ac diſcuſſas probavit, dedit Auguſtino agrum ſuburbanum, iſque ibi primos ſuos inchoavit Eremiticos muros.

CAPUT IV.

Explicatur locus controverſus Sancti Poſſidii.

VErba controverſa ſunt hæc. *Factus Presbyter monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit*. Controverſia eſt, quod ſit *intra Eccleſiam*. De iſtis verbis ſic dicit Cardinalis Baro-
A. 391. nius. *Quod dicit Poſſidius Auguſtinum factum Presbyterum monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituiſſe, aliter ſe rem habuiſſe, cum præcedens Sancti Auguſtini ſermo declarat, tum quæ ſubdit his verbis. Perveni ad Epiſcopatum; vidi neceſſe habere Epiſcopum exhibere humanitatem aſſiduam quibuſcumque venientibus ſive tranſeuntibus: Quod ſi non feciſſem, Epiſcopus inhumanus diceretur; ſi autem conſuetudo iſta in monaſterio permiſſa eſſet, indecens eſſet. Et ideò volui habere in iſta domo Epiſcopi meum monaſterium clericorum. Hæc ipſe. Quibus declaratur, non niſi facto ipſo Epiſcopo accidiſſe quod ait Poſſidius, conſtruxiſſe ipſum Auguſtinum monaſterium intra Eccleſiam: ut ex his videas duo ab eo erecta fuiſſe Hippone monaſteria, alterum cum adhuc Presbyter eſſet, in horto, alterum verò cum factus eſt Epiſcopus, in ipſa Epiſcopali domo, quæ inhærens eſſe ſoleret Eccleſiæ.*

At ego nunquam credidero Auguſtinum ac Poſſidium hac in re inter ſe diſſidere. Quod enim tam Auguſtinus, quam plerique ejus ad Epiſcopatum aſſumpti Diſcipuli duo intra Eccleſias ſuas erexerint monaſteria, unum monachorum ſeu Eremitarum, aliud clericorum ſeu canonicorum, res eſt adeo clara, ut diligens Auguſtini lector nequeat de ea vel dubitare. De Eccleſia ſua Hipponenſi teſtatur id Auguſtinus non ſolùm in jam allegato ſermone, ſed etiam in Epiſtola ad Alipium ſic dicens. *Clericos ſanè noſtros vel fratres in monaſterio conſtitutos participes fuiſſe vel hortatores contumeliarum tuarum, utrum probari poſſit, ignoro.* Teſtatur & Sanctus Ep. 224.
Paulinus ſic ſcribens ad eundem Alipium. *Benedictos ſanctitatis tuæ comites & æmulatores, in* Ep. 35.
Domino fratres, ſi dignantur, noſtros, tam in Eccleſiis, quam in monaſteriis, Carthagine, Tagaſtæ, Hippone Regio, & totis parochiis tuis, atque omnibus cognitis tibi per Africam locis, Domino catholicè ſervientes, multo affectu & obſequio ſalutari rogamus. Ecce, non ſolùm Hippone, ſed etiam Carthagine, Tagaſtæ, aliiſque plurimis Africæ locis, alii erant ſub eodem Epiſcopo fratres Eremitæ ſeu monachi in monaſterio, alii erant Clerici in Eccleſia ſeu domo Epiſcopali. Monaſteria illa erant in hortis, hoc eſt, in agris ſuburbanis, procul ab omni ſtrepitu ſæculari. Hinc enim ad Sanctum Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum gratulabundus atque gratias agens ſic ſcribit Presbyter ac in horto
Hipponenſi monachorum Pater Auguſtinus. Ep. 64.
Agrum fratribus datum proviſione ac liberalitate tua didicimus ante Epiſtolam tuam, per ſanctum fratrem & conſervum noſtrum Parthenium, à quo multa alia, quæ audire deſiderabamus, audivimus. Dedit fratribus Eremitis agrum, quomodò Valerius eis dederat hortum: Agrum ſuburbanum, ad monaſterii ædificationem. Ita teſtatur Auguſtinus ſic dicens in libris Retracta- Lib. 2.
tionum. *Ut de opere monachorum librum conſcri-* c. 21
berem, illa me neceſſitas compulit, quod cum apud Carthaginem monaſteria eſſe cæpiſſent, &c. En, non Carthagine, ſed prope illam eſſe cæperant, nempe in agro Aureliano. Horum om-
nium cauſſam tradit nobis Sanctus Poſſidius. Cap. 11.
Proficiente verò doctrina Divina, ſub Sancto Auguſtino in monaſterio Deo ſervientes, Eccleſiæ Hipponenſi clerici ordinari cæperunt. Ac deinde innoteſcente & clareſcente de die in diem Eccleſiæ Catholicæ prædicationis veritate, ſanctorumque ſervorum Dei propoſito, continentia, & paupertate profunda, ex monaſterio, quod per illum memorabilem virum & eſſe & creſcere cæperat, magno deſiderio poſcere atque accipere Epiſcopos & clericos pax Eccleſiæ atque unitas & cæpit primò, & poſtea conſecuta eſt. Nam fermè decem, quos ipſe novi, ſanctos ac venerabiles viros, continentes & doctiſſimos, Beatus Auguſtinus diverſis Eccleſiis, nonnullis quoque eminentioribus, rogatus dedit. Similiterque & ipſi ex illorum ſanctorum propoſito venientes, Domini Eccleſiis propagatis, & monaſteria inſtituerunt, & ſtudio creſcente ædificationis verbi Dei, cæteris Eccleſiis promotos fratres ad ſuſcipiendum Sacerdotium præſtiterunt. Hoc eſt, quotquot ex Auguſtini diſcipulatu aſſumpti fuere ad Epiſcopatum, in ea ipſa forma in ſuis Eccleſiis inſtituerunt monaſteria, quæ viderant ea Hippone inſtituta a ſuo Patre ac magiſtro, videlicet alterum Eremitarum in agro, alterum clericorum in palatio Epiſcopali. Hinc dicit Poſſidius: *Sub Auguſtino & cum*

Au-

Digitized by Google

Auguſtina in Monaſterio Dea ſervientes. Sub illo
erant Eremitæ, cum illo Clerici, quia ſub eo-
dem tecto, in eadem menſa, in vita per omnia
communi. Proindè clariſſimum eſt, quod du-
plex hoc monaſteriorum genus ſit ab Auguſtino
inchoatum ac propagatum, neque ullatenus cre-
diderim oppoſitum aſſeri à Sancto Poſſidio. Cre-
do verba iſta, *Intra Eccleſiam*, malè intelligi
à Baronio. Neque enim *Intra Eccleſiam* eſt
idem, quod intra domum Epiſcopalem; nullo
modo: Eſt idem, quod intra parochiam Hip-
ponenſem. Significant idem, quod & Auguſti-
ni verba: *Et quia hic deſponebam eſſe in Ma-
naſterio*. Hoc eſt, quia Auguſtinus ad agros
Tagaſtenſes atque inchoatum in illis monaſte-
rium reverti non poterat, diſpoſuit inſtitutum
ſuum Hippone proſequi, ideoque inſtituit Mo-
naſterium intra Eccleſiam ſeu parochiam civi-
tatis Hipponenſis.

Non penitùs perperam loquitur hic Pennottus.
L. 1. c. Rectè namque advertit Auguſtinum à Valerio
13. n. 1. ordinatum fuiſſe, non in qualemcumque Pres-
byterum, ſed in civitatis Hipponenſis parochum
ſeu Presbyterum Plebanum. Colligit id ex ver-
C. 4. bis Sancti Poſſidii. *Eadem tempore in Eccleſia
Catholica Valerius Sanctus Epiſcapatum gerebat,
qui cum flagitante Eccleſiaſtica neceſſitate de pro
videnda & ordinanda Presbytera civitatis plebem
Dei alloqueretur & exhortaretur, &c.* Nota ver-
ba, *De ordinanda Presbytera Civitatis*: Hoc eſt,
qui futurus eſſet Parochus civitatis ac Pleba-
nus. Nota item verba, *In Eccleſia Catholica*.
Duo namque erant tunc Hippone Epiſcopi,
duæque Epiſcopales Baſilicæ: Nempe Baſilica
Catholica, in qua præſidebat Sanctus Vale-
rius, ac Baſilica Donatiſtarum, in qua præ-
ſidebat eorum Epiſcopus Proculianus. Hoc
L. 1. c. ſuppoſito, de verbis iſtis, *Intra Eccleſiam*, ſic
13. n. 1. dicit Pennottus. *Intellige prape vel juxta Ec-
cleſiam, vel in horta Valerii, qui erat vicinus Ec-
cleſiæ. At cujnam Eccleſiæ, intra quam Eccleſiam?
Certè non intra aliam Eccleſiam? quam parochialem,
prapè quam neceſſe erat reſidere eum, qui Para
chus fuerat ordinatus. Porrò ſi in Eccleſia Pa-
rochiali vel propè illam monaſterium inſtituit,
certè nan in Eremo, vel in nemore, vel in ſo-
litudine, nan Monachorum, non Eremitarum.
Quid enim Manachis & Eremitis cum civitatibus,
N. 2. quid cum Eccleſiis Parochialibus?* Et infra, hanc
Eccleſiam Parochialem dicit fuiſſe aliam à Ca-
thedrali: Juxta Cathedralem namque Eccleſiam
in Palatio Epiſcopali non inſtituit Auguſtinus
Monaſterium, niſi jam promotus ad Epiſcopa-
tum. Aſt in his Pennottus graviter hallucina-
tur. Male namque in Hipponenſi civitate præter
Eccleſiam Cathedralem ponit aliam parochialem:
Hippona namque eſt, fuitque ſemper modica
civitas, ideoque credibile non eſt præter duas
Cathedrales Baſilicas fuiſſe tunc in ipſa alias
Eccleſias Parochiales. Eccleſia quippe Cathe-
dralis erat, more apud antiquos penitus uni-
verſali, etiam parochialis, dicoque præter ipſam
tunc pro Catholicis, utique longè pauciſſimis,
non fuiſſe ibi aliam. Quod enim ibi pauciſſimi
eſſent Catholici, patet ex ipſo Auguſtino de
ſua civitate ſic ſcribente ad Vincentium Ro-
gatiſtarum Epiſcopum Cartennenſem. *Quæ cum* Epiſt.
tota eſſet in parte Donati. Sic, inquam, erat 48.
dum eam accepit Epiſcopus Auguſtinus. Pro-
indè paucis Catholicis una Cathedralis Eccleſia
omnino ſufficiebat. Et hinc Sanctus Valerius
agebat de ordinando, non alicujus ſecundariæ
Parochiæ, ſed totius civitatis Presbytero; age-
bat ad totam Hipponenſem plebem Catholicam,
quæ utique tota tamquam ad ſuam parochiam
convenire conſueverat ad Eccleſiam Epiſcopa-
lem. Erat, inquam, Hippone unica dumtaxat
parochia: Aſt eo tempore, quo ibi Auguſtinus
arreptus eſt ad Presbyteratum. Auguſtino nam-
que jam Epiſcopo, ac per ipſum, quod qui-
dem ſæpe teſtatur, omni ſuo populo à Donati
pertinaciſſima ſcabie ad Chriſtum translato, fu-
ere parochiæ ad minimum tres. Fuit enim pa-
rochia Cathedralis, in qua erexit memoriam ſeu
ſacellum S. Stephani: Sacellum tot ac tantis mi-
raculis glorioſum. Fuit & Baſilica expulſi Pro-
culiani: neque enim dubium eſt, quin eam Au-
guſtinus ab hæretica fæce expurgatam reconci-
liarit, conſecraritque in parochialem. Fuit ibi
denique Baſilica ad octo martyres, quam ab
Auguſtino juſſus partim ex ſua impenſa partim
ex populi Hipponenſis collecta ædificavit Preſ-
byter Leporius, haud dubiè in tertiam, quia
populo per Auguſtinum converſo jam duæ non
ſufficiebant, parochialem. Verùm non ita fuit
Presbytero adhuc Auguſtino. Quapropter *intra
Eccleſiam* non eſt idem quod juxta Eccleſiam:
Cum enim ibi unica dumtaxat fuerit pro Ca-
tholicis Eccleſia, eaque Epiſcopalis, debuiſſet
primum iſtud monaſterium fuiſſe juxta ipſam,
quod etiam Pennottus fatetur deviare à vero.
Quid ergo eſt *intra Eccleſiam*? Reſpondeo vo-
cem *Eccleſiam* ſumi tribus præſertim modis. Pri-
mò, pro Baſilica aut æde materiali. Secundò,
pro viva ac rationali fidelium congregatione.
Tertiò denique, pro limitibus alicujus Diœce-
ſeos atque Parochiæ circumſcriptivis. Sic hic
Duaci eſſe dicimur in Eccleſia Atrebatenſi, Va-
lencenis verò eſſe in Eccleſia Cameracenſi: Sic
in hoc vel iſto Duacenſi vico dicimur eſſe in
Eccleſia S. Petri aut Jacobi: Sic in hoc vel iſto
agro eſſe in hujus vel iſtius pagi Eccleſia, hoc
eſt, intra limites Parochiales. Et hoc ſenſu
voces iſtas accipit Sanctus Poſſidius. *Inſtituit
Monaſterium intra Eccleſiam*, id eſt, intra limi-
tes parochialis, quæ & Cathedralis erat, Ec-
cleſiæ Hipponenſis. Hinc fateor Monaſterium
iſtud non fuiſſe in Eremo, aut ſylva, aut agre-
ſti aliqua ſolitudine: Dico tamen fuiſſe in horto,
id eſt, in agro ſuburbano, qui tamen eſſet in-
tra Eccleſiam ſeu parochiam civitatis Hipponen-
ſis. At inquies cum Pennotto: Quid Eremitis
cum civitatibus & Eccleſiis Parochialibus? Reſ-
pondeo id à S. Valerio ejuſque populo quæ-
rendum: Quære ab illis, cur hominem de Ere-
mo Tagaſtenſi advenam quaſi plagio rapuerint;
cur eum ſibi parochum ordinarint; cur ei,
quod monachiſmum atque vitam Eremiticam
exuere nollet, dederint hortum, locum ſuæ
civitatis quietiſſimum, monaſterio exſtruendo?
Æquè clarè patebunt hæc omnia ex intellectis
hiſce Auguſtini verbis. *Cognito inſtituto & vo-
luntate*

luntate mea ſenex Valerius , dedit mihi hortum illum, in quo nunc eſt monaſterium.

Hæc namque duo , *Propoſitum & voluntas* nequaquam accipi poſſunt pro eodem, ſed ſunt planè diverſa. Propoſitum ſignificat monaſticæ profeſſionis ſpeciem ſeu formam, quam Auguſtinus in Africam de Italia tranſportarat, quam huc uſque prope Tagaſtam cum ſociis vixerat, quamque jam etiam vivere ac tranſportare volebat Hipponam; at verò voluntas ſignificat eum Auguſtinianæ mentis motum, quo etiam Presbyter volebat Monachus permanere, ſtoi nolens iſtorum temporum canonico indulto, quod quemvis clericum à Monachiſmi debitis eximebat. Patet id imprimis ex ipſo Auguſtino, qui in libris Retractationum ac de opere Monachorum Monachos vocat laicos *Propoſiti ſublimioris*. Et ex S. Hieronymo, qui in Epiſtola ad Principiam monaſticæ vitæ genus vocat *Propoſitum monachorum*. Et ex S. Leone Papa magno, qui in Epiſtola ad S. Ruſticum Eccleſiæ Narbonenſis Epiſcopum iſtud vitæ genus vocat *Propoſitum Monachi ac propoſitum boni melioris*. Lege quoſvis antiquos Patres aut canones, & reperies ſignificationem iſtam eſſe voci iſti penitus univerſalem. Proinde & in ea hic quoque loquitur Auguſtinus, aliud longè quid ſignificans per vocem *Propoſito*, aliud per vocem *voluntate*. At inquies, unde Auguſtino ea voluntas devians ab iſtorum temporum canonico indulto? Reſpondeo primas ejus radices conceptas fuiſſe in Italia, haud dubiè e. S. Ambroſio, qui de S. Euſebio Vercellenſi Epiſcopo, magnoque apud Italos Monacho ſic ſcribit ad Vercellēſes: *Primus in occidentis partibus diverſa inter ſe Euſebius conjunxit, ut & in civitate poſitus Monachorum inſtituta teneret, & Eccleſiam regeret jejunii ſobrietate.* Et hinc ſanctum iſtum haud dubiè ſibi à S. Ambroſio frequenter prædicatum imitatutus S. Auguſtinus ſuum Heremitarum Hipponenſe monaſterium, non foris in deſerta Eremo, ſed in horto intra Eccleſiam inſtituit, hoc eſt, in agro ſuburbano intra parochiales limites civitatis Hipponenſis. Et ſanè nimium hallucinatur Pennottus, dum Africanorum Parochorum domos putat ſemper fuiſſe ſuæ Eccleſiæ contiguas, ideoque verba hæc *intra Eccleſiam* eſſe idem quod *juxta Eccleſiam*. Nimium hallucinatur circa mores Afrorum. Etenim non Afros dumtaxat Parochos, ſed etiam ipſos Epiſcopos quandoque habitaſſe non nihil à ſua Eccleſia ſemotos, patet ex decimo quarto canone Concilii quarti Carthaginenſis. *Ut Epiſcopus non longè ab Eccleſia hoſpitiolum habeat.* Antea ergo habitabant quidam etiam longè ab Eccleſia. Eſt id in Synodo iſta reformatum, ſtatutumque, ut non longè, id eſt, non extra parochiales limites habitarent. Synodo iſti interfuit S. Poſſidius. Conſtanter itaque dico canonem iſtum, dum Auguſtini vitam ſcriberet, fuiſſe ab eo attentum, ideoque *intra Eccleſiam* eſſe idem quod *non longè* ab Eccleſia, ſeu intra limites parochiales.

CAPUT V.

Auguſtinus monachiſmum primus inducit in Africam.

Quamvis jam pridem proximè poſt Apoſtolorum tempora Romanæ Eccleſiæ præſederit Sanctus Papa Teleſphorus Anachoreta, ac non ita dudum poſt Sanctus Dionyſius Monachus, monachi tamen Romæ atque in omni alia Europa prius fuere noti ſub Pontificatu Julii primi, anno Domini JESU trecenteſimo vigeſimo octavo, quandò eò ex Ægypto à facie crudelium Arianorum fugiens advenit Sanctus Athanaſius, ſecum deferens vitam Sancti Antonii tunc adhuc viventis, ſecumque adducens aliquot ejus monachos, ſtrenuos fidei pugiles, perſonæ ſuæ præſidiarios milites, conſorteſque omnis ſuæ perſecutionis. Teſtatur id Sanctus Hieronymus ad Sanctam Virginem Principiam ſic Epiſt.
ſcribens de Sancta Marcella. *Nulla eo tempore no-* 16.
bilium fœminarum noverat Romæ propoſitum Mona- C. 2. 3.
chorum, nec audebat, propter rei novitatem, ignominioſum, ut tunc putabatur, & vile in populis nomen aſſumere. Marcella ab Alexandrinis priùs Sacerdotibus, Papaque Athanaſio, & poſtea Petro, qui perſecutionem Arianæ Hæreſeos declinantes, quaſi ad tutiſſimum communionis ſuæ portum, Romam confugerant, vitam Beati Antonii, adhuc tunc viventis, monaſteriorumque in Thebaide Pachomii, & Virginum & Viduarum didicit diſciplinam: Nec erubuit profiteri, quod Chriſto placere cognoverat. Hæc prima & rudia adhuc monachiſmi apud nos Europæos incunabula multum promovit atque adoleſcere fecit Sanctus Euſebius Epiſcopus Vercellenſis, de quo ad Vercellenſem Eccleſiam ſic Epiſt.
ſcribit Sanctus Ambroſius. *Primus in occidentis* 82.
partibus diverſa inter ſe Euſebius ſanctæ memoriæ conjunxit, ut & in civitate poſitus monachorum inſtituta teneret, & Eccleſiam regeret jejunii ſobrietate. Et infrà. *Hæc patientia in Sancto Euſebio monaſterii coaluit uſu, & durioris obſervationis conſuetudine hauſit laborum tolerantiam. Namque hæc duo in attenta Chriſtianorum devotione præſtantiora eſſe quis ambigat, Clericorum officia & Monachorum inſtituta?* Sanctus namque Euſebius non ſolum apud ſuos Italos in Sancto Athanaſio ac Sociis ejus, ſed etiam in Orientali Eccleſia, tamquam in ſuo fonte, monachos ac eorum inſtituta videbat: utpotè unà cum Lucifero Eccleſiæ Calaritanæ Epiſcopo omnium iſtarum Eccleſiarum ſedulus luſtrator ac admirabilis pacificator, eò deſtinatus cum plenitudine poteſtatis ab Apoſtolica ſede. Hæc ergo ibi viſa inſtituta ipſi placuere, ideoque ea aſſumpſit & vixit, atque ad ſuos Italos deportata mirificè propagavit. Et haud dubiè ex hac propagine venit iſtud Mediolanenſe ſub nutritore Sancto Ambroſio monaſterium, cujus meminit Auguſtinus in ſuis Confeſſionibus: Item ea omnia tam virorum quam mulierum per omnem Italiam monaſteria, quorum veracem ſanctimoniam refert ac laudat in libro de moribus Eccleſiæ Catholicæ, eam opponens falſæ ac fallaci abſtinentiæ ac continentiæ Manichæorum. Et

ad

Digitized by Google

ad præfata iſta Sancti Ambroſii de Sancto Euſebio verba rectè dicit Cardinalis Baronius: *Quod ipſum præſtantiſſimum vitæ genus Sanctus Martinus Turonenſis Epiſcopus tranſvexit in Gallias, & Sanctus Auguſtinus in Africam*. A. 228. n. 22. Conſtat namque Sanctum Martinum aliquoties fuiſſe in Italia. Fuit enim in quibuſdam Italicis Epiſcoporum Conciliis: Magiſtro ſuo Sancto Hilario Pictavorum Epiſcopo de exilio in Gallias redeunti occurrit uſque Romam: ac longam ſatis moram, idque cauſſa fluctuantis fidei, traxit in monaſterio Mediolanenſi, dira ibi paſſus ab impio Auxentio Arianorum Epiſcopo, ac inde tandem violenter extruſus. Sanctus itaque Ambroſius iſtud Monaſterium non erexit, ſed in ſua Eccleſia invenit, erectum haud dubiè non ita pridem à Sancto Euſebio: atque in eo addidicit Martinus monaſticam diſciplinam, tranſtulitque ſecum in Eccleſiam Gallicanam. Multum quoque haud dubiè didicit à Sancto Hilario Epiſcopo Pictavorum. Hic namque Hilarius, factione Saturnini Arelatenſis Epiſcopi Ariani, à pſeudo Synodo Bytherrenſi deportatus in Exilium, totum peragravit orientem, idque neque inglorius, neque incutius. Etenim in Phrygia ſuſcitavit mortuum: interfuit Concilio Seleucienſi ac Conſtantinopolitano: Conſtantinopoli Arianos Epiſcopos provocavit ad publicam diſputationem, ſemper interim communicans ac familiariter utens ſolis Ægypti Epiſcopis, quos omnes inſignes fuiſſe Monachos mox ſum oſtenſurus. Hiſce, inquam, ſolis communicavit Hilarius ille, qui tantus fuit vitæ monaſticæ amator, ut etiam adhuc laicus legatur in ſuo conjugio quaſi Monachum vixiſſe. Proindeque haud dubium eſt, quin omnem vitæ iſtius rationem ſedulò perſcrutatus ſit, atque poſtmodum tradiderit Sancto Martino. Et ex hac Sancti Athanaſii ſeu potius Sancti Antonii per Sanctum Euſebium propagine deſcendimus etiam nos Auguſtiniani Eremitæ. Eum ipſum namque Antonium, quem in codice ſcriptum attulit Athanaſius Romam, narravit Auguſtino Nobilis vir Potitianus, omnemque vitæ Antonianæ formam propriis oculis luſtravit Auguſtinus in Italicis Sancti Euſebii Monaſteriis, atque ſecum tranſtulit, ubi huc uſque nec viſa nec nota fuerat, ad Eccleſias Africanas. Sic palam teſtatur ipſe in variis locis. Scribit enim in libris Retractationum. *Ut de opere Monachorum librum conſcriberem, illa me neceſſitas compulit, quod cum apud Carthaginem monaſteria eſſe cæpiſſent, &c.* Et in libro de opere Monachorum. *O ſervi Dei, milites Chriſti, itane diſſimulatis callidi hoſtis inſidias, qui bonam famam veſtram, tam bonum Chriſti odorem, omni modo cupiens obſcurare putoribus ſuis, tam multos hypocritas ſub habitu Monachorum uſquequaque diſperſit: Cum interea ubicumque in factis ſuis malis deprehenſi fuerint ſub generali nomine Monachorum veſtrum propoſitum blaſphemarunt, tam bonum, tam Sanctum, quod in Chriſti nomine cupimus, ſicut per alias terras, ſic per totam Africam pullulare*. Et exponens locum Apoſtoli, *Profanas vocum novitates devita*, ſic dixit ad populum. *Non ait verborum novitates, ſed addit profanas: Sicut enim & doctrinæ Religionis congruentes verborum novitates, ſicut ipſum nomen Chriſtianorum, quando dici cæperit, ſcriptum eſt. In Antiochia enim poſt adſcenſionem Domini primùm appellati ſunt Diſcipuli Chriſtiani, ſicut legitur in actibus Apoſtolorum. Et Xenodochia & monaſteria poſtea ſunt appellata novis nominibus, res tamen ipſæ & ante nomina ſua erant, & religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur*. Præſertim adverſus Martini Lutheri ac Joannis Calvini magiſtros ac præcurſores turbolentos Donatiſtas, qui monachorum in Africa inſtitutorem ac Patriarcham Auguſtinum ubique traducebant tamquam inventorem novorum Dæmoniorum. Hinc enim dicit Auguſtinus adversùs Petilianum eorum Epiſcopum Cirthenſem. *Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem monaſteriorum at monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus vitæ à me fuerit inſtitutum. Quod genus vitæ omnino quale ſit, neſcit, vel potius toto orbe notiſſimum neſcire ſe fingit*. L. 3. c. 40. Et in tractatu ad populum. *Quando vos rectè Hæreticis de circumcellionibus inſultare cæperitis, illis vobis inſultans de monachis. Dicere conſueverunt, quid ſibi vult nomen monachorum? Quid ergo dicunt illi, qui nobis de nomine monachorum inſultant? Dicunt, oſtendite, ubi ſit ſcriptum nomen monachorum. Hi etiam inſultare nobis audent, quia fratres, cum vident homines, Deo gratias dicunt. Quid eſt, inquiunt, Deo gratias. Itane ſurdus es, ut neſcias quid ſit Deo gratias? Qui dicit Deo gratias, gratias agit Deo. Vide, ſi non debet frater Deo gratias agere, quando vidit fratrem ſuum. Num enim non eſt locus gratulationis, quando ſe invicem vident, qui habitant in Chriſto*. Psalm. 132. Et ſtatim infrà. *Quare appellamus Monachos, cum dicat pſalmus, Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum?* Μόνος *enim unus dicitur. Et non unus quomodocumque, nam & in turba eſt unus, ſed una cum multis unus dici poteſt,* Μόνος *non poteſt, id eſt, ſolus.* Μόνος *enim unus ſolus eſt. Qui ergo ſic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, ut ſit illis verè quod ſcriptum eſt, Anima una & cor unum, multa corpora, ſed non multæ animæ, multa corpora, ſed non multa corda: rectè dicitur* Μόνος, *id eſt, unus ſolus. Meritò inſultant nomini unitatis, qui ſe ab unitate præciderunt: Meritò illis diſplicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in unum cum fratribus, ſed ſequentes Donatum, Chriſtum diviſerunt*. Viden, quam ſibi benè connexa ſint hæreſis ac odium monachorum. Quæ quidem omnia palàm oſtendunt Africæ monachos, eſſe Auguſtini partum, qui quod ſciret rem novam eſſe, eam inchoatam noluit ſine venia Epiſcoporum.

Clarum itaque eſt ante Auguſtini tempora nullos in Africa fuiſſe Monachos, nullaque Monaſteria: Adeò ut Afri vocem *Monaſterium* eo uſque ignorarint, quomodò uſque ad Apoſtolorum prædicationem ignoravit Antiochia vocem *Chriſtianus*. Ad tantam tamen lucem Pennottus adhuc lippit, ſic dicens. *Quod obiiciunt ex Auguſtini libro contra litteras Petiliani, nullam adfere difficultatem, quia ibi Auguſtinus de hoc nihil affirmat,* L. 1. c. 38. n. 2.

mat , ſed ſolùm Hæretici accuſationem & maledicta refert & vituperationem monaſteriorum & monachorum . Ex quibus ſi quis contendat elicere Auguſtinum monachum fuiſſe , pari ratione elicere poteris vitam monaſticam vituperatione dignam eſſe , nam Hæreticus monachos & monaſteria vituperabat. Pennotte, ex iſto Auguſtini loco non infero Auguſtinum fuiſſe monachum , neque exinde inferri id poteſt, reveraque iſto tempore Auguſtinus non erat monachus , erat enim Epiſcopus , ideoque depoſito monachali pallio jam pridem aſſumpſerat lineam tunicam ac birrhum Epiſcopale : Ex eo tamen rectè infero ipſum fuiſſe monachorum inſtitutorem ac monaſteriorum in Africanas Eccleſias introductorem . Cur namque id non credam ? Nam de facto iſto, quod probri loco obiicit Hæreticus, non raro in libris ſuis , ut jam audiſti , gloriatur Sanctus Auguſtinus. Hinc dicit de Petiliano . *Quod genus vitæ omnino quale ſit , neſcit, vel potius toto orbe notiſſimum neſcire ſe fingit* . Dicit, *Neſcit*: Quia Petilianus revera id , quoniam huc uſque Africa monachos non novat, poterat neſcire: Neſciebat enim Africanus populus vocem *monaſterium* . Dicit , *vel potius neſcire ſe fingit*: Quia monaſticæ vitæ genus erat in Ægypto , Syria , Meſopotamia , Gallia , Italia, Germania , aliiſque omnibus Chriſtianis gentibus notiſſimum , ideoque Petilianus, non quis de grege coquus aut ſellularius, ſed nobiliſſimæ Conſtantinenſis civitatis Epiſcopus, homoque litteratus , facile poterat ac debebat iſtud vitæ genus non ignorare. Proinde per iſtud vitæ genus intelligit Auguſtinus monachiſmum generaliter ſumptum . Adeoque fœde errat inſignis noſtri ordinis Theologus Joannes Marquez ſic dicens. *Ordo monaſticus toto orbe notiſſimus erat ordo Eremitarum Auguſtinenſium , nam ordo Canonicorum Regularium, etſi ab Apoſtolis eſſet inſtitutus, tamen tunc temporis non agnoſcebatur*. Quomodo enim ordo iſte notiſſimus poterat eſſe ordo Auguſtini ſive Eremiticus ſive clericalis, qui tunc per totum orbem necdum erat, ſed in ſola Africa dumtaxat pullulabat? Æque fœde errat Pennottus , ſic dicens . *Addo, non potuiſſe Auguſtinum verè dicere ſe auctorem vitæ monaſticæ fuiſſe eo ſenſu, quo illum Petilianus ejus generis vitæ auctorem faciebat , quia Hæreticus fingebat Auguſtinum fuiſſe primum inventorem vitæ monaſticæ in univerſum ſumptæ, non hujus vel illius inſtituti particularis* . Erras , Pennotte . Petilianus namque Auguſtinum dumtaxat arguebat , quod monachos ac monaſteria induxiſſet in Africam, adeoque quod illam monſtrorum fœcundam matrem novis monſtris impræmgnaſſet. Neque ideo Auguſtini monachos eredimus eſſe aut fuiſſe monſtra Africana : Hæc namque Petiliani conſequentia , *Auguſtinus eſt auctor monachorum*; *ergo novorum monſtrorum*, eſt ſimilis huic, quam Sanctus Hieronymus ait ſuo tempore quibuſdam monachorum oſoribus fuiſſe admodum familiarem , *Monachus eſt* , *ergo græcus & impoſtor*: Quas tu , Pennotte, ſi bonas putes, miſerabilis es logicaſter . Ut porrò calumniam iſtam à ſuo monachiſmo defricaret Auguſtinus, dicit vitæ iſtud genus eſſe, non novum, ſed toto orbe notiſſimum atque laudatiſſimum, ideoque admodum credibile eſt, quod Auguſtinus non novum quempiam inſtituerit monachiſmum, ſed cum ipſum, quem à Potitiano audierat atque in Italia viderat, introduxerit in Africam, quem certum eſt fuiſſe Eremiticum atque laicalem.

Quin immo Africa Auguſtino debet, non ſolos cum monaſteriis monachos, ſed etiam Xenodochia , aliaque id genus publica ſubſidia pauperum ac languidorum. Hinc enim dicit vocem *Xenodochia* non minus quam vocem *monaſteria* eſſe novam . Dicit ad populum de ſuo Religioſo Presbytero Leporio . *Veſtrum plurimi ſciunt , Presbyterum Leporium , quamvis ſæculi natalibus clarum, & apud ſuos honeſtiſſimo loco natum, tamen jam Deo ſervientem, cunctis quæ habebat relictis , inopem ſuſcepi: Non quia, nihil habuit, ſed quia jam fecerat quod lectio iſta perſuadet. Hortus eſt unus, ubi noſtis, ibi monaſterium ſuis conſtituit, quia & ipſi Deo ſerviunt. Pecuniam non habet, quam ſuam dicere poſſit, habebat Xenodochium ædificandum, quod modò videtis ædificatum. Ego illi injunxi, ego juſſi . Obtemperavit mihi libentiſſimè, & ſicut videtis operatus eſt : quomodo etiam meo juſſu Baſilicam ad octo martyres ædificavit, de his quæ per vos Deus donavit. Cœpit enim de pecunia, quæ data erat Eccleſiæ propter Xenodochium, & cum cœpiſſet ædificare, ut ſunt religioſi deſiderantes opera ſua in cœlo ſcribi, adjuverunt prout quiſque voluit, & fabricavit* . Et haud dubiè plura ejuſmodi ædificia facta fuerunt etiam per alias Africæ civitates ac regiones. Auguſtinus quippe nihil ſpirabat, niſi charitatem ac unitatem: Reſtauratam volebat primam fidelium ſub Apoſtolis vitam: Quod quia plenè non poterat, quoad potuit eſt executus.

Tract. 97. ſup. Joan. Serm. 30. de diverſ.

CAPUT VI.

Monaſticum Auguſtini inſtitutum ſtatim propagatum fuit per omnem omnino Africam.

HAnc propaginem Auguſtinus ardentiſſimè cupiebat ac promovebat. Hinc enim dicit in libro de opere monachorum . *Monachorum propoſitum tam bonum tam ſanctum in Chriſti nomine cupimus, ſicut per alias terras, ſic per totam Africam pullulare* . Et in Epiſtola ad Hilarium Syracuſanum. *Ad hoc propoſitum quantis poſſum viribus alios exhortor, & in nomine Domini habeo conſortes, quibus hoc per meum miniſterium perſuaſum eſt*. Quam porrò acriter id ſuadere ſit ſolitus, patet ex hac ejus ſuaſione ſcripta ad Nobilem juvenem Romaniani Filium Licentium . *Me miſerum ſi ego non jubeo, ſi non rogo atque impero, ſi non rogo ac ſupplico. Sed ſi aures tuæ adverſùs meas voces clauſæ ſint, ori tuo pateant, pateant carmini tuo, exaudi teipſum duriſſime, immaniſſime, ſurdiſſime. Quo mihi linguam auream & cor ferreum, quibus ego non carminibus, ſed lamentationibus ſufficiam plangere carmina tua? In quibus video, quam animam, quod ingenium non mihi liceat apprehendere & immolare Deo noſtro? Exſpectas, ut ego jubeam, ſis bonus, ſis quietus, ſis,* bea-

Cap. 28 Ep. 89. q. 4. Ep. 39.

beatus , quaſi quiddam dierum mihi gratius illuceſcat ! quam ut ingenio tuo fruar in Domino , aut verè tu neſcias , quam te eſuriam , & ſitiam, aut non hoc ipſa id carmine fatearis . Revoca animum , quo iſta ſcripſiſti , nunc mihi dic : Hoc opus , ut jubeas tantum . Ecce juſſum meum , da mihi te , ſi hoc opus eſt tantum , da Domino Deo te , qui omnium noſtrum Dominus eſt , qui tibi illud donavit ingenium . Et infrà . *Ornari abs te Diabolus quærit . Si calicem aureum inveniſſet in terra , donares illum Eccleſiæ Dei . Accepiſti à Deo ingenium ſpiritualiter aureum , & miniſtras inde libidinibus , & in illo Sathanæ propinas teipſum : Noli obſecro , ſi aliquando ſentias , quam miſera & miſerando pectore hæc ſcripſerim , & miſerearis jam mei , ſi tibi viluiſti .* Per hujuſmodi ſuaſiones factum eſt , quod dicit Poſſi-
Cap. 31. dius . *Clerum ſufficientiſſimum & monaſteria virorum ac fœminarum continentium cum ſuis præpoſitis plena Eccleſiæ dimiſit .*

Hanc propaginis amplitudinem ac felicitatem plurimum adjuvit favor & gratia Sancti Aurelii , Carthaginenſis Epiſcopi , ac per omnem Africam Primatis . Hic Auguſtinum , ejuſque primos in monaſtico inſtituto ſocios jam pridem in domo Innocentii Exadvocati noverat . Hinc ubi ab eis erectum audiit monaſterium in Horto Hipponenſi , ſtatum eis etiam in Carthaginis ſuburbano agrum dedit , illic iſtud inſtitutum deeſſe noluit , eſſe voluit per omnem Africam , idque tanto fervore , ut ad ipſum in libro de monachorum opere ſcribat
Cap. 28. Sanctus Auguſtinus . *Quæ cum ita ſint , ſine me paululum , Sancte Frater , das enim mihi Dominus per te magnam fiduciam , eos ipſos alloqui filios & fratres noſtros , quos novi quanta nobiſcum dilectione parturias , donec in eis Apoſtolica Diſciplina formetur .* Ex hac dilectione ac parturitione noluit Aurelius ullum in iſta monaſteria irrepere nævum : Et quoniam omnibus bonis initiis inimicus Diabolus novellæ plantationi neſcio quam de labore manuum turbulentam controverſiam immiſerat , bonus Pater quieſcere non potuit , niſi turba iſta ſopita . Hic namque adegit Auguſtinum , ut ad turbas iſtas ſopiendas ſcriberet librum iſtum de opere monachorum . Erat reverà alter cum Auguſtino monaſteriorum Africanorum Pater , fundator , inſtitutor : Hinc enim Auguſtinus in iſto ipſo libro adeum de monachis Africanis frequenter dicit . *Filios meos ac tuos .*

Verùm unde hic tantus in Aurelio pro monachis ac monaſteriis zelus ? Ex clericorum ac miniſtrorum inopia , qua tunc laborabat omnis per Africam Eccleſia . Quanta ea inopia fuerit , patet ex hiſce Sancti Aurelii verbis ad Epiſcopos ſuos ſibi aſſidentes in Synodo Carthaginenſi . *Eccleſiarum Dei per Africam conſtitutarum neceſſitates mecum optimè novit charitas veſtra , ſanctiſſimi fratres . Et quoniam præſtitit Dominus , ut ex aliqua parte ſancti cœtus veſtri eſſet congregata præſentia , videtur mihi , ut has eaſdem neceſſitates , quas pro ſolitudine noſtra indagare potuimus , in medium proferamus . Quas cum approbaverit veſtra ſinceritas , ſit conſequens , eligendum eſſe unum ex noſtro numero conſacerdotem , qui auxiliante Domino & orationibus veſtris , & has ipſas neceſſitates ſuſcipere poſſit , & graviter peragendas implere , perrecturus ad transmarinas Italiæ partes , ut ſanctis fratribus & conſacerdotibus noſtris , tam venerabili ſancto fratri Anaſtaſio Sedis Apoſtolicæ Epiſcopo , quam etiam ſancto fratri Venerio ſacerdoti Mediolanenſis Eccleſiæ , neceſſitatem ipſam , atque dolorem , atque inopiam noſtram valeat intimare . Ex his enim ſedibus id fuerat prohibitum , quo noverint communi pericula providendum , maximè quia tanta eſt indigentia clericorum , multæque Eccleſiæ ita deſertæ ſunt , ut ne unum quidem Diaconum vel lectorem habere reperiantur . Nam de cæteris ſuperioribus gradibus & officiis tacendum arbitror : Quia , ut dixi , ſi miniſterium Diaconi non facilè invenitur , multò magis ſuperiorum honorum inveniri non poſſe , certiſſimum eſt . Et quotidianos planctus diverſarum penè emortuarum plebium jam non ſuſtinemus , quibus niſi fuerit aliquando ſubventum , gravis nobis & inexcuſabilis innumerabilium animarum pereuntium cauſſa apud Dominum manſura eſt .* Ex hac inopia factum eſt , ut Africani Epiſcopi , Apoſtolicis atque aliis antiquis , & univerſalibus Eccleſiæ canonibus contemptis , clericos ſuos ſibi invicem præriperent , atque inde non modicæ lites enaſcerentur . Patet id ex hiſce tertii Carthaginenſis Concilii canonibus . *Ut clericum alie-* Cap. 21.
num , niſi concedente ejus Epiſcopo , nemo audeat vel retinere vel promovere in Eccleſia ſibi credita . Clericorum autem nomen etiam lectores , & Pſalmiſtæ , & Oſtiarii retineant . Ut Epiſcopus , qui Cap. 45.
plures habet clericos , ei , qui eget , ad ordinan-
dam poſtulatus largiatur . Ut clericum alienum nul- Cap. 44.
lus ſibi præripiat Epiſcopus præter ejus arbitrium , cujus fuerit clericus . Tanta , ecce , erat ibi clericorum indigentia , adeoque exinde frequentia eorum quaſi plagia , ut ea teſtificarentur pii plagiatores Epiſcopi Pſalmiſtas , lectores ac Oſtiarios eſſe clericos negarent . Eadem de cauſſa Donatiſtarum filii , alioquin irregulares , dummodò in infantia baptizati in paternam hæreſim numquam declinaſſent , ad Eccleſiæ clerum ſuere ubique admiſſi . Eaque penuria laboravit etiam Eccleſia Hipponenſis . Pro Lucillo quippe Diacono ad ſanctum Epiſcopum , Lucilli fratrem germanum , Novatum ſic ſcribit Auguſti-
nus . *Sed cum latina lingua , cujus inopia in noſtris* Epiſt.
regionibus Evangelica diſpenſatio multum laborat , 242.
illic autem ejuſdem linguæ uſus omnino ſit , itane cenſes nos ſaluti plebium Domini oportere conſulere , ut hanc facultatem illic mittamus , & hinc auferamus , ubi eam magno cordis æſtu requirimus ? Da itaque veniam , quod non ſolum contra tuum deſiderium , ſed etiam contra ſenſum meum facio : Quod me facere ſarcina noſtræ curæ conſtringit . Dabit tibi Dominus , ut tales ſint labores tui , ut pro iſto beneficio remunereris : Sic enim regionum noſtrarum ardentiſſimæ ſiti Diaconum Lucillum tu potiùs conceſſiſti . Ex hac inopia factum eſt , ut Hipponenſi Eccleſiæ præſideret homo græcus ac miniſterio verbi non ſatis aptus Sanctus Valerius .
Hinc inter Quintianum ac Auguſtinum orta eſt Epiſt.
ea controverſia pro neſcio quo adoleſcente le- 235.
ctore . Hinc controverſia inter eundem Augu- 140.
ſtinum ac ejus amiciſſimum civem ac in mona-

ſterio

Digitized by Google

Epiſt. 240. 241. ſterio ſfatrem Sanctum Severum Epiſcopum Milevitanum pro Timotbeo Subdiacono. Ortæ ſunt omnes hæ controverſiæ ex vetuſto Afrorum ritu, quo parvi ac in nullum adhuc clericalem gradum adlecti pueri in publico Eccleſiæ conventu ſulemniter ex pulpito legebant, non ſolummodò prophetias aut Apoſtolicas Epiſtolas, ſed etiam ipſum ſacroſanctum Evangelium Domini noſtri JESU-CHRISTI. Ritum iſtum ſuiſſe illic antiquiſſimum, patet ex S. Cypriano, qui illius meminit, tamquam paſſim uſitati. Etiam iſtos pueros, quia clerici non erant nec prioribus iſtis canonibus comprehenſi, paſſim ſibi Epiſcopi invicem præripiebant, atque ordinatos in clericos ſuis Eccleſiis adſcribebant ac appropriabant. Hinc lis & controverſia. Alii enim dicebant eos ſpectare ad eum Epiſcopum, in cujus Eccleſia legerant; alii ad eum, à quo promoti erant in ordinem clericalem. Et hæc ſententia placuit etiam Sancto Auguſtino, uti patet ex ejus Epiſtola ad presbyterum Quintianum. Res tandem, utpote multarum litium origo, deducta eſt ad nationalem Synodum Carthaginenſem, ceciditque ibi Auguſtinus cauſſa, uti patet ex hoc canone. *Item placuit, ut quicumque in Eccleſia vel ſemel legerit, ab alia Eccleſia ad clericatum non teneatur.* Notanda eſt particula emphatica *Vel ſemel*: Eam enim

Epiſt. 225. acriter urgebat Auguſtinus. Ex hac eadem inopia conſueti forſitan ſunt in Africa homines inviti ad Clericatum quaſi per inſidias arripi quomodò arreptus eſt Auguſtinus ac Pinianus, aliique paſſim multi, de quibus ita ipſe adversùs Presby-

Epiſt. 204. terum Donatum. *Tam multi, ut Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis*

L. 2. c. 20. *adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni.* Et ad Pollentium. Hominibus incontinentibus *ſolemus proponere etiam continentiam clericorum, qui pleramque ad eandem ſarcinam ſubeundam capiuntur inviti, eamque ſuſceptam uſque ad debitum finem Domino adjuvante perducunt.* Capiuntur *per violentiam populorum.*

Eaque inopia maximè laborabat provincia Tripolitana. Etenim in tertii Carthaginenſis Concilii ſecundo canone, quo ad annuam nationalem Synodum ex quavis provincia mitti jubentur Epiſcopi ad minùs bini, ſic additur. *De Tripoli autem propter inopiam Epiſcoporum unus Epiſcopus veniat.* Et in Concilio Milevitano ſic dicitur: *Item placuit, ut diutius auverſi Epiſcopi teneventur, ab univerſo concilio ternos judices de ſingulis provinciis eligi. Et electi ſunt de provincia Carthaginenſi Vincentius, Fortunatianus & Clerus. De provincia Numidiæ Alipius, Auguſtinus & Reſtitutus. De provincia Byzacena cum ſancto Sene Donatiano Primate Creſconius, Jucundus, & Æmilianus. De Mauritania Sitifenſi Severianus, Aſiaticus, & Donatus. De provincia Tripolitana Plautius, qui ex more legatus unus eſt miſſus.* Aderant ecce ex aliis provinciis Epiſcopi multi, ex provincia autem Tripolitana unus duntaxat Plautius. Idque ex more inducto utique propter inopiam Epiſcoporum.

Sanctus ergo Aurelius Monaſticum Auguſtini inſtitutum aliè conſiderans, vidit ex eo ſibi affulgere ſpem totius jam dictæ inopiæ ſublevandæ, ac implendi ruinas Eccleſiæ Africanæ. Neque enim erat inſtitutum iners aut otioſum: Erat Christiana Academia, ac fertile ſeminarium omnis orthodoxæ eruditionis. Faciebat quippe in ſua Eremo Auguſtinus, quod poſtmodum ex ejus imitatione in ſua fecit Sanctus Fulgentius, de quo ita incognitus, at longè probatiſſimus auctor, ſcribens ad Sanctum Felicianum, Fulgentii in Ruſpenſi Epiſcopatu proximum ſucceſſorem. *Fulgentius docendis fratribus peculiariter vacabat.* Et rurſùm. *Laborantes fratres & opera carnalia indefeſſis viribus, exercentes, lectionis autem ſtudium non habentes minùs diligebat, nec honore maximo dignos judicabat; in quo autem fuit ſcientiæ ſpiritalis affectus, etiamſi virtute corporis deſtitutus operari manibus nunquam poſſet, peculiariter habebatur dilectus & gratus. Amabat autem, quando coram Fratribus diſputabat, ſi quis ei quæſtiones propoſuiſſet acerrimas, in quibus excellentiſſimo laboraret ingenio: Licebatque generaliter omnibus fratribus, etiam natura ſimplicibus, parumvè intelligentibus, unde vellent, interrogare: Nec priùs, quam ſatisfactam ſibi conſiterentur, rationem reddere victus tædio vel labore ceſſabat.* Cap. 8. Cap. 27. Legantur omnia, quæ Catechumenus, baptizatus, ac Presbyter Auguſtinus ſcripſit aut cum fratribus diſputavit, videbis ejus monaſterium planè hujuſmodi fuiſſe ſcholam. Et horum intuitu in ſacro Eremitarum ordine ſaluberrimum ſtatutum eſt, ut in quovis conventu quotidie fiat lectio ſaltem Theologiæ moralis. Hæc ergo omnia altè introſpiciens Sanctus Aurelius ſtatuit iſtud Auguſtini inſtitutum eſſe ſovendum, ac propagandum, atque iſtud ſuum conſilium Auguſtino communicaturus, eum Hippone ad ſe evocavit Carthaginem. Verùm Auguſtinus non ivit, nec ire potuit, utpote habens peremptoriam excuſationem, de qua ita ipſe ad Aurelium. *Si venerabilis omnis, omniumque noſtrum tota ſynceritate chariſſimus ſenex Saturninus dignatus fuerit,* Epiſt. 64. *quando opportunum videbitur, ad nos venire, quidquid cum ejus ſanctitate & ſpiritali affectu colloqui potuerimus, aut nihil aut non multum diſtabit, ac ſi cum tua dignatione id ageremus. Quod ut nobiſcum ab eo petere atque impetrare digneris, tantis precibus poſco, quantis verba nulla ſufficiunt. Abſentiam enim meam tantam longè Hipponenſes vehementer nimiſque formidant, neque ullo modo mihi ſic volunt credere, ut & ego vobis. Agrum fratribus datum proviſione & liberalitate tua didicimus ante Epiſtolam tuam per fratrem & conſervum noſtrum Parthenium.* Timebant Hipponenſes, ne Presbyterum Auguſtinum Aurelius ſurriperet, ac auctoritate Primatiali Eccleſiæ ac monaſterio Carthaginenſi, cujus fama jam pridem appulerat, applicaret. Hinc nec ipſi in iter iſtud propenſo ac reditum promittenti Auguſtino ſidem ullam adhibuerunt. Quod porrò Aurelius cum Auguſtino de ejus Monaſteriis, eorumque in clericorum ſeminaria ac plantaria erectione agere voluerit, licet Aurelii Epiſtola perdita ſit, ſat tamen patenter habemus ex reſponſo Auguſtini. *Quagratia reſponderem literis ſanctitatis tuæ, cum diu hæſitans non reperi-* Epiſt. 64. *rem, omnia enim vicit affectus animi mei, quem jam ſponte ſurgentem lectio Epiſtolæ tuæ multò ardentiùs excitavit: Commiſi me jam Deo, qui pro viribus meis operaretur in me, ut ea reſcriberem, quæ utrique noſtrum ſtudio in Domino & cura Eccleſiaſtica pro tua*

præſtantia & mea obſecundatione congruerent. Au-
relii quippe Epiſtola erat talis, quales poſtmo-
dum Auguſtinus Epiſcopus cum ſuo dilectiſſimo
concive Severo miſcere conſueverat, de quibus
ita ipſe ad Epiſcopum Novatum. *Dulciſſimus conci-*
Epiſt. 242. *vis meus Severus vix & interdum per exiguas chartu-*
las mecum loquitur, & eas quidem plures aliarum cu-
rarum & negotiorum refertas, quam portantes aliquid
noſtrorum in Chriſto ſuavitatem pratorum. Tractave-
rat cum Auguſtino Aurelius de univerſa Eccleſia
Africana reformanda, de reformando & populo
& Clero: deque commodiori bujus reformatio-
nis vita & modo. Hinc Auguſtinus ea non ad no
vellum modicæ Eccleſiæ Presbyterum, ſed ad ve-
teranos ac primates Epiſcopos pertinere conſide-
rans, quid reſcriberet, dudum hæſitavit. Au-
relium tamen offendere nolens, ſtylum atque ta-
bulam ſuam Deo commiſit digna reſcripta in illis
operaturo. In iſtis verò reſcriptis ſic legimus in-
ter cætera, *Atque illud primum, quod orationibus*
Epiſt. 64. *meis te adjuvari credis, non ſolùm non defugio, ve-*
rùm etiam libenter amplector. Ita enim etſi non meis,
certè tuis me Dominus noſter exaudiet. Quod fratrem
Alipium in noſtra conjunctione manſiſſe, ut exemplo ſit
fratribus curas mundi hujus vitare cupientibus, be-
nevolentiſſimè accepiſti, ago gratias, quas nullis ver-
bis explicare poſſim: Dominus hoc rependat in ani-
mam tuam. Omnis itaque fratrum cœtus, qui apud
nos cœpit coaleſcere, tanta tibi prærogativa obſtrictus
eſt, ut locis terrarum tantum longè disjunctis ita no-
bis conſulueris tamquam præſentiſſimus ſpiritu. Qua-
propter precibus, quantum valemus, incumbimus,
ut gregem tibi commiſſum tecum Dominus ſuſtinere di-
gnetur, nec te uſpiam deſerere, ſed adeſſe adjutor
in opportunitatibus, faciens cum Eccleſia ſua miſe-
ricordiam per Sacerdotium tuum, quale ſpiritales vi-
ri, ut faciat, lachrymis cum gemitibusque interpel-
lant. Scias itaque Domine beatiſſime & pleniſſima
charitate venerabilis, non deſperare nos, immo ſpe-
rare vehementer, quod Dominus & Deus noſter per
auctoritatem perſonæ, quam geris, multas carnales
fœditates & ægritudines, quas Africana Eccleſia in
multis patitur, in paucis gemit, conſiliorum gravi-
tate & tua poſſit ſanare. In hiſce verbis elucet ra-
tio, cur Aurelius altas ac ſpiritales cogitationes
ſuas, non cum veteranis Epiſcopis, ſed cum ty-
rone Auguſtino voluerit communicatas: Quia
nempe tyro Auguſtinus monachos habebat, at-
que quotidie plures ac plures accipiebat, vaſa uti-
lia Domino ad omne opus bonum, apta ad im-
plendas ruinas Eccleſiæ Africanæ. Quapropter
dubitandum non eſt, quin Presbyter Saturninus
tamquam Aurelii Legatus Hipponem advenerit,
atque cum Auguſtino tranſegerit de monachis ſic
inſtituendis, ut non ſolùm ſibi, ſed etiam com-
muni matri Eccleſiæ Catholicæ prodeſſent. Ita
palàm colligimus ex omnibus Auguſtini poſterio-
ribus ſcriptis & factis. Scribit quippe ad Eudo-
xium, alioſque Eremitas ſuos in ſolitudine ac in-
ſula Capracia *Vos autem Fratres exhortamur in Do-*
Epiſt. 81. *mino, ut propoſitum veſtrum cuſtodiatis, & uſque in*
finem perſeveretis, ac ſi quam operam veſtram mater
Eccleſia deſideraverit, nec electione avida ſuſcipiatis,
nec blandiente deſidia reſpuatis, ſed miti corde ob-
temperetis Deo, cum manſuetudine portantes eum,
qui vos regit, qui dirigit mites in judicio, qui docet
manſuetos vias ſuas. Nec veſtrum otium neceſſitati-
bus Eccleſiæ præponatis, cui parturienti, ſi nul-
li boni miniſtrare vellent, quo modo naſceremi-
ni, non inveniretis. Et ad Lætum ob terrenæ ma-
tris preces de bono vitæ monachalis propoſito flu-
ctuantem. *Mater Eccleſia mater eſt etiam matris tuæ.*
Hæc mater toto orbe diffuſa tam variis, & multipli- Epiſt. 38.
cibus errorum infeſtationibus agitatur, ut abortivi
jam filii ejus adverſus eam infeſtis armis belligerare
non dubitent, ignavia etiam atque torpore quorun-
dam, quos gremio continet, membra ſua frigeſcere
plurimis locis, & fovendis parvulis fieri minus ido-
nea dolet. Unde, niſi per alios filios; unde, niſi per
alia membra, quorum è numero tu es, juſtum ac de-
bitum poſcit auxilium? Hujus tu neceſſitates deſerens,
ad carnalia verba converteris? Nonne hæc graviori-
bus querelis inſonat auribus tuis? Nonne hæc cha-
riora viſcera & cæleſtia ubera oſtentat? Et hæc eſt
cauſſa cur ingenioſum Licentium, alioſque id Epiſt. 89.
genus luminoſi cerebri adoleſcentes conſueverit
adeo importunis ſuaſionibus ad ſtatum Eremiti-
cum cogere atque urgere. Fateor hanc non fuiſſe
Auguſtini monaſteria exordientis mentem ac co-
gitationem. Intendebat meros ſolitarios ac intra
ſylvas abditos monachos, ne vel per ſomnium co-
gitans de eorum ad clerum exaltatione. Haſce
cogitationes genuit Sanctus Aurelius, partim per
præſentiam Presbyteri Saturnini. Immò & per
mutua cum Auguſtino colloquia. Tandem enim
ab Hipponenſibus ac Epiſcopo Valerio Presby-
teri Auguſtini adventum obtinuit Aurelius, de
quo ita Auguſtinus in libris ſuarum Retractatio-
num. *Cum Presbyter adhuc eſſem, contigit, ut apud*
Carthaginem inter nos qui ſimul eramus, ad Roma-
nos Epiſtola legeretur, & quædam interrogabar à
fratribus, quibus cum ſicut poteram reſponderem,
voluerunt ſcribi potiùs quæ dicebam, quam litteris
fundi. Factum id eſt, non Carthagine, ſed pro-
pe illam, nempe in monaſterio, quod ibi in agro
Aurelius fundarat. Credoque tandem Presbyte-
rum Auguſtinum eò eſſe ire permiſſum, partim
ut de reformanda Aſiorum Eccleſia cum Aurelio
ageret; partim ut novo monaſterio leges ac vi-
vendi modum daret, tamquam inſtitutor ac ge-
neralis Pater novorum in Africa monachorum.

Et quidem quod Auguſtinus verbo ſuos mo-
nachos docuit, etiam tam ipſe quam quivis ejus
diſcipulus opere adimplevit. De ipſo namque di-
cit Poſſidius: *Proficiente doctrina Divina, ſub*
Sancto ac cum Sancto Auguſtino in monaſterio Deo ſer- Cap. 11.
vientes, Eccleſiæ Hipponenſi clerici ordinari cœperunt.
Ac deinde innoteſcente & clareſcente de die in diem
Eccleſiæ Catholicæ prædicationis veritate, ſancto-
rumque ſervorum Dei propoſito, continentia, pau-
pertate profunda, ex monaſterio, quod per illum me-
morabilem virum eſſe & creſcere cœperat; magno de-
ſiderio poſcere atque accipere epiſcopos & clericos,
pax Eccleſiæ atque unitas & cœpit primò & poſtea
conſecuta eſt. Nam fermè decem, quos ipſe novi,
ſanctos ac venerabiles viros, continentes & doctiſſi-
mos, Beatus Auguſtinus diverſis Eccleſiis, nonnul-
lis quoque eminentioribus, rogatus dedit. Similiter-
que & ipſi ex illorum ſanctorum propoſito venientes,
Domini Eccleſiis propagatis, & monaſteria conſtitue-
runt, & cæteris Eccleſiis promotos fratres ad Sacer-
dotium præſtiterunt. Decem iſti fuerunt Alipius
Pro-

Profuturus, Evodius, Poſſidius, Urbanus,
Novatus, Severus, Samſucius, Privatus ac Ser-
vilius. Eminentiores autem Eccleſiæ fuerunt Ca-
lamenſis, cui datus eſt Poſſidius, ac cui datus eſt
Severus, Milevitana. Mittebantur porrò Auguſti-
ni fratres præſertim ad recens à Donato ad Chriſ-
tum converſas, ideoque fortibus humeris indi-
Epiſt. gentes civitates. Sic ad Eccleſiam Thianenſem è
239. Tagaſtenſi Alipii monaſterio miſſus atque ordi-
Epiſt. natus eſt Sanctus Honoratus, ſic infelix Antoni-
261. us è monaſterio Hipponenſi ad Eccleſiam Fuſſa-
lenſem. Ita incognitus iſte, ſed probatiſſimus
auctor in vita Sancti Fulgentii dicit de Eremo
Cap. 14. Vivecenſi. *Eſt in medio vadoſi maris ſinu monaſte-*
rium Vivecenſi litori proximum, Vennenſenſi autem
maxima ex parte contiguum, ubi neque Hortos colere
parviſſimi ſcopuli limes ſinit anguſtus, neque ligni vel
potabilis aquæ conſolatio ſaltem miniſtratur exigua,
ſed rei utriuſque per breviſſimas naviculas quotidie
ſufficientia præparatur. In hoc monaſterio rigidi pro
poſiti diſciplina antiqua ſervatur, ab infantia ſua
plurimis uſque ad decrepitam ſenectutem ſanctiſſimè
ibi viventibus, ſanctæque profeſſioni congrua opera
laudabiliter exercentibus. Ubi tunc duo presbyteri pe-
culiares, & meritis mirabiles, & immaculatæ ſe-
nectutis honore Venerabiles Abbatis officio fungeban-
tur, nunquam de cœnobio recedentes, ſed Eccleſiaſti-
cæ dignitati multos viros idoneos nutrientes. Et qui-
dem omnia Auguſtini monaſteria fuiſſe talia, pa-
lam fit ex ijs, quæ contigerunt in monaſterio
Adrumetino. Dicit rurſum idem iſte auctor de
ſancto Fulgentio ex longo apud Sardos Exilio,
Cap. 29. reduce ad Eccleſiam ſuam Ruſpenſem. *Clerico-*
rum, ſi qua defuiſſent, miniſteria reparans, pro-
batos ſibi multos ex fratribus monachis ad Eccleſia-
ſticam militiam tranſtulit. Ibique charitati conſulens
ut dum penè omnes Clericos ex illo Monaſterio ordi-
nat, antiquæ familiaritatis manente notitia, nul-
la lis aliquando inter clericos & monachos ventilare-
tur. Ea ergo praxis per omnem Afrorum Eccle-
ſiam erat penitùs familiaris. Verùm quænam iſta
inter clericos ac monachos lis? Antiqua iſta cle-
ricorum in monachos invidia, adverſus quam ſic
conſtituit Imperator Honorius. *Si quos fortè E-*
piſcopi deeſſe ſibi clericos arbitrantur, ex monacho-
rum numero rectiùs ordinabunt. Videntes quippe
clerici ſibi à monachis præripi, non ſolum bona
presbyteria, ſed etiam eminentiores Epiſcopa-
tus, adverſum monachorum ordinationes de-
bacchari cœperunt, idque tam acriter, ut mona-
ſticæ ordinationis auctor Aurelius coactus fuerit
ſeſe defendere per legem imperialem.

Hoc ſenſu intelligo duodecimam Sancti Papæ
Innocentii Epiſtolam, ubi *facta ſibi* quorumdam
Afrorum *querela* permotus, graviter arguit ſan-
ctum Aurelium, quod *clericos Eccleſiaſticorum do-*
gmatum nutritios vel intra Chriſti altaria honoratos
contemneos, ad ſacrum ſupremi *Sacerdotii colle-*
gium adſciſceret mundanis nexibus, actibus, vel
moribus involutos, quaſi nefas foret ad Primatum
per ordinem pervenire. Quis emunctæ naris homo
non intelligat haſce querimonias? Africani cle-
rici, quia ſe jam pridem in Eccleſiaſtica militia
adſcriptos ac meritos videbant non aſſumi ad E-
piſcopatus, aſſumi autem, idque Aurelii opera,
Laicos Monachos, & quidem quoſdam forſitan
ante ſuſceptum monachiſmum iſtis mundanis ne-
xibus implicatos, bonum Aurelium atro ſuo
penicillo apud Papam Innocentium ita depinxe-
re. Licet namque Aurelius, ut mox dicturus ſum,
quandoque manus ſuas monachis iſtis impoſuerit
nimium citò ad gradus cleri inferiores, nequa-
quam tamen id crediderim de Epiſcopatu. Au-
relius erat prudentior. Neque id tacuiſſet aut
permiſiſſet Auguſtinus. Acriter namque Aureli-
um corripuit propter inferiores clericos, atque
adverſus ipſum fecit à Concilio condi Epiſcopa-
lem canonem: Quanto ergò fuiſſet adverſus ip-
ſum zeloſior pro reverentia conſecrationis Epiſ-
copalis? Et adversùm iſtos Aurelii invidos de-
latores curavit Auguſtinus condi hunc canonem
à tertio Concilio Carthaginenſi. *Clericus invi-* Cap. 54.
dens fratrum profectibus, donec in vitio eſt, non
promoveatur. Profectibus, quo Auguſtinenſes
Monachi in Epiſcopos proficiebant.

Quam porro frequentes Monachos ordinarit
Aurelius, patet ex hiſce Auguſtini ad eum lit-
teris. *Legi Epiſtolam benignitatis tuæ de Donato &* Epiſt.
fratre ejus, & quid reſponderem, diu fluctuavi. 76.
Sed tamen etiam atque etiam cogitanti, quid ſit utile
ſaluti eorum, quibus in Chriſto nutriendis ſervimus,
nihil mihi aliud occurrere potuit, niſi non eſſe dan-
dam iſtam viam ſervis Dei, ut ſe putent faciliùs eli-
gi ad aliquid melius, ſi facti fuerint deteriores. Et
ipſis enim facilis lapſus, & ordini clericorum fit in-
digniſſima injuria, ſi deſertores monaſteriorum ad
militiam clericatus eligantur, cum ex his, qui in
monaſterio permanent, non tamen niſi probatiores
atque meliores in clerum aſſumere ſoleamus. Niſi for-
tè, ſicut vulgares dicunt, Malus choraula bonus
Symphoniacus eſt, ita iidem ipſi vulgares de nobis
jocabuntur, dicentes, Malus monachus bonus cle-
ricus eſt. Nimis dolendum, ſi ad tam ruinoſam ſu-
perbiam monachos ſurrigamus, & tam gravi contu-
melia dignos clericos putemus, in quorum numero
ſumus, cum aliquando etiam bonus monachus vix
bonum clericum faciat, ſi adſit ei ſufficiens continen-
tia, & tamen deſit inſtructio neceſſaria, aut perſo-
næ regularis integritas. Sed de iſtis, credo, arbi-
trata ſit Beatitudo tua, noſtra voluntate, ut ſuis
potiùs corregionalibus utiles eſſent, de monaſterio
receſſiſſe. Sed falſum eſt, ſponte abierunt, ſponte
deſeruerunt, nobis quantum potuimus pro eorum ſa-
lute renitentibus. Et de Donato quidem, quia jam
factum eſt, ut, antequam de hac re aliquid in con-
cilio ſtatueremus, ordinaretur, ſi fortè à ſuperbiæ
perverſitate correctus eſt, faciat quod vult pruden-
tia tua. De fratre verò ejus, cujus vel maximè
cauſſa de monaſterio etiam ipſe Donatus abſceſſit,
cum intelligas quid ſentiam, neſcio quid reſponde-
am. Contradicere tamen prudentiæ, honori, cha-
ritatique tuæ non audeo, & ſanè ſpero id te factu-
rum, quod membris Eccleſiæ ſalubre perſpexeris.
Ecce, Aurelius erat adeo feſtinus ac fervidus,
ut etiam Apoſtatis, contra Auguſtini volunta-
tem, manus ordinationis imponeret. Verùm
quodnam iſtud Concilium? Illud, de quo ſcri-
bit Auguſtinus ad Presbyterum Quintianum.
Recenti Concilio ſtatutum eſt, ut de aliquo monaſte- Epiſt.
rio qui receſſerint, non fiant alibi clerici aut præpo- 235.
ſiti monaſteriorum. Iſte namque Aurelii fervor ac
præceps zelus fuit per Africam adeò vulgaris, ut

Auguſtinus monaſticæ diſciplinæ ac clericali honori proſpiciens, coactus fuerit eum per iſtud concilii ſtatutum cohibere. Cauſſa itaque, ob quam monaſticum ac Eremiticum Auguſtini inſtitutum ita foveret ac promoveret Aurelius, erat, ut ex illo ſibi clericos fabricaret, atque in Africanæ Eccleſiæ inopiam ſublevaret, ruinaſque impleret. Et quidem ſpes eum non feſellit. Dicit namque de Auguſtino Poſſidius: *Clerum ſufficientiſſimum & monaſteria Eccleſiæ* Cap. 31. *dimiſit*. Iſti Eccleſiæ; quæ non ita pridem vix unum Diaconum aut lectorem poterat reperire.

CAPUT VII.

Factum Sancti Aurelii magis explicatur.

ERat Aurelius magnus ac glorioſus Afrorum Doctor, unicus eorum Archi-Epiſcopus ac Primas, gerens ſollicitudinem omnium omnino per Africam Eccleſiarum. Etenim Africana Eccleſia, licet haberet plures Epiſcoporum provincias, in quinti Carthaginenſis Concilii calce enumeratas, videlicet provinciam Carthaginenſem, provinciam Numidiæ, provinciam Byzacenam, provinciam Mauritaniæ Sitifenſis, ac provinciam Tripolitanam. Presbyter Oroſius dividat eis aliter, aſſignat-
L. 1. c. 2. que plures. Nempe Provinciam Tripolitanam Lybiæ proximam, quæ etiam ſubventana ac Arguzitana dicebatur, cujuſque caput erat Leptis; provinciam Byzacenam, ubi Adrumetum; provinciam Zeugitanam ſeu Carthaginenſem; provinciam Numidiæ, in qua Hippona erat, ac tres Mauritaniæ provincias, Sitifenſem, Cæſarienſem, ac Tingitanam. At verò ſeptima Carthaginenſis Synodus provinciam
L. 1. Sitifenſem confundit cum Tingitana. Sanctus porrò Victor Vticenſis Epiſcopus provinciam Carthaginenſem vocat paſſim Proconſularem, additque aliam Azuritanam, dicens in ea ſola fuiſſe Epiſcopos centum viginti. Ejuſque eſt frequens mentio in Conciliis Africanis. Licet, inquam, Africana Eccleſia habuerit tot Epiſcoporum provincias, habuit tamen unicum pallio inſignitum Archi-Epiſcopum Carthaginenſem, eumque omnium Primatem ac quaſi Patriarcham. Patet id ex ſancto Leone Papa nono, ſic ad Thomam Carthaginenſem Epiſcopum ſcribente adverſus neſcio ubi fundatam prætenſionem Epiſcopi Gummitani. *Noveris procuidubio, quia poſt Romanum Pontificem primus Archi-Epiſcopus & totius Africæ maximus Metropolitanus eſt Carthaginenſis Epiſcopus: Nec quicumque ſit ille Gummitanus Epiſcopus, aliquam Licentiam conſecrandi Epiſcopos vel deponendi, ſeu provinciale concilium convocandi habee ſine conſenſu Carthaginenſis Archi-Epiſcopi, cujuslibet dignitatis aut poteſtatis ſit; exceptis his quæ ad propriam parochiam pertinent: Cætera autem, ſicut & alii Africani Epiſcopi, conſilio Carthaginenſis Archi-Epiſcopi aget.* Et clariùs ex alia ejuſdem Sanctiſſimi Pontificis Epiſtola ad Petrum & Joannem Epiſcopos Africanos. *Rectè contra Gummitanum Epiſcopum dignitatem Carthaginenſis Eccleſiæ defendiſtis: Quia ſine dubio poſt Romanum Pontificem primus Archi Epiſcopus, & totius Africæ maximus Metropolitanus eſt Carthaginenſis Epiſcopus, nec pro aliquo Epiſcopo in tota Africa poteſt perdere privilegium ſemel ſuſceptum à Sancta Romana & Apoſtolica Sede, ſed obtinebit illud uſque in finem ſæculi, & donec in ea invocabitur nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſive deſerta jaceat Carthago, ſive reſurgat glorioſa aliquando. Hoc ex Concilio Beati Martyris Cypriani, hoc ex Synodis Aurelii, hoc ex omnibus Africanis Conciliis, hoc, quod majus eſt, ex Venerabilium noſtrorum Prædeceſſorum Romanorum Pontificum decretis apertè monſtratur. Nec quicumque ille ſit Gummitanus Epiſcopus, aliquam Licentiam conſecrandi Epiſcopos vel deponendi, ſeu provinciale concilium convocandi habet ſine conſenſu Carthaginenſis Archi Epiſcopi, cujuslibet dignitatis ſit aut poteſtatis. Tantummodo procurabit ille Gummitanus Epiſcopus, quæ ad propriam parochiam pertinent; cætera autem, ſicut & alii Epiſcopi Africani, conſilio Carthaginenſis Archi Epiſcopi aget, qui ſolùs in Africa pallium ab Apoſtolica Sede habere ſolet. Undè & Epiſcopos conſecrandi principale & antiquum jus retinet, ſicut ex verbis Aurelii in Concilio Carthaginenſi poteſt intelligi, cum dicit. In Eccleſia, ad quam dignata eſt veſtra Sanctitas convenire, crebrò ac penè per diem Dominicam Epiſcopos Ordinandos habemus.* Tantus Patriarcha erat Epiſcopus Carthaginenſis.

Africana itaque Eccleſia habebat Hierarchiam ſibi propriam atque ab aliis Chriſtianis gentibus quoad varia planè diverſam. De quibus omnibus ita pergit ſanctus Leo Papa nonus. *Nunc quia de Archi Epiſcopis & Metropolitanis ſententiam noſtram requiritis, Venerabilium Anteceſſorum noſtrorum dicta apertè demonſtrant, id eſt, Clementis, Anacleti, Aniceti, & aliorum, ubi ita legitur: Sacerdotum ordo bipartitus eſt, nec ampliùs, quam duo ordines, id eſt, Epiſcoporum & Presbyterorum nobis collati ſunt, nec Apoſtoli docuerunt. Epiſcoporum autem ordo unus eſt, quamvis alii præferantur aliis, ſive pro eo quod primo civitates & magis nominatas ſecundùm potentiam aut leges ſæculi retinent, ſive quod à ſanctis Patribus pro aliqua reverentia ſanctitatis aliquod privilegium dignitatis poſſident. Nam ſicut omnis mundana poteſtas his gradibus dignitatum à ſe invicem diſtat, id eſt, ut primus ſit Auguſtus, vel Imperator, deinde Cæſares, deinde Reges, Duces, & Comites, atque Tribuni; ita & Eccleſiaſtica dignitas ordinata à ſanctis Patribus invenitur, dicente beato Clemente. In illis civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi Flamines eorum atque primi legis Doctores erant, Primates vel Patriarchæ poſiti ſunt, qui reliquorum judicia & majora negotia juſtè diffinirent: Qui etiam non uni provinciæ, ſed pluribus præeſſent. Deindè ubi Archi-Flamines erant Paganorum, Archi-Epiſcopi inſtituti ſunt Chriſtianorum, qui ſingulis provinciis præeſſent. Ubi verò Metropolis erat, quæ interpretatur mater civitas, Metropolitani erant;*

Quippe

Digitized by Google

Quippe qui de tribus aut quatuor civitatibus intra aliquam provinciam majori & matri aliarum civitatum præſidebant. Iſti aliquando Metropolitani tantùm nominantur, aliquando verò Archi-Epiſcopi, ſi in ipſa provincia majores non fuerint aliqui. Ubi autem minores civitates habuerunt ſolummodo Flamines vel Comites, Epiſcopi ſunt inſtituti. Porrò Tribuni plebis non abſurdè intelliguntur Presbyteri, ſive reliqui inferiores ordinis clerici. His omnibus divino & humano privilegio prælatus eſt Pontifex Romanus. Sed de Africæ Primatibus aliter intelligendum eſt, quia in ſingulis ejus provinciis antiquitus Primates inſtituebantur, non ſecundùm potentiam alicujus civitatis, ſed ſecundùm tempus ſuæ ordinationis, quibus tamen omnibus præerat unus, ſcilicet Carthaginenſis Archi-Epiſcopus, qui etiam non incongruè dici poteſt Metropolitanus, propter Carthaginem Metropolim totius Africæ. Ita legitur in Concilio Carthaginenſi. Primæ Sedis Epiſcopus non appelletur princeps Sacerdotum, aut ſummus Sacerdos, aut aliquid hujuſmodi, ſed tantùm primæ Sedis Epiſcopus. Sancti itaque Eccleſiarum Patres ac Fundatores Apoſtoli Eccleſiarum ac Epiſcopalium Cathedrarum dignitatem atque amplitudinem quaſi ad amuſſim proportionarunt dignitati ac ſplendori ſuæ civitatis. Hinc prima ac omnium princeps Sedes erecta eſt Romæ, ſecunda Alexandriæ, tertia Antiochiæ: Quia nempe Roma erat caput mundi, Alexandria erat Præfectura Auguſtalis aut potius iſtius Præfecturæ caput, Antiochia caput Præfecturæ ſecundæ. Hinc Palæſtinæ Archi-Epiſcopatum, non Hieroſolyma, ſed maritima Cæſarea accepit: Quia nempè ea erat Sedes Præſidis Romani. Hinc natæ ſunt omnes iſtæ ſolemnes ac ambitioſiſſimæ lites pro ſecundo loco Epiſcopi Conſtantinopolitani. Hac, inquam, de cauſſa, ubi Byzantium in Conſtantinopolim ac novam Romam exaltatum eſt, adverſus ſanctum Pontificem Damaſum recalcitravit Synodus generalis prima Conſtantinopolitana; adverſus ſanctum Leonem non ſolus Conſtantinopolis Epiſcopus Anatholius aut Marcianus Auguſtus, ſed etiam omnis Synodus Chalcedonenſis; adverſus ſanctos Pontifices Hilarum, Simplicium ac Felicem Leo Auguſtus ac Epiſcopus Acacius, adeò ut hic non erubuerit locum iſtum mendicare ab impiiſſimo Tyranno Baſiliſco. Etenim quia jam Conſtantinopolis obtinebat ſecundum locum in Imperio Romano, credebant iſti ſecundum in Eccleſia Chriſtiana locum deberi Epiſcopo Conſtantinopolitano. Eaque ſanctorum Apoſtolorum providentia fuit admodum congrua, atque illis haud dubiè divinitùs inſpirata. Etenim Divina providentia ſacroſancto dilecti Filii ſui Domini ac Dei noſtri Jeſu Chriſti Evangelio Romanum imperium tamquam aptam materiam præparat, in quo, expulſis idolis eorumque ſacrilegis Sacerdotibus & ſacris, uſque ad noviſſimum ejuſdem Domini Jeſu adventum, tamquam apta Romanæ Reipublicæ forma (etenim ſine vera in Jeſum Chriſtum fide nulla eſt aut eſſe poteſt vera reſpublica) perſeveraret. At verò nova forma debet & materiæ, in quam

inducitur, & priori, quam expellit, formæ eſſe proportionata. Hinc ergo plenè conveniebat, ut in majoribus, ubi hactenus majora ſacrilegia fuerant, civitatibus majores quoque Epiſcopi ac ſplendidiora divinæ legis ſacra conſtituerentur. Nihilominus hæc optima regula recepta non fuit ab Afris. Apud ipſos enim prima cujuſque provinciæ, Carthaginenſem excipe, Epiſcopalis Sedes, non in digniori civitate erat fixa immobiliter, ſed mobiliter de civitate ad civitatem tranſibat, videlicet ad ſeniorem Epiſcopum, licet Epiſcopus eſſet abjectiſſimæ Civitatis. Patet id ex variis locis San- Epiſt.
cti Auguſtini. Etenim tempore ventilatæ inter 162.
Cæcilianum ac Majorinum magnæ iſtius, à qua omne Africanæ Eccleſiæ malum traxit originem, quæſtionis, Numidiæ Primas erat Secundus Epiſcopus Tiſigitanus; at verò dum Auguſtinus in Epiſcopum ordinaretur, Numi-
diæ Primas erat Megalius Epiſcopus Calamen- Epiſt.
ſis, ex intervallo autem fuit Sylvanus Epiſco- 92. 93.
pus Perdicenſis, dein Xantippus Epiſcopus Ta- 152.
gaſtenſis, ac ante hunc neſcio cujus Eccleſiæ 236.
Epiſcopus Senex Valentinus, cujus exſtant 217.
litteræ ad ſanctos Papas Bonifacium ac Cæleſtinum, eorumque ad ipſum. Hic compilator
ſermonum ad Fratres in Eremo nimiùm ſtoli- Serm.
dè ſuam prodit imperitiam ac impoſturam. Hunc 35.
namque Valentinum, quem eo tempore, quo Aurelius ſedebat Archi-Epiſcopus Carthagine,
clarè conſtat fuiſſe Numidiæ Primatem, facit Epiſt.
Archi-Epiſcopum Carthaginenſem. Atque ibi 217.
eſt cardo ſolemnis iſtius inter Victorinum neſcio cujus Sedis Epiſcopum ac Xantippum Epiſcopum Tagaſtenſem controverſiæ pro Numi-
diæ Primatu; uterque enim aſſerebat ſe in E- C. 13.
piſcopali dignitate eſſe ſeniorem. Eaque eſt cauſſa, cur in Milevitano Concilio, ad inſtantiam Palentini Epiſcopi inter ſe ſervent ordinem ætatis Epiſcopalis, neque quis junior au-
deat ſe cuiquam ſeniori præponere aut ante il- Epiſt.
lum ſedere. Hucque reſpexit Sanctus Auguſti- 217.
nus, dum in litteris ad Synodum tractoriis ſe à Victorino Epiſcopo legens præpoſitum multis Epiſcopis ſe ſenioribus, eſt tam ſeriò indignatus. Hac denique de cauſſa in communibus litteris ſemper præponitur Auguſtino Alipius: Quia nempe Alipius erat Senior in Epiſcopatu. Et iſte Senior Epiſcopus variis intitulabatur nominibus. Primò, vocabatur *Senex*. Sic
enim Sylvanus vocat ſeipſum, atque ita vo- Epiſt.
catur à ſancto Innocentio Papa Primo, iſtum- 92. 93.
que Xantippum, qui adverſus Victorinum cauſ- 152.
ſam ſuam obtinuiſſe videtur, ſic appellat San- 236.
ctus Auguſtinus. Deinde, vocabatur *Primas*.
Sic eum vocat Auguſtinus in Epiſtola ad ſan- Epiſt.
ctum Epiſcopum Profuturum, in Epiſtola ad 17.
Epiſcopum Victorinum, ac in Epiſtola ad ſan- 217.
ctum Pontificem Cæleſtinum. Atque ita etiam 261.
paſſim vocatur in Conciliis Carthaginenſibus. Tertiò vocabatur *Primæ Sedis Epiſcopus*. Ita jam audivimus a ſancto Leone Papa nono, citante canonem Concilii Carthaginenſis: Utique concilii tertii canonem vigeſimum ſextum. Epiſt.
Quartò vocabatur *Prior*: Sic vocat Auguſtinus 217.
in Epiſtola ad Epiſcopum Victorinum. Quin-

tò denique, vocabatur *Metropolitanus* : Ita pa-
lam vocatur à tertio Concilio Carthaginenſi.
Hæc tamen vox habebat apud Afros etiam ſi-
gnificationem aliam. Patet ex hoc canone A-
fricani Concilii habiti ſub Pontificatu Sancti
Cap. 35. Papæ Bonifacii. *Placuit omnibus , ut matricula*
& archivus Numidiæ & apud primam Sedem ſit,
& in Metropoli , id eſt , Conſtantina. Ecce, di-
ſtinguit inter primam Sedem & Metropolim,
adeoque etiam inter Primæ Sedis Epiſcopum
ac Epiſcopum Metropolitanum. Et hic primæ
Sedis Epiſcopus, licet omnibus ſuæ provinciæ
Junioribus Epiſcopis præeſſet, pleno tamen ju-
re ſuberat Epiſcopo Carthaginenſi, adeò ut ſine
ejus conſenſu videatur non potuiſſe Epiſcopos
conſecrare aut deponere , nec concilium pro-
vinciale convocare . Carthaginenſis quippe E-
piſcopus erat ſolus pallio inſignitus atque pe-
nes ipſum ſolum erat ſollicitudo omnium Afri-
canarum Eccleſiarum . Erat regimen ab aliis
gentibus valdè diverſum ; erat tamen . Et ex
hinc oriebatur, quod Carthaginenſis Epiſcopus
fermè ſingulis diebus Dominicis Epiſcopos con
ſecraret.

Verùm hiſce omnibus obſtare videtur primò
hic canon ſecundi Concilii Carthaginenſis.
Cap. 12. *Placet omnibus , ut inconſulto Primate cujuslibet*
provinciæ nemo præſumat , licèt cum multis Epiſ-
copis , in quocumque loco ſine ejus præcepto Epiſ
copum ordinare . Si autem neceſſitas fuerit , tres
Epiſcopi , in quocumque loco ſint , cum Primatis
præcepto ordinare debeant Epiſcopum . Ecce, po-
teſt omnino primæ Sedis Epiſcopus Jure ſuo
conſecrare Epiſcopos , neque ad hoc opus ha-
bet juſſu aut conſenſu Archiepiſcopi Cartha-
ginenſis. Latus eſt namque canon iſte adverſum
quoſdam Numidiæ Epiſcopos, qui omnem præ-
tergreſſi regulam, auſi ſunt duo ſoli , ſine ſui
Primatis conſenſu ac ſcitu , Epiſcopos conſe-
crare . Adversùm eos ſtatuitur , ut de cætero
non minùs quam à tribus, neque ſine expreſſo
ac ſcripto Primatis mandato actus iſte attentetur.
Nullaque ſit mentio Archi-Epiſcopi Carthagi-
nenſis. Sic ipſe Auguſtinus , & quidem cum
diſpenſatione in canone Concilii Nicæni , à
Numidiæ Primate Megalio conſecratus fuit,
neque ibi intervenit , niſi ad diſpenſandum,
Epiſt. Epiſcopus Carthaginenſis . Sic tempore ſancti
87. Leonis Papæ magni Primas Provinciæ Cæſa-
rienſis, quia etiam tunc graviſſimam ibi Cle-
ricorum inopiam induxerant Wandali, ad api-
cem Epiſcopalem levavit bigamos ac viduarum
maritos, cui abuſui reformando ad Primatem
iſtum Leo Pontifex delegavit quemdam Po-
tentium , neſcio cujus Eccleſiæ Epiſcopum.
Faciebat id Primas iſte ſua auctoritate. Alio-
quin enim Pontifex, non ipſum ſolum, ſed e-
tiam Carthaginenſem Archi-Epiſcopum debuerat
arguiſſe. Quin immò etiam Primates iſti pote-
rant non ſolummodò defunctis Epiſcopis no-
vos ſubſtituere , ſed etiam novas Cathedras
erigere, novoſque Epiſcopatus. Patet id exem-
plo ipſius ſancti Auguſtini, qui jam plenè ſe-
nex , adeoque Africanorum Canonum plenè
Epiſt. peritus , fultus auctoritate atque aſſiſtentia ſo-
261. lius Numidiæ Primatis , quem credo fuiſſe

Valentinum Senem, erexit Epiſcopatum Fuſ-
ſalenſem, eique primum Epiſcopum ordinavit
è ſuo Monaſterio Antonium, infelicem illum.
Sic ad Carthaginenſem collationem venturi
Donatiſtæ, quo numeroſi eſſent, varios erexe-
re novos Epiſcopatus ; neque exinde à quo-
quam arguuntur tamquam Africanorum cano-
num prævaricatores.

Secundò obſtare videntur ſeptimus , octa-
vus, ac nonus canon tertii Concilii Cartha-
ginenſis, qui Primatibus iſtis, eorumque pro-
vincialibus Synodis dant plenam auctoritatem
Epiſcopos judicandi ac deportandi. Sic enim Epiſt.
Numidiæ Primas deportaſſet iſtum Fuſſalenſem 261.
Antonium, *Si ſtuprorum crimina capitalia pro-*
bari potuiſſent . Sic Primas Cæſarienſis depone- Epiſt.
re potuiſſet Priſcum , Victorem , ac Lauren- 261.
tium, ſuæ provinciæ Epiſcopos, ſi eorum cri-
mina id exegiſſent. Idque ſuo Jure, citra aſ-
ſiſtentiam Archi-Epiſcopi Carthaginenſis. Patet
ex hoc canone Concilii Carthaginenſis quarti. Cap. 28
Irritam eſſe injuſtam Epiſcoporum damnationem,
& idcircò à Synodo retractandam . Juſta ergo
damnatio planè valebat . Neque mireris hoc.
Antiquitus enim quicumque Archi-Epiſcopus
poterat ſuos ſuffraganeos judicare ac Sacerdo-
tio privare , dempto uno caſu , de quo ita
Concilium Sardicenſe . *Cum aliquis Epiſcopus* Cap. 4.
depoſitus fuerit eorum Epiſcoporum judicio , qui
in vicinis locis commorantur , & proclamaverit
agendum ſibi negotium in urbe Roma , alter Epiſ-
copus in ejus Cathedra poſt appellationem ejus ,
qui videtur eſſe depoſitus, omnino non ordinetur,
niſi cauſſa fuerit in judicio Epiſcopi Romani de-
terminata . Quapropter ſanctus Leo Papa no-
nus , dum ad iſtos præfatos Africanos Epiſ-
copos ſcribit nullum Epiſcopum deponi poſſe
niſi à Romano Pontifice , loquitur de jure
novo, non de antiquo.

Tertiò denique obſtare videtur hic canon
Milevitani Concilii. *Placuit , ut non ſit ultra* Cap. 9.
fatigandis fratribus anniverſaria neceſſitas , ſed
quoties exegerit cauſſa communis , id eſt , totius
Africæ , undecumque ad hanc ſedem pro concilio
datæ litteræ fuerint , congregandam eſſe Synodum
in ea provincia , ubi opportunitas perſuaſerit.
Cauſſæ autem , quæ communes non ſunt , in ſuis
provinciis judicentur . Poterant , ecce , quique
Primates pro cauſſis ſuam ſolam provinciam con-
cernentibus cogere Synodos provinciales. Sic Epiſt.
eam adverſus Pelagianos coegit Numidiæ Pri- 92. 152.
mas Sylvanus in Civitate Milevitana , adver-
ſus Donatiſtas autem in Civitate Cirthenſi.
Sicque eam neſcio qua de cauſſa cogere vo-
lebant Xantippi adverſarius ac Numidiæ Pri-
matus competitor Victorinus . Sic olim ſimi- Epiſt.
lem Synodum adverſus Epiſcopos nuper in 217.
perſecutione lapſos in Civitate Cirthenſi coe-
git Secundus tunc Numidiæ Primas ac Epiſ-
copus Tiſigitanus: ac poſtmodum ſub Ponti-
ficatu Theodori adverſus Paulum, Conſtanti-
nopolitanum Epiſcopum, Monothelitam, Co-
lumbus , primæ ibi Sedis Epiſcopus . Tunc
Provinciam ſuam Bizacenam etiam convoca-
vit Stephanus , ſuamque Cæſarienſem Primas
Reparatus. Eorum Synodales litteras tam ad
Theo-

Digitized by Google

Theodorum Pontificem, quam ad Conſtantem Auguſtum reperies in Concilio Lateranenſi ſub ſancto Martino primo. Eaque omnia faciebant ſine ſcito Epiſcopi Carthaginenſis. Sanctus namque Auguſtinus Tractorias Epiſcopi Victorini litteras arguit dumtaxat de tribus. Primo, quod non conſtarent de ſcribentis Primatu, eum quippe etiam Xantippus ſuum aſſerebat. Secundò, quod convocati ad Synodum Epiſcopi non eſſent ſcripti legitimo ordine. Tertiò, quod convocaret etiam Mauritaniæ Epiſcopos ſine adjuncta auctoritate ac nomine iſtorum Primatum. De Epiſcopi autem Carthaginenſis nomine, quod tamen certum eſt defuiſſe, totus tacet Auguſtinus. Ideoque etiam certum eſt, Epiſcopi iſtius conſenſum ad convocandas aliarum Provinciarum Synodos non fuiſſe neceſſarium. Proinde Leo Papa nonus videtur malè aſſerere, quod iſti Afrorum Primates non potuerint Epiſcopos conſecrare aut deponere, neque Synodos convocare.

Reſpondeo iſtos Africæ Primates ſeu primæ Sedis Epiſcopos non fuiſſe in omnibus provinciis, ſed dumtaxat in quibuſdam. Patet ex canone ſecundo tertii Carthaginenſis Concilii, quod de Concilio Nationali agens ſic dicit. *Ad quod omnes provinciæ, quæ primas ſedes habent, legatos mittant.* Cur *quæ primas ſedes habent?* Quia quædam tales ſedes non habebant. Clarius id patet ex codice græco Africanorum
Cap. 17. canonum, in quo ſic habemus. *Placuit, ut Mauritania Sitifenſis, ut poſtulavit, Primatem Provinciæ Numidiæ, ex cujus cœtu ſeparatur, cum habeat Primatem: Quem conſentientibus omnibus Primatibus Provinciarum Africanarum, vel omnibus Epiſcopis, propter longinquitatem habere permiſſa eſt.* Utique longinquitatem à civitate ac provincia Carthaginenſi. Etenim omnes proprium Primatem non habentes provinciæ ſuberant Archi-Primati Carthaginenſi. Et quia provincia Sitifenſis ab iſta provincia longè aberat, erat autem proxima Numidiæ, fuerat que cum illa olim una provincia, petivit ac obtinuit, non quidem reuniri in unam provinciam, tamen illius ſubjacere Primati. Tales itaque Primates habuerunt provincia Numidiæ, provincia Mauritaniæ Cæſarienſis, provincia Byzacena, ac provincia Tripolitana. Omnes aliæ ſubjiciebantur Archi Epiſcopo Carthaginenſi, præter Sitifenſem, quam jam audivimus Numidarum Primati fuiſſe ſubjectam. Quod porrò etiam hæc olim ſubjecta fuerit iſti Archi-Epiſcopo, clarè patet ex Epiſcopalibus ſubſcriptionibus primi Concilii Arelatenſis: Ibi namque Surgentius Epiſcopus Sitifenſis ſubſcribit tamquam Epiſcopus de provincia Carthaginenſi. Et quidem Numidiæ Primas, Primaſque Cæſarienſis habuere jura ac privilegia quædam particularia, pro quibus ita clamatum eſt ab omnibus Epiſcopis Concilii Milevitani. *Salva jure Primatus Numidiæ & Mauritaniæ.* Erant jura magna. Eaque, præſertim Numidici Primatus jura, ut iſta via Cæciliani Carthaginenſis olim Epiſcopi ordinationem irritam redderent, largiter ampliare conati ſunt Donatiſtæ. Patet id ex Auguſtino ſic ſcribente in Breviculo collationis cum Donatiſtis. *Donatiſtæ longa proſecutione agebant, quod non ex* De L. 5. c. 16.
pectaverit Cæcilianus, ut Princeps à Principe ordinaretur: Cum aliud habeat Catholicæ Eccleſiæ conſuetudo, ut non Numidiæ; ſed propinquiores Epiſcopi Epiſcopum Eccleſiæ Carthaginis ordinent: Sicut nec Romanæ Eccleſiæ ordinat aliquis Metropolitanus, ſed de proximo Oſtienſis Epiſcopus. Hoc autem dicentes de ſua conſuetudine, quam neſcio quando inſtituerunt, Eccleſiæ Catholicæ præjudicare conabantur: Quæ conſuetudo ſi antiqua eſſet, hoc ipſum objeciſſent Cæciliano, quando non abſentem damnaverunt. Verum de hiſce omnibus plura tempus non patitur neque locus. Dico itaque Leonem Papam nonum cum omni iſto in contrarium adducto Africano canone quam optimè cohærere. Iſti quippè omnes Africani canones, omniaque ex ſancto Auguſtino adducta exempla loquuntur de provinciis Primatem habentibus, quibus ſine Carthaginenſis Archi-Primatis mandato ac conſenſu omnino licebat Epiſcopos creare ac deponere, conciliaque provincialia cogere; at vero Leo Papa nonus de provinciis Primatem non habentibus loquitur, deque earum Epiſcopis, quibus iſta omnia ſine iſto conſenſu non licebant. De tali namque provincia erat iſte Epiſcopus Gummitanus.

At inquies, erant in Africa quatuor Primates, eiſque ſubjectæ provinciæ quinque, Numidiæ enim Primas præerat provinciis duabus: Si ergo omnium iſtarum provinciarum Epiſcopi potuerint ordinari à ſuis Primatibus, unde potuit Archi Primas Carthaginenſis per ſingulas fermè Dominicas habere Epiſcopos ordinandos? Reſpondeo id ſciri poſſe ex ipſius ſancti Aurelii verbis, prolatis in tertio Concilio Carthaginenſi. Epigonius & Julianus, neſcio quarum Eccleſiarum Epiſcopi, graviter ibi dimicabant pro quodam clerico, quem Epigonius ſibi præreptum cauſſabantur à Juliano: Ideoque ſtatutum eſt, ne quis Epiſcopus tale pium plagium de cætero committeret. Epiſcopus porrò Carthaginenſis ſolebat à quibuſcumque Africanis Eccleſiis cogari, non ſolummodò quoſdam minores clericos, ſed etiam Presbyteros ac Epiſcopos. Et quia eos omnes elargiri non poterat de gremio Eccleſiæ ſuæ, evocare eos ſolebat de aliis quibuſcumque per Africam Eccleſiis. Hinc de iſto canone exortum eſt dubium, an ipſum etiam Carthaginenſem Epiſcopum obligaret. Cumque ſanctus Aurelius dixiſſet ad Patres, nullum à ſe unquam evocari alienum clericum, niſi prius conſulto ejus proprio Epiſcopo, ſic ſubdit. *Si verò E* Cap. 44.
piſcopus indevotus extiterit, quid cenſet Cha 45.
ritas veſtra faciendum? Ego enim cunctarum Eccleſiarum, dignatione Dei, ut ſcitis fratres, ſollicitudinem ſuſtineo. Cui ſic reſpondit Epiſcopus Numidius. *Fuit ſemper hæc licentia huic ſedi, unde vellet, & de cujus nomine fuiſſet conventus, pro deſiderio cujuſque Eccleſiæ ordinare Epiſcopum.* Reſpondit eidem etiam Epiſcopus Epigonius, in cujus gratiam latus fuit iſte jam dictus canon adversùs Epiſcopum Julianum: *Bonitas ſequeſtrat poſſibilitatem. Minùs enim præ-*

ſamis

ſumis frater. Etenim te bonum & clementem omnibus reddis. Habes enim hoc in arbitrio, ſatis eſt, ut ſatisfiat perſonæ uniuſcujuſque Epiſcopi in prima tantummodo conventione. Si autem quodlibet huic Sedi vindicandum fuerit ſibi arbitratus, neceſſe habes tamen omnes Eccleſias ſuffulcire. Unde tibi non poteſtatem damus, ſed tuam aſſignamus, & liceat voluntati ſemper, & tenere quem voles, & Præpoſitos plebibus vel Eccleſiis conſtituas, qui poſtulati fuerint, & unde voles. Cumque Epiſcopus Poſthumianus Epigonio reponeret, eſſe quoſdam in Africa Epiſcopos, quibus unicus tantùm eſſet Presbyter, atque rogaret, an etiam iſtum auctoritate ſua poſſet evocare Carthaginenſis Epiſcopus ac alteri Eccleſiæ elargiri, reſponſum ei eſt affirmativè. Carthaginenſis itaque Epiſcopus, licet quædam provinciæ haberent ſuos proprios Primates, habebat tamen omnium omnino per Africam Eccleſiarum, omniumque Primatum ac Epiſcoporum plenam ſollicitudinem, potens omnibus Eccleſiis quos vellet dare Epiſcopos: Eaque eſt cauſſa, cur per ſingulas fermè Dominicas Epiſcopos ordinaret. Ordinabat quippe Epiſcopos, non ſolummodo ſuæ Procunſularis provinciæ ac provinciarum non habentium proprium Primatem, ſed etiam Epiſcopos provinciarum Primatialium, dum id rogaretur, aut ſuo motu id ipſe vellet. Et hinc ſanctus Poſſidius agens de ſancto Auguſtino contra Nicænos Canones in Coepiſcopum ſublevando, ſic ſcribit:

Cap. 8. *Formidans Venerabilis Senex Valerius, egit ſecretis litteris apud Primatem Epiſcoporum Carthaginenſem, allegans imbecillitatem corporis ſui, ætatiſque gravitatem, & obſecrans, ut Hipponenſi Eccleſiæ ordinaretur Epiſcopus, qui ſuæ Cathedræ, non tam ſuccederet, ſed conſacerdos accederet Auguſtinus. Et quæ optavit & rogavit, reſcripto impetravit. Poſt quam petitionem ad viſitandum advenienti ad Eccleſiam Hipponenſem tunc Primato Numidiæ Megalio Calamenſi Epiſcopo, &c.* Vocat Megalium Numidiæ dumtaxat Primatem, Epiſcopum verò Carthaginenſem vocat Primatem Epiſcoporum: utique Epiſcoporum omnium, etiam Provincialium Primatum. Ipſe erat in Africa Patriarcha maximus, ac Epiſcopus Epiſcoporum. Atque hoc eſt, quod ſignificatum voluit ſanctus Leo Papa nonus, dum dixit de Epiſcopo Carthaginenſi. *Epiſcopus conſecrandi principale & antiquum jus habet.* Habebatque adbuc aliam variam principalem poteſtatem. Primò, illam, de qua jam audivimus loquentem ſanctum Poſſidium. Eam, inquam poteſtatem, qua ſolus diſpenſare poterat in legibus generalium aut etiam Nationalium Conciliorum. Secundò, illam, de qua ſic dicit tertium concilium Car-

Cap. 1. thaginenſe. *Placuit propter errorem, qui ſæpè ſolet oboriri, ut omnes Africanæ provinciæ Epiſcopi obſervationem Paſchalem ab Eccleſia Carthaginenſi curent accipere.* Tertiò, illam, de qua ſic habemus in codice Græco canonum Africanorum.

Cap. 85. *Si quæ litteræ dictandæ in concilio placuerint, venerandus Epiſcopus, qui huic ſedi præſidet, omnium nomine dictare & ſubſcribere dignetur, in quibus etiam ad Epiſcopos Legatos, qui per provincias Africanas in cauſſa Donatiſtarum mittendi ſunt, placuit litteras dari tenorem mandati continentes, quem* Cap. 52.
non egrediantur. Quartò, poterat ac debebat viſitare omnes omnino Africanas provincias, etiam Primatiales. Hinc namque Honorato ac Urbano, provinciæ Sitiſenſis Epiſcopis, ſuam provinciam viſitari rogantibus, reſpondit Aurelius, id vix fieri poſſe ob barbaros, uti eadem de cauſſa viſitari non poterant provincia Tripolitana atque Arguzitana. Quintò denique, nemo Epiſ- C. 106.
copus proficiſci poterat ad ſacrum Auguſti Comitatum ſine Licentia ac litteris formatis Epiſcopi Carthaginenſis.

Er hæc ſancti Aurelii in omnes Africanas Eccleſias pleniſſima poteſtas eſt prima cauſſa, cui Eremiticum ſancti Auguſtini inſtitutum debet ſuam per omnes Africanas Eccleſias propaginem ac diffuſionem. Videns namque Aurelius ſibi impoſitam omnium iſtarum Eccleſiarum ſollicitudinem, adeoque earum inopiam eſſe per ſe ſublevandam, ruinaſque inſtaurandas, miſit ſolemnem Legationem ad S. Anaſtaſium Pontificem, ac Venereum Epiſcopum Mediolanenſem, ſucceſſorem S. Cypriani, aliquot inſignes clericos ab illis emendicaturam. Erant tum quidem in Africa Auguſtinenſes Eremitæ, eo quippe tempore Auguſtinus jam pridem erat Epiſcopus, eiſque etiam jam oculos ac manus injecerat Aurelius: Nihilominùs quibuſdam de cauſſis decrevit ac miſit iſtam legationem. Neque verò fuit inanis. Aliquos namque Anaſtaſius, aliquos clericos miſit Venereus, atque inter illos inſignem iſtum Hæreſis Pelagianæ inimicum, ac vitæ S. Ambroſii conſcriptorem, Diaconum Paulinum qui ad Judicium Epiſcopale Carthaginenſe primus pertraxit impium Cæleſtinum, eſtque poſtmodum promotus ad neſcio cujus Eccleſiæ Africanæ Epiſcopatum. Hujus namque Paulini Epiſtolam puto eſſe illam, quæ inter Auguſtinianas eſt quadrageſima octava, nimiumque imperitè quidam putant eam eſſe Paulini Epiſcopi Nolenſis. Interim pauci ex iſtis Italis videntur Afris populis fuiſſe fructuoſi, neque bene cum illis conveniſſe. Quod namque Itali & Afri diverſorum humorum ſint, patet ex iis, quæ in virorum Illuſtrium catalogo ſcribit S. Hieronymus de Tertulliano. *Hic cum uſque ad mediam ætatem Presbyter Eccleſiæ permanſiſſet, invidia poſtea & contumeliis Clericorum Romanæ Eccleſiæ, ad Montani dogma delapſus eſt.* Et ex iis, quæ ſcribit S. Auguſtinus in libris de ordine, agens de vario modo pronunciandi linguam latinam. *Meipſum,* L. 2. c.
cui magna neceſſitas fuit iſta perdiſcere, adbuc in 17.
multis verborum ſonis Itali exagitant, & à me viciſſim, quod ad ipſum ſonum attinet, reprebenduntur. Aliud eſt enim eſſe arte, aliud gente ſecurum. Patet id præſertim ex iſto Africano canone, quo ſub pœna excommunicationis omnibus ſuis clericis Africana concilia interdixerunt appellationem ad Epiſcopos tranſmarinos, utique Italos. Latus namque eſt canon iſte à S. Cypriano, adverſum quinque ſuos perduelles presbyteros, qui à Novato quodam, impiiſſimo Italo Epiſcopo, inſtigati, ad Italos appellarant, eaque appellatione egregiè conturbarant omnem Eccleſiam Africanam. Errant verò noſtri Leproſi Magdeburgenſes, dum ex iſto canone ſupremum

Romani

Digitized by Google

Romani Epiſcopi Primatum impugnant : Omni enim Eccleſiaſticæ antiquitatis perito clarum eſt; canonem iſtum extenſum nunquam fuiſſe uſque ad Romanum Epiſcopum, ad quem ab Afris fuit ſemper appellatum. Etiam adverſus ſententias Epiſcopi Carthaginenſis. Et ſane Italica Eccleſia & Eccleſia Africana diſparatiſſimis regebantur legibus, ideoque mirum non eſt, quod Advenæ iſti clerici Itali, qui ſe ad regendum atque reformandum vocatos credebant, cum Indigenis Afris non potuerint convenire. Quapropter videns Aurelius Italos clericos eſſe ſuis populis regendis non plenè fructuoſos, oculos conjecit in ſolos Auguſtini Monachos, cœpitque facere ea omnia, quæ jam ſupra ex ſancto Auguſtino ac S. Poſſidio dixi fuiſſe ab illo facta. Diſperſit Auguſtini inſtitutum per omnem omnino Africam, atque ex illo ſupplevit abundantiſſimè omnes ruinas Eccleſiæ Africanæ. Quæ dum quandoque penes me conſidero, rogo Prudentiſſimis, Doctiſſimis, Piiſſimiſque Ordinis noſtri Prælatis divinitus inſpirari, quatenus iſtum ſanctiſſimum Eccleſiæ Carthaginenſis Archi-Epiſcopum Aurelium, de tota quidem orthodoxa Eccleſia, præſertim tamen de ſacro noſtro Ordine adeò ſolemniter bene meritum, recipi curent in perpetuum annuum duplicis officii honorem.

Videbat Aurelius orthodoxam omnis Africanæ Eccleſiæ fidem laborare varia ſcabie, ac in Chriſtianam cleri ac populi diſciplinam ſtrumas irrepſiſſe admodum groſſas. Sacramentorum adminiſtratio ſcatebat ritibus ſuperſtitioſis ac pre-
Concil. Mile. c. 12. cibus hæreticis. Dolus, impoſturæ, aliaque id genus fides punica major erat in clericis quam in laicis. Africana ebrietas verſa erat in Religionem, cultumque Martyrum, adeò ut cœmeteria
Epiſt. 68. ac Baſilicæ eſſent quaſi ebriotorum latibula, ſolemneſque popinæ. Super omnia graſſabatur labes iſta de qua ſcribit S. Salvianus Epiſcopus Maſſilienſis: *Tam impoſſibile eſt Afram eſſe caſtum, quam Afram non eſſe Afrum*. Erat tunc verè monſtrorum fæcunda parens Africa. Dormierant enim illic homines, id eſt, Eccleſiarum Præpoſiti negligentius egerant, ideoque inimicus homo quæcumque Zizania in medio tritici ſuperſeminarat. Erant in ea Donatiſtæ, plurimæque eorum ſciſſuræ : Videlicet Primianiſtæ, Maximianiſtæ, Claudianiſtæ, Rogatiſtæ, Urbaniſtæ, veraque Africana monſtra Circumcelliones. Quis enim neſcit eorum latrocinia, homicidia, ſtupra, gladios, fuſtes, acetum & calcem, quibus Deo laudes decantantes ſolebant etiam in ſemetipſos monſtroſè ſævire? Erant ibi Manichæi, Marcionitæ, Nazaræi, Tertullianiſtæ, aliique Lupi id genùs plurimi, pauciſſimi autem dentati Paſtores. Noverat Aurelius, quid nuper adverſum ſimilia Ægyptiarum Eccleſiarum mala feciſſet Archi-Epiſcopus Athanaſius, edoctus ejus litteris ad S. Dracontium, nuper è monaſterio vocatum ad curas Epiſcopales. *Neque enim tu ſolus ex monachis es conſtitutus Epiſcopus, neque ſolus monaſterio præfuiſti, neque ſolus à monachis delectus es. Noſti enim Serapionem monachum eſſe, & quot Monachorum Præfectum. Neque à te ignoratur quot monachorum pater fuerit Apollonius. Noſti Agathonem, neque ignotum habes Ariſtonem. Memor es Ammonii cum Serapione peregrè profecti. Fortaſſè etiam audiſti de Cus in ſuperiori Thebaide. Poteris etiam reſciſcere de Paulo, qui eſt apud latos, & de aliis multis. Et tamen iſti Epiſcopi conſtituti non contradixerant, ſed habentes pro exemplari Eliſæum, & edocti quid Elias egerit, & eruditi quid Diſcipuli Chriſti, Apoſtolique fecerint, ſuſceperunt hanc curam, neque miniſterium hoc aſpernati ſunt; Neque propterea ſeipſis deteriores facti ſunt, ſed & laboris mer edem exſpectant, proficientes ipſi, aliosque proficere adhortantes. Quot ab idolis converterunt, quot à dæmoniaca & furioſa conſuetudine ſuis admonitionibus compeſcuerunt, quot adduxerunt Chriſto ſervos? Quapropter cum iſtiuſmodi habeas exempla, Dilectiſſime Draconti, ne dicas, nec dicentibus credas, Epiſcopatum eſſe cauſſam peccati, aut quod inde naſcantur occaſiones delinquendi. Licebit tibi in Epiſcopatu eſurire, ſitire cum Paulo. Licebit vinum non bibere, ſicut Timotheus fecit, & jejunare frequenter, ut ſolitus Paulus, ita ut ſecundùm illum jejunans alios ſermonibus nutrias, & ſitiens abſtinendo à potu, alios docendo potum præbeas. Ne igitur talia objiciant conſiliarii tui. Novimus Epiſcopos jejunantes, & monachos comedentes.* Tales pugiles emiſit Athanaſius adverſùm ſuos Meletianos ac Arianos. Atque hi ſunt illi Ægyptii Epiſcopi, quibus ſolis in Synodo Seleucienſi communicavit S. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, atque ab illis didicit monaſticum inſtitutum, quod ſecum in Gallias detulit, ibique tradidit ſancto ſuo Diſcipulo Martino Turonenſi Epiſcopo, qui id per omnem Galliam largiſſimè propagavit. Iſtud itaque Athanaſii conſilium imitatus eſt S. Aurelius Auguſtinenſes Eremitas turmatim levavit in clerum ac cathedras Epiſcopales, ſperans eos tanquam fidos pugiles adverſum præfata iſta Africana monſtra ſtrenuè dimicaturos. Neque ipſum ſpes feſellit. Quam enim ſtrenuè dimicarint, norunt homines Africanæ antiquitatis periti, neque dici poteſt uno verbo. Graviter dumtaxat doleo iſtum ſacri noſtri Ordinis præclariſſimum fautorem Aurelium duplici officio à nobis non coli.

CAPUT VIII.

Reſolvitur quoddam dubium incidens.

HOrum quidem aliqua præſenti noſtro ſcopo non ſunt neceſſaria, ſpero tamen ea hominibus Auguſtinum, hominem ſanè amore dignum, amantibus non fore ingrata. Sedulo Auguſtini lectori erunt forſitan etiam fructuoſa. Itaque dum Auguſtinus in Epiſcopum ordinaretur, Numidiæ Primas erat Megalius, Epiſcopus Eccleſiæ Calamenſis, homo in Auguſtinum calumnioſus, utpote eum innocentiſſimum de propinatis poculis amatoriis, calumniatus, quas calumnias ex intervallo reſumpſere Donatiſtæ, præſertim Petilianus eorum Epiſcopus Conſtantinenſis, ſive Cirtenſis. Quod Megalius Eccleſiæ Calamenſi præfuerit, palam patet ex ſancto Poſſidio proximo ejus in iſtam Eccleſiam ſucceſſore. Clarè enim dicit. *Tunc Primate Numidiæ Megalio Calamenſi Epiſcopo.* Hic porrò Megalius poſtmodum non diu vixit. Cap. 8.

Patet

Patet id ex hiſce Auguſtini verbis ad ſanctum
Ep. 14. Profuturum. *Quod Senex Megalius defunctus ſit,*
jam vos audiſſe quis dubitet? Erant autem a de-
poſitione corporis ejus, cum hæc ſcriberem, dies
fermè viginti quatuor. Scripſit hæc Auguſtinus
Epiſt. 8. ad Profuturum iſtum, de quo ſic ſcribit alibi
cap. 1. ad ſanctum Hieronymum. *Commendamus Ger-*
manitati tuæ fratrem Profuturum, quem verè pro-
futurum ſperamus, niſi fortè quod talis eſt, ut
ipſe tibi per eum fiam commendatior, quam ipſe
Epiſt. 10. *per me*. Et iterum. *Primas etiam, quas ad te*
cap. 1. *adhuc presbyter litteras præparaveram mittendas*
per quemdam fratrem noſtrum Profuturum, qui
poſtea Collega nobis factus eſt, jam ex hac vita
migravit. Scripſit hæc Auguſtinus in Epiſcopa-
tu adhuc totus juvenis, ad haſce namque litteras
reſpondens Hieronymus ei juventutem expro-
bravit. Erat porrò Profuturus tunc mortuus,
adeoque dum ei adhuc vivo Auguſtinus ſignifi-
cavit mortem Megalii, debuit fuiſſe adhuc ju-
nior, atque ita debuit Megalius parvo tempore
poſt ordinatum Auguſtinum ſupervixiſſe. Por-
rò in Megalii locum ordinatus eſt ex monaſte-
rio Hipponenſi ſanctus Poſſidius, idque, ut vi-
detur, opera Auguſtini, atque haud dubiè
etiam opera ſanctiſſimi Amici noſtri Aurelii,
cujus propoſitum erat omnes Africanas Cathe-
dras implere Auguſtinenſibus Eremitis. Colli-
go id ex Auguſtini verbis ad Profuturum.
Ep. 149. *Utrum inveneris, diſponebas enim, ſucceſſorem*
Primatus ejus, ſi fieri poteſt, noſſe volumus. Con-
ſtat, ecce, jam Auguſtinum quam Profuturum,
utique ex Auguſtini Eremo aſſumptum Epiſco-
pum, de novo Calamenſis Eccleſiæ Epiſcopo
fuiſſe ſollicitos, cumque is fuerit Poſſidius, du-
bitare non poſſum, quin Auguſtini ac Profu-
turi, atque præſertim Aurelii opera fuerit pro-
motus.

At verò in Numidiæ Primatum tunc ſucceſſit
Senex Sylvanus, quem puto fuiſſe Epiſcopum
Eccleſiæ Perdicenſis. Conſtat quippe ex Syno-
dali Cirthenſis Synodi ad Donatiſtas Epiſtola,
Sylvanum hunc interfuiſſe Collationi Carthagi-
nenſi. Porrò quia tum Numidiæ Senex ac Pri-
mas erat, comparuiſſe ibi debet inter primos:
At verò primus ibi comparens Sylvanus, coram
cognitore autem Comite Marcellino nominatim
ac perſonatim comparuere Donatiſtæ atque Or-
thodoxi Epiſcopi omnes, fuit Epiſcopus Per-
dicenſis. Hic eſt ille Sylvanus, qui adverſum
Ep. 92. Pelagianos coegit Synodum Numidarum Epi-
ſcoporum Milevitanam, & adverſum Donatiſtas
Carthaginenſem Collationem, in qua fædè con-
victi fuerant, calumniantes, Synodum Cirthen-
ſem. Primatum itaque ſuum ingreſſus eſt aut
ſub finem Pontificatus ſancti Anaſtaſii, aut ſub
exordium Pontificatus ſancti Innocentii, eum-
que geſſit uſque propè Pontificatum ſancti Boni-
facii, atque tunc ei ſucceſſit neſcio cujus Sedis
Epiſcopus Valentinus. Patet id ex Epiſtola con-
cilii Milevitani ad Innocentium Papam, ſcripta
adverſum Pelagianos, ac ex Epiſtola concilii
Cirthenſis ad Donatiſtas. Illic enim poſt Senem
Sylvanum primus ſubſcripſit Valentinus, ut-
pote ei ætate proximus, adeoque ei in Prima-
tum ſucceſſurus. Succeſſit ſub finem Pontifica-
tus Zozymi aut ſub initium Pontificatus Boni-
facii: Etenim tamquam Numidiæ primas inter-
fuit ſexto concilio Carthaginenſi, quod circa
jam dictum tempus conſtat fuiſſe celebratum.
Item tamquam Numidiæ primas unà cum Aure-
lio ſcripſit ad Pontificem Bonifacium, iſtæque
ſunt primæ ipſius Synodales litteræ, ideoque
planum eſt, Primatum ejus circa hæc tempora
fuiſſe inchoatum. Proinde graviter errant, qui
Valentini Primatum faciunt Primatu Xantippi
poſteriorem: Xantippus enim primatum ingreſ-
ſus non eſt, niſi poſt mortem Alipii, adeoque
non potuiſſet Valentinus iſte una cum Alipio
tamquam Numidiæ Primas interfuiſſe ſexto Con-
cilio Carthaginenſi. Protraxit porrò vitam uſ-
que ad initium Pontificis Cæleſtini: Exſtant
enim ejus ad Cæleſtinum, ac Cæleſtini litteræ
ad ipſum. Quapropter ipſe eſt ille Numidiæ
Primas, qui ad ſancti Auguſtini inſtantiam ere-
xit Epiſcopatum Fuſſalenſem, eique ordinavit
primum Epiſcopum Antonium. Ipſe eſt, qui
Antonium iſtum prius à ſe juſtiſſimè damna-
tum, *Verſuta illius ſuaſione inductus*, apud Pa-
pam Bonifacium excuſavit ac commendavit tam-
quam *omni modo inculpatum* ac malè accuſatum,
maleque judicatum, omne malum iſtud refun-
dens in Auguſtinum, adeò ut tribulatione iſta
Auguſtinus fatigatus de deponendo Epiſcopatu
cogitarit haud per tranſennam. Ipſe eſt, qui
falſis iſtis ſuis delationibus in agrum Fuſſalenſem
induxit *Publicas poteſtates & militares impetus,*
tamquam executuros Sedis Apoſtolicæ ſententiam,
adeò ut *miſeri* Fuſſalenſes jam *Chriſtiani catholici*
graviora formidarent à catholico Epiſcopo, quam
cum eſſent Hæretici, à Catholicorum Imperatorum
Legibus formidabant. Ipſe eſt, qui poſtmodum
facti pœnitens omnes iſtas falſas delationes revo-
cavit apud Pontificem Cæleſtinum. Revocavit
eas ſtatim ſub exordium Pontificatus Cæleſtini:
Etenim iſta omnia Auguſtinus refert in ea ipſa
epiſtola, qua Pontifici Cæleſtino de pacificè
adepto Pontificatu *ſine ulla plebis diſciſſione*, qua-
lis nuper Pontifici Bonifacio per ſchiſma Eula-
lianum contigerat, gratulatus eſt, quam qui-
dem Epiſtolam ſtatim in initio Pontificatus Cæ-
leſtini ſcriptam eſſe, eſt manifeſtum. Proinde
Primas Valentinus, ut quidem ibidem Auguſti-
nus ſatis clarè inſinuat, circa extrema Bonifacii
ac Cæleſtini tempora incipiebat præ ſenio repue-
raſcere, eaque de cauſſa in rebus ſeriis adeò fæ-
dè in utrumque latus claudicabat, atque adeò
penitùs probabile eſt, ipſum Pontifici Cæleſti-
no non dudum convixiſſe. Tunc ergo ei in Pri-
matum ſucceſſit Xantippus Epiſcopus Eccleſiæ
Tagaſtenſis. Quapropter omnino lapſus eſt Emi- A. 402.
nentiſſimus Cardinalis Baronius, dum Xantip-
pum facit Sylvano antiquiorem. Etenim Xan-
tippus fuit Epiſcopus Tagaſtenſis, ut palam
ſcribit Auguſtinus ad Xantippi pro Numidiæ Ep. 217.
Primatu corrivalem Epiſcopum Victorinum.
Non fuit autem ſancti Alipii Præceſſor: Etenim
Xantippus atque Alipius fuere ſimul in quibuſ-
dam conciliis Africanis. Deinde, Alipius fuit
ad Epiſcopatum evectus ante Auguſtinum, adeo-
que ſi Xantippus fuiſſet Alipii in Sede Tagaſten-
ſi præceſſor, præceſſiſſe debuiſſet etiam Prima-

tum

Digitized by Google

tum Megalli, ac per conſequens Primas fuiſſe,
non ſub Papatu ſancti Innocentii, ut ponit Ba-
ronius, ſed ſub Pontificatu Siricii, quod eſt
penitùs devium atque alienum. Dico itaque Me-
galio ſucceſſiſſe Sylvanum, Sylvano Valentinum,
A.412. huic autem Xantippum. Errat hic rurſum Car-
dinalis Baronius, dum Auguſtini cum Fortu-
nio Donatiſtarum Tuburſicenſi Epiſcopo, aliam-
que ibidem cum Cælicolarum Majore diſputatio-
nem dicit habitam fuiſſe, dum Auguſtinus unà
cum Alipio proficiſceretur ad præfatam Prima-
tis Sylvani Synodum Cirthenſem, conſtat enim
diſputationi iſti Alipium interfuiſſe. Credo ab
Ep. 163. ampliſſimo Cardinali lecta fuiſſe hæc Auguſtini
verba, ſcripta de iſtis diſputationibus. *Cum ad Cirthenſem Eccleſiam pergeremus*. Verùm legi de-
buiſſent & ſequentia. *Sed quia ordinandi Epi-
ſcopi neceſſitas jam jamque nos inde rapiebat,
diutius cum Fortunio eſſe nequivimus*. Ibat ergo
Auguſtinus Cirtham per Tuburſicum, non ad
Synodum, ſed ad Epiſcopum ordinandum. Ad
ordinandum iſti Eccleſiæ Epiſcopum Fortuna-
tum, qui poſt in collatione Carthaginenſi fuit
unus eorum ſeptem, quibus Catholici Epiſcopi
commiſere omnem cauſæ ſuæ proſecutionem.
Hunc namque Fortunatum fuiſſe Epiſcopum
Cirthenſem ſeu Conſtantinenſem, patet ex Au-
guſtino ſic dicente in libris adverſus litteras Pe-
L. 1. c. 1. tiliani. *Cum eſſem in Eccleſia Conſtantinenſi,
Abſentio præſente, & Collega meo Fortunato ejus
Epiſcopo, obtulerunt mihi fratres Epiſtolam*. Fa-
ctum id fuit dudum ante collationem ac colla-
tione poſteriorem Synodum Cirthenſem. For-
tunatus namque iſte fuit Epiſcopus ante Mega
lii ſucceſſorem Poſſidium, adeoque ordinatus
fuiſſe debet non ſub Papatu Innocentii, ſed
circa tempora Anaſtaſii aut Siricii. Porrò Au
guſtinus Cirthæ coram novo Epiſcopo etiam
concionatus eſt. Idque ex eo laudabili Eccle
ſiæ Africanæ uſu, de quo dicit quarta Synodus
C. 33. Carthaginenſis. *Epiſcopi vel presbyteri, ſi cauſa viſen-
dæ Eccleſiæ alterius Epiſcopi venerint, & in gradu ſuo
ſuſcipiantur, & tam ad verbum faciendum quam
Serm 51. ad oblationem conſecrandam invitentur*. Sic varios
de Sanct. Epiſcopos ad in Eccleſia ſua Hipponenſi concio
Pſalm. nandum invitavit ac quaſi coegit Auguſtinus.
95. 131. Eratq; ritus iſte receptus per omnem Eccleſiam.
Hinc namq; ſanctus Papa Anicetus Romæ ad con-
cionandum atque offerendum invitavit ſanctum
Polycarpum Epiſcopum Smyrnenſem: Sic ſan-
ctus Cyrillus Alexandriæ dicere fecit Paulum,
Epiſcopum Emiſenum, Legatum Joannis Ar-
chi-Epiſcopi Antiocheni: Sic ſanctus Grego-
rius Epiſcopus Nyſſenus apud ſanctum Amphi-
lochium Iconienſem Epiſcopum conqueritur de
Helladio Cappadocum Cæſarienſi Epiſcopo,
quod ſibi non obtulerit facultatem & locum po-
puli in Eccleſia docendi. Et quidem ea unica
Auguſtini concio non fuit infructuoſa. Totam
Ep. 130. namque Cirthenſem civitatem à Donato ad
Chriſtum tranſtulit, adeò ut Cirthenſes ſolem-
nem ex intervallo ad Auguſtinum deſtinarint
legationem, ei gratias agentes, eumque ad ſe
invitantes, publico haud dubiè ipſum, ſi adve-
niſſet, honore excepturi. Tantus Conciona-
tor fuit ſanctus Auguſtinus. Cirtha namque
erat ampliſſima totius Numidiæ Metropolis,
prima Africæ Civitas poſt Carthaginem, ideo-
que à Conſtantino magno vocata Conſtantina.
Erat receptaculum ac prima origo omnium Do-
natiſtarum, adeoque pauciſſimi erant in ea Ca- Ep. 165.
tholici, uti patet ex iis, quæ Alipius & Augu-
ſtinus ſcribunt ad Generoſum.

Mortuo tandem Sene Valentino, atque in
Sede ejus ordinato novo Epiſcopo, debebatur
Numidiæ Primatus Xantippo Epiſcopo Taga-
ſtenſi. Verùm quia ei ſe neſcio cujus Sedis Epi-
ſcopus Victorinus oppoſuit, nancisci nequiit
pacificam ſui Juris poſſeſſionem. De hac porrò
inter Victorinum ac Xantippum controverſia ſic
ſcribit Cardinalis Baronius, agens de Synodo
Milevitana. *Deinde placuit omnibus Epiſcopis*, A.402.
*ut matricula & archivus Numidiæ & apud pri-
mam ſedem ſit, & in Metropoli, id eſt, Con-
ſtantina. Hac quidem conſtitutione Patres deſi-
niiſſe voluerunt altercationem duarum ſedium in
Numidia poſitarum, quænam prior habenda eſ-
ſet. In duas provincias dividebatur Numidia,
eademque duæ dictæ Numidiæ, ut acta ſextæ
Synodi Carthaginenſis demonſtrant: Ob idque al-
tercatio oborta inter Xantippum Epiſcopum Con-
ſtantinæ, Numidiæque Primatem, & Victori-
num Epiſcopum alterius civitatis, Primatum ejuſ-
dem univerſæ provinciæ ſibi vindicantem*. Varii
hic concurrunt errores. Primo, Xantippus,
dum Primatum prætendit, erat Tagaſtenſis
Epiſcopus, nequaquam Conſtantinenſis. Di- Ep. 217.
ſertè id ſcribit Auguſtinus in Epiſtola ad dictum
Victorinum. Baronius in dicta Auguſtini Epi-
ſtola ponit lectiones duas: In corpore ponit *Ta-
gaſtenſis*, in margine *Conſtantinenſis*. At putem
quod ſine fundamento: Etenim Lovanienſes
noſtri, qui quaſvis Auguſtini varias lectiones
diligentiſſimè conquiſierunt, atque accuratiſſi-
mè typis mandaverunt, iſtam variam lectionem
non norunt. Ideoque dico hanc altercationem
prius motam fuiſſe poſt mortem Alipii Epiſcopi
Tagaſtenſis, ac Valentini Primatis, anno ſe-
cundo aut tertio Papæ Cæleſtini. Nequit fuiſse
mota ſtatim poſt mortem Alipii, qui primo aut
ſecundo anno Papæ Bonifacii creditur obiiſſe.
Etenim primo Bonifacii anno fuit Alipius pro-
fectus Ravennam ad ſacrum Comitatum. Fa-
miliariter ibi uſus eſt Illuſtri Comite Valerio,
accepitque ab eo quædam excerpta ex libris Ju-
liani Pelagiani, adverſus librum Auguſtini de
nuptiis & concupiſcentia. Tunc à maledico Ju-
liano infamatus fuit, quod cauſsæ ſuæ adver-
ſus veritatem obtinendæ gratia, Afros equos
Comiti adduxiſset. Tunc per occaſionem Ro-
mam acceſſit, ſalutaturus Papam Bonifacium,
eſtque ab illo officioſiſſimè hoſpitio exceptus.
Tunc interfuit ſeptimo Carthaginenſi concilio,
eſtque unà cum aliis eminentioribus Africæ Epi-
ſcopis ab Honorio Auguſto vocatus ad Syno-
dum Italicam, auditurus ac judicaturus turbas,
quas Romæ adversùs Papam Bonifacium con-
citarat ſchiſma Eulalianum. Poſtmodum de ſan-
cto Alipio nihil amplius audimus, ideoque
oportet eum circa ea tempora ex hac vita receſſiſ-
ſe ad meliorem. At verò Xantippi cum Victo-
rino lis eſt recentior: Moveri enim dumtaxat

potuit

potuit poſt mortem Valentini, quem jam oſtendi perveniſſe uſque ad tempora Papæ Cæleſtini.

Deinde, in Numidia non fuerunt duæ Epiſcoporum provinciæ, neque id affirmat prologus ſextæ Synodi Carthaginenſis. Per duas namque ibi nominatas Numidias intelliguntur, nequaquam duæ ejuſdem Numidiæ Epiſcopales provinciæ, ſed duæ provinciæ ſubjectæ eidem Numidico Primati. Jam namque ſupra oſtendi Numidiam ac Mauritaniam Sitifenſem fuiſſe olim eandem provinciam, ex intervallo autem diſſectam fuiſſe in provincias duas, ita tamen ut iſta Mauritania non fieret provincia Primarialis, ſed juxta Africæ leges devolveretur ſub ſollicitudinem Primaris Carthaginenſis. At verò inter Carthaginem ac iſtam Mauritaniam erat grandis diſtantia, ideoque Epiſcopi Carthaginenſis paſtorales oculi ægrè poterant eò uſque protendi. Hinc Mauri Sitifenſes petivere, non quidem cum Numidis in eandem Provinciam denuò uniri, ſed tamen ſubeſſe eorum Primati, eſtque illis conceſſum. Exinde ergo Numidia ac iſta Mauritania dici quandoque cæperunt duæ Numidiæ, id eſt, duæ provinciæ ſubjectæ Numidico Primati.

Tertiò denique, iſta inter Xantippum ac Victorinum lis non fuit pro Jure Sedium, tale namque jus in Africanis Provinciis non fuiſſe jam abundè dixi, ſed fuit pro Jure perſonarum, quia nempe uterque aſſerebat ſe eſſe in Epiſcopali ordine ſeniorem. Patet id clariſſimè ex ſan-
Ep. 217 cti Auguſtini Epiſtola ad Victorinum. *Peto Beatitudinem tuam, ut mihi ignoſcas, & primò inſtare digneris, ut inter tuam Sanctimoniam & Senem Xantippum concorditer conſtet, quis veſtrum debeat convocare concilium, aut certè, quòd ſalubrius arbitror, ſine cujuſquam præjudicio ambo convocate Collegas veſtros, eos maximè, qui vobis Epiſcopatus ætate vicini ſunt, qui facile quis veſtrum verum dicat agnoſcant, ut inter vos paucos eadem præ cæteris quæſtio dirimatur, & errore ſublato Minores à cæteris convocentur, qui nec poſſunt nec debent niſi vobis in hac re tanquam Prioribus credere, & nunc ignorant, cui veſtrum potiſſimùm credant.* Ecce, Juniores Numidiæ Epiſcopi neſciebant utri crederent, ſed convocandi erant Epiſcopi ſeniores, ac iſtis contendentibus Epiſcopatus ætate vicini; quare? Quia non de dignitate ac Jure ſedium, ſed de perſonarum ſenio atque exinde enato Jure agebatur.

At ecce magna hic difficultas quomodo Xantippus iſte potuerit eſse totius Numidiæ Senior Epiſcopus ac Primas, & tamen eſse ſucceſſor ſancti Alipii Epiſcopus Tagaſtenſis. Etenim Alipius ad victam meliorem abiit anno primo aut ſecundo Papæ Bonifacii, id eſt, anno Domini 419. aut 420. Quomodo ergo ejus ſucceſſor potuit eſse omnium ſenior, erant quippe illic Auguſtinus, aliique multi in Epiſcopatu ſeniores? Reſpondeo Xantippum iſtum, non prima ordinatione ſua, ſed facta poſt Alipii mortem tranſlatione creatum eſse Epiſcopum Tagaſtenſem, adeoque omnino fuiſse poſſibile, ut non ita pridem poſt fuerit Senior ac Primas. Epiſcoporum namque tranſlationes etiam apud Afros fuiſse uſitatas, patet ex canone vigeſimo ſeptimo quarti concilii Carthaginenſis. Licet enim non haberent Sedes Archi-Epiſcopales, babebant tamen, ut in eodem canone dicitur, Sedes nobiles & ignobiles. Hinc namque Conſtantina quandoque vocatur Numidiæ Metropolis, habebatque non minùs quam prima Sedes provinciæ matriculam & Archivum. Hinc etiam ſanctus Poſſidius dicit quoſdam Auguſtinenſes Monachos aſsumptos fuiſse ad Epiſcopatum etiam Eccleſiarum eminentiorum. Omnino ergo habebant anſam faciendarum tranſlationum. Quod porrò Xantippus tranſlatus fuerit, colligi poteſt ex Auguſtini Epiſtola ad Victorinum. Dicit namque ibi, quod Victorinus nomen Xantippi, Ep. 217.
quem in Epiſcopatu admodum ſenem norat, in ſuis litteris tractoriis omiſerit: Profectò non alia de cauſſa, niſi quia annos ejus, non à prima ordinatione, ſed à nuper facta tranſlatione computandos volebat, ideoque Xantippum per iſtam tranſlationem eſſe factum ex omnium ſeniori omnium Juniorem. In hoc, inquam, principio fundabat Victorinus ſuam adverſus Xantippum prætenſionem. Hæc dicta ſint quaſi per parentheſim, redeamus ad rem noſtram.

CAPUT IX.

Unde per omnes Africanas Eccleſias orta fuerit ea miſerabilis inopia Clericorum?

Erat inopia verè miſerabilis. De ea quippe ita legimus etiam in concilio Hipponenſi. C. 41.
Tantùm inopiæ Clericorum ordinandorum in Africa patiuntur Eccleſiæ, ut quædam loca omninò deſerta ſint. Dico eam exortam eſſe ex facinoroſa ac pluſquam Diabolica nequitia Donatiſtarum, quos ſopitis aut ſanè ſopiri acriter cæptis Paganorum perſecutionibus, immiſit Diabolus in Eccleſiam eo fine, de quo in libris ad ſanctum Comitem Marcellinum ſic ſcribit ſanctus Auguſtinus. *Videns autem Diabolus templa dæ-* L. 18. c.
monum deſeri, & in nomen liberantis Media- 51.
toris currere genus humanum, Hæreticos movit, qui ſub vocabulo Chriſtiano doctrinæ reſiſterent Chriſtianæ. Immittere non poterat Satellites ac Emiſſarios ſibi ac ſuis operibus aptiores. Omnis namque eorum furioſiſſima audacia eoſdem cum Paganorum perſecutionibus habebat ſibi præfixos fines: videlicet Chriſtum ac Eccleſiam non duntaxat dividere, ſed funditus de terris eliminare. Habebantque media ſini iſti, ſi quidem poſſibilis foret, admodum proportionata, enumerata nobis à ſancto Optato, Eccleſiæ Milevitanæ Epiſcopo, in libris adverſus Parmenianum, iſtorum rabidorum Epiſcopum Carthaginenſem. Primò, ſacrificia Cæciliani, legitimi Carthaginenſis Epiſcopi, omniumque Epiſcoporum atque Presbyterorum ipſi communicantium, dicebant eſſe impura, irrita, contagioſa, Deoque inviſa. Deinde, Euchariſtiam ab illis conſecratam dicebant eſſe prophanam; eſſe non corpus & Sanguinem Domini, ſed panem & vinum ex prophanorum hominum attactu ſcabioſum:

Ideo-

Digitized by Google

Ideoque in quævis orthodoxa rempla irrumpentes repertam illic Euchariſtiam canibus ac porcis in terram proiiciebant, pedibuſque conterebant. Tertiò, idipſum faciebant de ſancto Chriſmate: In orthodoxis enim Sacerdotibus nullam dicebant eſſe poteſtatem alicujus elementi ſanctificandi. Quartò, omnes ab orthodoxis Sacerdotibus baptizatos, confirmatos, ordinatos, denuò iſtis iiſdem Sacramentis initiabant: Dicebant quippe eos nulliter initiatos. Quintò, Orthodoxorum altaria radebant ac exurebant; calices, aliaque vaſa ſancta frangebant, fracta conflabant, conflata etiam idololatris vendebant; Baſilicarum parietes ac pavimenta lavabant: Ajebant quippe ea omnia eſſe à prophanis orthodoxorum ſacrificiis ac contactibus facta eſſe leproſa. Sextò, laicis catholicis in ſuis cæmeteriis negabant ſepulturam: Dicentes ſanctam ſuam terram à prophanis iſtis corporibus non poſſe contaminari. Septimò denique, jactabant ſe ſolos ſanctos, omneſque ſub cælo fideles gentes ex Cæciliani communione polluras eſſe, atque adeò ab ipſis eſſe Chriſto reconciliandas. Et quidem hiſce rabidis violentiis omnem ſeemè Africæ Clerum ac populum ad ſuas traxere partes. Teſtem adduco ſanctum Auguſtinum, in libro de unitate Eccleſiæ ſic ſcribentem de
Cap. 25. iſto populo & Clero. *Salva conſcientia litteris Concilii*, quod Carthagine adverſus innocentem Cæcilianum factioſus Secundus Epiſcopus Tigiſitanus cum ſui ſimilibus nequam Epiſcopis celebrarat: *Crediderant: Neque enim ab hominibus de aliis hominibus aliquid incredibile dicebatur, aut eis contra Evangelium credebatur. Sed poſtquam illi furioſam pertinaciam uſque ad diſſenſionem ſacrilegam contra totum orbem Chriſtianum contentione obſtinatiſſima perduxerunt, atque innotuit bonis fidelibus, quos à Cæciliano alienaverat falſa criminatio; viderant ſe, ſi in illa communione perſiſterent, non jam de quodam homine vel de quibuſdam hominibus, ſed de Eccleſia toto terrarum orbe diffuſa pravum habere judicium, & maluerunt Chriſti Evangelio, quam Collegarum concilio credere. Itaque illis relictis, non ad catholicam pacem multi & Epiſcopi & Clerici & populi redierunt.* Videntes porro rabidi Donatiſtæ totam ad ſe occurrere Africam, antequam ad matrem Catholicam, recurreret, commiſere facinora iſta pluſquam diabolica, de quibus ita di-
L. 1. cit ſanctus Epiſcopus Optatus. *Nec malè imponendo omnibus capitibus manum, everſionis velamenta prætenderent, nec maledicerent Deo, nec*
L. 2. *rebaptizarent fideles.* Et rurſum. *Ergo linguas veſtras acuiſtis in gladios, quas moviſtis in mortes, non corporum, ſed honorum. Ingulaſtis non membra, ſed nomina. Quid prodeſt, quia vivunt homines, & occiſi ſunt honores à vobis? Valent quidem membris, ſed ereptæ portant funera dignitatis. Extendiſtis enim manum, & ſuper omne caput mortifera velamina prætendiſtis: Ut cum ſint quatuor genera capitum in Eccleſia Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & fidelium, nec uni parcere voluiſtis. Evertiſtis animas hominum. Hos actus veſtros dolet Deus, in Ezechiele Propheta cum dicit, Væ facientibus velamen, hoc eſt, imponentibus manum ſuper omnem ætatem ad evertendas animas. Inveniſti pueros: De pænitentia ſauciaſtis, ne aliquis ordinari potuiſſent. Agnoſcite vos animas evertiſſe. Inveniſtis fideles antiquos: feciſtis pænitentes. Agnoſcite vos animas evertiſſe. Inveniſtis Diaconos, Presbyteros, Epiſcopos, feciſtis Laicos. Agnoſcite vos animas evertiſſe. Socius & comes veſter jam dudum fuerat, cui nunc manus inferre conati eſtis.* Et hæc facinora ſunt Diabolicus iſte fons, ex quo per omnem omnino Africam enata eſt miſerabilis iſta inopia Clericorum.

Primò itaque fideles rebaptizabant ac Deo maledicebant. Quæ obſcura verba explicanda ſunt ex iis, quæ ſanctus Auguſtinus ſcribit in libris adverſus Creſconium, ſic dicens de Donatiſtis. *Cum aliquem ex noſtris fidelibus veſtri ne-* L. 2. c.
fandis interimendum inſidiis exceptum, cum apud 5.
nos jam baptizatum nec cæpiſſe dicunt eſſe Chriſtianum, cum tamquam Paganum exufflant, cum catechumenum faciunt, ut præparent deinde retingendum, vel potius exſtinguendum. Et in Epiſtola ad cognatum ſuum Severinum. *Itaque innocen-* Epiſt.
tes rebaptizantur, & Chriſtus in innocentibus ex- 170.
ufflatur. Sicut quippe nos in catechumenis noſtris exorcizamus, adjuramus, atque exufflamus Diabolum illis à primo peccato ſubintruſum, cogimuſque eoſdem catechumenos, ut dominanti in ſe Diabolo abrenuncient, maledicantque, atque ipſum cum omni ſua pompa ejurent; ita facinoroſi Donatiſtæ noſtros baptizatos, & quidem ut in libro de unico baptiſmo
teſtatur Auguſtinus, etiam Diaconos, Presby- Cap. 11.
teros ac Epiſcopos faciebant ſuos Catechumenos, atque in ipſo exorcizabant atque exufflabant datam à nobis baptiſmalem aquam tamquam pollutam ac ſcabioſam, eoſque ipſos noſtrus baptizatos cogebant ad ejuſdem aquæ ejurationem ac maledictionem: Quod utique erat maledicere ipſi Deo ac Chriſto, in cujus nomine aqua iſta fuerat data ac ſanctificata. Delirabant per aquam iſtam in baptizatos noſtros introductum eſſe novum malignum ſpiritum, eique per varios exorciſmos, exufflationes ac manus impoſitiones maledicebant: Quod reverà erat maledicere ipſi ſpiritui ſancto per aquam iſtam veraciter introducto. Erat, inquam, ut ſanctus Auguſtinus loquitur, Chriſtum, datumque ab ipſo ſanctum ſpiritum pellere ac exoſ-
flare: Hinc dicit idem ſanctus Optatus: *Quid* L. 2.
iniquius, quam exorcizare ſpiritum ſanctum? Etenim qui hominem legitimè baptizatum denuò catechizat ac exorcizat, exorcizat revera ſpiritum ſanctum in ipſo habitantem. Teſte namque Auguſtino in libris de baptiſmo, in om-
ni baptizato habitat ſpiritus ſanctus, licet *non* L. 5. c.
uſque ad vitæ ſanctificationem, tamen *uſque ad* 24.
Sacramenti perceptionem.

Secundò, innocentes quoſque pueros de pænitentia ſauciabant, ne aliqui ordinari potuiſſent. Quæ verba explicari debent per hunc ca-
nonem quarti Concilii Carthaginenſis. *Ex pæ-* Cap. 68.
nitentibus, quamuis ſit bonus, Clericus non ordinetur. Si per ignorantiam Epiſcopi factum fuerit, deponatur à Clero, quia ſe ordinationis tempore non prodidit fuiſſe pænitentem. Si autem ſciens Epiſcopus talem ordinaverit, etiam ipſe ab

Epiſcopatus ſui ordinandi duntaxat poteſtate privetur. Eaque diſciplina fuit iſtis temporibus per omnem ſub cælo Eccleſiam rigidiſſimè obſervata, adeò ut pœnitens ne quidem ex Eccleſiæ neceſſitate adſpirare poſſet ad plenum Lectoratum. Patet hoc ex prima Toletana Syno-
Cap. 2. do. *Placuit, ut de pœnitente non admittatur ad Clerum, niſi tantùm ſi neceſſitas aut uſus exegerit, inter Lectores: Ità ùt Evangelium & Apoſtolus non legat.* Etenim & in Hiſpaniarum ſanctiſſimis Eccleſiis ſolebat Evangelium ſolemniter cantari per Lectores. Eaque diſciplina erat longè optima. Indignum enim eſt; ut homo nuper in cinere & ſacco ſub omnium pedibus ac manibus ante Eccleſiæ, quam ingredi non poterat limina adgeniculatus ac volutatus, poſtmodum ſupra alios ſplendeat ad Altare. Ex his itaque patet, quo ſenſu ſanctus Optatus dicat facinoroſis Donatiſtis: *Quoſque pueros de pœnitentia ſauciabant, ne aliqui ordinari potuiſſent.* Sauciabant, id eſt, faciebant irregulares. Faciebant id eo diabolico fine, de quo ſic dicit Doctiſſimus Eccleſiæ Aurelianenſis Epiſcopus Gabriel
Cap. 1. Albaſpineus: *Ut ita cogerentur Orthodoxi peregrinos quærere & petere, & alibi natos, quorum vita illis conſtare non poſſet, quod antiquitùs vetitum legimus.* Legimus id in concilio Eliberino.
Cap. 24. *Omnes, qui peregrè fuerint baptizati, eò quod eorum vita minimè ſit cognita ad Clerum non eſſe promovendos in alienis provinciis.* Eumque canonem ampliavit atque ad totam Eccleſiam extendit Papa Siricius in Epiſtola ad univerſos
Epiſt. 3. c. 12. Orthodoxos. Volebant ergo Donatiſtæ, aſtu veraciter diabolico, omnem Africanæ Eccleſiæ catholicum Clerum radicitùs exſtinguere, atque ita ſoli in vaſto iſto populo dominari.

Hinc manus ſuas imponebant, non ſolis pueris, ſed omni omnino capiti. Hoc namque eſt tertium eorum facinus, de quo ſic ſanctus Optatus. *Extendiſtis manum, & ſuper omne caput mortifera velamina prætendiſtis: ut cum ſint quatuor genera capitum in Eccleſia Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & fidelium, nec uni parcere voluiſtis.* Hoc, inquam, eſt iſtud crimen, de quo Romæ à ſancto Papa Melchiade, eique aſſidentibus Epiſcopis damnatus eſt Donatus à Caſis Nigris, verus hujus Schiſmatis Goliath, auſus Carthagine primus erigere altare contra altare. *In Donatum* quippe, teſte eodem ſancto Optato, *ſunt hæ ſententiæ latæ. Quod confeſſus ſit ſe rebaptizaſſe, & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe, quod ab Eccleſia alienum eſt.* Verum quid eſt *Epiſcopis manum imponere*, quodnam eſt iſtud crimen? Hoc opus, hic labor eſt. Sancti Optati interpres Franciſcus Balduinus, aliique non pauci putant crimen iſtud fuiſſe crimen reordinationis. Aſt longiſſimè ſunt à verò. Non nego à Donatiſtis fuiſſe reordinatum. Eos namque reordinaſſe, palam teſtatur Auguſtinus libro tertio contra litteras Petiliani. Breviter itaque dico, illic agi de iſta manus impoſitione, de qua ſic ſtatuit quarta
Cap. 20. Synodus Carthaginenſis. *Omni tempore jejunii manus pœnitentibus à Sacerdotibus imponatur.*
Cap. 8. Et quinta Synodus. *Item confirmatum eſt, ut ſi quando Presbyteri aut Diaconi in aliqua graviori pœna convicti fuerint, qua eos neceſſe fuerit à miniſterio removeri, non eis manus tamquam pœnitentibus vel tamquam fidelibus laicis imponatur.* Agit, inquam, illic ſanctus Optatus de manu in pœnitentiam impoſita: De iſta pœnitentiali ceremonia, plena humilitatis, confuſionis, ac dejectionis. Antiqui namque canones in grave crimen delapſos Epiſcopos, Presbyteros, ac Diaconos, deijciebant, non extra Eccleſiam in ordinem pœnitentium, ſed ſolummodò in laicam communionem. Canones Apoſtolorum, necnon in ſuis ad ſanctum Amphilochium Iconienſem Epiſcopum ſcriptis canonibus ſanctus Baſilius magnus dant aſſiduè hanc rationem: *Quia non vindicat Dominus bis in idipſum.* Hoc eſt, Pia Mater Eccleſia Patrem Cæleſtem imitata idem peccatum non vindicat duabus pœnis, excommunicatione ac depoſitione. Laica namque communio non erat communio Euchariſtiæ ſub ſola panis ſpecie, ut putant Cardinalis Hoſius in ſua Confeſſione Concilii Petricovienſis, ac Joannes de Raguſio Sacri Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis, ac poſtmodum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, in diſputatione iſta, quam coram concilio Baſileenſi habuit cum Joanne de Rockyzana Patriarcha Huſſitarum. Neque erat communio Euchariſtiæ extra cancellos, ut putant Cardinalis Baronius, Jacobus Pamelius, ac Severinus Binius. Erat perpetua ac irreparabilis clerici depoſitio atque de gradu ac dignitate clericali dejectio in ordinem ac ſortem laicorum. Dicebatur communio laica, quia taliter dejecti in catholica ſanctorum communione non amplius ut Clerici, ſed ut meri laici converſabantur ac tractabantur. Erat pœna ſanè graviſſima. Hinc Eccleſia eam ſolam gravibus clericorum peccatis, pro quibus laici extra catholicam communionem abiiciebantur, judicabat e ſe plenè ſufficientem. Fateor tamen clericos ob quædam enormia peccata fuiſſe olim non ſolum depoſitos, ſed etiam excommunicatos, id eſt, omni omnino, etiam laica, communione privatos. Nihilominus nec tunc redigebantur in ordinem pœnitentium, neque Sacerdotum manibus ſubiiciebantur. Quin immò manibus iſtis non ſubiiciebantur, quantumvis jam in laicorum communionem ac ordinem dejecti novum crimen admitterent manibus illis dignum. Parcebatur enim, non ipſis, ſed magno Sacræ Ordinationis Sacramento, quod jam degradati ac depoſiti adhuc retinebant in majorem ſuam damnationem. Ea manuum impoſitio non erat quidem ſumma pœnitentium humiliatio, ac dejectio; fiebat enim in tertio ſubſtrationis gradu, ideoque primus & ſecundus pœnitentiæ gradus, nempe fletus & audientia, continebant humilitates longè dejectiores. Nihilominus erat tanta, ut ipſa ſola irregularem faceret, deiiceretque à Clero. Probo id ex hoc Canone Concilii Gerundenſis. *Is, qui ægritudinis languore depreſſus pœnitentiæ benedictionem per communionem acceperit, & poſtmodum convaleſcens caput pœnitentiæ in Eccleſia publicè non ſubdiderit, ſi prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad Clerum.* Tanti æſtimabatur antiquitùs humilitas ac dejectio nata ex iſta manuum impoſitione.

Digitized by Google

tione. Quantumvis per publicam pænitentiam ſuiſset meritus, eique per Sacerdotem fuiſſet addictus, dummodò ejus manibus reipſa publicè non fuiſſet ſubjectus, poterat admitti ad clerum. Et hoc eſt facinus Donati à Caſis Nigris, omniumque Donatiſtarum. Omnibus à Cæciliano ad ſe declinantibus Epiſcopis, Preſbyteris, ac Diaconibus manus pænitentiales imponebant, atque ita non ſolum ipſis perſonis, ſed etiam ipſi ſanctiſſimo Jeſu Chriſti Sacramento graviſſimam irrogabant injuriam, quod fuit peccatum abominabile, digniſſimumque damnatione. Non ſufficiebat illis ipſas inhonorare perſonas, eaſvè dumtaxat redigere in communionem laicam: Volebant inſuper ipſum Chriſtum in ſuis Clericis pluſquam judaicè injuriari.

Et ex his patet intellectus obſcuriſſimorum verborum, quæ ſupra adduximus ex ſancto Optato. *Ergo linguas veſtras acuiſtis in gladios, quos moviſtis in mortes, non corporum, ſed honorum. Jugulaſtis non membra, ſed nomina. Quid prodeſt, quia vivunt homines, & occiſi ſunt honores à vobis? Valent quidem membris, ſed ereptæ partunt funera dignitatis. Extendiſtis enim manus ſuper omne caput.* Arguunt verba hæc Donatiſtas, quod omnes à ſe per Synodalem Carthaginenſis adversùs Cæcilianum conciliabuli Epiſtolam circumſcriptos atque à Cæciliano ad ipſorum ſchiſma declinantes Clericos contra omne jus redegerint in laicam communionem. Laica quippe communio, utpote hominis de clericali dignitate in infimum laicorum ordinem irrevocabilis dejectio eſt vera mors, non ipſius hominis, ſed clericalis honoris: Jugulat, non membra, ſed nomina, utique nomina Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Clerici: Per eam vivis hominibus occiduntur eorum honores: Per eam vivi iſti homines fiunt vera funera ac cadavera ereptæ dignitatis. Patet item intellectus horum verborum. *Inveniſtis Diaconos, Presbyteros, Epiſcopos; Feciſtis laicos. Socius & comes veſter,* utique in Clericatu, *jam dudum fuerat, cui nunc manus inferre cauti eſtis.* Item horum. *Veſtris conſiliis ſagittati ſunt innocentes, exarmati fideles, honore nominis ſui ſpoliati ſunt Sacerdotes. O impietas inaudita, quem jugulaveris inter pænitentiam & tormenta ſervare. In comparatione operis veſtri latronum levior videtur immanitas. Vos vivum facitis homicidium: Latro jugulans dat de morte compendium. Paupertate ſenſus ſui circumventi ſunt, quos decipere potuiſtis. Perfecti enim fuerunt illi, opere ſcilicet Dei, qui in ejus nomine fuerant ordinati. Et vos contra opus Dei hoſtiliter militatis, divinum opus malitiæ vectibus deſtruentes.* Arguit hiſce verbis aſſiduè Donatiſtas, quod innocentes atque ab ipſis paupertate ſenſus ſui circomſcriptos Epiſcopos, alioſque clericos degradarint, dejecerintque inter laicos: Hoc namque eſt vivum homicidum, eſt ex clerico facere laicum, eſt malitiæ vectibus deſtrue-

Cap. 12. re opus ſeu Sacramentum divinum.

Hæc autem verba, *Docete, ubi vobis mandatum eſt, radere capita Sacerdotum,* exponit nobis

Cap. 12. hic Canon tertii Concilii Toletani. *Quicumque pænitentiam poſtulat, id ante omnia Epiſcopus ſervet, ut ſi vir eſt, prius eum tondeat, ac in cinere & cilicio habitum mutare faciat.* Hanc ergo etiam injuriam Diaconis, Presbyteris, atque Epiſcopis, contra omnem Eccleſiæ diſciplinam, irrogabant Donatiſtæ. Hæc verba, *Ut genua figerent imperavit,* exponit hic canon quarti Conci- Cap. 82.

lii Carthaginenſis. *Pænitentes etiam diebus remiſſionis genua flectant.* Lapſus ac in laicam communionem abjectus clericus non poterat, ob reverentiam ſui Sacramenti, inter pœnitentes genua figere: Eam tamen Sacramento injuriam etiam intulerunt Donatiſtæ. Verùm quid eſt, Lib. 1.

Omnibus capitibus imponendo manum, everſionis Lib. 2.

velamenta obtendere, ſeu *velamina mortifera prætendere?* Reſpondet doctiſſimus Epiſcopus Gabriel Albaſpineus. *Impoſitio manuum pænitentiæ eſt quædam veluti obumbratio: Cum enim Epiſcopi manum in pænitentes porrigerent, eos veluti obumbrabant. Quapropter Optatus illam manus impoſitionem vocat velamen.* Verùm non placet ſolutio. Veram ſolutionem accipere oportet ex primo concilio Toletano, quod ſic dicit de Pœnitente. *Publicam pænitentiam gerens ſub cilicio.* Cap. 2.

Et ex Concilio Agathenſi. *Pænitentes tempore,* Cap. 11.

quo pænitentiam petunt, impoſitionem manuum & cilicium ſuper caput à Sacerdote, ſicut ubique conſtitutum eſt, conſequantur. Hoc cilicium, quod raſis Epiſcoporum capitibus imponebant probani Donatiſtæ, vocat Optatus mortiferum velamen everſionis. Per ipſum enim Epiſcopatus in homine vivo occidebatur ac penitùs evertebatur.

Sacris itaque Ordinibus, magnis utique Domini ac Dei noſtri Sacramentis, facinoroſi Donatiſtæ quadruplicem irrogabant injuriam. Quod ordinatis manum imponerent: Quod eos flectere coram ſtante populo juberent: Quod eis caput raderent: Quod capiti raſo cilicium imponerent. Neque tamen aſſentiri poſſum doctiſſimo Epiſcopo Gabrieli Albaſpineo, qui putat Diaconos, Presbyteros, ac Epiſcopos à Donatiſtis fuiſſe compulſos ad plenam ac integram pœnitentiam, ad omnes quatuor pœnitentiæ gradus. Sanè tantarum injuriarum nuſquam meminit ſanctus Optatus: Eas utique, ſi irrogatæ fuiſſent, nequaquam ſilentio involuturus. Quomodo enim is, qui adeo exactè omnes tertii gradus injurias enumerat, omiſſurus fuiſſet injurias gradus ſecundi & primi, longè utique graviores? Si, inquam, Donatiſtæ Epiſcopum, Presbyterum, aut Diaconum projeciſſent in partem catechumenorum inter audientes, aut extra Eccleſiæ tectum ad populi genua inter flentes, haud dubiè Optatus ea Parmeniano defricuiſſet in frontem ac barbam. Et hoc ſenſu accipio hæc Optati verba. *O impietas inaudita! quem jugulaveris, in-* Lib. 4.

ter pænitentiam & tormenta ſervare. Hoc eſt, eum Diaconum, Presbyterum, aut Epiſcopum, quem degradatione ac in laicam communionem abjectione occideris, nunquam de ſpeciali gratia recipere in tertium pœnitentiæ gradum, diſpenſareque in primo ac ſecundo, atque eam diſpenſationem quaſi donatam vitam deprædicare. Eæ namque erant ſtrophæ iſtorum Nebulonum. Et ſanè longè aliud eſt, quempiam recipere in communionem Eccleſiæ per ſolam manuum ſupra raſum ac cilicio velatum caput impoſitionem, aliud per plenam pœnitentiam. Diſtinguit ea

ſanctus Auguſtinus ſic ſcribens adverſus Perilianum in libro de unico baptiſmo. Cap. 2 *Nec illud ſine diſtinctione præterimus, ut humiliorem agant pœnitentiam, qui jam fideles Eccleſiam catholicam deſerue runt, quam qui in illa nondum fuerunt.* Quia nempe hi, ut ſæpè alibi dicit, per ſolam manuum impoſitionem recipiebantur. Earum receptionum præciſam differentiam haurire oportet ex ſancto Innocentio Papa primo. Tradit eam in Epiſtola ad ſanctum Victricium Epiſcopum Rothomagenſem. Ep. 2. c. 8. *Ut venientes à Novatianis vel Montenſibus per manus tantùm impoſitionem ſuſcipiantur, quia quamvis ab hæreticis, tamen in Chriſti nomine ſunt baptizati: Præter eos, ſi qui fortè à nobis ad illos tranſeuntes rebaptizati ſunt. Hi ſi reſipiſcentes, & ruinam ſuam cogitantes, redire voluerint, ſub longa pœnitentiæ ſatisfactione admittendi ſunt.* Et in Epiſtola ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum. Epiſt. 18. c. 3. *Arianos, cæteraſque hujuſmodi peſtes, quia eorum laicos converſos ad Dominum ſub imagine pœnitentiæ ac ſancti ſpiritus ſanctificatione per manus impoſitionem ſuſcipimus.* Ep. 22. cap. 4. Et in Epiſtola ad Epiſcopos Macedoniæ. *Noſtræ lex eſt Eccleſiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati ſint, per manus impoſitionem laicam tantùm tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum ſubrogare.* Ecce, impoſitio manum non erat vera ac plena pœnitentia, ſed quædam ſolummodò pœnitentiæ imago. Res nota eſt omni ei, qui antiquam ſolemnis pœnitentiæ formam, omneſque ejus quatuor gradus novit. Ea interim umbra ac imago impendi non poterat clericis, neque quis eam paſſus poterat vel ad exiguum Cap. 2. cleri gradum ſubrogari. Unde prima Toletana Synodus, dum ob Eccleſiæ neceſſitates permiſit ex pœnitentibus ordinari Lectores, receſſit ab avito Eccleſiæ rigore. Hac de cauſſa facinoroſi Donatiſtæ omnibus noſtris Epiſcopis, Presbyteris, ac Diaconis, quos in laicam communionem abjecerant, etiam manus impoſuere, eamque abjectionem, licet natura ſua irreparabilem, eo ſigillo voluere obſeratam. Laica namque communio, licet dum juſta eſt, ſit penitus irrevocabilis, injuſta tamen omnino poteſt caſſari aut caſſa declarari; at verò manuum impoſitio ſive juſtè ſive injuſtè facta faciebat irregularem, adimebatque omnem omnino ſpem ad Clerum adeundi aut redeundi. Hoc ſcientes Nebulones iſti, ut iſtos Clericos, quorum depoſitionem ſeu laicam communionem norant eſſe injuſtiſſimam ac notoriè nullam, perpetuò à clero ſine ulla reditus ſpe eiicerent, eorum capitibus manus impoſuere. Hujus nequitiæ finem ac ſcopum audi à ſancto Optato. Lib. 2. *Ut dum Presbyter aut Epiſcopus dejicitur, ſic Plebs caperetur.* Hoc eſt, ut Rectore depoſito ac in iſta depoſitione immobiliter firmato, ſecuri totam Plebem invaderent, eique de ſuis Epiſcopos ac Rectores darent. Neque eis ſufficiebat ita trucidaſſe Rectores. Inſuper omnem populum, etiam innocentes pueros, redegerunt in publicam ac plenam pœnitentiam, idque ideò, *ne aliqui ordinari potuiſſent.* Volebant enim omnem orthodoxum hominem à Clero rejectum, atque ita ſoli in Afris populis dominari. Neque nequitia caruit eventu: Ex ea enim per omnem Africam ſurrexit jam ſæpiùs dicta inopia Clericorum. Eam ſublevare voluit ſanctus Aurelius, mox ut adſcendit Cathedram Carthaginenſem. Hioc mox à Papa Siricio ac ſancto Simpliciano Eccleſiæ Mediolanenſis Epiſcopo: Habebat namque Simplicianus à Siricio ac Apoſtolica ejus Sede Vicariam Præfecturam ſupra omnes Eccleſias Hiſpanicas ac Africanas. Ab hiſce, inquam, duobus Epiſcopis Aurelius petivit duo. Primò, ut in Clerum adſciſci poſſent pueri ex Donatiſtis nati atque ab ipſis baptizati, qui jam adulti converſi eſſent ad matrem Catholicam, neque unquam ab ea delapſi. Secundò, ut Donatiſtæ Epiſcopi atque alii Clerici, qui ad matrem Catholicam redire vellent, ſuſciperentur in ſuis honoribus. Videturque utrique petitioni tunc fuiſſe reſponſum negativè. Patet id ex alia legatione, quam ad Anaſtaſium ac Venereum Siricii ac Simpliciani proximos ſucceſſores deſtinavit Aurelius, idque cum iiſdem petitionibus, additaque tertia, qua quoſdam ex Italia Clericos petebat Africæ ſubminiſtrari. Hanc namque ſecundam legationem adornans atque de Africæ inopia loquens Aurelius ſic dicit de Eccleſia Romana ac Mediolanenſi. *Ex his enim ſedibus hoc fuerat prohibitum:* Nempe Eccleſiæ noſtræ ruinas reſtaurare per duo media jam dicta. Proinde certum videtur, quod Siricius ac Simplicianus ad Aurelii poſtulata reſponderint negativè. Affirmativè autem reſponderunt Anaſtaſius ac Venereus, uti per fidos teſtes probare poſſumus, quoſdamque etiam Italos Clericos in Africam tranſmiſere. Attamen cum nec iſtud conſilium ſuccederet ex voto, convertit Aurelius utrumque oculum ad Auguſtini Monachos, atque ab illis diu quæſitum ſolatium eſt pleniſſimè conſecutus.

At inquies, poſtquam Donatiſtæ iſta ſua nequitia totam fermè Africam reddiderant irregularem, unde ipſi potuere pro ſuis populis nanciſci Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, alioſque Clericos? Reſpondeo de iſto Diabolico Donatiſtarum facinore non eſſe dubitandum. Hinc Ep. 76. namque ſanctus etiam Auguſtinus ad ſanctum Aurelium ſcribit varios in ſuis monachis eſſe irregulares. Porrò Donatiſtæ invenere atque ſibi ordinavere clericos, quomodò omnes paſſim Hæretici, de quibus ita Tertullianus in libro Præſcriptionum. Fol. 39. *Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconſtantes. Nunc Neophytos collocant, nunc ſæculo obſtrictos, nunc Apoſtatas noſtros, ut gloria eos obligent, quia veritate non poſſunt. Nuſquam facilius proficitur, quam in caſtris rebellium, ubi ipſum eſſe illic, promereri eſt. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius: Hodie Diaconus, qui cras Lector: Hodie Presbyter, qui cras Laicus. Nam & Laicis Sacerdotalia munera injungunt.* Donatiſtarum quippe Ordinationes fuiſſe ejuſmodi, pluries teſtatur ſanctus Auguſtinus.

CAPUT X.

Enumerantur aliquot ſancti Auguſtini per Africam monaſteria Eremitica.

PRimum omnium fuit monaſterium Hipponenſe in Horto, quem dedit Epiſcopus Valerius. Huc ex Tagaſtenſi omnibus necdum muris conſtante Eremo, evocavit Auſtuſtinus Alipium: Ita quippe patet ex ejus Epiſtola ad
Epiſt. 64. ſanctum Aurelium. *Quod fratrem Alipium in noſtra conjunctione manſiſſe, ut exemplo ſit fratribus curas mundi hujus vitare cupientibus, benevolentiſſimè accepiſti, ago gratias, quas nullis verbis explicare poſſum.* Nequaquam tamen potuit longo ibi habitaſſe tempore. Hinc enim Hieroſolymam profectus eſt, ac familiariter ibi uſus ſancto Hieronymo, nec non Joanne Hieroſolymorum Epiſcopo, moxque ad Afros redux creatus eſt, ante Auguſtinum, Epiſcopus Tagaſtenſis. Quod enim ante Auguſtinum ad Epiſcopalem ſarcinam evectus ſit, palam fit ex variis Conciliorum ac Epiſtolarum ſubſcriptionibus, ubi ſemper ſubſcripſit Alipius ante Auguſtinum. Et utinam quidem Joanni Epiſcopo non fuiſſet familiaris: Eas inter Auguſtinum ac Hieronymum non legeremus mordaces Epiſtolas, quas haud dubiè debemus iſtius Joannis apud Alipium ſuſurris in cauſſa Origenis, Epiphanii ac Ruffini.

Ep. 64. Secunda Eremus fuit propè Carthaginem in agro, quem fratribus dedit Aurelius, idque ſtatim poſtquam inaudiit de novo ædificio in horto Hipponenſi. At dices, Quibus fratribus? Licet quippe ex Italia redux Auguſtinus aliquamdiu Carthagine hæſerit in domo Illuſtris viri Innocentii Exadvocati, nullos tamen ibi reliquit fratres, quos potuit Aurelius in unum colligere pro inchoando atque implendo toto conventu. Reſpondeo agrum donatum fratribus partim de novo admiſſis, partim Tagaſta evocatis, quomodo conſuevit in novi monaſterii erectione. Et notanda ſunt iſta præfata Auguſtini ad Aurelium verba: *Quod fratrem Alipium in noſtra conjunctione manſiſſe, benevolentiſſimè accepiſti, gratias ago*: Innuunt, quod Aurelius putarat Alipium ad novi monaſterii ſui præfecturam ex agro Tagaſtenſi evocandum, ſed audiens eum apud Auguſtinum Hippone adeſſe, alium evocarit, nolens eſſe diviſor tam arctè cohærentium amicorum. Hoc eſt illud monaſterium, in quo excitata fuit turbulenta iſta controverſia de labore manuum, ac tonſura barbæ ac pilorum. Excitata fuit, non per Aurelii aut Auguſtini filios, ſed per neſcio quos vagabundos, domorum penetratores ac alienigenas coriceos potius aut nundinatores, quam monachos, de quibus ita Auguſtinus in libro de opere monachorum
Cap. 28. *Diabolus bonum Chriſti odorem omni modo cupiens obſcurare putoribus ſuis, tam multos Hypocritas uſquequaque ſub habitu monachorum diſperſit, circumeuntes provincias, nuſquam miſſos, nuſquam fixos, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes. Alii membra martyrum, ſi tamen martyrum, venditant; alii fimbrias & philacteria ſua magnificant; alii parentes vel conſanguineos ſuos in illa vel illa regione ſe audiſſe vivere, & ad eos pergere mentiuntur. Et omnes petunt, omnes exigunt, aut ſumptus lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ pretium ſanctitatis, cum interea ubicumque in factis ſuis malis deprehenſi fuerint, vel quoquo modo innotuerint, ſub generali nomine monachorum veſtrum propoſitum blaſphematur.* Et de quibus ſcribit ad
Ecdiciam. *Cum cognoviſſet vir tuus, quod omnia,* Epiſt.
vel penè omnia, quæ habebas, duobus neſcio qui- 199.
bus tranſeuntibus monachis tamquam pauperibus eroganda donaveris, tunc ille deteſtans eos tecum, & non Dei ſervos, ſed domus alienæ penetratores, & ſuos captivatores & deprædatores putans, tam ſanctam ſarcinam, quam tecum ſubierat, indignatus abjecit. Et ſtatim infra. *Si tamen fuerunt ſervi Dei, qui marito abſente atque neſciente, ab ignota muliere & aliena uxore tanta ſumpſerunt.* Adversùm quos circumforaneos tandem ſtatutum
eſt in concilio Andegavenſi. *Monachi, qui cæ-* Cap. 7.
ptam obſervationis viam reliquere, & abſque Epiſtolis, & abſque certis negotiis vel neceſſitatibus per regiones vagantur alienas, congrua diſtrictione, ſi ſe non emendaverint, ab Abbatibus ſuis vel à Sacerdotibus non recipiantur in communionem. Hujuſmodi ergo circulatores etiam hoc tempore Africam obambulabant, eſtque per eos conatus Diabolus novum ac toti Africæ utiliſſimum inſtitutum evertere aut ſaltem turbare.

Tertium monaſterium eſt monaſterium Tagaſtenſe, ædificatum ab Alipio ad iſtius urbis Epiſcopatum evecto. Ædificatum eſt in agro iſto, in quo ex tranſmarinis Auguſtinus redux uſque ad Presbyteratum unà cum ſociis tamquam Eremita ſoli Deo vixit. Neque enim omnes ad ſe Hipponem evocarat. Reſiduis ergo Epiſcopus Alipius mox ædificavit monaſterium: Iſtud monaſterium, ex quo ad Eccleſiam Thianenſem aſſumptus eſt ſanctus Honoratus, de quo poſt multis diſcuſſam ejus cauſſam ſic ad Alipium
ſcribit Auguſtinus. *Poſtremò, quia omnia timeo,* Epiſt.
& memini in digreſſu meo quid propoſueris, quod 239.
me fratres Tagaſtenſes teneant debitorem in dimidio illius pretii, ſi hoc juſtum eſſe liquido perſpicis, ea dumtaxat conditione non abnuo, ut cum habuero reddam: Id eſt, cum aliquid tantum obvenerit monaſterio Hipponenſi, ut hoc ſine anguſtia fieri poſſit, &c. Horum trium monaſteriorum meminit etiam ſanctus Paulinus, ſic ſcribens ad
Alipium. *Benedictos Sanctitatis tuæ comites &* Ep. 35.
æmulatores, in Domino fratres, ſi dignantur, noſtros, tam in Eccleſiis quam in monaſteriis, Carthagine, Tagaſtæ, Hippone Regio, & totis Parochiis tuis, atque omnibus cognitis tibi per Africam locis, Domino catholicè ſervientes, multo affectu & obſequio ſalutari rogamus. Diſtinguit Alipii comites in Eccleſiis, ac æmulatores in monaſteriis, quia nempe Alipius hoc ipſum fecerat Tagaſtæ, quod Auguſtinus Hippone. Duo inſtituerat monaſteria, unum in ſolitudine, aliud in palatio Epiſcopali. Sic factum fuit in plurimis per Africam locis. An ſic in Diœceſi Carthaginienſi fecerit Aurelius, neſcio; ſic tamen fecere decem iſti ex Hipponenſi monaſterio aſſumpti Epiſcopi, de quibus ita ait Poſſidius. *Similiter & ipſi ex illorum ſanctorum propoſito venientes mo-*

naſteria inſtituerunt. Duo ſcilicet, quomodò didicerant à ſuo fundatore. Sic Uzali fecit Evodius, ſic Calamæ Poſſidius, ſic Milevi Severus, ſic Profuturus, ſic Urbanus, ſic Novatus, ſic Servilius, ſic Samſucius, ſic Servatus. Et ab uno forſan eorum fundatum ac erectum eſt monaſterium Adrumetinum, neſcimus enim de quibuſdam, quarum civitatum geſſerint Epiſcopatum. Quod tamen monaſteria inſtituerint, affirmat non ſolùm Poſſidius, ſed etiam Augustinus, ſic ad eos ſcribens. Epiſt. 100. *Domine Beatiſſime, ac venerabili fratri ac conſacerdoti Evodio, & qui ſecum ſunt fratribus, Auguſtinus, & qui mecum ſunt fratres, in Domino ſalutem. Domino Beatiſſimo, & venerabili, & ſynceriſſima charitate amplectendo fratri & conſacerdoti Severo, & qui tecum ſunt fratribus. Auguſtinus & qui mecum ſunt fratres, in Domino ſalutem.* Quinam iſti cum Severo fratres? Illi, de quibus ad populum, dum Presbyterum Eradium ſibi ſucceſſorem ſubſtitueret, ſic dicit Auguſtinus. Epiſt. 110. *Scio poſt obitus Epiſcoporum per ambitioſas aut contentioſos ſolere Eccleſias perturbari, & quod ſæpè expertus ſum & dolui, debeo quantùm ad me attinet, ne contingat huic proſpicere civitati. Sicuti novit charitas veſtra, in Milevitana Eccleſia modò fui: Petierant enim me fratres, & maximè ſervi Dei, qui ibi ſunt, ut venirem, quia poſt obitum beatæ memoriæ fratris & Coepiſcopi mei Severi nonnulla ibi perturbatio populi timebatur.* Erat ecce, Milevi triplex hominum genus: Populus, fratres, & ſervi Dei, hoc eſt, clerici & monachi ſeu Eremitæ. Et tales Epigraphes ſcribit Auguſtinus ad omnes iſtos Epiſcopos jam enumeratos.

De monaſterio tamen Adrumetino non penitùs mihi conſto. Forſitan fundatum atque erectum eſt à S. Evodio, de quo ad Auguſtinum Epiſt. 256. ita ſcribit Pater Valentinus. *Propoſui ad auferendas impias quæſtiones, ut ad Dominum ſanctam Patrem Evodium mitteremus, ut ipſe nobis de hoc ſacroſancto libro propter ignaros aliquid reſcripſiſſet.* Cur omiſſo Epiſcopo Adrumetino, fuit enim Adrumeti Epiſcopalis cathedra, nititur ad Epiſcopum Uzalenſem? Quia credibile eſt hunc eorum fuiſſe Patrem ac Fundatorem. Interim prætermiſſa hac controverſia, habuit omnino Evodius Uzali aut propè Uzalim monaſterium Eremitarum, de quo ita ipſe ad Auguſtinum, agens Epiſt. 258. de defuncto amico ſuo adoleſcente. *At ubi ille viſus eſt, adjungitur adhuc, quod poſt exitum pueri Pater ipſius Presbyter cum Sene Theaſio in monaſterio eſſe cœperant conſolandi ſe gratia.* Ecce ſolebant ſe homines triſtes in monaſteriis, utique ab omni populi turba quietis, recolligere ac conſolari. Faciebant id, non ſoli presbyteri, ſed etiam à turbis Epiſcopalibus laſſati Epiſcopi, idque in tantam conſuetudinem abierat, ut adversùs eam emanaſſe credatur hic primus canon quinti Concilii Carthaginenſis. *Placuit, ut nemini ſit facultas, relicta principali cathedra, ad aliquam Eccleſiam in Diœceſi conſtitutam ſe conferre, vel in re propria diutiùs, quam oportet conſtitutum, curam vel frequentationem propriæ cathedræ negligere.*

Decimumtertium Auguſtini monaſterium fuit Eremus ac ſolitudo inſulæ Capratiæ, de qua bellum Gildonianum tractans Presbyter Oroſius ſic dicit. L. 7. c. 36. *Ad Gildonem jam ut hoſtem bello inſequendum Mazcezil Frater miſſus eſt, quem idoneum procurandæ Reip. fore, propriæ orbitatis dolor pollicebatur. Igitur Mazcezil jam inde à Theodoſio ſciens, quantum in rebus deſperatiſſimis oratio hominis per fidem Chriſti à clementia Dei impetraret, Caprariam inſulam adiit, unde ſecum ſanctos ſervos Dei aliquos permotos precibus ſuis ſumpſit. Cum his, orationibus, jejuniis, Pſalmis dies & noctes continuans, ſine bello victoriam meruit ac ſine cæde vindictam.* Ecce hi fratres Eremitæ quam ſancti, quam apud Deum potentes, quantæ apud Romanos Duces exiſtimationis! Ex eorum porrò Mazcezil comitantium numero fuerunt duo iſti, de quibus ad eorum Abbatem Eudoxium ſic ſcribit ſupremus Abbas Auguſtinus. Epiſt. 81. *Nam & ante jam fama, & nunc fratres, qui venerunt à vobis, Euſtatius & Andreas bonum Chriſti odorem de veſtra ſancta converſatione ad nos attulerunt. Quorum Euſtatius in eam requiem præceſſit, quæ nullis fluctibus ſicut inſula tunditur, nec Caprariam deſiderat, quia nec cilitio jam quærit indui.* En, hi duo in Africæ continentem delati mox acceſſere Patrem ſuum, eum de ſui monaſterii ſtatu informaturi, totaque iſta Epiſtola palam indicat Eremitas iſtos fuiſſe de Patris iſtius inſtitutione.

Decimumquartum monaſterium fuit ſanctiſſima Eremus in inſula Vivecenſi, de qua ſic dicit incognitus iſte Auctor in vita S. Fulgentii. Cap. 24. *Eſt in medio vadoſi maris ſinu monaſterium Vivecenſi litori proximum, Vennenſi autem maxima ex parte contiguum. Ubi neque hortos colere parviſſimi ſcopuli limes ſinit anguſtus, neque ligni vel potabilis aquæ conſolatio ſaltem miniſtratur exigua, ſed rei utriuſque per breviſſimas naviculas quotidie ſufficientia præparatur. In hoc monaſterio rigidi propoſiti diſciplina antiqua ſervatur, ab infantia ſua plurimis uſque ad decrepitum ſenectutem ſanctiſſimè ibi viventibus, ſanctæq. profeſſioni congrua opera laudabiliter exercentibus. Ubi tunc duo Presbyteri peculiares, & merito mirabiles, & immaculatæ ſenectutis honore Venerabiles, Abbatis officio fungebantur, nunquam de cœnobio recedentes, ſed Eccleſiaſticæ dignitati multos viros idoneos nutrientes.* Hic S. Fulgentius *manibus etiam ſuis delectabiliter operabatur. Nam & ſcriptoris arte laudabiliter utebatur, & palmarum foliis flabellos ſæpiſſimè contexebat: Cui operi, etiam cum fuiſſet Abbas, in ſuo monaſterio vacabat.* Hic ex antiquo ſervatur rigida diſciplina: Quæ verba convincunt exſtitiſſe iſtud monaſterium jam à tempore Auguſtini. Et credo tunc ejuſmodi inſulas circa Africæ litus fuiſſe plures: Dicit enim Auguſtinus adverſus Fauſtum de relegatione ſeu deportatione in inſulam. L. 5. c. 8. *Quod ſua ſponte quotidie ſervi Dei faciunt, ſe à turbulento ſtrepitu populorum removere cupientes; & unde publica terrenorum principum vota per indulgentiam ſolent relaxare damnatos.* En, Eremiticam in inſulis vitam dicit eſſe rem obviam ac quotidianam.

Decimumquintum monaſterium fuit monaſterium Cæſarienſe in Mauritania. Hic quippe habitavit magnus Auguſtini amicus Renatus,

qui

qui ei primus patefecit ac miſit nugas Vincentii
Victoris. Hic, inquam, Renatus fuit mona-
chus. Sic enim de illo in libris de animarum
L.4.c.11. origina ſcribit Auguſtinus. *Lege diligenter quod*
ſcripſi ad fratrem noſtrum Dei ſervum Renatum.
L.3.c.3. Et iterum. *Poteris legere mea ſcripta ad fra-*
tres noſtros Renatum Dei ſervum, & Presby-
terum Petrum. Dei ſervum, id eſt, monachum,
phraſi iſto ſæculo uſitata. Nequaquam erat cle-
ricus, ſed laicus. Hinc enim dicit Auguſtinus.
L.1.c.1. *Mittente fratre noſtro Renato, homine quidem*
laico, &c. Ubi adverte, quod Auguſtinus ho-
minem laicum Presbytero præponat: Quia
nempe non erat qualiſcumque laicus, ſed Præ-
poſitus monachorum. Ita inſinuant in iſtis li-
bris multa. Et quidem Auguſtinum ita fuiſſe
præponere ſolitum, patet ex ejus Epiſtola octua-
geſima ſeptima, cujus epigraphe ſic habet: *Di-*
lectiſſimæ & ſanctiſſimæ matri Felicitati, & Fra-
tri Ruſtico, & Sororibus quæ vobiſcum ſunt,
Auguſtinus & qui mecum ſunt in Domino ſalu-
tem. En, hic Presbytero præponit etiam mo-
Ep.109. nialium Præpoſitam: Hic namque Ruſticus
videtur eſſe iſte Presbyter, adversùs quem Au-
guſtini moniales fuerunt adeò acriter tumultua-
tæ. At dicet quis, unde & à quo Cæſarææ mo-
naſterium? Reſpondeo ab ipſo Auguſtino, ita
ſcribente de ſemetipſo ad ſanctum Optatum Epi-
Ep.157. ſcopum. *Literæ, quas ad Mauritaniam Cæſa-*
rienſem miſiſti, me apud Cæſaræam præſente vene-
runt, quò nos injuncta nobis à Venerabili Papa Zozy-
mo Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo Eccleſiaſtica neceſſitas
traxerat. Dudum ibi hæſit, non tamquam ne-
ſcio quis peregrinus Epiſcopus, ſed tamquam
Apoſtolicæ Sedis Legatus: Adeoque inter ea,
quæ ibi egit varia, etiam potuit plantare ſuum
monachiſmum, eique præficere Renatum.

Decimum ſextum monaſterium eſt Eremus
ſancti Fauſti, de quo dicit auctor incognitus
vitæ ſancti Fulgentii. *Fuit tunc temporis Epi-*
C. 4. *ſcopus quidam laudabiliter prædicandus, nomine*
Fauſtus, qui pro fide catholica non longè à ca-
thedra ſua juſſus fuerat relegari. In eodem pro-
inde loco, ubi relegatus tenebatur, monaſterium
ſibi conſtruxerat, in quo ſpiritaliter vivens,
apud omnes Chriſtianos honorabilis habebatur.

Decimum ſeptimum monaſterium eſt Eremus
ſancti Felicis, de qua ita idem iſte auctor. *Na-*
ſcitur rurſum talis perſecutio fidei, ut ſanctæ
C.8. *memoriæ Fauſtum Epiſcopum cogeret per diver-*
ſas latebras commigrare, nec in ipſo monaſterio
ſineret jugiter requieſcere. Tunc beatus Fulgen-
tius timens aut illo loco ſolus remanere, aut de
loco in locum frequentiùs tranſmigrare, conſulto prius
Epiſcopo Fauſto, vicinum monaſterium petiit, ubi
paucis & ſimplicibus Fratribus Felix nomine Abbas
præerat, amicus ejus ab adoleſcentia, &c.

Decimum octavum eſt monaſterium Tabra-
cenum, cujus in libris de Wandalica apud Afros
perſecutione meminit ſanctus Victor Epiſcopus
Uticenſis: Dicens in eo fuiſſe profeſſos glorio-
L. 1. ſos Chriſti Præcones, laicos tamen, & marty-
res, Martinianum ac Saturianum, nec non
alios duos, quos non nominat, germanos fra-
tres, idque ſuaſu ac ſtudio ſanctæ Maximæ, à
Barbaris captivæ Sanctimonialis.

Decimum nonum eſt monaſterium Biguæ,
intra civitatem Carthaginenſem, contiguum
Baſilicæ Celerinæ. Erectum fuit hoc monaſte-
rium haud dubiè etiam à ſancto Aurelio. Me-
minit illius idem ſanctus Victor, dicens in eo
ſepultos glorioſiſſimos Jeſu Chriſti Martyres, L. 2.
Liberatum Abbatem, Bonifacium Diaconum,
Servum Subdiaconum, Ruſticum Subdiaco-
num, Rogatum Monachum, Septimum Mo-
nachum, & Maximum Monachum, profeſſos
in monaſterio civitatis Capſenſis ſub ſancto Epi-
ſcopo Vindemiali. Videntur hi fuiſſe Regulares
clerici, non Eremitæ: Utpote monaſticam ſeu
vitam communem profeſſi ſub Epiſcopo ac in
monaſterio civitatis, quæ omnia, unum Car-
thaginenſe excipe, fuiſſe videntur monaſteria
clericorum. Hinc inter ipſos erat unus presby-
ter, unus Diaconus, duo Subdiaconi: Quos
huc uſque certum eſt non fuiſſe inter Eremitas.
Dico, *Huc uſque.* Quia eſſe cœperunt hiſce ipſis
temporibus. Hiſce namque turbulentiſſimis tem-
poribus, ſedibus ſuis pulſi Epiſcopi, coacti ſunt
alias quærere, plurimique in Thraciam, Sy-
riam ac Ægyptum migrarunt, pauciſſimi autem
in Italiam, quia ibi Ariani Eruli, quos Afri-
canis ſuis Wandalis in crudelitate pares arbitra-
bantur, habebant dominatum. Hinc quidam
ejuſmodi ex Auguſtinenſibus Eremitis aſſumpti
Epiſcopi aut ſua repetivere monaſteria, aut alia
in locis deſertis ac ſecuris erexere, cœperuntque
ex meliorum temporum ſpe quoſdam ex ſuis
Coeremitis ordinare in clericos, futuros ibi,
poſt diſcuſſam Arianæ ac Wandalicæ perfidiæ
ac perſecutionis nubem, novum ſeminarium fi-
dei orthodoxæ. Neque ſpes eos fefellit. Neque
ego hic ex capite loquor, ſed ex bonis teſtibus.
Quia tamen hæc non ſacri noſtri Ordinis origi-
nem, ſed propaginem tangunt, nolo hic eis in-
hærere. Sacer namque noſter Ordo habet duos
inimicos. Ambo nos putant terræ filios: Pri-
mi, quia Auguſtinus ſolos inſtituerit Clericos,
nullos autem monachos; Secundi, quia inſti-
tuti ab Auguſtino monachi jam pridem interie-
rint, neque nos ab iſta radice deſcendamus.
Hic dumtaxat ago adversùm primos, adversùm
alios acturus ſuo tempore, idque ex fidis atque
irrefragabilibus teſtibus.

Sequuntur nunc monaſteria, quæ inſtituit
ſanctus Fulgentius, magnus hujus monachiſmi
cultor ac propagator. Primum eſt Eremus Sic-
cenſis, de qua ſic dicit iſte auctor. *Cum ſubitò*
barbaricæ multitudinis provincia turbaretur in- C. 9.
curſu, videntes Felix ac Fulgentius ſalutem tem-
poralem fugæ præſidio vendicandam, procul ab-
ſcedunt, ubi nulla belli naſcentis opinio con-
ſtruendi monaſterii præberet integram facultatem.
Promovent igitur caſtra ſpiritualia duces incly ti
cæleſtis exercitus, & per ignotas Africæ regio-
nes, monachorum ſuorum caterva comitante, pa-
riter gradiuntur. In territorio denique Siccenſi dum
cogitant certas ſedes figere, regionis fæcunditate
delectati, virorum etiam fidelium favore ſuſcepti,
&c. Illic ſedes figere non ſolùm cogitarunt, ſed
etiam fixerunt. Secundum fuit Eremus Ididen-
ſis, de qua ita iſte auctor. *Juxta civitatem, quæ* C. 12.
Ididi nuncupatur, fundare monaſterium incipiunt,
ubi

Digitized by Google

ubi parvo tempore Domino ſervientes inſiſtebant
Cap. 14. *operibus charitatis* . Tertium eſt Eremus Sil-
veſtrienſis, de qua ſic auctor iſte. *Offertur à quo-*
dam nomine Sylveſtrio, bene Chriſtiano, & pro-
vinciæ Byzacenæ Primario, locus aptus monaſterio
fabricando, cujus gleba pinguis ac fertilis inſti-
tuendis hortis optabili fœcunditate congrueret, &
quod plus eligendum videbatur, longe à furore
bellico conſtitutus quietiſſimæ pacis ſecuritatem ple-
niſſimam daret, benedictis plurimis per vicinas
poſſeſsiones commanentibus, quorum frequens obla-
tio tranſactionem monachis facillimam promittebat,
ut regnum Dei quærentibus nulla cura ſæcularis
tranſactionis obſtreperet. Libenter itaque B. Ful-
gentius hominis Religioſi devotam ſuſcipiens obla-
tionem, ſine mora in loco ſibi conceſſo monaſterium
fundat, plurimoſque ad converſionem piis monitis
invitando, monachorum multiplicat numerum, &
magnæ congregationis efficitur Pater.

Quartum eſt Eremus Ruſpenſis, de qua ſic
Cap. 19. Auctor iſte. *Fulgentium in nullo loco viſus eſt*
ſine monachis habitare. Propter quod à civibus
Ruſpenſibus hoc primum beneficium ordinatus Epiſ
copus poſtulavit, ut fabricando monaſterio locum
congruum darent. Tunc ex pluribus civibus obedire
feſtinantibus optimo Sacerdoti, quidam nomine
Poſthumianus, Chriſtianiſsimus & inter ſuos no
biliſsimus civis, agellum proprium fideliter obtulit
non longè ab Eccleſia conſtitutum: Ubi pinis con-
ſurgentibus in excelſum, ſpecioſi nemoris virebat
amœnitas. Excepit B Fulgentius libentiſsimè locum,
cujus etiam ligna neceſſaria fabricæ conſpiciebat:
Prætinuſque B. Felicem Abbatem venire velocius
perſuaſit cum maxima penè totius congregationis
multitudine, niſi quod pauciſsimos fratres in illo
monaſterio dereliquit, quibus unum ex fratribus
Vitalem nomine præpoſuit. Tali verò charitatis
lege monaſteria utraque præcipiebat uniri, ut quaſi
non fuiſſent locis diviſa, ſic eſſent unanimitate
conjuncta: Si quos autem novos monachos vel in
iſto vel in illo Monaſterio Chriſtus acquireret, tempus
intèr ſe converſionis ordinemque ſervarent: Et ſi
quando ad ſe videndos, jubentibus dumtaxat Prio-
ribus, venirent, non ut hoſpites, ſed quaſi unius
congregationis homines ſuſciperentur: B verò Ful-
gentii Epiſcopi proviſione communiter gubernati,
Patrem ſpiritualem ſimplici venerarentur affectu:
Sic B. Fulgentio ſingula diſponente, ne ſuſcepta re-
gendorum ſarcina clericorum conſolationem perderet
monachorum. Ecce dun hi conventus ſunt primo
noſtri Sacri Ordinis provincia, ac S. Fulgentius
eſt primus Prior Provincialis. Talem quippe
conventuum, quoniam quiſque ab altero ſepara-
tus ſub ſuo manebat Epiſcopo, communionem
huc uſque non fuiſſe, docet inter Alipium ac
Auguſtinum ventilata lis de patrimonio fratris
Honorati. Utinam bella ac Arianæ hæreſis non
Epiſt. 239. impediviſſent: Tales Provincias à Beato Ful.
gentio Africa habuiſſet plures.

Ultimum tandem monaſterium eſt Eremus
Caralitana apud Sardos, quam ibi exul ædifi-
cavit Fulgentius, de cujus exordio ſic dicit iſte
idem auctor. *Inter ipſa primordia glorioſi exilii,*
Cap. 20. *monaſterium congregare, paucos ſecum monachos du-*
cens, minimè potuit: ſine fraterna tamen congre-
gatione vitam ducere neſciens, Coepiſcopos ſuos,
Illuſtrem ſcilicet & Januarium, habitare ſecum per-
ſuaſit volentes, quibus unico ſerviens charitatis af-
fectu, ſimilitudinem magno cujuſdam monaſterii,
monachis & clericis adunatis, ſapienter effecit. Erat
quippe eis communis menſa, commune cellarium,
communis oratio ſimul & lectio. Nullus ſe ſuper
alterum inſolenter efferebat, nec propriis fratribus
amplius aut peculiariùs conſulebat, niſi quod ma-
gis illi monachi, qui B. Fulgentium ſequebantur,
diſtrictioris abſtinentiæ regulam cuſtodientes, nihil
omnino proprium poſſidebant, nec inter alios cle-
ricos clericorum more vivebant. De iſtius autem
Eremi perfectione ſic dicit. *Noluit planè jam* Cap. 27.
B. *Fulgentius in priori domo multis fratribus co-*
mitantibus diutiùs habitare, ſed juxta Baſilicam
ſancti Martyris Saturnini procul à ſtrepitu civitatis
vacantem reperiens locum, Primaſio Calaritanæ
civitatis Antiſtite venerabili priùs, ſicut decuit,
poſtulato, novum ſumptibus propriis monaſterium
fabricavit: In quo quadraginta & ampliùs fra-
tribus congregatis, diſciplinæ cœnobialis ordinem
ſervavit illæſum. Nota, *Primaſio Antiſtite, ſicut*
decuit, poſtulato. Hæc eſt illa decentia in om-
nium cordibus quaſi naturaliter ſcripta, ob
quam etiam Auguſtinus noluit ullum inchoa-
re monaſterium, niſi poſt acceptam à S. Va-
lerio facultatem.

Hæc ſunt illa monaſteria, de quibus dicit
Cardinalis Baronius. *Sed unde hujuſmodi mona-* A. 504.
ſtica inſtitutio fluxit in Africam? Si rectè memo-
ria tenes, non ab alio, quam ab ipſo S. Augu-
ſtino, qui eandem ex Romana & Mediolanenſi Ec-
cleſia primitus mutuatus, in Africam invexit at-
que latiſſimè propagavit: ut planè intelligas,
quam S. Fulgentius profeſſus eſt monaſticam re-
gulam, ab ipſo S. Auguſtino derivaſſe, diverſique
ordinis ab eo inſtitutas fuiſſe claſſes, aliorum nem-
pe, qui in civitatibus degentes clerici cum eſſent,
unà ſimul degentes, cœnobitica monachorum inſti-
tuta ſervarent, quibuſcum idem factus Epiſcopus
habitavit; aliorum verò, qui procul à civitatibus
degentes, ejus eſſent vitæ, atque veſtitus, cujus
hic vides Fulgentium eſſe cultorem, nempe una in-
duti tunica, eademque pellicea zona conſtricti, quam
nec ſolverent dormituri, ſuper tunicam verò pallio
& caſula ſuperveſtiti. Et quidem hæc ſola mo-
naſteria novimus per ſcripturam. Attamen quin
alia plurima fuerint per omnem Africam, ne-
quaquam eſt dubitandum. Ita enim ad S. Ali- Epiſt.
pium gratulabundus ſcribit S. Paulinus, ac cla- 35.
rè patet ex hiſce Auguſtini verbis adversùs Fau-
ſtum. *Quam multa in noſtra communione veraci-* L. 5. c.
ter faciunt iſta ſublimiora præcepta Evangelica: 90.
Quam multæ fraternæ congregationes nihil haben-
tes proprium, ſed omnia communia, & hæc non
niſi ad victum & tegumentum neceſſaria, &c.

CAPUT XI.

De genere hominum, quod Auguſtinus
ad hæc ſua monaſteria ſolebat
admittere.

ADmittebat Auguſtinus genus hominum
omne, de quo ita ipſe in libro de opere
monachorum. *Nunc autem veniunt plerumque ad* Cap. 22.
hanc

Digitized by Google

hanc profeſſionem ſervitutis Dei , & ex conditione ſervili, vel etiam liberti, vel propter hoc à Dominis liberati ſive liberandi, & ex vita ruſticana , & ex opificum exercitatione & plebeio labore , tanto utique felicius , quanto fortiùs educati: Qui ſi non admittantur, grave peccatum eſt. Attendant hæc, qui non niſi divites ac nobiles ſtatuunt iri admiſſos. *Multi enim ex eo numero verè magni & imitandi extiterunt. Nam propterea & infirma mundi elegit Deus , ut confunderet fortia ; & ſtulta mundi elegit , ut confunderet ſapientes : & ignobilia mundi , & ea , quæ non ſunt , tamquam ſint , ut ea , quæ ſunt , evacuentur , ut non glorietur omnis caro coram Deo . Hæc itaque pia & ſancta cogitatio facit, ut etiam tales admittantur, qui nullum afferant mutatæ in melius vitæ documentum. Neque enim apparet , utrum ex propoſito ſervitutis Dei venerint ; an vitam inopem & laborioſam fugientes , vacui paſci atque veſtiri voluerint , & inſuper honorari ab eis , à quibus contemni conterique conſueverant .* Et rursùs in eodem opere.
Cap 25. *Qui præter iſtam ſanctam ſocietatem vitam labore corporis tranſigebant , ex quorum numero plures ad monaſteria veniunt , quia & in ipſo humano genere plures ſunt , ſi nolunt operari , non manducent .* Et in tractatu ad populum , cum dixiſſet hoc ſæculum eſſe quaſi mare , monaſteria eſſe quaſi portus, clauſos quidem, attamen propter ſubinde irruentes ventos ab omni naufragii ac colliſionis periculo nequaquam ſecuros, ſic pergit:
Pſal. 99. *Quid dicturus eſt mihi , quiſquis talibus locis fortè præeſt , immò ſervit fratribus in his , quæ monaſteria dicuntur ? Quid dicturus eſt ? Cautus ero , nullum malum admittam. Cum paucis bonis mihi bene erit . Ubi cognoſcis , quem fortè vis excludere ? Ut cognoſcatur malus , tatus probandus eſt* . Multa dicit de iſto argumento.

Unde etiam Auguſtini monaſteria non caruerunt confuſionibus , ſcandalis , aliiſque id genus malis . Ex ejus monaſterio prodiit infe-
Ep. 261. lix iſte Fuſſalenſium Epiſcopus Antonius , cujus ſcandaloſa vita pium Patrem ita afflixit, ut de deponendo Epiſcopatu ac effugiendis hominum oculis cogitarit non per tranſennam. Ex ejus monaſterio prodiit Trojanus ille porcus potius quam Epiſcopus Paulus, cui de Epiſcopali ſubſtantia palam Abronem viventi ita ſcri-
Ep. 216. bit ipſe . *Ut quid quæris communionem meam, cum audire nunquam volueris admonitionem meam: An ne quidquid facis , mihi imputent homines, quorum querelas ſuſtinere non poſſum ?* Moniales ejus , dum ex neſcio quo erga ſibi præfectum Presbyterum odio Præpoſitam ſuam turbulentè deportare ac mutare volunt , converſæ ſunt ad
Ep. 109. *contentiones , æmulationes , animoſitates , diſſenſiones , detractiones , ſeditiones , ſuſurrationes.* Ejus forſitan moniales erant etiam illæ, de quibus ſcribit ad Euſebium Epiſcopum Donatiſta-
Ep. 169. rum . *Subdiaconus quondam Spanienſis Eccleſiæ , vocabulo Primus , cum ab acceſſu indiſciplinato Sanctimonialium prohiberetur , atque ordinata & ſana præcepta contemneret , à clericatu remotus eſt , & ipſe irritatus adverſus diſciplinam Dei tranſtulit ſe ad Donatiſtas , & rebaptizatus eſt . Duas etiam Sanctimoniales concolonas ſuas de fundo catholicorum Chriſtianorum ſive idem tranſtulit , ſive illum ſecutæ , etiam ipſæ tamen rebaptizatæ ſunt , &c.* Et quidem in ipſo, cui Auguſtinus præſidebat aut præſens erat , Hipponenſi tam clericorum quam Eremitarum monaſterio contigerunt non inferiora . Ex Eremitarum monaſterio erant fratres iſti, de quibus ſcribit ad ſanctum Aurelium Epiſcopum Carthaginienſem . *Sponte abierunt , ſponte deſeruerunt , nobis , quantum potuimus , pro eorum ſalute renitentibus.* Ep. 77.
Ex eodem monaſterio videtur fuiſſe & iſte Apoſtata , de quo ſcribit ad Proſperum & Hilarium . *Fuit quidam in noſtro monaſterio, qui corripientibus fratribus , cur quædam non facienda faceret , & facienda non faceret , reſpondebat : Qualiſcumque nunc ſim , talis ero , qualem me Deus futurum eſſe præſcivit . Qui profectò & verum dicebat , & hoc vero non proficiebat in bonum , ſed uſque adeò profecit in malum , ut deſerta monaſterii ſocietate fieret canis reverſus ad vomitum , & tamen adhuc qualis ſit futurus , incertum eſt .* L.2.c.15.
In monaſterio autem clericorum in peccato ſuo mortuus eſt Preſbyter Januarius, Nolamque Campanorum ad tremendam ſancti martyris Felicis memoriam proficiſci juſſus eſt Presbyter Bonifacius cum adoleſcente illo fratre , propter quem adversùs eos, Serm 49 de diver. c. 2.
qui , cum *de aliquibus ſanctum nomen profitentibus aliquid criminis vel falſi ſonuerit vel veri patuerit ,* Ep. 139.
inſtant , ſatagunt , ambiunt , ut de omnibus hoc credatur , dicere fuerit compulſus ad plenam plebem pro concione . *Quantumlibet vigilet diſciplina domus meæ , homo ſum & inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo , ut domus mea melior ſit quam arca Noe , ubi tamen inter octo homines reprobus unus inventus eſt : Aut melior ſit quam domus Abrahæ , ubi dictum eſt , Ejice ancillam & filium ejus : Aut melior ſit quam domus Iſaac, ubi de duobus geminis dictum eſt , Jacob dilexi , Eſau autem odio habui : Aut melior ſit quam domus ipſius Jacob , ubi lectum patris ſui filius inceſtavit : Aut melior ſit quam domus ipſius David , cujus filius cum ſorore concubuit ; cujus alter filius contra Patris tam ſanctam manſuetudinem rebellavit : Aut melior quam cohabitatio Pauli Apoſtoli , qui tamen ſi inter omnes bonos habitaret , non diceret , foris pugnæ , intus timores , nec diceret , cum de ſanctitate & fide Timothei loqueretur , Neminem habeo , qui germanè de vobis ſolicitus ſit , omnes enim ſua quærunt , non quæ ſunt Jeſu Chriſti : Aut melior quam cohabitatio ipſius Domini Chriſti , in qua undecim boni perfidum & furem Judam toleraverunt : Aut melior ſit poſtremò quam cælum , unde Angeli ceciderunt . Simpliciter autem fateor Charitati veſtræ coram Domino Deo noſtro , qui teſtis eſt ſuper animam meam , ex quo Deo ſervire cæpi , quomodò difficilè expertus ſum meliores quam qui in monaſteriis profecerunt , ita non ſum expertus peiores , quam qui in monaſteriis ceciderunt , ita ut hinc arbitror in Apocalypſi ſcriptum, Juſtus juſtior fiat , & ſordidus ſordeſcat adhuc . Quapropter etſi contriſtamur de aliquibus purgamentis ; conſolamur tamen etiam de pluribus ornamentis . Nolite ergo propter amurcam , qua oculi veſtri offenduntur , torcularia deteſtari , unde apothecæ Dominicæ fructu olei luminoſioris impleatur .* Quomodò ergo Dominus Salvator noſter in ſuam Eccleſiam , ita Auguſtinus in familiam ſuam intromiſit,

non

non ſolùm nobiles & ignobiles, ſed etiam veros & fictos, à quibus talia ſcandala non potuerunt non exoriri. Ea namque tempora necdum agnoſcebant eas ſine ruga ac macula, ſine carne & ſanguine Religiones, è quibus per aliquot prima ſæcula neminem periturum ſpiritus revelabat.

Attamen Auguſtini monaſteriis Nobiles non deerant. Etenim ut omittam Alipium, Leporium, Fulgentium, erat ibi Illuſtris Romanianus, ad quem ita ipſe. Audito meo monachiſmo, *tam magno es elatus gaudio, tam ſancto hujus vitæ inflammatus ardore, ut te diceres, ſi tu ab illarum importunarum litium vinculis aliquo modo eximereris, omnia ea vincula etiam patrimonii tui mecum participatione rupturum*. Erat ibi Africæ Comes ac totius Romani militis Dux Boniſacius, ad quem ita ſcribit. *Nos novimus, nos teſtes ſumus, quid nobiſcum apud Tubunas de animo & voluntate tua fueris collocutus. Soli tecum eramus, ego & frater Alipius. Nempe omnes actus publicos, quibus occupatus eras, relinquere cupiebas, & te in otium ſanctum conferre, atque in ea vita vivere, in qua ſervi Dei monachi vivunt. Ut autem non faceres, quid te revocavit, niſi quia conſideraſti, oſtendentibus nobis, quantum prodeſſet Chriſti Eccleſiis, quod agebas, ſi ea ſola intentione ageres, ut defenſæ ab infeſtationibus barbarorum, quietam & tranquillam vitam agerent in omni pietate & caſtitate*. Erat ibi conſularis ac nobiliſſimus Melaniæ filius, de quo apud Afros vita functo ſic ſcribit ſanctus Paulinus. *Si in hujus ſæculi vita, matris exemplo, ſaccum togæ, & monaſterium Senatui prætuliſſet. Veruntamen idem vir ex voto ſanctitatis tuæ his operibus locupletatus abſceſſit, ut maternæ humilitatis nobilitatem, ſi veſte non geſſerit, tamen mente prætulerit*. Utique ex ſuaſu & hortatu Auguſtini. Certumque eſt, tales ibi fuiſſe plures. Verùm ad alia: Neque enim carnis nobilitas, ſed carnis mortificatio eſt gloria Religionis.

L. 2. Academ. cap. 1.

Epiſt. 70.

Epiſt. 249.

CAPUT XII.

De præcipuis horum monaſteriorum obſervantiis.

UNa ex capitalibus primi peccati pœnis ac hujus infortunatæ vitæ miſeriis, eſt lapſus animæ ab uno ad multa: Ab illo uno, de quo Dominus ad Martham circa varia turbatam & occupatam dixit, *Porrò unum eſt neceſſarium*. Qui hunc lapſum aſſereret eſſe omnem noſtram plagam, non totus forſan erraret. De eo ſcribit Auguſtinus in libris de ordine ad Zenobium. *Animus ſibi redditus, quæ ſit pulchritudo univerſitatis, intelligit, quæ profecto ab uno cognominata eſt. Idcircoque illam videre non licet animæ, quæ in multa procedit, ſectaturque aviditate pauperiem, quam neſcit ſola ſegregatione multitudinis poſſe vitari. Multitudinem autem non hominum dico, ſed omnium quæ ſenſus attingit. Nec mirere, quod eo egeſtatem patitur magis, quo magis appetit plura complecti. Ut enim in circulo, quantumvis amplo, unum eſt medium, quo cuncta convergunt, quod centrum Geometræ vocant, & quamvis totius ambitus partes innumerabiliter ſecari queant, nihil tamen eſt præter illud unum, quo cætera pariliter dimetiantur, & quod omnibus quaſi quodam æqualitatis jure dominetur: Hinc verò in quamlibet partem ſi egredi volueris, eo amittuntur omnia, quo in plura pergitur. Sic animus à ſeipſo fuſus immenſitate quadam diverberatur, & vera mendicitate conteritur, cum eum natura ſua cogit ubique unum quærere, & multitudo invenire non ſinit*. Et in libro de vera Religione ad Romanianum. *Temporalium ſpecierum multiformitas ab unitate Dei hominem lapſum per carnales ſenſus diverberavit, & mutabili varietate multiplicavit ejus affectum: Ita facta eſt abundantia laborioſa, & ſi dici poteſt, copioſa egeſtas, dum aliud & aliud ſequitur, & nihil cum eo permanet. Sic à tempore frumenti & olei & vini ſui multiplicatus eſt, ut non inveniat idipſum, id eſt, naturam incommutabilem & ſingularem, quam ſecutus non erret, & aſſecutus non doleat*. Et in ſermone ad populum. *Anima ſe reſpexerat, ſibique placuerat, ſuæque poteſtatis amatrix facta fuerat: Receſſit à Deo, & remanſit in ſe: Et à ſe repellitur, & à ſe excluditur, in exteriora prolabitur. Amat mundum, amat temporalia, amat terrena: Quæ ſi ſeipſam amaret neglecto à quo facta eſt, tàm minùs eſſet, jam defecerat amando quòd minùs eſt. Minùs eſt enim ipſa, quam Deus. Ergo amandus erat Deus, & amandus eſt Deus, ita ut, ſi fieri poteſt, nos ipſos obliviſcamur. Quis ergo eſt iſte tranſitus? Oblita eſt anima ſeipſam, ſed amando mundum oblita eſt: Sed non amando artificem mundi, pulſa eſt & à ſe. Pulſa ergo & à ſe quodammodo perdidit ſe, nec facta ſua novit videre, juſtificat iniquitates ſuas, & fertur & ſuperbit in petulantia, in luxuria, in honoribus, in poteſtatibus, in divitiis, in potentia vanitatis*. Duplex ergo eſt animæ lapſus. Primo lapſa eſt à Deo ad ſeipſam, volens eſſe ſui Juris, quomodo Deus, proprioque bono delectari ac beatificari; ſecundo lapſu, qui utique pœna prioris eſt, lapſa eſt à ſemetipſa ad totam multitudinem bonorum exteriorum, beatitudinem ſuam in ſingulis quærens, ac nuſquam inveniens. Cum enim primo lapſu bonum beatificum amiſiſſet, neque in ſeipſa reperiret, ſtatuit illud extra ſe in bonis adiacentibus quærere, quod quia nuſquam invenit, de uno progreſſa ad aliud, ſenſim devolvitur in regionem peregrinam, ibique cum meretricibus conſumpto univerſo patrimonio, id eſt, detrito per meretricias cupiditates toto reſiduo naturæ bono, tandem præ inopia compellitur ad ſiliquas porcorum, id eſt, in extremas fœditates facinorum quorumcumque ac flagitiorum. Hic itaque lapſus non eſt aliud, quam voluntatis ac amoris noſtri, qui in ſolo Deo, vero utique beatifico bono, totus fixus ac quietus erat, diſtractio & diviſio in voluntates ac amores infinitos, eoſque more irati maris, adversùm invicem exæſtuantes, invicemque collidentes. Eleganter hoc deſcribit Auguſtinus ſic dicens ad Evodium. *Num iſta ipſa pœna parva exiſtimanda eſt, quod animæ libido dominatur, exſpoliatamque virtutis opulentia, per diverſa inopem atque indigentem trahit, nunc falſa pro veris approbantem,*

L. 1. c. 2.

Cap. 21.

Homil. 34. c. 3.

L. 1. de Liber. arbit. c. 11.

nunc

nunc etiam defenſitantem, nunc improbantem quæ antea probaviſſet, & nihilominùs in alia falſa irruentem, nunc aſſenſionem ſuſpendentem ſuam, & plerumque perſpicuas ratiocinationes formidantem, nunc deſperantem de tota inventione veritatis, & ſtultitiæ tenebris penitùs inhærentem, nunc conantem in lucem intelligendi, rurſumque fatigatione decidentem: Cum intereà cupiditatum iſtud regnum tyrannicè ſæviat, & variis contrariisque tempeſtatibus totum hominis animum vitamque perturbet: Hinc timore, inde deſiderio; hinc anxietate, inde inani falſaque lætitia; hinc cruciatu rei amiſſæ, quæ diligebatur, inde ardore adipiſcendæ quæ non habebatur; hinc acceptæ injuriæ doloribus, inde facibus vindicandæ; quaquaverſum poteſt coarctare avaritia, diſſipare luxuria, addicere ambitio, inflare ſuperbia, torquere invidia, deſidia ſepelire, pervicacia concitare, afflictare ſubjectio, & quæcumque alia innumerabilia regnum illius libidinis frequentant & exercent. Poſſumuſne tandem nullam iſtam pœnam putare, quam, ut cernis, omnes, qui non inhærent ſapientiæ, neceſſe eſt perpeti? Hic ergo lapſus non eſt aliud, quam aggregatum ex tenebris ignorantiæ & impetu concupiſcentiæ, de quibus, quemadmodum oportet, dicere non eſt hujus loci.

Verum quænam adversùs hanc miſerandam plagam medicina? Tradit eam Auguſtinus ſic di-
L.2. c.1. cens in ſuis confeſſionibus. *Dulceſcas mihi dulcedo non fallax, dulcedo felix & ſecura, & colligens me à diſperſione, in qua fruſtatim diſciſſus ſum, dum ab uno te averſus in multa evanui.* Et in eodem ope-
Lib. 11. cap. 29. re. *Ego in tempora diſſilui, & tumultuoſis varietatibus dilaniantur cogitationes meæ, intima viſcera animæ meæ, donec in te confluam purgatus & liquidus*
Lib. 10. cap. 29. *amore tui.* Et rursùm. *Per continentiam colligimur & redimus in unum, à quo in multa defluximus. Minùs enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Hoc eſt, unica hujus plagæ medicina eſt à multis vanis ac falſis regredi ad unum ſolidum & verum, unum utique Deum, germanum noſtrum beatificum bonum, idque per charitatem ex toto corde, de qua Auguſtinus ad ſan-
Cap. 3. ctos Epiſcopos Eutropium & Paulum. *Tunc erit plena ſanitas, quando plena charitas, plenitudo enim legis charitas. Tunc autem plena charitas, quando videbimus eum, ſicuti eſt. Neque enim erit quod addatur ad dilectionem, cum fides pervenerit ad viſionem.* Sola namque ex toto corde perfecta charitas amorem noſtrum ab omni commutabili bono ad bonum incommutabile pleniſſimè convertit, atque ita eum in plurima deflectum ac diſperſum in unum colligit, adunans & ſanans omnes, quibus fruſtatim conciſus erat, diviſiones. Quapropter Saccus cilicinus, longa jejunia, nudi pedes, à carne & vino abſtinentia, aliæque id genus exterioris hominis uſque ad cutem raſuræ huic ſanitati proſunt, ſi non obſint Dei ac proximi charitati. Pulchrè enim & verè dicit idem ille Doctor
L. 1. de Morib. Eccl. c. 33. de monaſteriis Europæ. *Atque inter hæc nemo urgetur in aſpera, quæ ferre non poteſt, nulli quod recuſat imponitur, nec ideò condemnatur à cæteris, quod eis imitandis ſe fatetur invalidum. Meminerunt enim, quantopere ſcripturis omnibus commendata ſit charitas: Meminerunt omnia munda mundis, & non quod intrat in os veſtrum, vos coinquinat, ſed quod exit. Itaque non rejiciendis generibus ciborum quaſi pollutis, ſed concupiſcentiæ perdomandæ, & dilectioni fratrum retinendæ invigilat omnis induſtria.* Et infra. *Charitas præcipuè cuſtoditur, charitati victus, charitati ſermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur. Coitur in unam conſpiraturque charitatem. Hanc violare tamquam Deum nefas ducitur; huic ſi quis reſiſtit, expugnatur atque ejicitur; hanc ſi quis offendit, uno die durare non ſinitur. Sciunt ita commendatam eſſe à Chriſto & Apoſtolis, ut ſi hæc una abſit, inania; ſi hæc adſit, plena ſint omnia.*

Quæ omnia Auguſtinus altè introſpiciens, ſic exorditur ſuam regulam. *Ante omnia, fratres chariſſimi, diligatur Deus, deinde proximus: Quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data. Hæc igitur ſunt, quæ ut obſervetis præcipimus in monaſterio conſtituti. Primùm propter quod in unum eſtis congregati, ut unanimes habitetis in domo, & ſit vobis anima una & cor unum in Deo. Et non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia. Et diſtribuatur unicuique veſtrum à Præpoſito veſtro victus & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, ſed potiùs unicuique, ſicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apoſtolorum, &c.* Hic eſt cardo, in quo vertitur ac pendet tota regula, totaque monaſtica Auguſtini diſciplina. Obſervatam voluit vitam Apoſtolorum, qui utique tamquam orbis magiſtri quam optimè norant, quomodo natura rationalis à lapſu in multa eſſet revocanda ad unum.

Auguſtinus ergo diſciplinæ ſuæ baſim, columnam ac fundamentum eſſe voluit, non bardocucullum aut ſaccum pannoſum, non nudos pedes, non vitam doliarem, ſed perfectam unitatem ac communitatem, in qua nihil omnino eſſet proprii, frigidi iſtius ac ad multa propellentis verbi. Voluit commune eſſe, non ſolummodò monaſterii cælum ac ſolum, neque ſolummodò commune cænaculum & tectum; ſed etiam communem victum, communem habitum, communem nummum, præciſis omnibus ſtrumis & variis, ex hac perfecta rerum adjacentium unitate ſibi non vanè ſpondens perfectam unitatem animorum in Deo, ac vagantis per multam amoris in unum collectionem. Et Jure meritò: Colligendis namque & coadunandis quibuſcumque amoris noſtri diſperſionibus ac conciſionibus nulla eſt efficacior vis, quam rerum temporalium, à Deo conditore in paradiſo primitus inſtituta, ac à Chriſto Redemptore quaſi poſtliminio in Eccleſiam revocata, ſyncera ac plena communitas, neque monaſteria pati poſſunt cloacam peſtilentiorem, quam proprietatem. Ex hac cloaca alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt; alius pannoſus eſt aut lacer, alius veſte ſplendet, aliaque id genus multa, quæ quomodo animos uniant aut ſeparent, facile eſt conjecturare. Hinc ergo dicit ſanctus Poſſidius. *Factus presbyter monaſterium intra Eccleſiam mox inſti-* Cap. 5.
tuit, & cum Dei ſervis vivere cœpit ſecundùm modum & regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam. Maximè ut nemo quidquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed eſſent eis omnia communia, & diſtribueretur unicuique, ſicut opus erat. Particula iſta *maximè* importat habitudinem ſundamenti. Hinc dicit Auctor iſte incognitus de ſancto Fulgentio.

Dice-

Dicebat frequenter, nec debere nec poſſe monachum judicari, cui voluntas habere privatum peculium perſuaſerit. Ut enim monachus lautioribus forſitan cibis utatur, interdum cogit infirmitas corporis; ut autem cupiat in quamlibet exiguis rebus juris proprii dominium vindicare, ſuperbæ voluntatis & avaræ cupiditatis evidens teſtimonium eſt. Hinc idem ille Fulgentius in ſuo Ruſpenſi Eremitico monaſterio *Diſciplinæ cœnobialis ordinem cuſtodivit illæſum, nemini dans licentiam profeſſionis ſanctæ regulam præterire: Sed principaliter hoc obſervandum monachis tradens, ut nullus eorum quidquam ſibi proprium vendicaret, ſed eſſent omnibus omnia communia.* Hoc erat punctum principale. Hinc denique ad populum ſuum dicit ſanctus Auguſtinus. *Omnes offerte quod vultis, offerte de voluntate veſtra. Quod commune erit, diſtribuetur unicuique, ſicut cuique opus erit. Gazophylacium attendite, & omnes bene habebimus. Valdè me delectat, ſi ipſum fuerit præſepe noſtrum, ut nos ſimus jumenta Dei, vos ager Dei. Nemo det Byrrhum, vel lineum tunicam, ſeu aliquid, niſi in commune: De communi accipiam mihi ipſi, cum ſciam commune me habere velle quidquid habeo. Si quis meliorem dederit, vendo, quod & facere ſoleo, ut quando non poteſt veſtis eſſe communis, pretium veſtis ſit commune. Qui habere voluerit proprium, & de proprio vivere, & contra iſta præcepta noſtra facere, parum eſt, ut dicam non mecum manebit, ſed nec clericus erit. Dixeram enim, & ſcio me dixiſſe, quod ſi nollent ſuſcipere ſocialem vitam mecum, non illis tollerem clericatum, ſed ſeorſim manerent, & ſeorſim viverent, quomodo poſſent, Deo viverent. Et tamen ante oculos poſui, quantùm mali ſit à propoſito cadere. Malui enim habere cæcos vel claudos, quam plangere mortuos.* Qui ſunt hi mortui, qui cæci vel claudi? De quibus in ſermone proximè præcedenti ſic dicit. *Nolo habere hypocritas. Malum eſt cadere à propoſito, ſed pejus eſt ſimulare propoſitum. Profeſſus eſt quis ſanctitatem, profeſſus eſt communiter vivendi ſocietatem: Si ab hoc propoſito ceciderit, & extra manens clericus fuerit, dimidius cecidit, Si verò intus habuerit ſimulationem, totus cecidit.* Itaque manifeſti apoſtatæ ſunt dumtaxat cæci aut claudi, at verò occulti proprietarii ſunt plenè mortui. Quare conſtanter dico, Syntheſes, vitales cenſus, aliaſque id genus vitæ communis ſtrumas Auguſtini inſtituto hoſtiliter repugnare.

Habuit Auguſtinus & aliam fundamentalem
Ser. 50. obſervantiam, de qua ad populum ſic dicit. *Etiam illud dico: ſi fortè in noſtra ſocietate æger eſt aliquis vel poſt ægritudinem, ut neceſſe ſit eum ante horam prandii reficere: Non prohibeo religioſos vel religioſas mittere eis, quod videtur, ut mittant. Prandium tamen & cœnam extra nemo habebit.* De qua obſervantia ſic dicit Poſſidius. *Servandum quoque in vita & moribus hominis Dei referebat, quod in inſtitutis ſanctæ memoriæ Ambroſii compererat, ut in ſua patria nunquam petitus iret ad convivium: Ne per frequentium in patriæ conviviis conſtitutus temperantiæ amitteretur modus.* Et ſanè, quam hæc
Cap. 27. convivia monaſticæ Diſciplinæ noceant, norunt illius zelatores.

CAPUT XIII.

An ea omnia, quæ Auguſtinus, Aurelius, Alipius, Fulgentius, aliique id genus Epiſcopi in hortis, agris, ac inſulis fundarunt, monaſteria fuerint monaſteria Eremitarum ſeu monachorum, an clericorum?

Reſpondeo fuiſſe Eremitarum ac monachorum. Credo rem ex huc uſque dictis eſſe manifeſtiſſimam, interim propter tardiores ac pertinaces probationi huic adhuc parumper inhæreamus. Primò itaque, id clarè patet ex Auguſtini de ſuis monaſteriis ad populum verbis: adeò clarè, ut ſine ſui injuria non poſſint elucidari. *Veni ad iſtam civitatem propter videndum amicum,* Ser. 49. de diver. cap. 1.
quem putabam me lucrari poſſe Deo, ut nobiſcum eſſet in monaſterio. Apprehenſus, Presbyter factus ſum. Et quia hic diſponebam eſſe in monaſterio cum fratribus, cognito inſtituto & voluntate mea, beatæ memoriæ Senex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc eſt monaſterium. Cœpi boni propoſiti fratres colligere, compares meos, ut de communi viveremus. Perveni ad Epiſcopatum: Vidi neceſſe habere Epiſcopum exhibere humanitatem aſſiduam quibuſque venientibus ſive tranſeuntibus. Quod ſi non feciſſem, Epiſcopus inhumanus diceretur; ſi autem conſuetudo iſta in monaſterio permiſſa eſſet, indecens eſſet. Et ideò volui habere in domo iſta Epiſcopi mecum monaſterium clericorum. Non in horto, ſed in Palatio Epiſcopali. Hinc enim dicit in ſermone ſequenti. *Nemo amplius dicat, in domum presbyteri, ante domum presbyteri, ad domum presbyteri: Ubi eſt domus mea, ibi eſt domus presby-* Cap. 25.
teri. Hinc etiam dicit Poſſidius. *Cum ipſo ſemper clerici una etiam domo ac menſa ſumptibuſque communibus alebantur ac veſtiebantur.* Tria hic habes monaſteria: Primum Tagaſtenſe ante presbyteratum, immò ante omnem clericatum, in agris propriis; alterum tempore presbyteratus in horto ſeu agro Hipponenſi; tertium poſt Epiſcopatum in civitate ac domo Epiſcopali. Duo priora erant pariformia ac ejuſdem per omnia diſciplinæ. Hinc enim dicit idem Poſſidius. *Factus ergo* Cap. 5.
Presbyter monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſervis vivere cœpit ſecundùm modum & regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam. Maximè ut nemo quidquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed eis eſſent omnia communia, & diſtribueretur unicuique ſicut opus erat, quod jam ipſe prior fecerat, dum de tranſmarinis ad ſua remeaſſet. Hoc eſt, eam ipſam vitæ diſciplinam ac normam inſtituit Hippone, quam jam à triennio ex Italia redux inſtituerat ac vixerat in agro Tagaſtæ. At verò tertium monaſterium erat diſciplinæ penitus diverſæ: Primò, in monaſterio Epiſcopali quotidiana Hoſpitalitas erat non ſolùm congrua, ſed etiam neceſſaria; at verò in duobus prioribus erat indecens ac non permiſſa. Secundò, in monaſterio Epiſcopali habitabant ſoli Presbyteri, Diaconi ac Subdiaconi, atque alii iſtorum ordinum capaces, ac ad illos adſpirantes. Hinc enim dicit Auguſtinus ad populum.
Nuncio vobis, unde gaudeatis: Quia omnes fra- Ser. 50.

tres

tres & clericos meos, qui mecum habitant, Preſbyteros, Diaconos, Subdiaconos, & Patricium Nepotem meum, tales inveni, quales deſideravi.
Epiſt. 137. Hinc etiam nequam ille adoleſcens Presbyteri Bonifacii accuſator, non quaſi de gratia, ſed jure ſuo ab Auguſtino expoſtulabat clericatum. At verò in monaſteriis prioribus habitantes erant laici, in laicatu fixi, clericatus incapaces, non ſolùm ob ſcientiæ, ſed etiam aliqui ob perſonæ regularis defectum, hoc eſt, ob vitium canonicæ irregularitatis. Teſtis meus eſt ipſe Auguſtinus ſic ſcribens ad ſanctum Aurelium Epiſcopum
Epiſt. 77. Carthaginenſem. *Aliquando etiam bonus monachus vix bonum clericum facit, ſi adſit ei ſufficiens continentia, & tamen deſit inſtructio neceſſaria, aut perſonæ regularis integritas.* Tertiò, in duobus prioribus monaſteriis fratres, more aliorum tum in Aſia tum in Europa monachorum, tranſigebant ſe ſuis manibus, hæc quippe tranſactio eas excitavit turbas in monaſterio Carthaginenſi; at verò fratres domus Epiſcopalis, utpote boves triturantes aut triturationi ſeſe præparantes, vivebant de Dominico præſepi, de Eccleſiaſticis prædiis ac fidelium oblationibus. Varia de hoc habemus Auguſtini teſtimonia; verùm ſufficiat
Cap. 23. unus Poſſidius, ſic dicens. *Pauperum ſemper memor erat, eiſque inde erogabat, unde & ſibi, ſuiſque omnibus ſecum habentibus erogabatur, hoc eſt, vel ex redditibus poſſeſſionum Eccleſiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium.* Neque obſunt hi tres canones quarti Concilii Carthaginienſis, cui Au-
Cap. 51. guſtinus interfuit ac ſubſcripſit. *Clericus, quantumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum quæ-*
Cap. 52. *rat. Clericus victum & veſtimentum ſibi artificio vel agricultura, abſque officii ſui dumtaxat detrimento, præparet. Omnes Clerici, qui ad operandum*
Cap. 53. *validi ſunt, & artificiola & literas diſcant.* Eos quippe canones exponit Auguſtinus, oſtenditque de quibuſnam Clericis intelligendi ſint, ſic de Apoſtolica ex Altario vivendi poteſtate dicens in libro de opere monachorum. *Iſti fratres*
Cap. 21. *noſtri temerè ſibi arrogant, quod ejuſmodi habeant poteſtatem. Si enim Evangeliſtæ ſunt, fateor, habent; ſi miniſtri altaris, diſpenſatores Sacramentorum, bene ſibi iſtam, non arrogant, ſed planè vendicant poteſtatem.* Agit ergo Concilium de ſolis clericis minoribus, quos etiamnum, niſi patrimonio polleant, videmus de manibus ſuis victitare. Quarta tandem differentia eſt, quod monachi degerent in hortis, agris, nemoribus, inſulis, ſegregati ab omni populi commercio ac tumultu, in ſancto iſto otio, de quo ſcribit Au-
Ep. 70. guſtinus ad Comitem Bonifacium. *Nempe omnes actus publicos, quibus occupatus eras, relinquere cupiebas, & te in otium ſanctum conferre, atque in ea vita vivere, in qua ſervi Dei monachi vivunt.* Et infra. *Et vitæ vacares in ſocietate ſanctorum, ubi in ſilentio pugnant milites Chriſti, non ut occidant homines, ſed ut expugnent principes & poteſtates, & ſpiritalia nequitiæ, id eſt, Diabolum & Angelos ejus.* Et ad Abbatem Eudoxium, alioſ-
Epiſt. 18. que ſub illo monachos Caprarienſes. *Quando quietem veſtram cogitamus, quam habetis in Chriſto, etiam nos, quamvis in laboribus variis, aſperiſque verſemur, in veſtra charitate requieſcimus, unum enim corpus ſub uno capite ſumus, ut & vos in nobis negotioſi, & nos in vobis otioſi ſimus. Admonemus ergo & obſecramus, ut noſtri memores ſitis in ſanctis orationibus veſtris, quas vos vigilantiores & magis ſobrias habere credimus; noſtras enim ſæpè ſauciat & debilitat tumultus & caligo ſæcularium actionum, quas etſi noſtras non habemus, eorum tamen, qui nos angariant mille paſſus, & jubemur ire cum eis alia duo, tantæ nobis ingeruntur, ut vix reſpirare poſſimus.* Hoſce fratres Caprarienſes eleganter nobis depingit Homo paganus Rutilius Numatianus.

Proceſſu pelagi jam ſe Capraria tollit,
Squallet lucifugis inſula plena viris.
Ipſi ſe monachos Grajo cognomine dicunt,
Quod ſoli nullo vivere teſte volunt.
Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur:
Quiſquam ſponte miſer, ne miſer eſſe queat?
Quænam perverſi rabies tam ſtulta cerebri,
Dum mala formides, nec bona poſſe pati?
Sive ſuas repetunt ex fato ergaſtula pœnas,
Triſtia ſeu nigro viſcera felle tument.
Sic nimiæ bilis morbum aſſignavit Homerus
Bellephoronteis ſollicitudinibus.

Loquitur ex eo ipſo ſpiritu, ex quo & Lutherus, & Calvinus, aliique monachorum oſores loquuntur; attamen ſolitariam ac Eremiticam, ab iſtorum temporum Clericis longè alienam, iſtorum fratrum vitam eleganter depingit. Etenim Clerici degebant in civitatibus, in Epiſcoporum Palatiis, in mediis fidelium populorum tumultibus ac turbis. Hinc enim dicit Auguſtinus de ſuis orationibus. *Noſtras ſæpe ſauciat & debilitat caligo & tumultus ſæcularium actionum.* Atque ſic pergit ad eoſdem fratres Caprarienſes. *Vos autem fratres exhortamur in Domino, ut propoſitum veſtrum cuſtodiatis, & uſque in finem perſeveretis: Ac ſi quam operam veſtram mater Eccleſia deſideravit, nec elatione avida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis, ſed miti corde obtemperetis Deo. Nec veſtrum otium neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis, cui parturienti ſi nulli boni miniſtrare vellent, quomodo naſceremini non inveniretis.* Hoc eſt, ne imitemini
cos, qui *ut Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur in-* Epiſt.
viti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, pa- 204.
tiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni. Nec eum, qui ad
Eccleſiam Fuſſalenſem electus, *jam præſente Nu-* Epiſt.
midiæ Primate, omniumque in re tanta ſuſpenſis 261.
animis, ad horam nos ille, qui mihi paratus videbatur, omnimodò reſiſtendo fruſtravit. Neque Ca- Epiſt.
ſtorium, cui ad Eccleſiam Vaginenſem electo 280.
electio indicari nequiit, *niſi cum eum jam tenerent, quibus erat neceſſarius.* His namque modis agebant & agebantur fratres, quando è quietiſſimo horti, agri, nemoris, aut inſulæ otio vocabantur ad clericatum ac turbidam præfecturam populorum. Quas monaſteriorum differentias attendens ſanctus Poſſidius dicit de primo Presby-
teri Auguſtini monaſterio: *Cum Dei ſervis vi-* Cap. 5.
vere cæpit; de ſecundo autem Epiſcopi monaſterio ſic dicit: *Cum ipſo ſemper clerici una* Cap. 25.
etiam domo ac menſa ſumptibuſque communibus alebantur ac veſtiebantur. Per Dei ſervos,

phraſi tum conſueta, intelligens monachos ſeu Eremitas.

Et quidem cum Dei ſervis presbyter vivere cæpit, non vitam qualemcumque, ſed eam ipſam, quam jam pridem cum ſociis vixerat in agro Ta-
Cap. 3. gaſtenſi, *poſtquam de tranſmarinis ad propria remeaſſet*. Quam vitam ibi vixerat? Clericalem? Abſit. De clericatu ne vel per ſomnium cogitabat, in Domini ſui convivio elegerat locum humiliorem, adeò ut civitates Epiſcopo viduatas tamquam animæ ſuæ charybdes aut ſcyllas exhorreret. Quam vitam ergo vixit? Eam, quam ei primus patefecerat atque laudaverat Pontitianus, cujus tunc amore totus incaluerat, quam tamquam nobiliſſimam Eccleſiæ gemmam non ita pridem Romæ oppoſuerat fictæ abſtinentiæ ac continentiæ Manichæorum. Verùm hæc vita qualis? *In gregibus monaſteriorum ac uberibus Eremi deſertis.* Hanc ergo vixit etiam Presbyter in horto Valeriano.

CAPUT XIV.

Hoc ipſum probatur ex ſancto Paulino, ſancto Evodio, ac ſancto Salviano.

Ep. 35. SAnctus Paulinus ſic ſcribit ad Alipium. *Etſi in populis ac ſuper populum agas, oves paſtuæ Domini regens ſollicitis vigil paſtor excubiis, tamen abdicatione ſæculi & repulſa carnis & ſanguinis, deſertum tibi ipſe feciſti, ſecretus à multis, vocatus in paucis.* Laudat Alipium, quod quantumvis Epiſcopus in populorum turba vivat, vivat tamen Eremiticè, quaſi adhuc in deſerto. Verùm quod iſtud ænigma? Solvi debet ex hiſce ſubſequentibus verbis. *Benedictos Sanctitatis tuæ comites & æmulatores, in Domino fratres noſtros, tam in Eccleſiis quam in monaſteriis, Carthagine, Tagaſtæ, Hippone Regio, & totis parochiis tuis Domino catholicè ſervientes ſalutari rogamus.* Habebat ergo Alipius duo monaſteria: Aliud Eremitarum in agro, aliud clericorum in Epiſcopali domo; & quamvis ipſe Epiſcopus eſſet, non tamen ſecundùm clericalem indulgentiam, ſed ſecundùm Eremiticam auſteritatem vivebat, eamque vitam vocat Paulinus *in deſerto quod tibi ipſe feciſti*. Vitam quippe Clericorum, etiam in domo Epiſcopali ſecundùm regulam viventium, fuiſſe laxiorem vita Eremitarum, patet ex ipſo Auguſtino, dicente hoſpitalitatem apud Eremitas eſſe vetitam ac indecentem, apud clericos autem penitùs neceſſariam ac præceptam. Vivebat ergo Epiſcopus Alipius, quomodo Epiſcopum Auguſtinum vi-
Cap. 24. xiſſe tradit Poſſidius. *Domus Eccleſiæ curam, omnemque ſubſtantiam ad vices valentioribus clericis delegabat & credebat. Numquam clavem, nunquam annulum in manu habens.* Etenim *erat ſicut illa religioſiſſima Maria, typum geſtans ſupernæ Eccleſiæ.* Et quomodo vixiſſe Epiſcopum Fulgentium re-
Cap. 18. fert Auctor iſte incognitus. *Non ita factus eſt Epiſcopus, ut eſſe deſiſteret monachus, ſed accepta Pontificis dignitate, profeſſionis præteritæ ſervavit integritatem. Servata verò profeſſionis integritas plus ornavit Pontificis dignitatem. Numquam denique pretioſa veſtimenta quæſivit, aut quotidiana jejunia prætermiſit, aut conditos ſuaviter cibos vel inter hoſpites manducavit, aut diſcumbendo ſaltem requieſcere & reſolvere rigidum propoſitum voluit, ſed una tantum viliſſima tunica, ſive per æſtatem ſive per hyemem patienter indutus fuit. Orario quidem, ſicut omnes Epiſcopi, nullatenus utebatur: Pelliceo cingulo tamquam monachus utebatur, &c.* Hanc vitam in Epiſcopo Alipio vocat Paulinus Eremiticam.

Sanctus autem Evodius ſic ſcribit ad Auguſtinum, agens de variis apparitionibus defuncti amici ſui Adoleſcentis. *Poſt exitum pueri Pater ipſius Presbyter cum Sene Theaſio in monaſterio eſſe cæperant conſolandi ſe gratia.* Ep. 258. In monaſterio utique Uzalenſi ſub Evodio. Verùm in quo? In monaſterio clericorum in palatio, an Eremitarum in horto? Dico, quod non in monaſterio clericorum: Idque ob tria. Primò, quia Presbyter iſte in monaſterio clericorum familiaris atque domeſticus erat, quomodò ergo eò tamquam ad locum inſuetum conſolandi gratia ſe receperat? Deinde domus Evodii, non minus quam domus Auguſtini, quotidie ac aſſiduè *tumultuoſiſſimas perplexitates cauſſarum alienarum patiebatur de negotiis ſæcularibus vel judicando dirimendis vel interveniendo præcidendis*: L. de op. monach. cap. 29 Adeoque nulla ibi anſa aut ſpes ſeſe conſolandi. Tertiò denique, puer iſte in Palatio Evodii obierat, ac variè poſt mortem apparendo, patrem terruerat atque affecerat, ideoque hujus conſolatio locum alium ab hac infeſtatione immunem requirebat. Hunc locum immunem dico fuiſſe monaſterium Eremitarum. Iſte quippe Presbyter nec non Epiſcopus Theaſius imitabantur ipſum Auguſtinum, cui recens Presbytero cum miniſterium verbi impoſuiſſet Valerius, ſtatim ſeceſſit ſe tanto oneri atque operi paraturus, atque è ſeceſſu ſuo ſic ad Valerium ſcripſit. *Ad quod negotium mihi parvum tempus vel uſque ad Paſcha impetrari volui per fratres à tua ſynceriſſima & venerabili Charitate, & nunc per has preces volo. Ipſam ergo Charitatem imploro, ut miſerearis mihi, & concedas ad hoc quod rogavi tempus, quantum rogavi, atque adjuves me orationibus tuis, ut non ſit inane deſiderium meum, nec infructuoſa Eccleſiæ Chriſti abſentia mea.* Quo ergò Auguſtinus abjerat? An extra Diœceſin Hipponenſem? Nullo modo. Etenim circa hæc ipſa tempora ita reſcripſit ſancto Aurelio, à quo evocatus erat Carthaginem. *Abſentiam meam tantùm longè Hipponenſes vehementer nimiſque formidant, neque ullo modo ſic mihi volunt credere, ut ego tibi.* Ep. 64. Seceſſerat ergo Auguſtinus ad fratres ſuos in ſolitudinem horti Valeriani, ibique in ſilentio ac quiete ſeipſum recolligens operi accingebat. Iſti namque horti erant loca quietiſſima, veræ Eremi monachorum.

Sanctus verò Salvianus Eccleſiæ Maſſilienſis Epiſcopus de Africani excidii cauſſis agens ſic ſcribit. *Non ſine cauſſa itaque iſtud fuit, quod intra Africæ civitates, & maximè intra Carthaginis muros, palliatum & pallidum, & reciſis comarum fluentium jubis, ad cutem tonſum videre tam infelix ille populus quam infidelis ſine convicio atque execratione vix poterat. Et ſi quando aliquis Dei ſervus, aut de Ægyptiorum cœnobiis, aut de ſacris Hieroſolymorum locis, aut de ſanctis Eremi venerandiſque ſecretis, ad urbem illam officio di-* L. 8. de vero Judic.

vini

vini operis acceſſit, ſimul ut in populo apparuit, contumelias, ſacrilegia, atque execrationes excepit: Nec ſolùm hoc, ſed improbiſſimis facinoroſorum hominum cachinnis, & deteſtandis ridentium ſibilis, quaſi taurus, cedebatur. Verè uti ſi quis ea inſcius rerum fieri videret, non aliquem hominem ludificari, ſed novum inauditumque monſtrum abigi atque exterminari arbitraretur. Illi ex ſanctis Eremis, venerandiſque ſecretis prodeuntes monachi erant omnino fratres noſtri Auguſtinenſes. Patet id ex ipſo Auguſtino, qui iſtos Carthaginenſium perditiſſimos mores dudum ante ſanctum Salvianum lamentatus eſt, ſic dicens ad populum.
Pſal.147. *Aliquando dimiſſo theatro aut amphitheatro cum ræperit ex illa cavea evomi turba perditorum, vident plerumque, ut fit, tranſire ſervos Dei, cognoſcunt ipſo habitu vel veſtis vel capitis, vel fronte notos habent, & dicunt, ò miſeros iſtos, quid perdunt? Fratres, rogemus Deum pro benevolentia ipſorum, quia bonum illud putant. Bene nobis volunt.* Hæc verba, *Bene nobis volunt*, aliaque id genus ſubſequentia palam indicant iſtos Dei ſervos fuiſſe Auguſtinianos. Ridebantur tamquam nova atque inaudita monſtra: Quia Africa huc uſque non viderat monachos, ſed hiſce diebus ipſo eò induxerat Sanctus Auguſtinus.

CAPUT XV.

Rejicitur Gloſſa Gabrielis Pennotti.

Et hinc patet, quantum de hiſce monaſteriis, eorumque differentiis erret Gabriel Pennottus, ſic dicens. *Ratio differentiæ non eſt,*
L.1.c.12 n.4. *quod primum monaſterium eſſet domus Eremitarum aut monachorum, vel quod non eſſet collegium ſeu ſeminarium clericorum; ſed ratio differentiæ extitit, quod in ſecundo monaſterio degentes, Eccleſiæ Cathedralis Canonici cum eſſent, non niſi clerici eſſe poterant in ſacris ut plurimum conſtituti: Verùm qui in primo monaſterio manebant, etſi ex illius monaſterii inſtituto clerici eſſe poſſent, & ad clericatum aſſumi conſueviſſent, non tamen erant actu clerici in ſacris conſtituti, ſed ad ſummum in minoribus, excepto Præpoſito vel Presbytero.* Et infra
C. 15. 3. *Non negaverim primum monaſterium aliquantò ſtrictioris obſervantiæ fuiſſe quam ſecundum, non quod primum eſſet monaſterium Eremitarum, ſecundùm verò clericorum, ſed quia primum erat veluti ſeminarium & domus quædam novitiorum, ſecundum vero Sacerdotum, &c.* Haſce ſuas devias cogitationes probat Pennottus primò ex ſancto Poſſidio, qui ex
C. 11. primo Hipponenſi Auguſtini monaſterio plures promotos dicit ad Epiſcopatum, aliumque omnem inferiorem clericatum. Deinde ex ipſo Auguſtino ad Papam Cæleſtinum ſcribente de infeliciſſimo iſto primo Eccleſiæ Fuſſalenſis Epiſcopo
Ep.261. Antonio: Dicit eum a parvula ætate ſecum fuiſſe in monaſterio enutritum, ſoloque Lectoris gradu notum. Iſtud Antonii monaſterium putat Pennottus fuiſſe primum monaſterium, eo quod in ſecundo nulli parvuli nutrirentur, atque ex eo infert primi monaſterii fratres paſſim fuiſſe Lectores, alioſve clericos minores, candidatos ordinum altiorum.

Verùm Pennotte multiformiter erras. Primo, dum dicis primum agri Hipponenſis monaſterium fuiſſe quaſi Seminarium ac novitiatum ſecundi monaſterii, atque in ipſo vixiſſe clericos minores candidatos graduum altiorum. Etenim primum monaſterium ſine ullo ordine ad ſecundum ab Auguſtino inſtitutum eſt, qui tum de ſecundo non plus quam de apice Epiſcopali cogitabat, ideoque eſſe nequiit ſecundi novitiatus ac tyrocinium, novitiatus quippe eſt quid relatiuum. Primum, inquam, monaſterium erat domus planctus atque altiſſimi ſilentii, in qua degebant plures fratres irregulares omnis Eccleſiaſticæ ordinationis inhabiles: Quomodo ergo eſſe potuit palæſtra ac tyrocinium clericorum minorum ſpectantium majora? Scimus quidem ex illo plures ad clericatum aſſumptos: Verùm contra ſpem ac propoſitum ſuum, contraque ſui inſtituti ſcopum, ut iam citata vincula & carceres abundè teſtificantur. Aſſumi eos fecit Eccleſiæ Africanæ inopia, ac erga fratres iſtos propenſiſſima voluntas ſancti Aurelii Epiſcopi Carthaginenſis. Omnes namque iſtos fratres fuiſſe, non minores clericos, ſed merè laicos, palam fit ex libris Retractationum: Ibi quippe Pater Auguſtinus, ut eos a fideli populo diſtinguat, populum iſtum vocat non ſimpliciter laicos, ſed *laicos propoſiti inferioris*. Quod ipſum patebit clariùs, ubi mox etiam monaſteriorum illorum Præfectos fuiſſe merè laicos demonſtraro.

Secundò itaque erras, dum dicis primi monaſterii Præpoſitum, quem quidem cum Presbytero videris confundere, paſſim inſignitum fuiſſe aliquo ordine majori. Fateor primum primi Hipponenſis monaſterii Præpoſitum ipſum Patrem Auguſtinum fuiſſe Presbyterum, itemque id factum in quibuſdam id genùs monaſteriis aliis circa tempora ſancti Fulgentii; verùm quoad Auguſtinus vixit, conſtanter dico omnes iſtiuſmodi domuum Præfectos hæſiſſe in mero laicatu. Patet id ex ſancti Auguſtini Regula: *Præpoſito tamquam Patri obediatur, multò magis Presbytero.* Palam ecce dicit alium fuiſſe Presbyterum, alium Præpoſitum, & quidem ea ampliativa particula, *Multo magis*, ſatis inſinuat Præpoſitum non fuiſſe Presbyterum, ſed hominem gradus longè inferioris. Patet idipſum ex libris Auguſtini de origine animæ adversùs Vincentium Victorem: Ibi namque Renatum monaſterio Cæſarienſi Præfectum vocat laicum. Et ex Epiſtola Valentini Ep. 256.
monaſterio Adrumetino Præfecti ad Auguſtinum. Dicit enim componendis tumultuantibus iſtis fratribus, quoniam Valentino Præpoſito acquieſcere nolebant, majoris Auctoritatis gratia advocatum eſſe Presbyterum Sabinum, ac etiam Epiſcopum Evodium. Et ex iſto Epiſcopalis concilii canone, quem Auguſtinus recitat in Epiſtola ad Presbyterum Quintianum. *De aliquo monaſterio qui receſſerint vel projecti fuerint, non fiant alibi* Ep.235.
clerici aut Præpoſiti monaſteriorum. Præpoſiti ergo iſti erant merè laici: Si namque Presbyteri fuiſſent, ſufficiebat dicere, *Non fiant alibi clerici*, neque opus erat additamento iſtius disjunctionis. Fratres itaque Auguſtini gradatim ſubiiciebantur tribus: Laico Præpoſito, Presbytero, ac Epiſcopo, quomodò ferè modò fratres Alexiani.

Tertiò errat Pennottus, dum in Epiſcopalibus Clericorum monaſteriis nullos parvulæ ætatis adoleſcentes putat fuiſſe enutritos. Etenim in Epiſcopali Hipponenſi monaſterio præter iſtum infelicem Antonium educatus quoque Ep. 137. fuit garrulus iſte Presbyteri Bonifacii accuſator, auſus ab Auguſtino vel clericatum vel dimiſſoriales formatas quaſi ſuo Jure poſtulare. Educatus ibi fuit & nepos Auguſtini Patricius, de filio autem Presbyteri Januarii nolim quidpiam affirmare: Educatus potiùs apparet in horto apud Eremitas. Ep. 258. In Epiſcopali monaſterio Uzalenſi educatus fuit puer iſte ſancti Evodii notarius, Armeni Melonitani Presbyteri filius, cujus fabulis ſe fatetur Evodius fuiſſe delectatum. In aliquo Epiſcopali monaſterio educatus quoque fuit adoleſcens ille Timotheus, de quo ſcribit Auguſtinus ad Presbyterum Quintianum ac ſanctum Severum Epiſcopum Milevitanum, & abſque dubio in aliis Epiſcopalibus domibus fuerunt alii plures. Etenim miſeranda Clericorum inopia jam pridem ante Auguſtini tempora cum introduxerat morem, quo paſſim Afri Epiſcopi ſolebant parvulos, etiam egentiſſimos, in ſuis domibus enutrire, jam adultos baptizare, baptizatoſque Divinis lectionibus ac pedetentim altioribus Sacri Miniſterii gradibus applicare. Patet id ex ea famoſa lite, quam in Cap. 44. tertio Carthaginenſi Concilio pro id genus puero movit atque obtinuit Epigonius contrà ſuum Coepiſcopum Julianum. Proinde concludo & dico in Epiſcopalibus domibus omnes fuiſſe vel clericos vel clericatus candidatos, in hortis autem omnes fuiſſe laicos, & quidem quoſdam Latini Sermonis, qui tamen tunc per omnem Africam, utpote Romanam provinciam, obvius ac popularis erat, unaque cum lacte & lingua Punica à nutricibus hauriebatur, admodum imperitos, in quorum gratiam ſcripſit Au- Lib. 2. Retract. Cap. 3. guſtinus libellum de Agone Chriſtiano. Volo que id latiùs oſtendere ex libro de opere Monachorum.

CAPUT XVI.

Hoc ipſum probatur ex variis locis libri de opere monachorum.

HUnc librum eſſe Germanum Auguſtini fœtum, huc uſque negavit nemo, neque ad tantam impudentiam quis proficere poteſt, cum libri iſtius diſertè Auguſtinus meminerit in libris ſuarum Retractationum. Hic porrò ſolus liber, ejuſque ſolus titulus, *De opere monachorum*, ſufficienter atteſtatur ei, pro qua hic laboramus, aſſertioni. Ea vox *Monachorum* litem adeò patenter dirimit, ut in hymno, *Magne Pater Auguſtine*, Clerici ea de cauſſa canant, *Tu de vita Clericorum*, Eremitæ autem, *Tu de vita monachorum ſanctam ſcribis regulam*: Credentes ex voce iſta omnem dependere victoriam. An rectè credant, multùm ambigo. Etenim & monachis & clericis Auguſtinus regulam ſcripſit, ideoque uterque cantus verus eſt ac retinendus. Interim titulus iſte, *De opere monachorum*, palam teſtatur monachos in hortis atque eremis fuiſſe ab Auguſtino in Africa inſtitutos, adeò ut profunda commiſeratione dignus ſit Gabriel Pennottus, qui contra fluvii fluxum navigans omnem omnino remum arripit, quorum tamen nullo adversùs veritatem poteſt ſe promovere aut ſuſtinere. Dicit primò, nomen *monachorum* illic ſumi non ſpecificè, prout contra Clericum Lib. 1. c. diſtinguit, ſed generaliſſimè, prout tam cleri- 38. n. 6. cum quam propriè dictum monachum comprehendit, adeoque ex illo nihil confici pro Eremitis. Secundò dicit, quantumvis nomen iſtud in libri illius titulo accipiatur ſpecificè, monachos tamen iſtos non ab Auguſtino noſtro, ſed Cap. 36. ab Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo fuiſſe inſti- n. 2. tutos: Sic enim teſtatur Auguſtinus in ſuis Retractationibus, proindeque nec exinde ſequitur monachos iſtos fuiſſe Auguſtinianos. Tertiò tandem dicit, licet monachi iſti ab Auguſtino Cap. 38. fuiſſent inſtituti, non exinde concludi Auguſti- n. 2. num fuiſſe monachum, plures enim ſanctos ac nunquam monachos Epiſcopos novimus fuiſſe monachorum inſtitutores. Ita nutat atque in omne latus claudicat à vero devius Pennottus, ipſuque ſuo claudicante pede palam fatetur difficiliùs poſſe Auguſtino monachos, quam Herculi clavam extorqueri.

Reſpondeo itaque & dico adversùs Pennottum, vocem *monachus* tam in libri iſtius titulo, quam in toto ipſo libro capi ſpecificè pro monacho propriè dicto. Capitur enim pro iſto monacho, cui ſanctus Aurelius nimiùm facilè manus imponebat, & de quo exinde ſanctus Auguſtinus à Sardonico Afrorum riſu timebat hoc adagium: *Sicut malus choraula bonus Symphoniacus eſt*, Ep. 76. *ita malus monachus bonus clericus eſt*. Capitur pro monacho, de quo ſtatuit canon Epiſcopalis memoratus ab Auguſtino in Epiſtola ad Presbyterum Quintianum; *De aliquo monaſterio qui receſ-* Ep. 35. *ſerint vel projecti fuerint, non fiant alibi clerici aut Præpoſiti monaſteriorum*. Capitur pro monacho, quem Donatiſtæ huc uſque in Africa non viderant, ideoque eorum introductorem Auguſtinum calumniabantur tamquam ſomniatorem novorum monſtrorum aut Dæmoniorum. Capitur pro monacho, quem in Ægypto, Meſopotamia, aliiſque Eremi deſertis frequentiſſimum eſſe audierat Auguſtinus à Potitiano, & de quo ſic ſcribit in hoc ipſo opere. *O Servi Dei, mili-* Cap. 28. *tes Chriſti, itanè diſſimulatis callidiſſimi hoſtis inſidias, qui bonam famam veſtram, tam bonum Chriſti odorem, omni modo cupiens obſcurare putoribus ſuis, tam multos hypocritas ſub habitu monachorum ubique diſperſit; Cum interea ubicumque in factis ſuis malis deprehenſi fuerint, ſub generali nomine monachorum propoſitum veſtrum blaſphematur, tam bonum, tam ſanctum, quod in Chriſti nomine cupimus, ſicut per alias terras ſic per totam Africam pullulare*. Capitur itaque ab Auguſtino vocabulum iſtud pro monachis ſpeciali habitu diſtinctis, per alias terras frequentiſſimis, ac jam per Africam non infæcundè pullulantibus, quos palam eſt fuiſſe laicos, neque ea vi ſuæ profeſſionis fuiſſe clericatui deputatos. Hinc Auguſtinus & ſeipſum uſque ad Presbyteratum, & Renatum monachum Cæſarienſem diſertè laicos vocat; item de Valentino, Sebaſtiano, aliiſque

monaſteriorum Præfectis, nec non eorum curæ
ſubjectis fratribus palam tamquam de laicis agit,
ideoque vocem *Monachus* capit propriè, prout
contra Clericum diſtinguit. Hinc monachos vo-
C. 16. cat paſſim *Dei ſervos celſiorem ſanctitatis gradum in*
Eccleſia tenere volentes; vulgarem autem populum
vocat non ſimpliciter laicos, ſed *laicos inferioris*
L. 2. Retract. c. 21. *propoſiti*. Hinc denique dicit ſe agere *de fratribus,*
qui neque Evangeliſtæ ſunt, neque miniſtri Altaris,
neque diſpenſatores Sacramentorum. Hoc eſt, de
L. de oper. monach. c. 21. merè laicis, hi namque ſunt, quos Apoſtolnm
imitatus Auguſtinus vetat ibi de meris fidelium
collectis aut oblationibus vivere, ſed jubet in ſi-
lentio laborantes panem ſuum manducare. Ne-
que refert, quod ita legamus in quarto Concilio
C. 51. 52. 53. Carthaginenſi. *Clericus quantumvis verbo Dei*
eruditus artificio victum quærat. Clericus ſibi victum
& veſtimentum artificiolo vel agricultura, abſque
officii ſui dumtaxat detrimento quærat. Omnes cle-
rici qui ad operandum validi ſunt, & artificiola &
literas diſcant. Cardinalis Baronius putat ibi cle-
ricum ſumi pro monacho; Gabriel autem Pen-
nottus ex decretis iſtis probat omnes Auguſtini
monachos fuiſſe clericos. Neuter verè ac bene.
Agunt quippe decreta iſta de clericis minoribus,
quos quia nunquam plenè aluit Eccleſia, ſem-
per voluit, ut ſibi reliqua neceſſaria de ma-
nuum ſuarum opere ſupplerent. Fateor verò vo-
cem *monachus* quandoque, at raró, ſumi ge-
neraliter, ut comprehendat etiam monachum
profeſſos clericos, ſeu monachos in clericum
promotos. Ita, inquam, moderno tempore ca-
pitur frequenter, antiquitùs autem ſic capieba-
tur rariùs; dicoque ita nunquam captam fuiſſe
Ep. 76. ab Auguſtino. Hinc in Epiſtola ad ſanctum Au-
Ep. 35. relium, licet in Epiſcopatu non minos quam
Alipius, de quo id ſanctus Paulinus teſtatur,
monachum viveret, ſcribit ſe eſſe clericum, non
monachum. Hinc Epiſcopales, in quibus com-
munem monaſticamque vitam agebant clerici,
domos vocat non ſimpliciter monaſteria, quo
Serm. 49. de diverſ. modo paſſim vocat domos Eremitarum, ſed eum
addito monaſteria clericorum. Et plura ſunt
ejuſmodi loca, ex quibus conſtat Auguſtinum
nec non alios ei coævos Patres ac canones per
vocem *monachus* abſoluè poſitam intelligere mo-
nachum ſimplicem clericatui necdum adſcri-
ptum. Ejuſque locutionis ratio eſt clara. Quia
nempe eo tempore monachi per clericalis gra-
dus adſcenſum deſinebant eſſe monachi, muta-
bantque vitæ ſtatum, adeò ut & habitum, om-
nemque alium monachiſmi characterem depone-
rent: Quomodò nunc quidam fieri docent per
adſcenſum apicis Epiſcopalis. Erat, inquam,
in multis, præſertim orientalibus, Eccleſiis mo-
nachatus gradus ad clericatus adſcenſum præ-
vius atque neceſſarius: Adeò ut qui ex infimi pro-
poſiti laico aſſumeretur in Epiſcopum, primò
in monachum tonderi deberet, atque de iſta
tonſura poſt aliquot dies levari in clericum, at-
que ita gradatim in cathedram Epiſcopalem
Hac itaque de cauſa antiqui Canones ac Patres
per monachum abſolutè poſitum paſſim intelli-
gunt monachum ſimplicem clericatui nondum
adſcriptum.

Dico ſecundò, monachos iſtos fuiſſe quidem
in Carthaginenſibus ſuburbanis ab Aurelio fun-
datos, non tamen ab ipſo, ſed ab Auguſtino
inſtitutos, aut certè in Africam introductos. Di-
co, *Aut certè &c.* Quia Auguſtinus propriam
monachiſmi ſpeciem reverà non inſtituit, ſed
potius eam ipſam, quam in Galliæ, Germa-
niæ, Ægypti, Meſopotamiæ, aliarumque gen-
tium eremis atque agris florere à Potitiano au-
dierat, atque ipſe in Italia viderat, quamque
illius amore totus ſuccenſus vitæ Angelicæ com-
quarat in libro de moribus Eccleſiæ Catholicæ,
dumtaxat in Africam introduxit atque per om-
nes illius provincias, annitente in primis ſan-
cto Aurelio, propagavit: Adeò ut monachis
ſuis videatur non dediſſe diſtinctam habitus for-
mam, ſed formam eam ipſam, quam paſſim
geſtabant monachi Itali, Galli, Ægyptii,
Meſopotami, Syri, aliique omnes. Hinc nam-
que de quibuſdam Ægyptiis ac Meſopotamis per
Africam tunc admodum perniciosè ſerpentibus
monachis dicit ad ſuos in hoc ipſo opere: *Dia-* C. 28.
bolus tam multos hypocritas ſub habitu monachorum
ubique diſperſit: Ex iſto, inquam, Auguſtini
loco, nec non ex ejus ad Ecdiciam Epiſtola non
penitùs frivolè poteſt colligi, indigenas Africæ
monachos ab iſtis vagabundis advenis quoad ha-
bitum aut nihil aut parum fuiſſe diverſos. Om-
nes quippe Ægypti, Italiæ, Galliæ, ac Afri-
cæ Monachi erant plantatio ac ſtirps unius ſancti
Antonii, quam Romæ primus oſtenderat
ſanctus Athanaſius, per omnem autem Italiam
traduxerat ſanctus Euſebius; per omnem Gal-
liam ſanctus. Martinus, per omnem Africam
ſanctus Auguſtinus. Proinde ſicut omnes fuere
ejuſdem profeſſionis ac inſtituti; ita quoque ad-
modum probabile eſt, omnes fuiſſe ejuſdem ha-
bitus, cujus formam & colorem ſumus mox de-
ſcripturi. Et quidem Auguſtinenſi Monachatui
per omnem Africam traducendo quam optimè in-
ſerviebat; immò & ſufficere poterat unus ſanctus
Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis, utpotè non
ſolius ſuæ Proconſularis Provinciæ, ſed omnino
totius Africæ Archi-Epiſcopus & Primas, habens
plenam poteſtatem atque immediatam ſollicitu-
dinem omnium Africanarum Eccleſiarum. Di-
co itaque monachorum iſtorum in Africa inſtitu-
torem fuiſſe ſanctum Auguſtinum, ſanctum au-
tem Aurelium fuiſſe dumtaxat ſtrenuum eorum
promotorem. Patet id ex hoc ipſo libro, in quo
Auguſtinus ſic ſcribit ad ſanctum Aurelium.
Quæ cum ita ſint, ſine me paululum ſancte Frater, C. 28.
dat enim mihi Dominus per te magnam fiduciam, eos
ipſos alloqui filios & fratres noſtros, quos novi quan-
ta nobiſcum dilectione parturias, donec in eis Apoſto-
lica diſciplina formetur. Ecce, eis parturiendis
atque formandis collaborabat, non Auguſtinus
Aurelio, ſed Auguſtino Aurelius: Quia nempe
Auguſtinus eos inſtituerat, Aurelius autem dum-
taxat promovebat. Et hinc quicumque per Afri-
cam monachi, in quacumque Diœceſi aut Pro-
vincia conſtituti, licet ſuis Epiſcopis ſubjecti de-
gerent, agnoſcebant tamen Auguſtinum pro ſuo
Prælato ac Superiori. Quo titulo? Nullo ſanè alio,
quam inſtitutionis. Hi namque omnes monachi
erant iſti, quos Donatiſtæ huc uſque in Africa non
viderant, & de quorum introductione tamquam de

prohibitis per Apoſtolum novitatibus malevolè atque imperitè Auguſtinum infamabant. Neque ipſe contrarium habet in libris Retracta-
Lib.2. cap.21. tionum. Habet enim ſic, *Cum apud Carthaginem monaſteria eſſe cœpiſſent*. Utique per ipſum in Africam introducta; per ſanctum autem Aurelium ibi plantata atque fundata, ut ſatis patere puto ex huc uſque dictis.

Dico tertiò, ſanctum Auguſtinum hujuſmodi monachum etiam fuiſſe atque vixiſſe, idque uſque ad adeptum Epiſcopatum. Licet namque eo tempore monachi non per ſolum Epiſcopalis Apicis, ſed per cujuſque clericalis gradus adſcenſum, & habitum & ſtatum mutarent, monachique eſſe deſinerent; id tamen ad Presbyteratum aſſumptus Auguſtinus noluit, ſed etiam Presbyter, conſentiente ſancto Epiſcopo
Serm.49. de diverſ. c.2. ſuo Valerio, monachus permanſit. Hinc namque dicit in ſermone populari. *Et quia hic diſponebam eſſe in monaſterio cum fratribus, cognito inſtituto & voluntate mea, beatæ memoriæ Senex Valerius dedit mihi hortum, in quo nunc eſt monaſterium.* Ad quæ verba ridiculè nugatur Pennot-
L.2. c.9. num.2. tus. *Hæc verba indicant Beatum Valerium, quando Beatum Auguſtinum Presbyterum ordinavit, aliquid nuper cognoviſſe, quod antea non noverat, ſcilicet voluntatem & propoſitum Auguſtini fuiſſe vivere cum fratribus in monaſterio. Hinc deducitur beatum Auguſtinum ante Presbyteratum nondum cum fratribus in monaſterio vixiſſe, neque cum cucullo vel habitu monaſtico ad civitatem Hipponenſem acceſſiſſe, neque cum tali habitu à populo apprehenſum, & beato Valerio oblatum. Nam ſi id antea egiſſet, vel cum habitu monaſtico ad civitatem acceſſiſſet, & Beato Valerio oblatus fuiſſet, ſatis ex illo cognoviſſet Valerius illius inſtitutum & voluntatem fuiſſe vivere in monaſterio cum fratribus, niſi cæcus eſſet, vel illum Apoſtatam futurum credidiſſet.* Fateor, Pennotte, fateor à ſancto Valerio quid novi de Auguſtino fuiſſe cognitum: Non tamen quod ſimpliciter monachus eſſet, id namque tam ex habitu ejus, quam ex omnis ſui populi & cleri id probè ſcientis ore norat; ſed quod etiam ordinatus Presbyter nollet, more ubique recepto, monachum cavere, vellet verò etiam hic Hippone, è qua jam migrare adſcriptio in clerum non ſinebat, monachos Presbyter inſtituere, vivereque cum illis vitam jam inde à laudibus Pontiani ſemper ardentiſſimè dilectam. Etenim, Pennotte, legendum non eſt, *Et quia hoc diſponebam*, ſed, *Et quia hic diſponebam eſſe in monaſterio*. Sic namque legunt omnia Antuerpienſis ac Pariſienſis editionis Exemplaria correcta per Theologos noſtros Lovanienſes. Hanc Auguſtini voluntatem, quoniam contra iſtius temporis morem erat, ignorabat Valerius, eaque cognita cœpit etiam ejus inſtitutum, invectumque ab ipſo vivendi modum diſcutere, atque eo diſcuſſo, & probato probavit etiam iſtam illius voluntatem, *deditque hortum illum, in quo nunc eſt monaſterium*. Notanda ſunt namque verba iſta: *Cognito inſtituto & voluntate mea*. Inſtituto, id eſt, inducto per me in Africam monaſtico vivendi modo; & voluntate mea, ea nempe, qua etiam Presbyter volebam monachus perſiſtere, Hipponeque erigere monaſterium. Planum itaque eſt Auguſtinum fuiſſe monachum, permanſiſſeque uſque ad Epiſcopatum: fuiſſe, inquam, ac permanſiſſe monachum cucullatum. Hoc planè convincunt hæc ejus verba in eodem iſto ſermone. *Non attuli aliquid, non veni ad hanc Eccleſiam, niſi cum iis indumentis, quibus illo tempore veſtiebar*. Aliter itaque iſto, aliter hoc tempore veſtiebatur. Hoc namque tempore Epiſcopum, iſto autem laicum monachum veſtiebatur, de qua mutatione dicturi ſumus infra ſuo loco.

CAPUT XVII.

De habitu ſancti Auguſtini ac Monachorum ejus.

Auguſtinus ante presbyteratum adhuc monachus ac Eremita, nec non omnes ſemper ſocii ejus geſtarunt habitum honeſtum, neque nitore neque ſquallore notabilem. Teſtem adduco Poſſidium hiſce verbis. *Veſtis & calceamenta & lectualia ex moderato & competenti habitu* Cap. 22.
erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum: Quia his plerumque vel jactare ſe inſolenter homines ſolent, vel abjicere, ex utroque non quæ Jeſu Chriſti, ſed quæ ſua ſunt, iidem quærentes. At beatus iſte mediam tenebat, neque in dexteram, neque in ſiniſtram declinans. Eaque fuit aſſidua ſancti Auguſtini Doctrina, patentiſſimè autem in libris de ſermone Domini in monte, ubi ſic habet. *In* Lib. 2. c. 12.
hoc capitulo maximè advertendum eſt, non in ſolo rerum corporearum nitore atque pompa, ſed etiam in ipſis ſordibus luctuoſis eſſe poſſe jactantiam, & eo periculoſiorem, quo ſub nomine ſervitutis Dei decipit. Qui ergo immoderato cultu corporis atque veſtitu, vel cæterarum rerum nitore præfulget, facilè convincitur rebus ipſis pomparum ſæculi eſſe ſectator, nec quemquam fallit doloſa imagine ſanctitatis; qui autem in profeſſione Chriſtianitatis inuſitato ſqualore ac ſordibus intentos in ſe oculos hominum facit, cum id voluntate faciat, non neceſſitate patiatur, ex cæteris ejus operibus poteſt conjici, utrum hoc contemptu ſuperflui cultus, an ambitione aliqua faciat, quia & ſub ovina pelle cavendos lupos Dominus præcepit. Docuit hæc Auguſtinus adhuc Presbyter cum fratribus in horto vivens, neque credendus eſt fuiſſe ex illis impiis, qui dicunt, & non faciunt.

Attamen monaſticus Auguſtini habitus erat à vulgari tam cleri quam populi habitu diſtinctus. Epiſt.
Hinc enim dicit ad Ecdiciam. *Etſi te indumentum monachæ delectabat, etiam hoc gratius poſſes* 199.
marito exorato, obſervatoque ſumi, quam illo inconſulto contemptoque præſumi. Et adversùs Julia- L.5. c.6.
num. *Virgines ſacræ tenent ſanctam profeſſionem, non ſolo habitu veſtis, ſed & mentis & corporis, reſiſtendo concupiſcentiæ carnis*. Et in tractatu ad populum adversùs carnales monachorum commiſe-
ratores. *Aliquando dimiſſo theatro vel amphitheatro,* Pſ.149.
cum cœperit ex illa cavea evomi turba perditorum, videns plerumque, ut fit, tranſire ſervos Dei, cognoſcunt ipſo habitu vel veſtis, vel capitis, vel fronte notos habent, & dicunt apud ſemetipſos & ſecum, ò miſeros iſtos, quid perdunt? Ad quem locum dico de monachis, quod ad priorem

de

de ſanctimonialibus rectè dicunt Scholiaſtæ Lovanienſes. *Hinc intelligimus, non eundem olim, ut quidam volunt, ſanctimonialium fuiſſe habitum,* Cap. 22. *qui cæterorum erat Chriſtianorum.* Diſtinctum namque habitum apud omnes Eccleſiæ monachos fuiſſe univerſaliter uſitatum, in regulis fuſius diſputatis tradit eleganter magnus monachorum Pater S. Baſilius, quem compendio circumſcriptum audire lubet apud Alardum Gazæum. Ad l. 2. Joann. Caſſ. c. 4. *Baſilius duas rationes reddit, cur Religioſi proprio & peculiari habitu ſeu veſte utantur. Prior eſt, ad deſignandam propriam profeſſionem & ſtatum, ſeu conditionem vitæ. Ordinarius, inquit, habitus Chriſtiani eſſe dicitur hic, qui ſecundum propoſitum ac profeſſionem ejus aptus intelligitur. Sicut enim eſt alius habitus militis, alius Senatoris, ex quo intelligitur vel quod iſte Senator eſt, vel quod iſte miles: Ita etiam monachus habere debet congruum ſuæ profeſſioni indumentum. Altera ratio, ut Religioſi vel inviti cogantur religioſè vivere. Si enim, inquit, quis videat hominem aliquem obſcurum cædentem alium aut verberantem publicè, aut turpiter proclamantem; aut in tabernis aut ganeis agentem, nec obſervabit quidem facile iſtiuſmodi hominem vel notabit, ſciens eum conſimiliter in reliqua vita ſua agere. Si verò eum, qui religioſam vitam profitetur, viderit quis vel parvum aliquid contra quàm condecet facere, obſervant omnes & increpant, & ad religionis opprobrium ducunt. Itaque veluti pædagogus eſt infirmioribus habitus religioſus, ut etiam invitos eos ab opere inhoneſto ac indecenti cuſtodiat.* Addamus nos rationem tertiam, eamque fundamentalem. Quia ſcilicet ſtatus Religioſus eſt purior Dominici gregis portio, theſaurus paternæ ſanctitati ac Apoſtolicæ, quæ apud primos Chriſtianos viguit, diſciplinæ, quoniam apud omnes perdurare non potuit, ſaltem inter paucos conſervandæ divinitùs deſtinatus ac præparatus. Inter cæteras porrò primæ Chriſtianitatis leges erat ſpecialis ac diſtinctus habitus, indignum enim judicabant, ut in conſecratum Deo corpus dici poſſet, *Veſpillo, leno, laniſta tecum veſtiuntur.* Quia inter Chriſtum & Belial nulla communio Tertull. l. de pall. c. 4. eſt, etiam quoad veſtem volebant à gentilibus diſcrepare. Communis verò tum gentilium veſtis erat toga. Hinc enim Tertullianus: *Et cerdones & omnis gladiatorum ignominia togata producitur.* Quia nempe ea erat generaliſſima veſtis Cap. 5. Romana. Proinde Chriſtiani aſſumpſere pallium, veſtem humilem ac Philoſophicam, congruam humili philoſophiæ Chriſtianorum. Hinc iterum Tertullianus. *Enim verò cum hanc pri-* Cap. 4. *mùm ſapientiam veſtit, quæ vaniſſimis ſuperſtitionibus renuit, tunc certiſſimè pallium ſuper omnes exuvias & peplos auguſta veſtis, ſuperque omnes apices & titulos ſacer-ſuggeſtus deducit oculos. Suadeo, revereri habitum, unius interim erroris renunciatorem.* Et infra. *Gaude pallium & exulta, me-* Cap. 6. *lior jam te Philoſophia dignata eſt, ex quo Chriſtianum veſtire cæpiſti.* Vocat habitum erroris renunciatorem. Quia nempe cum renunciationibus in baptiſmo fieri conſuetis aſſumebatur. Hinc enata hæc paganorum in Chriſtianos dicteria. *Impoſtor & græcus eſt. De toga ad pallium.* Id eſt, *ab equo ad aſinum.* Et ita quidem fuit, quouſque recens Domini ſanguis in fidelium cordibus bulliebat. At poſtquam plenitudo gentium intravit, neque ſolum ſtellæ cæli, ſed etiam Arenæ maris Chriſtianum nomen aſſumpſerunt potius quam mores, fervor ille deferbuit; omne primæ Chriſtianitatis aurum degenerare cæpit in ſcoriam, purumque vinum miſceri aqua. Attamen reliquit nobis Dominus ſemen: Suſcitavit religioſas congregationes, in quibus Apoſtolica, germaneque Chriſtiana primorum fidelium vita, tamquam in firmiſſimo ac ſempiterno riſco, integrè cuſtodiretur. Hic etiam cuſtoditur diſtinctus ac ſpecialis amictus, utpote non minima portio primævæ pietatis. Hanc ergo tam bonis anchoris ſubnixam, ac per omnes ſub cælo Eccleſias uſitatam conſuetudinem noluit Auguſtinus ab Africa exulare.

CAPUT XVIII.

De Auguſtini caligis ac calceis.

VIdeamus nunc; quem & qualem veſtem ſuis fratribus præſcripſerit. Primò itaque Auguſtinus inceſſit caligatus ac calceatus. Teſtatur id ipſe, dum ſuo populo hunc S. Lucæ locum, *Nolite portare ſacculum, neque peram,* Cap. 10. *neque calceamenta, & neminem per viam ſalutaveritis,* exponit & dicit. *Calceamenta quid ſunt;* Serm. 42. de ſanct. c. 6. *Calceamenta, quibus utimur, coria mortuorum ſunt, nobis tegmina pedum. Per hoc ergo jubemur renunciare mortuis operibus. Hoc in figura Moyſes admonebatur, quando Dominus loquens ait. Solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt. Quid jam terra ſancta, quam Dei Eccleſia? In illa ergo ſtemus, calceamenta ſolvamus, id eſt, mortuis operibus renunciemus. Nam de his calceamentis, quibus calceati ambulamus, conſolatur me idem ipſe Dominus meus. Si enim ipſe calceatus non eſſet, non de illo Joannes diceret, Non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum. Sit ergo obedientia, non ſurrepat ſuperba duritia. Ego, inquit, Evangelium impleo, quia nudo pede ambulo. Tu potes, ego non poſſum. Quod ſimul accipimus, cuſtodiamus. Quomodo charitate flagremus, invicem diligamus. Ac ſic fit, ut ego amem fortitudinem tuam, & tu portes infirmitatem meam. Quid autem tibi videtur, qui non vis intelligere, quemadmodum iſta dicta ſint, & cogeris pravè ipſi Domino calumniari, de loculis, & calceamentis.* Scribit iſta Auguſtinus adverſum hæreſin iſtam tunc adhuc vivantem, de qua ipſe ad S. Quodvultdeum, Diaconum Eccleſiæ Carthaginenſis. *Eſt alia hæreſis nudis pedibus ſemper* Cap. 68. *ambulantium, eo quod Dominus dixerit ad Moyſen vel ad Joſue, Solve calceamentum de pedibus tuis. Et quod Propheta Eſaias nudis pedibus juſſus fuerit ambulare. Inde ergo hæreſis eſt, quia non propter corporis afflictionem ſic ambulant, ſed quia teſtimonia Divina taliter intelligunt.* Bene notanda eſt hæc clauſula. Propter corporis quippe afflictionem ita ambulare, antiquiſſimum atque ſanctiſſimum eſt. Neque ſolum à monachis, ſed etiam à quibuslibet olim Chriſtianis uſitatum. Pro monachis teſtis eſt S. Hieronymus, dicens adverſus Jovinianum monachum Apoſtatam;

Autem

Lib. 2. c. 13. *Antea nudo eras pede, modo non ſolùm calceato, ſed & ornato*. Nec non ſanctus Gregorius Nazianzenus inter monachorum exercitia ponens nudos pedes more Apoſtolorum. Orat. de pace. Hinc etiam ſanctus Fulgentius monaſterium, ſanctus autem Alipius nudipes quandoque obambulabat Italiæ ſolum glaciale. Pro antiquis autem Chriſtianis teſtificatur ſanctus Clemens Alexandrinus. L. 2. Pædagog. cap. 22. *Viro pulchrè convenit nullos habere calceos, præterquam ſi militet. Calceatum enim eſſe non parvam habet affinitatem cum eo, quod eſt eſſe ligatum. Optimum eſt exercitationis genus nudis uti pedibus, & ad ſanitatem, & ad expeditam facilitatem, ubi non prohibeat neceſſitas. Quod ſi iter non ingrediamur, nec nudis incedere pedibus pati poſſimus, ſoleis utendum eſt*, &c. Unde & Lucianus Chriſtianum amictum deſcribit hiſce verbis. *Pallium putre, ſine calceis & tegmine capitis incedens detonſa coma.* Quæ atque alia his ſimilia dum lego aut audio, non mirior quod ſanctus martyr Ignatius fidem ac profeſſionem Chriſtianam paſſim vocet *pœnitentiæ Religionem*. Interim parvum, hæreticum, infructuoſum, noxium eſt, ea agere ac pati ex perverſo intellectu ſcripturæ. Ea lepra laborabant monachi Ægyptii: De iis enim ita ait Joannes Caſſianus. L. 1. Inſtit. c. 10. *Calceamenta verò velut interdicta Evangelico præcepto recuſantes, cum infirmitas corporis, vel matutinus hyemis rigor, ſeu meridiani æſtus fervor exegerit, tantummodo caligis ſuos muniant pedes*. Quaſi verò caligæ eſſent calceis mundiores aut ſanctiores. Alardus Gazæus errorem hunc eorum ruſticati attribuit, atque ita ab illis defricare conatur. At neſcio an bene. Jam pridem quippe potum iſtud Chriſti aurum in Origenis atque Antropomorphitarum ſcoriam demutari cœperat, iſtudque contagium pedetentim ita profecit, ut non ita dudum poſt ſancto Fulgentio Ægyptiacas ſolitudines meditanti veraciter reſponderit ſanctus Eulalius Epiſcopus Syriacuſanus. *Scis, quoniam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Cap. 12. *Terras, ad quas pergere concupiſcis, à communione Beati Petri perfida diſſenſio ſeparavit. Omnes illi monachi, quorum prædicatur mirabilis abſtinentia, non habent tecum altaris Sacramenta communia. Quid ergo proderit affligere jejuniis corpus, ubi ſolatiis ſpiritualibus indigebit anima?* In iſtis namque deſertis, non ampliùs Chriſtus, ſed Origenes, Pelagius, Neſtorius, Dioſcorus, Eutyches, Antropomorphitæ, Euchitæ, Maſſaliani, aliique id genus aſpides ac dracones ubique habitabant. De his enim uſque Alexandriam volantibus ad Leonem Auguſtum ſcribit ſanctus Leo Papa magnus. Epiſt. 75. c. 5. *Alexandrina Eccleſia, quæ ſemper fuit domus orationis, ſpelunca nunc eſt latronum. Manifeſtum quippe eſt, per crudeliſſimam inſaniſſimamque ſævitiam, omne illic cæleſtium Sacramentorum lumen extinctum. Intercepta eſt ſacrificii oblatio, defecit Chriſmatis ſanctificatio, & parricidalibus manibus impiorum omnia ſe ſubtraxere myſteria. Nec ullo modo ambigi poteſt, quid de his decernendum ſit, qui poſt nefanda ſacrilegia, poſt ſanguinem probatiſſimi Sacerdotis effuſum, & concremati corporis cinerem in contumeliam aeris cælique diſperſum, audent ſibi jus perſuaſæ dignitatis expetere, & Apoſtolicæ doctrinæ inviolabilem fidem ad concilia provocare*. Hæc ſcandala pro Pſeudo-Epiſcopo Timotheo Æloro aſpides iſti eo tempore evomuerunt. Et quoniam Ægyptus ac Africa confines ſunt, de iſta in hanc etiam Auguſtini tempore irrepſerunt, ibique deſpumarunt virus ſuum de opere manuum, de barba ac capite comato, atque etiam de calceamentis. Adverſùm ipſos Auguſtinus ea è ſuggeſtu antidota populo ſuo propinabat. At inquies, calceamenta prohibentes ſcripturæ non omni penitùs colore veri carent, quis ergo eſt earum legitimus atque orthodoxus ſenſus? Reſpondeo rem [illegible] eſſe alterius loci, modò ſufficit oſtendiſſe Auguſtinum fuiſſe calceatum. Interim vide ipſum, tum in iſto præfato ſermone, tum in opere de conſenſu Evangeliſtarum. Lib. 2. c. 30.

CAPUT XIX.

De Auguſtini interula atque orario.

Geſtavit etiam Auguſtinus interulam lineam, nequaquam laneam. Ita teſtatur ipſe, ubi hæc Sapientis de forti muliere verba, *Operata eſt lanam & linum*, populo ſuo exponit ac dicit. Serm. 45. de diverſ. c. 5. *Quæritur à nobis, quid ſit lana, quid ſit linum? Lanam carnale aliquid puto, linum ſpiritale. Hoc conjicere audeo ex ordine veſtimentorum noſtrorum: Interiora ſunt enim linea veſtimenta, lanea exteriora*. Attamen non geſtavit orarium. Etenim de ſancto Epiſcopo Fulgentio monaſticum amictum retinente dicit Auctor iſte incognitus. Cap. 12. *Orario, ſicut omnes Epiſcopi, nullatenus utebatur*. Orarium namque monacho non convenire, patet ex hoc canone non ita dudum poſt edito in primo Concilio Aurelianenſi. Cap. 9. *Monachus in monaſterio orarium vel zonas non habeat*. Verùm quid eſt orarium? Gloſſa ait eſſe peplum ſeu muliebre velamen. At grandi injuria monachorum Francorum: una quippe ait monachos iſtos adeò deosè in muliebria illa defluxiſſe, ut objecto per Concilium repagulo cohiberi debuerint, quoniam bonæ conciliorum leges ex malis noſtris moribus enaſci conſueverunt. Dico itaque Orarium eſſe vocem æquivocam, binæ ſignificationis. Prima ſignificatio, eaque famoſior, ſignificat eam ſacerdotalis veſtimenti partem, quam paſſim appellamus ſtolam. In hac ſignificatione loquitur Concilium Laodicenſe. C. 22. 23. *Miniſtrum non oportet orario uti, nec oſtia derelinquere. Quoniam non oportet Lectores aut Pſalmiſtas orariis uti, & ſic legere aut Pſallere*. Cap. 39. Et quartum Concilium Toletanum. *Unum orarium oportet Levitam geſtare in ſiniſtro humero, propter quod orat, id eſt, prædicat. Dexteram autem partem oportet habere liberam, ut expeditiùs ad miniſterium ſacerdotale diſcurrat. Caveant ergo Levitæ gemino uti orario, ſed uno tantùm, & puro, nec ullis coloribus aut auro ornato*. Cap. 27. Et primum concilium Bracharenſe. Cap. 3. *Placuit, ut Diaconus ſuperpoſito ſcapulæ utatur orario*. Et tertium Bracharenſe. *Quando Sacerdos miſſam celebraturus accedit, non aliter accedat, quam orario utroque humero circumſeptus, ſicut & quando fuit conſecratus, ita ut de uno eodemque orario cervicem pariter & utrumque humerum premens, ſignum in ſuo pectore præ-*

paret

paret crucis. Si quis aliter elegerit, excommunicationi ſubjaceat. Hi omnes canones etiamnum in uſu ſunt ac viridi obſervantia. Etenim clerici minores non utuntur ſtola, ſacerdotes eam per utrumque humerum, Diaconi dumtaxat portant in uno. Modò tamen portant in ſcapula dextra: quoniàm etiam ea portatio apta eſt ſacræ ſignificationi. At de hoc oratio non loquitur Auctor iſte incognitus: Abſit enim, ut ſacrificans Fulgentius omiſerit conſuetum in Eccleſia habitum Sacerdotis. At inquies, cur
Cap. 18. ergo Auctor iſte ſubdit. *Suæ continentiæ Deo teſte fiducia gerens, in qua tunica dormiebat, in ipſa ſacrificabat, & in tempore ſacrificii mutanda eſſe corda potiùs, quam veſtimenta dicebat.* Reſpondeo Fulgentii verba fuiſſe ſanctiſſima. Neque enim dixit ſacerdotalia ornamenta à ſacrificante non eſſe ſuperinducenda; nullo modo: Dixit mutanda non eſſe veſtimenta noſtra quotidiana, in quibus dormimus aut manibus operamur, tamquam ea immunda aut Deo inviſa ſint, hominemque ſuo contagio polluant: Mutanda non dixit corda ſola; abſit: Etenim etiam veſtimenta mutari poſſunt, at mutanda ſunt corda potiùs. Dixit & factitavit iſta adverſum ſuperſtitioſos ſibilos iſtorum aſpidum Ægyptiorum: Etenim in Ægypto ejuſmodi nugas ſerviliter obſervabant, ac hiſce forſan temporibus per Africam eructabant. Altera ergo orarii ſignificatio ſignificat eam veſtimenti, vel potius ornamenti partem, quam nos dicimus collare. In hac loquitur S. Hieronymus ſcribens
Epiſt. 2. c. 11. Nepotiano. *Non abſque amictu lineo incedere, ſed pretium veſtium linearum non habere, laudabile eſt. Alioquin ridiculum & plenum dedecoris eſt, referto marſupio, quod ſudarium orariumque non habeas, gloriari.* Et Pontius Diaconus in paſſione glorioſi martyris Cypriani. *Fratres flentes linteamina & oraria ante eum ponebant, ne ſanctus cruor defluens abſorberetur à terra.* Id eſt, ante eum ponebant ſudaria, collaria, & quidquid apud ſe habebant lini, ſacrum iſtum ſanguinem excepturi. Eadem ſignificatione loquitur primum concilium Aurelianenſe, oraria ac zonas monachis interdicens. Verùm quid concilium iſtud ſibi vult per zonas? An forſan interdicit monachis zonas iſtas, quas Helias Propheta, Joannes Baptiſta, Apoſtolus Paulus, atque eorum exemplo omnes antiqui monachi geſtaverunt? Nullo modo. Abſit id à ſanctiſſimis iſtis Epiſcopis Gallicanis. Aliqui putant prohiberi zonas iſtas, de quibus dixit Magiſter Deus in Evangelio, *Neque pecuniam in zonis veſtris*, id eſt, occultam proprietatem. Verùm iſte ſenſus eſt nimium myſterioſus, neque ſolent Epiſcopalia concilia ſuos canones, quos ob omni populo intellectos atque obſervatos oportet talium ænigmatum involucris obvelare. Dico ergo eſſe fædum atque in Gratiani decreto & conciliorum tomis corrigendum mendum: legendum eſt, *Zancbas*. Qua voce Trebellius Pollio barbarici calcei genus ait ſignificari. Ea quippe Aurelianenſis Synodus habita eſt iis temporibus, quibus Gothi, Franci, aliique Barbari per Gallias graſſabantur. Barbari porrò iſti geſtabant ſuperbum calcei genus, calceos cornutos; irrepſerantque illi eum aliis Barbarorum moribus non ſolum in populum ac clerum, ſed etiam in monachos, idque tanto impetu, ut publico provincialis Synodi decreto debuerint prohiberi. Prohibet itaque Synodus iſta à monachis geſtari cornutos calceos & oraria, id eſt, bellula collaria, apertam vanitatem, quam omnem rurſus hoc noſtro tempore in quibuſdam Eccleſiaſticis videmus redivivam. Ambæque hæ ſignificationes ſunt legitimæ. Orarium quippe non ab ore, ut quidam errant, ſed ab ora derivatur, ab ora veſtimenti, de qua ſanctus Auguſtinus. *Quid* Pſalm. 132.
eſt ora veſtimenti? Ora finis veſtimenti eſt. Quia ergo tam ſacerdotalis ſtola, quam quodvis collare ſunt, non ipſæ veſtimentorum oræ ſeu fines, ſed finium ſeu orarum obvolucra, velamina ac ornamenta, rectè vocantur oraria. Et hoc poſterius eſt orarium iſtud, quo fratres ſancti Auguſtini non utebantur.

CAPUT XX.

De Auguſtini cucullo ac pallio.

RAtio porrò hujus eſt. Quia Auguſtinus ac Eremitæ ejus amiciebantur capitio ſeu cucullo, adeoque nullus in eis erat orario locus. Collaria quippe, præſertim polirula iſta, cucullo quadrant, quomodo aureus annulus naribus porci. Eremitas porrò ſuos cucullatos fuiſſe teſtatur Auguſtinus, ſic dicens ad populum. *Videns* Pſalm. 147.
tranſire ſervos Dei, cognoſcunt ipſo habitu vel veſtis vel capitis. Hic quippe diſtinctivus capitis habitus erat capicium. Hinc enim exponens verſum Pſalmi, *Sicut unguentum, quod deſcendit in oram veſtimenti ejus*, ſic dicit. *Ubi extendit fullo, niſi in ligno? Videmus quotidiè à* Pſalm. 132.
fullonibus tunicas quodammodo crucifigi. Quomodo intelligimus, in quam oram dicit, quod potuit deſcendere unguentum? Non puto, quod oram veſtimenti in lateribus voluit intelligi, ſunt enim oræ in lateribus: Sed à barba deſcendere unguentum ad oram potuit, quæ in capite eſt, ubi aperitur capitium. Tales ſunt, qui habitant in unum, ut quomodo per oras iſtas intrat caput hominis, ut veſtiat ſe, &c. Plenè hic habemus monaſticam Auguſtinianæ veſtis formam. Primò, erat tunica conſueta à fullonibus in ligno crucifigi: Hoc eſt, non erat colobium, ſed tunica manicata. Deinde, homo illam induens intrare debebat per oram ſuperiorem: Hoc eſt, non erat antè aperta, ſed clauſa per totum. Poſtremò, habebat oram, ubi aperiebatur capitium; Hoc eſt, erat verus bardocucullus, qualem hodie gerunt fratres Minores Capuccini. De manicarum forma nil habeo quod dicam. Et hic bardocucullus eſt pallium iſtud, de quo dicit auctor incognitus in vita S. Fulgentii. *Caſulam pretioſam* Cap. 18.
vel ſuperbi coloris nec ipſe docuit, nec monachos ſuos habere permiſit. Subtus caſulam nigello vel lactineo pallio circumdatus inceſſit; quando temperies aeris invitabat, ſolo pallio intra monaſterium coopertus. At quale, inquies, pallium iſtud? Reſpondeo, antiquum omnium Chriſtianorum pallium, adverſus quod hic famoſus gentilium ſarcaſmus, *De toga ad Pallium*, quodque ex intervallo ad ſolos monachos tranſiit,

uti

uti patet ex hoc canone concilii Gangrenſis. *Si*
Can. 12. *quis virorum putaverit ſancto propoſito, id eſt conti-*
nentiæ convenire, ut pallio utatur, tamquam ex eo
juſtitiam habituras, & reprehendat alios, qui cum
reverentia birris utuntur, & alia veſte communi,
quæ in uſu eſt, anathema ſit. Euſtatius qui-
dam, neſcimus quis aut unde, indignatus pal-
lium, amictum utique humilem ac Chriſtiano
aptum, una cum aliis bonis moribus in diſſuetu-
dinem abire, ideoque jam multis Chriſtianis
objici poſſe, quod olim pallii oſoribus paganis
Lib. de exprobrarat Tertullianus, *Veſpillo, leno, laniſta*
pall. c.4. *tecum veſtiuntur*, pallii uſum reſumpſit ac patro-
cinium, cæpitque à verò devius pallium tam-
quam omnibus ad ſalutem ac juſtitiam neceſſa-
rium prædicare. Hanc ejus inſaniam damnat
concilium, pallium verò ſalvum apud mona-
chos manſit, quomodo vita communis, nudi
pedes, aliaque plura primorum Chriſtianorum.
Hinc enim ſanctus Hieronymus adversùm mona-
Epiſt.23. chiſmi obtrectatores. *Nos quia ſerica veſte non*
utimur, monachi judicamur: Quia ebrii non ſumus,
nec cachinno ora diſſolvimus, continentes vocamur
& triſtes: Si tunica non ſplenduerit, ſtatim illud è
Præfat. *trivio, Impoſtor & græcus eſt.* Hoc eſt, Græco-
ad lib. de rum more, hypocrita & palliatus. *Quoniam*
pall. *enim*, inquit Beatus Rhenanus, *Græcorum ge-*
ſtamen erat pallium, ut toga Romanorum, & Chri-
ſtiani frugalitatis gratia pallio veſtiebantur tam-
quam veſte ſimpliciori & philoſophica, factum eſt, ut
vulgari convicio, qui noſtris ſacris initiati forent,
græci vocarentur, & ab injectione pallii, quod tuni-
cæ ſuperimponebant, etiam imponentes, ut ita di-
xerim, ſive impoſitores. Nam pallium, ut Tertul-
lianus inquit, interulæ obſeſt, cujus tota molitio
operire ſolutim, id eſt, uno interjectu. Quoties ergo
Chriſtianus aliquis prodiſſet, ſtatim illud è trivio au-
diebat, Græcus & impoſtor. Id ſimpliciter accipie-
bat indoctum vulgus ob pallii ſuperimpoſitionem,
cæterùm litterati figuratum morſum intelligebant in
vocabulo impoſtor, quod eſt deceptor & homo men-
tiens ſanctitatem. Hic, inquam, figuratus mor-
ſus una cum ſua veſte jam pridem apud ſolos mo-
nachos fuerat, ac etiamnum Hieronymi tempo-
re apud ipſos permanebat. Hujus porrò pallii
formam colligere licet ex quibuſdam Tertul-
Cap.1. liani locis inter ſe collatis. Dicit enim. *In vi-*
rie pallii extrinſecus habitus, & ipſe quadrangu-
lus, ab utroque laterum egeſtus, & cervicibus cir-
cumſtructus, in fibulæ morſu humeris acquieſcebat.
Et iterum. *Prius etiam ad ſimplicem ſpecta te-*
lam ejus: Nullo tædio conſtat. Adeò nec artifice
opus eſt, qui pridiè rugas ab exordio formet, & in-
de deducat in tilias, totumque contracti umbonis fi-
gmentum cuſtodibus forcipibus aſſignet: De hinc dilu-
culo tunica prius cingulo correpta, quam præſtabat
moderatiorem texuiſſe, recognito rurſum umbone,
& ſi quid exorbitavit reformato, partem quidem de
lævo promittat, ambitum verò ejus, ex quo ſinus
naſcitur jam deficientibus tabulis retrahat à ſcapu-
lis, & excluſa dextera in lævam, adhuc congerat
cum alio pari tabulato in tergo devoto, atque ita ho-
minem ſarcina veſtiat. Conſcientiam denique tuam
perrogabo, quid te prius in toga ſentiat, indutum
anne onuſtum? Habere veſtem, an bajulare? Si
negabis, domum conſequar, videbo, quid ſtatim
à limine properes, nullius profectò indumenti alte-
Cap.5. *rius expoſitio quam togæ gratulatur. At enim pallio*
nihil expeditius, etiam duplex, quod cræteris more
nuſquam veſtiendo componitur: Quippe tota molitio
ejus operire eſt ſolutim, id eſt, uno interjectu, li-
cet equidem nuſquam inhumano, ita omnia hominis
ſimul contegit. Humerum velans exponit & includit:
Cætero qua in humerum adhæret, nihil circumful-
cit, nihil circumcingit, nihil de tabularum fide la-
borat, facilè ſeſe regit, facilè reficit, etiam cum
exponitur, nulli cippo in craſtinum demandatur.
Si quid interulæ ſupereſt, vocat zonæ tormentum. Cap.6.
Primò itaque, pallium erat ex ſimplici materia.
Deinde, erat veſtimentum leve, quod homi-
nem merè veſtiebat, nequaquam quomodo to-
ga gravabat, ideoque nec domi deponebatur,
deponebatur autem toga. Quo reſpiciens au-
ctor iſte incognitus dicit de ſancto Fulgentio:
Quando temperies aeris invitabat, ſolo pallio intra
monaſterium coopertus inceſſit. Hoc eſt, ſine ca-
ſula, ſine hac enim prodire foras nefas erat.
Tertiò, erat veſtis quadrangula, id eſt, ex
quatuor partibus quatuor angulos mutua junctu-
ra facientibus confecta. Utique more pallii Ju- Deuter.
daici per Apoſtolos ad Chriſtianos derivari. cap.
Quartò, erat tunica talaris, verùm ſine ſyrma-
te ac terræ contactu. Hinc enim *nihil de tabu-*
larum fide laborans facilè ſe regebat, id eſt, non
laborans de fide pavimenti aut plateæ, an ſicca
forent, num luto maderent. Quintò, erat ve-
ſtis levis: *Pallio quippe nihil expeditius, etiamſi*
duplex quis indueretur. Sextò, erat commo-
dum, non premens hominem tormento zonæ:
licet namque, more togæ, interulæ, id eſt,
veſtimentis inferioribus, campeſtri ac thoraci,
ſuperijceretur, non debuit tamen firmiter con-
ſtringi, ne fluxu ſuo lutum ſibi admiſceret.
Septimò, non erat veſtis nimium laxa: Erat
enim inſtar cræteris, nuſquam veſtiendo com-
ponebatur, id eſt, complicabatur. Hinc *opus*
non habet artifice, qui pridie rugas ab exordio for-
met, & inde diducat in tilias, facilè ſe reficit, etiam
cum exponitur, nulli cippo in craſtinum demanda-
tur. Cippus eſt lignum bipatens, in quo ſontium
pedes includuntur. Hinc ducta metaphora, to-
gæ cippus eſt ligneum iſtud prælum, quo toga
originales ſuas, quas ab artifice acceperat, plicas
conſervatura, quotidiè ritè complicata ſtringe-
batur. Hiſce omnibus, nempe plicatum artifi-
ce, earumque cuſtode cippo pallium non indige-
bat. Octavò, omnia hominis ſimul contegebat.
Nonò, operiebat ſolutim, id eſt, unico interje-
ctu, vel juxta alios codices, circumjectu: Quia
videlicet uno jactu totum corpus circumſcribe-
bat. Decimò, *ab utroque laterum regeſtum, & cer-*
vicibus circumſtructum, in fibulæ morſu humeris ac-
quieſcebat. Hoc eſt, erat veſtis ad utrumque la-
tus æqualiter fluens, ad cervicem autem conſtri-
cta, idque per firmam fibulam, atque ita in hu-
meris more togæ non fluitabat, ſed acquieſcebat.
Undecimò, *humerum velans exponit & includit.*
Id eſt, ita tegit humerum, ut tamen is non de-
ſinat in nativa ſua forma apparere. Poſtremò
tandem, *qua in humerum adhæret, nihil circum-*
fulcit, nihil circumcingit: Hoc eſt, non habet
alas & ſpiras, quibus in varios corpus multifa-
riam

riam obvoluentes gyros poſſit complicari. Uno
verbo, erat tale veſtimentum, quale modò fer-
mè eſt fratrum noſtrorum talaris caſacca. Hu-
juſmodi veſtimentum geſtavimus jam à tempore
ſancti Auguſtini: Et quia ei capitium adjectum
erat, erat veros bardocucullus.

CAPUT XXI.

De Auguſtini caſula.

SUpra hunc bardocucullum geſtabat Auguſti-
nus caſulam. Hinc enim Auctor iſte inco-
Cap. 18. gnitus de ſancto Fulgentio. *Caſulam pretioſam
vel ſuperbi coloris nec ipſe habuit, nec monachos ſuos
habere permiſit. Subtus caſulam nigello vel lactineo
pallio circumdatas inceſſit; quando temperies aeris
invitabat, ſolo pallio intra monaſterium coopertus.*
Extra clauſtrum non ibatur ſine caſola, nec in-
tra ipſum ſine pallio cucullato. Et hinc manaſ-
ſe credo Religioſam obſervantiam, qua ſicut
Franciſcani ſine fune, Carmelitæ ſine ſcapulari,
Dominicani ſine roſario, ita Auguſtiniani eſſe
non poſſint ſine cucullo. Verùm quid eſt caſu-
la? Eratne ea Sacerdotalis amictus pars, quæ
alio nomine vocatur Planeta? Nullo modo:
Neque enim monachis laicis ea congruebat.
Erat tamen veſtimentum ſimile, de quo elegan-
Ad l. 2. ter dicit Alardus Gazæus. *Planetas alii, Diony-*
Caſſ. c. 7. *ſius Planicas exponit. Videtur mihi planetica dimi-
nutivum à planeta, quæ in veſtibus ſacris alio
nomine caſula dicitur, quaſi parva caſa, quia to-
tum hominem inſtar caſæ antiquitùs tegebat. Cu-
juſmodi etiamnum in quibuſdam monaſteriis extant
planetæ ſeu caſulæ, omni ex parte clauſæ & rotun-
dæ. Hujus ergo ſimilitudine planetica ſeu planica di-
cebatur veſtis ampla & ſplendida, ad pompam &
oſtentationem compoſita, & in modum planetæ ſeu
caſulæ totum hominem circumdans: Quam putant
nonnulli derivatam à verbo* [illegible], *quod eſt,
vagor ſeu erro; eò quod ſua prolixitate & amplitu-
dine undique defflueret & velut oberraret. Unde Iſi-
dorus, Caſulas, inquit, Græci Planetas dictas
volunt, quia oris errantibus evagantur, ſicut ſtellæ
planetæ, id eſt, vagæ ſuo errore motuque diſcur-
runt.* Et hujuſmodi caſulam volebat Fulgentius
non eſſe pretioſam, neque ſuperbi coloris: Ere-
mitam quippe nigra caſula decet, nequaquam
patagium imperiale. Ea ergo caſula erat largum
ac longum epitogium ſeu potius epipallium,
quale modo geſtant Dominicani ac Carmelitæ,
qualeque in hac provincia geſtarunt non ita pri-
dem noſtri laici, olim autem fratres omnino
omnes.

CAPUT XXII.

De colore habitus Auguſtiniani.

ERatque antiqua Auguſtini, Fulgentii, alio-
rumque omnium ſub illis fratrum ac ſoro-
rum caſula nigri coloris, non minùs quam modò
Epiſtol. noſtra cappa. Hinc enim ſcribit Auguſtinus ad
199. Ecdiciam. *Quid eſt abſurdius, quam mulierem de
humili veſte viro ſuperbire, cui te potiùs expediret
obtemperare candidis moribus, quam nigellis veſtibus
repugnare? Quia etſi te indumentum monachæ de-
lectabat, &c.* Nigram quippe veſtem geſtabat
tunc omnis per Europam monachus ac monialis.
De ſancto namque Martino primo in Gallia mo-
nacho ac monachorum Patre dicit Sulpitius Se-
verus. *Martinum in veſte hiſpida, nigro & pendu-
lo pallio circumtectum vident.* De Bleſilla autem Dial. 2.
monaſticam adgreſſa ſcribit ſanctus Hieronymus cap. 4.
ad Marcellam: *Pulla tunica minùs, cum humi ja-
cuerit, ſordidatur.* Et ad eandem de ſancta Aſel-
la. *Tunicam fuſciorem induta ſe repentè Domino* Epiſtol.
conſecravit, ut intelligeret univerſa cognatio non 23.
*poſſe aliud ei extorqueri, quæ jam ſæculum damnaſ-
ſet in veſtibus.* Et adversùs Jovinianum mona- Epiſtol.
chum Apoſtatam, ſpreto cucullo jam in clero 15.
luxuriantem. *Ante nudus eras pede, jam non ſo-
lùm calceato, ſed & ornato: Tunc pexa tunica &
nigra ſabucula veſtiebaris, ſordidatus & pallidus,* Lib. 2.
& calloſam opere geſticans manum; nunc lineis & cap. 13.
*ſericis veſtibus, & Atrebatum & Laodiceæ indu-
mentis ornatus incedis.* Tam antiqui ſunt no-
ſtri Atrebatenſes. Et ad Nepotianum ſub pa-
truo Heliodoro Aquileienſi Epiſcopo clericum.
Veſtes pullas æquè devita, ut candidas. Ornatus, Epiſt. 2.
ut ſordes pari modo fugiendi ſunt, quia alterum de- cap. 11.
licias, alterum gloriam redolet. Interdicit clerico
veſtes candidas, quia eo tempore illis, homi-
nem immaculatum oſtentantes, amiciebantur
Novitiani, eiſque ſuo contactu quaſi quampiam
ſcabiem affricuerant; interdicit nigras, quia
erant propriæ monachorum. Rectè quippe dicit
Cardinalis Baronius. *Cum neque pullus neque can-* A. 393.
*didus color clericis congruere videretur, poſſumus
intelligere caſtaneum colorem nec non violaceum in
Eccleſia catholica antiquo uſu receptum, retentum-
que uſque hodie ab iis, qui familiæ ſunt ſummi
Pontificis, nec non ab alumnis Romanæ Eccleſiæ
ſeminarii, & ab aliis.* Omninò, omninò, Am-
pliſſime Cardinalis, id rectè intelligimus, tum
ex iſtis ſancti Hieronymi verbis, tum præſertim
ex hoc primo canone concilii Narbonenſis. Cap. 1.
*Nullus clericorum veſtimenta purpurea induat,
quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad re-
ligioſam dignitatem: Ut ſicut eſt devotio in mente, ita
& oſtendatur in corpore: Quia purpura maximè
laicorum poteſtate præditis debetur, non religioſis.
Quod ſi quis non obſervaverit, velut tranſgreſſo-
rem legis coercendum.* Nempe, quia color vio-
laceus purpuræ cognatus ac vicinus eſt, quo-
rumdam clericorum vanitas ac faſtus illum in
hanc pedetentim demutarat, eaque prava radix
adeo creverat, ut ei eradicandæ jam nullus
ſufficeret Epiſcopus, ſed opus eſſet ſtatuto Sy-
nodali. Auguſtinus porrò ſolos Europæ mo-
nachos viderat, hinc eorum colorem retine-
bat. Retinebat eum in caſula, non in pallio.
Dicit quippe auctor iſte incognitus de ſancto
Fulgentio. *Subtus caſulam nigello vel lactineo
pallio circumdatus inceſſit.* Ad quæ verba Baro-
nius. *Quibus vides nullam apud eos diſcrimina-* A. 504.
*tionem fuiſſe colorum, num albo vel nigro pallio
uterentur, dummodo quem exhiberet in velleribus
natura colorem, abſque delectu eum in veſtibus uſu
retinerent.* Habuit id Fulgentius à ſancto Augu-
ſtino, an hic id ab Europæ monachis acceperit,
nequeo affirmare. Hoc tamen affirmo: Auguſti-

ni

Digitized by Google

ni inſtituto non repugnare noſtram, qua domi utimur, tunicam ſeu cappam albam; ea quippe pallio, quod Fulgentius quandoque album habuit, ſucceſſit. Pallium poterat eſſe, poterat & non eſſe album: Hinc & modò alba cappa non eſt præcepti, ſed in arbitrio provinciarum.

CAPUT XXIII.

De pelliceo Auguſtini cingulo.

GEſtabat Auguſtinus cingulum pelliceum, quomodò & modò nos. Hinc enim de S.
Cap. 18. Fulgentio Auctor iſte incognitus. *Pelliceo cingulo tamquam monachus utebatur*. Utique ſuper pallium, more antiquo, de quo Tertullianus: *Si quid interulæ ſupereſt, vocat zonæ tormentum.* Non zona, ſed tormentum ejus, nempe nimium firma ligatura. Et quidem de monachorum zona eleganter dicit Baſilius in regulis fuſiùs diſpu-
Cap. 23. tatis. *Jam zonæ uſum neceſſarium eſſe, & qui ætate nobis ſuperiores fuerunt, ſancti viri declarant. Joannes quidem, qui zona pellicea ſolitus eſſe præcingere lumbos ſuos, & ante ipſum etiam Elias, quando de ejus veluti peculiari quodam inſigni ſcriptum eſt illud: Vir piloſus, & zona pellicea circa renes ejus. Quin Petrus etiam zona oſtenditur uſus fuiſſe, quemadmodum ex verbis Angeli apparet, ſic dicentis: Præcingere & calcea te caligas tuas. Similiterque B. Paulum, ex Agabi in ipſum vaticinio, zona conſtat uſum fuiſſe. Virum enim, inquit, cujus zona hæc, ſic alligabunt in Hieruſalem. Et præter hos etiam videmus à Domino præcipi Job, ſe ut præcingat. Perinde enim quaſi hoc animi & ſtrenui & ad rem gerendam expediti ſignum ſit, ſic eum alloquitur: Accinge, inquit, ſicut vir, lumbos tuos. Suneque diſcipulis etiam Domini familiarem fuiſſe zonæ uſum, ex eo etiam intelligitur, quod interdictum ipſis fuerit, ne æs haberent in zonis. Alioquin cum neceſſe ſit, ut qui per ſe ipſe aliquod eſt opus tractaturus, ſuccinctus ſit, & ad omnes corporis motiones expeditus, et neceſſaria ſit zona, qua tunica reſtringatur, & corpori preſſiùs adhæreſcat. Quin etiam ea in fines collecta, complicatque naturalem calorem magis fovebis, tolletque quidquid naturales corporis motus poſſet impedire. Quando etiam Dominus, quo tempore parabat ſe, ut diſcipulis miniſtraret, ſumpto linteo præcinxit ſe.* Hiſce ergo cauſſis & exemplis permoti Patres zonam monaſtici veſtimenti partem eſſe voluerunt, à quorum unanimi decreto noluit Auguſtinus diſſidere.

CAPUT XXIV.

De tonſura ac barba Auguſtini.

FInio, ubi aliquid dixero de barba & capite tonſo. Religiosè ac clericalis tonſuræ origines ac cauſſas edicere, longum eſt, neque noſtri inſtituti: Hoc unum dico, tonſuram capitis per omnem ſub cælo Eccleſiam monachis ac clericis ſemper fuiſſe uſitatam. Pro Eccleſia Latina teſtatur liber Damaſi de Romanis Pontificibus, dicens de Pontifice Aniceto: *Inſtituit ſecundùm præceptum Apoſtoli, ne clerici comam nutrirent.* Sic namque Anicetus ſcribit ad Epiſcopos Gallicanos. *Prohibete fratres per univerſas veſtrarum regionum Eccleſias, ut Clerici, qui laicis & ſimplicibus virtutis exemplar eſſe debent, comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſphæræ radant: Quia ſicut diſcreti eſſe debent in converſatione, ita & in tonſura & in omni habitu debent apparere.* Ad verbum *Radant* ſic dicit Severinus Binius. *Id eſt, dimiſſe tondeant. Sic enim olim fiebat, forcipibus ſcilicet, non autem novacula, ut colligimus ex Clemente Alexandrino, qui* L. 1. Pædag. c. 11.
ſic dicit. Pili tondendi ſunt, non novacula, ſed tonſorum forcipibus. Item ex Optato Milevitano, ubi arguit Donatiſtas, quod catholicis Sacerdotibus per vim capita raſerint. Et ex Hieronymo, L. 2.
ubi dicit Sacerdotes non debere comam alere, nec tamen radi, ſed ita tonderi, ut cutis tecta maneant. Ad c. 44. Ezechiel.
Quæ gloſſa eſt nonnihil diſcutienda. Et primum quidem S. Clemens Alexandrinus ſic habet. *Virorum quidem ſit raſum caput, niſi fortè pilos criſpos habent. Barba autem hirſuta. Intorti autem capilli ne à capite nimiùm dimittantur in comam muliebrem delabentes: Viris enim barba ſufficit. Quod ſi quis etiam barbæ nonnihil tondeat, ea tamen non eſt omnino denudanda, eſt enim turpe ſpectaculum: Barbæque uſque ad cutem tonſus non videtur multum abeſſe à vulſione & lævore. Quoniam autem non decoris gratia, ſed propter circumſtantiam accipitur tonſus, pili quidem capitis, ne ſi creſcunt, deſcendentes viſum impediant, & fortè qui in ſuperiori labri parte inter comedendum polluuntur, tondendi ſunt, non novacula, eſt enim illiberale: ſed tonſorum forcipibus. Barbæ autem pili, qui nihil moleſtiæ afferunt, non ſunt vexandi: ut qui vultus gravitatem afferant, & quemdam paternum terrorem incutiant.* Agit, non de Clericali corona, ſed de tonſu ſeu tonſura laici Chriſtiani, dicitque varia. Primò dicit cæſariem non poſſe eſſe muliebrem & longam: quod utinam audiant populi noſtri moderni. Secundò dicit ſuperioris labri pilos, eò quod inter comedendum impedire ac pollui ſoleant, eſſe attondendos, non novacula, ſed forcipibus tonſorum. Tertiò dicit barbam debere manere integram, ita tamen ut ſi nimia fuerit, parum tonderi poſſit, nequaquam tota denudari. Utique ritu græco, ubi omnes, etiam Sacerdotes, ut mox dicturus ſum, fuere longo-barbi. Datque hujus rei cauſſam. Quia *barbæ ad cutem uſque tonſus non videtur multum abeſſe à vulſione & lævore.* Hoc eſt, ab iſto vitio, quod Catholica Eccleſia ſemper execrata eſt, quo effæminati juvenes, ut ſemper lævi ac formoſi eſſent, ſolebant ſibi primam lanuginem vellere, atque ita barbam, Dei opus & virilis ſexus ornamentum, in ſuis radicibus præfocare. Proinde iſte S. Clementis locus nihil facit ad noſtrum præſens propoſitum de corona clericali.

Longè minùs ad ipſum facit locus S. Optati Epiſcopi Milevitani. Non enim de corona ſeu tonſura in Clericum agit, ſed de tonſura in publicum pœnitentem. Arguit Donatiſtas, quod eis non ſuffecerit quoſcumque à ſe circumſcriptos orthodoxos Diaconos, Presbyteros, ac Epiſcopos de clero depoſuiſſe atque inter laicos abjeciſſe; ſed quod inſuper, contra omnem

Ec-

Eccleſiæ diſciplinam, eos coegerint, licet nou ad pœnitentiam plenam, tamen ad tertium pœnitentiæ gradum: Hoc eſt, quod eos coegerint coram ſtante populo publicè in Eccleſia ante apſidem genua flectere, qnod eis tamqnam pœnitentibus totum caput raſerint ac decalvarint, quod eorum raſum caput cilicio velarint, quodque eis tamqnam laicis manus impoſuerint. Qnod enim ea manus impoſitio, quam Diaconus, Preſbyteris, atque Epiſcopis, contra Eccleſiæ Diſciplinam impendebant Donatiſtæ, & de qua Romæ damnatus eſt Donatus à Caſis nigris, fuerit non reordinatio, ſed manus impoſitio in pœnitentiam, & ſupra ſatis dixi, & clariſſimum eſt ex biſce ſcurrilibus verbis, quæ ad Socios ſuos dixit impius Purpurius Epiſcopus Limatenſis. *Exeat buc quaſi imponatur illi manus in Epiſcopatu, & quaſſetur illi caput de pœnitentia.* Loquitur, ecce, ſcurra iſte more proſtitutorum Nebulonum, qui Eccleſiaſticos ritus, ipſaque ſacroſancta Jeſu Chriſti Sacramenta vocibus ſcurrilibus ſolent ſcurriliter enunciare. Blaterabant Donatiſtæ Cæciliani Epiſcopalem ordinationem, utpote à Felice traditorum Codicum reo Epiſcopo factam, eſſe irritam ac nullam: Quos irridens Cæcilianus paſſim dicebat: *Si Felix in me, ſicut iſti arbitrantur, nihil contulit, ipſi tamquam adhuc Diaconum ordinent.* Eique dicto dabat Purpurius jam dictum ſcurrile reſponſum, cujus bic erat ſenſus: Veniat, imponemus ei manus, non in Epiſcopalem ordinationem, ſed in pœnitentiam, quomodo fecimus omnibus aliis. Etenim impoſitionem manuum in pœnitentiam vocabat ſcurra iſte capitis de pœnitentia quaſſationem, phraſi, ut dixi, penitus ſcurrili. Senſus, inquam, iſtius ſcurræ erat bic: Veniat, impendemus ei manus impoſitionem, non qua ex Diacono proficiat in Epiſcopum, ſed qua ex Diacono degradetur in laicum, fiatque ad omne omnino Eccleſiaſticum miniſterium plenè atque irreparabiliter irregularis. Et quidem ex iſta ſcurrili phraſi palam patet, quam manus impoſitionem tum Donatiſtæ impenderent Sacerdotibus orthodoxis. Patet item iſtam capitis raſuram nihil facere ad rem præſentem. Et ut dicam quod ſentio, mallem ego tales non apponi antiquis Eccleſiæ decretis: Rem enim per ſe obſcuram faciunt longè obſcuriorem.

Neque etiam ad rem præſentem facit locus ſancti Hieronymi, qui ſic ſe babet. *Quod autem ſequitur, Caput ſuum non radent, neque comam nutrient, ſed tondentes attondebunt capita ſua, perſpicuè demonſtratur, nec raſis capitibus, ſicut Sacerdotes cultoreſque Iſidis atque Serapis, nos eſſe debere: Nec rurſum comam demittere, quod propriè luxurioſorum eſt, barbarorumque & militantium: Sed ut boneſtus babitus Sacerdotum facie demonſtretur. Pro quo dixere Septuaginta, Capita ſua non radent, & comas ſuas ad preſſum non tondebunt, ſed operientes operient capita ſua. Juxta quod dicimus, nec calvitium eſſe novacula faciendum, nec ita ad preſſum tondendum caput, ut raſorum ſimiles eſſe videamus, ſed intantum capillos eſſe dimittendos, ut operta ſit cutis.* Non agit Hieronymus de tonſura Sacerdotalis coronæ, ſed de univerſi Sacerdotalis capitis tonſura, dicitque iſtud neque debere eſſe totum raſum, neque pleno fluxu capillatum: Dicit capillitium noſtrum debere eſſe boneſtum ac breve. Dico itaque Sacerdotalem coronam paſſim fuiſſe raſam, prout præcepit atque inſtituit ſanctus Papa Anicetus. Inſtituit, id eſt, adversùm quoſdam aviti moris tranſgreſſores novo decreto firmavit. Idque ſecundùm præceptum Apoſtoli. Non iſtud generale, quo omnem virum à nutriendis more muliebri capillis prohibet Paulus, ſed quampiam ſpecialem pro clericis Apoſtolicam tradicionem. Hoc ipſum teſtatur & quartum Concilium Carthaginienſe. *Clerici nec comam nutriant nec barbam.* Cap. 44. Et quartum Concilium Toletanum. *Omnes clerici vel Lectores, ſicut Levitæ & Sacerdotes,* Cap. 40. *detonſo ſuperiùs capite toto, inferiùs ſolam circuli coronam relinquant: Non ſicut huc uſque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis, in ſolo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iſte in Hiſpaniis bucuſque Hæreticorum fuit. Unde oportet pro amputando in Eccleſia ſcandalo, hoc ſignum dedecoris auferatur, & ſit una tonſura vel babitus, ſicut totius Hiſpaniæ eſt uſus.* Pro Eccleſia vero græca teſtatur ſanctus Epiphanius dicens de quibuſdam in Meſopotomia monachis Hæreticis. *Comas muliebres producunt, & ſacco conſpicuo incedunt.* Hæreſ. 80. *Alienum autem eſt à catholica Eccleſia ſaccus conſpicuus, & coma extenta à prædicatione Apoſtolorum.* Et ſanctus Salvianus Maſſilienſis Epiſcopus dicens de excidio Africæ ac præſertim civitatis Carthaginienſis. *Non ſine cauſſa iſtud fuit: Quod* Lib. 8. de provid. Dei. *intra Africæ civitates, & maximè intra Carthaginis muros, palliatum & pallidum, & receſis comarum fluentium jubis ad cutem tonſum videre tam infelix ille populus quam infidelis ſine convicio atque execratione vix poterat. Et ſi quando aliquis Dei ſervus aut de Ægyptiorum cœnobiis, aut de ſacris Hieroſolymorum locis, aut de ſanctis eremi venerandiſque ſecretis ad urbem illam officio divini operis acceſſit, ſimul ut in populo apparuit, contumelias & ſacrilegia & maledictiones excepit. Nec ſolùm hoc, ſed improbiſſimis flagitioſorum hominum cachinnis, & deteſtantibus ridentium ſibilis, quaſi taureis cædebatur.* En non ſoli Afrorum deſertorum incolæ, ſed etiam cœnobitæ Ægyptii ac Hieroſolymitani erant tonſi uſque ad cutem. Et Photius Pſeudo-Epiſcopus Conſtantinopolitanus ad Nicolaum Papam primum de variis Eccleſiæ Latinæ & Græcæ quoad ritus differentiis ſic ſcribit inter cætera. *Apud nos monachi babitum nemo unquam in clerici commutarit; nonnulli autem, cum voluerint monachum ad Epiſcopi faſtigium attollere, cum orbiculariter tondentes, priorem babitum immutant.* Hi nonnulli alii erant omnes Latini. Hinc enim ad Proculianum Donatiſtarum Epiſcopum Hipponenſem ſcribit jam Epiſcopus ordinatus ſanctus Auguſtinus. *Honorant nos veſtri, honorant vos noſtri: Per coronam noſtram adjurant nos veſtri,* Ep. 147. *per coronam veſtram adjurant vos noſtri.* Ecce, Auguſtinus non erat amplius tonſus monachum, ſed Epiſcopus inſignitus corona Sacerdotali. Licet namque & clerici & monachi apud utramque Eccleſiam tonderentur, tondebantur tamen aliter & aliter. Clerici ex reſiduis quibuſ-

dam crinium reliquiis coronabantur, monachi
autem totum tondebantur caput, idque uſque
ad cutem. Primum ex Photio, quarto concilio
Toletano, ac ſancto Auguſtino jam adductis,
nec non aliis multis, qui adduci poſſent, te-
ſtibus conſtat; ſecundum autem ex eodem Pho-
tio, nec non ex ſancto Salviano ac ſancto Pau-
lino. Jam quippe ex Salviano audivimus Afros,
Ægyptios ac Hieroſolymitanos monachos eſſe
palliatos, pallidos, & reciſis comarum fluentium
jubis ad cutem tonſos; Paulinus autem ad ſan-
Ep. 7. ctum Sulpitium Severum ſcribit eos *non impro-*
ba attonſi capitis fronte crinitos, ſed caſta infor-
mitate capillum ad cutem cæſos, & inæqualiter ſe-
mitonſos, & deſtituta fronte prætaſos. Et ſanè
hæc tonſuræ differentia quam optimè convenie-
bat. Conveniebat enim in clericis coronari No-
vi Teſtamenti Regale Sacerdotium, monachos
autem, quoniam pœnitentiam ac de peccatis
luctum & planctum profitentur, tonderi conve-
niebat more pœnitentium, de quibus ſtatuit ter-
tium Concilium Toletanum. *Quicumque ab E-*
Cap. 11. *piſcopo vel Presbytero pœnitentiam poſtulat, ſed an-*
te omnia Epiſcopus ſervet & Presbyter, ut, ſi
vir eſt, primò eum tondeat, & in cinere & ſacco
habitum mutare faciat, & ſic pœnitentiam ei tra-
dat. Erant porrò pœnitentes detonſi totum ca-
put, more damnatorum. Attamen an ita tonſi
fuerint monachi ubique omnes, non auſim di-
cere; Propter canonem, quem, tamquam con-
cilii Nicæni ſit, nuper ex Arabicis exemplaribus
protulit Franciſcus Turrianus: *Monachi alia ha-*
beant indumenta & mores, quam habent laici, &
caput tondeant in modum coronæ. Neque enim ego
auſim de iſto canone judicare.

Et hæc quidem de tonſura capitis. Quoad
barbæ verò tonſuram Eccleſia Græca ac Latina
nullo modò conveniebant. Latini quippe bar-
bam penitùs radebant, Græci eam alebant, erant-
que Longobarbi. Teſtem adduco Gregorium Pa-
pam ſeptimum ſcribentem ad Orzochum Sardi-
niæ principem de Jacobo, quem nuper Capuæ
ordinarat Archi-Epiſcopum Calaritanum. *Nolu-*
mus Prudentiam tuam moleſte accipere, quod Archi
Epiſcopum veſtrum Jacobum conſuetudini ſanctæ
Romanæ Eccleſiæ, matris omnium Eccleſiarum,
veſtræque ſpecialiter, obedire coegimus, ſcilicet ut
quemadmodum totius occidentalis Eccleſiæ clerus
ab ipſis Chriſtianæ fidei primordiis barbam raden-
di morem tenuit, ita & ipſe frater noſter veſter Archi-
Epiſcopus, raderet. Unde Eminentiæ quoque tuæ
præcipimus, ut ipſum ſeu Paſtorem & ſpiritualem
patrem ſuſcipiens & auſcultans, cum conſilio ejus,
omnem tuæ poteſtatis clerum barbas radere facias at-
que compellas. Rectè dicit eum à fidei primor-
diis fuiſſe morem Eccleſiæ occidentalis. Etenim
Eccleſiæ orientalis morem fuiſſe alium teſtatur
ſanctus Epiphanius, ſic dicens adversùm iſtos
Hæreſ. Hæreticos Meſopotamiæ monachos. *Quid verò*
80. *ſit pejus & contrarium? Hi barbam quidem for-*
mam viri reſecant, capillos autem capitis ſæpè nu-
triunt. Et de barba quidem in conſtitutionibus
Apoſtolorum dicit Divina ſcriptura ac doctrina. Ne
corrumpas, hoc eſt, ne ſeces barbæ pilos, neque
meretricio more ob comam efferaris. Ad quæ ver-
ba dicit annotatio marginalis. *Barbam ſecantes*
Latinos videtur notare. Verùm iſtud non credo.
Credo notari ſolos iſtos monachos, qui cum
Græci eſſent, nihil tamen Græci faciebant,
utpote contra Græcum morem non ſolummo-
dò comam nutrientes, ſed etiam barbam ra-
dentes. An ea raſio ſit contra conſtitutiones
Apoſtolicas, viderit Epiphanius; iſtius rei exa-
men non eſt hujus loci. Dico ſolùm illic ab Epi-
phanio non notari Latinos. Etenim raſi Latini
cum Longobarbis Græcis in variis conciliis con-
venerant, conſederant, ac quandoque inter ſe
ſatis acriter, non ſolùm diſceptantes, ſed etiam
conviciantes, nunquam vel unum grii de barba
dixerant: Cur eam quæſtionem primus move-
ret ſanctus Epiphanius? Primus eam movit
Pſeudo-Epiſcopus ac Latinorum implacabilis ho-
ſtis Photius, de cujus adversùm Eccleſiam La-
tinam calumniis ad Hincmarum Rhemenſem
Epiſcopum ſic inter cætera ſcribit Nicolaus Pa-
pa primus. *Quin & reprehendere ſatagunt, quod*
penes nos clerici barbas radere non abnuunt. Qua-
propter meritò omnes Eccleſiæ Græcæ ſancti Pa-
tres depinguntur cum longa barba; ita autem
pingere Patres Latinos eſt palam ac ſine rubo-
re imperitiam ſuam oſtentare ac profiteri. Er-
ror hinc intolerabilis eſt præſertim in pictura aut
ſtatua ſancti Auguſtini. Quarto namque conci-
lio Carthaginienſi, in quo legimus hunc cano-
nem, *Clericus nec comam nutriat nec barbam*, Cap. 44.
ſanctus Auguſtinus interfuit ac ſubſcripſit, &
quis auſit dicere eum ab ipſo canonem non fuiſ-
ſe obſervatum? Servarunt eum etiam fratres ejus
Eremitæ, ad quos ita ipſe in libro de opere mo-
nachorum. *Quod iniquius, quam velle ſibi obtem-* Cap. 31.
perari à minoribus, & nolle obtemperare majoribus?
Apoſtolo dico, non nobis, in tantùm etiam, ut jam
comam nutriant. Unde nec ille diſputari omnino vo-
luit, dicens: Si quis autem vult contentioſus eſſe,
nos talem conſuetudinem non habemus, neque Ec-
cleſia Dei. Hoc autem præcipio: ut ſcilicet non diſ-
ſerentis ſolertia requiratur, ſed præcipientis aucto-
ritas attendatur. Nam & hoc quo pertinet, quæſo,
tam apertè contra Apoſtoli præcepta velle comari?
An ita vacandum eſt, ut nec tonſores operentur?
An quia Evangelicas volucres imitari ſe dicunt,
quaſi depilari timent, ne volare non poſſint? Vereor
in hoc vitium plura dicere propter quoſdam crinitos
fratres, quorum præter hoc multa & pænè omnia
veneramur. Sed quò magis eos in Chriſto diligi-
mus, eò ſolicitius admonemus. Neque enim me-
tuimus, ne humilitas eorum reſpuat admonitionem
noſtram, quando quidem & nos à talibus, ubi for-
tè titubamus aut erramus, cupimus admoneri. Hoc
ergo admonemus tam ſanctos viros, ne ſtultis vano-
rum hominum argumentationibus moveantur, & eos
in hac perverſitate imitentur, quibus ſunt in cæ-
teris longè diſſimiles. Illi enim venalem circum-
ferentes hypocriſin, timent, ne vilior habeatur
ſanctitas tonſa, quam comata, ut videlicet qui eos
videt, antiquos illos, quos legimus, cogitet, Sa-
muelem & alios, qui non tondebantur. Agit adver-
ſùm iſtos Ægyptios aſpides, qui in Africam ad-
venæ noxiis ſuis de opere manuum calceamen-
tis, ac capite comato quæſtionibus novellos Afri-
cæ monachos mirè conturbabant. Acceperant
virus iſtud à præfatis iſtis Meſopotamiæ mona-
chis

Digitized by Google

chis hæreticis, aut forſan erant ex illis ipſis. Etenim etiam hi uſitatum in omnibus monaſteriis opus manuum Evangelio repugnare blaterabant, idque hoc ipſo tempore. Dicit namque de
Hæreſ. 80. illis Epiphanius. *Fuerunt aute aliquot tempus à temporibus Conſtantii & huc uſque*. Dicit hoc Epiphanius propemodum coæraneus Auguſtino. Hi ergo nequam de Meſopotamia in Ægyptum, ac inde cum neſcio quibus Ægyptiis monachis, quibus ſuam affricuerant ſcabiem, in Africam irrepſerant, utique à Diabolo immiſſi, ut novam ab Auguſtino plantatam Dei vineam iſtis ſibilis tamquam aptiſſimis runcinis eruerent, aut certè tentarent. Carthaginem quippe ab Ægyptiis monachis Divini officii aut cauſſa aut fuco frequentari ſolitam, audivimus jam ex ſancto Salviano.

CAPUT XXV.

Digreſſio quædam.

A. 398. AT inquies, cur Auguſtinus de iſtis aſpidibus ait: *Evangelicas volucres imitari ſe dicunt*? Reſpondet Cardinalis Baronius: *Nempe quatuor animalia Ezechielis*. At planè perperam. Quid enim Ezechielis animalia ad opus manuum, de quo iſti aſpides contendebant? Dico ergo eos imitari voluiſſe eas volucres, de quibus ait in Evangelio Dominus, *Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cæleſtis paſcit illa*. Ita quippe palam ſcribit de illis Auguſtinus ad ſanctum Aurelium Epiſcopum Carthaginienſem, facileque videt, quiſquis librum de monachorum opere vel oſcitanter inſpexerit. Cardinalis Baronii Illuſtriſſimum opus ac grandes Eccleſiaſticos labores veneror, ſuſpicio & admiror; hinc inde tamen ſatis infeliciter verſatur in Auguſtino. Primò dicit, quod Auguſti-
A. 398. n. 26. nus in Epiſtola ad Vincentium Rogariſtarum in Mauritania Cartennenſem Epiſcopum cantet palinodiam prioris ſuæ ſententiæ, qua docuerat in hæreticos animadverti non poſſe ſupplicio capitali. At malè. Etenim Auguſtini tempore nunquam fuit agitata iſtiuſmodi quæſtio, neque ſupplicium capitis in Hæreticos decretum: Pœnæ, de quarum infligendarum non poteſtate, ſed utilitate Auguſtinus dubitavit, erant ſpolium bonorum, exilium, inhabilitas teſtandi, nulla fides teſtimonii, aliæque id genùs. Fateor ab Honorio Auguſto adversùm Donatiſtas conſtitutum ſupplicium capitis: Verùm non in omnes, ſed in ſolos Circumcelliones, qui homicidiis ac inauditis ſuis crudelitatibus totam Africam depopulabantur. Et de hujus ſupplicii poteſtate aut utilitate, licet ipſum apud judices frequenter deprecaretur, nunquam Auguſtinus dubitavit,
num. 31. neque ea erat quæſtio inter ipſum & iſtum Vincentium Cartennenſem. Secundò, agens de Auguſtini adversùs Petilianum libris ſic dicit. *Admonemus lectorem, quod ſi titulum ſedis ſpectet, duos opus eſſet aſſerere Petilianos: Quorum alter apud ipſum Auguſtinum invenitur Cirtheaſis Epiſcopus, alter verò ab eodem Auguſtino Conſtantinenſis Epiſcopus nominatus habetur. Sed putatur error irrepſiſſe in titulum commentariorum contra literas Petiliani, ut loco Conſtantinenſis, Cirthenſis ſit poſitus*. Etiam malè. Hunc namque ſcrupulum doctè ac lucidè evacuantur Scholiaſtæ Lovanienſes in exordio librorum adverſus Creſconium. Tertiò, de Optato Gildoniano agens, ſic dicit. *Cujus civitatis Epiſcopus fuerit, nos hactenus* num. 40.
latet. Etiam malè. Quod namque fuerit Epiſcopus Thamugadenſis. Scribit Auguſtinus ad Emeritum Donatiſtarum Epiſcopum Cæſarienſem. *Non enim Optatum, ſed te defendis, cum dicis, Ignoro, qualis iſte fuerit. Si Thamugadenſem* Ep. 164.
Epiſcopum veſtrum famoſiſſimum, &c. Et ad Macrobium Epiſcopum Donatiſtarum. *Cum frequentiſſima numeroſitate Thamugadenſis Optati natalitia celebrarent*. Et in opere adversùs literas Petiliani. Ep. 255.
Inde Optati Thamugadenſis cauſſam pedetentim ſuſpendeat. Et in opere adversùs Gaudentium Epiſcopum Thamugadenſem. *Felicianus præcipuè tui prædeceſſoris favore ſuſceptus*. Ubi rectè habet annotatio marginalis: *Fuit is Optatus Gildonianus*. Quartò dicit Baronius Donatum iſtum, cui Lib. 3. cap. 40. Lib. 1. Cap. 39. A. 414. n. 6.
Auguſtinus ſcripſit Epiſtolam ducenteſimam quartam, fuiſſe Epiſcopum. Etiam malè. Etenim & Epigraphe & tota Epiſtola palam dicunt dumtaxat presbyterum fuiſſe. Quintò, de controverſia inter Auguſtinum ac Hieronymum noſtrarum animarum origine agens, ſic dicit. *Verùm & ipſum Auguſtinum poſtea in Hieronymi ſententiam abiiſſe conſtat, quam & adversùs adverſantes et doctiſſimè propugnavit, ſcriptis eodem argumento quatuor libris*. Etiam malè. Etenim non ſolùm quatuor iſti adversùs Vincentium Victorem libri, ſed etiam libri retractationum, utique illis juniores, oppoſitum palam teſtificantur. Hæc pauca, ſunt enim adhuc quæpiam alia, annotare volui cujuſdam ſcholii gratia, nequaquam animo reprehenſionis. Pergamus nunc ad iſtos advenas ex Ægypto noxios dracones. A. 415. nu. 39.

CAPUT XXVI.

Reditur ad Auguſtinianam tonſuram.

ISti ergo dracones ſuis tabificis ſibilis & ſpumis nihil profecerunt. Eremitica Auguſtini progenies manſit totum caput tonſa ac barbam raſa, quomodo ei Auguſtinus inſtituerat, quomodo viderat ſervari in Italia, ac audiverat de tota Eccleſia Latina. Teſtis meus eſt ſanctus Salvianus, dicens Africæ monachos fuiſſe palliatos & pallidos, & reciſis fluentium comarum jubis ad cutem tonſos. Hos dicit ab Afris ac præſertim à Carthaginienſibus fuiſſe riſos, exploſos, maledictos ac inſtar inauditi monſtri exterminatos, ita ſubdens. *Et miramur, ſi nunc barbaras illi perferunt, cum videmus quod ſancti viri in illis barbaros pertulerunt. Juſtus ergo eſt Dominus, & rectum judicium ſuum*. Ita irriſos dicit, non ſolos Ægyptios aut Hieroſolymitanos, ſed etiam qui ex ſanctis Eremi ſecretis divini operis officio ad urbem Carthaginenſem accedebant: Eos irriſos *tamquam novum inauditumque monſtrum*. Hoc eſt, irridebant impii iſti Eremicolas monachos tamquam noviter in Africam ab Auguſtino introductos, calumniantes forſan ac maledicentes

ipſum etiam Auguſtinum tamquam novorum monſtrorum progenitorem. Hi namque ſunt Carthaginenſes isti, adverſum quos Auguſtinus
Pſalm. 147. in concione invehitur ac dicit ſuo populo. *Aliquando dimiſſo Theatro aut amphiteatro, cum cæperit ex illa cavea evomi turba perditorum, vident plerumque, ut fit, tranſire Dei ſervos, cognoſcunt ipſo habitu vel veſtis, vel capitis, vel fronte notos habent, & dicunt apud ſemetipſos & ſecum, ò miſeros iſtos, quid perdunt? Fratres rogemus Dominum pro benevolentia ipſorum, quia bonum illud putant; Bene nobis volunt.* Nota, *Bene nobis volunt, rogemus Dominum pro benevolentia ipſorum, fronte notos habent.* Hæc convicunt monachos iſtos fuiſſe Afros, ac Auguſtini progeniem, haud dubiè ipſos eos Eremicolas, pro quibus agit ſanctus Salvianus. Nunc itaque concludo ac dico: Monachi ſancti Auguſtini erant totum caput tonſi, erant pallidi ac palliati, geſtabant bardocucullum ac pelliceum cingulum, amiciebantur nigro epipallio, habitabant in hortis, agris, ac deſertis: Quæ omnia palam ſunt notæ Eremitarum ac monachorum, nequaquam clericorum aut regularium canonicorum.

CAPUT XXVII.

Explicatur locus Sancti Auguſtini in ſpeciem contrarius.

Locus eſt hic ex ſermone quinquageſimo de diverſis. *Nemo det byrrhum vel lineam tunicam, ſeu aliquid, niſi in commune: De communi accipiam mihi ipſi, cum ſciam commune me habere velle, quidquid habeo. Nolo talia offerat Sanctitas veſtra, quibus quaſi ego ſolus decentius utar. Offeratur mihi, verbi gratia, byrrhum pretioſum, fortè decet Epiſcopum, quamvis non deceat Auguſtinum, id eſt, hominem pauperem de pauperibus natum. Modo dicturi ſunt homines, quia inveni pretioſas veſtes, quas non potuiſſem habere, vel in domo patris mei, vel in illa ſæculari profeſſione mea. Non decet: Talem debeo habere, qualem poſſum, ſi non habuerit, fratri meo dare: Qualem poteſt habere presbyter, qualem poteſt habere decenter Diaconus & Subdiaconus, talem volo accipere, quia in commune accipio.* Hunc locum uſque ad nauſeam ac tædium Canonici Regulares nobis objectant. Obiici poſſunt & duo alii. Alter ex Epiſtola ad ſanctum Aurelium E-
Epiſt. 76. piſcopum Carthaginenſem, ubi ſic dicit. *Nimis dolendum eſt, ſi tam gravia contumelia clericos dignos putemus, in quorum numero ſumus.* Alter ex Epi-
Epiſt. 248. ſtola ad Sapidam, Sanctimonialem, ubi ſic dicit. *Accepi quod de juſtis & piis laboribus manuum tuarum me accipere voluiſti, ne te gravius contriſtarem, quam potius conſolandam viderem, præſertim quia hoc tuum non parvum deputaſti eſſe ſolatium, ſi eam, quam germano tuo ſancto Dei miniſtro feceras tunicam, ego induerer, cum jam à terra morientium recedens nullis rebus corruptibilibus indigeret. Feci ergo, quod deſideraſti, & qualecumque hoc exiſtimaverit vel quantumcumque ſolatium, tuo erga fratrem pectori non negavi. Miſſam abs te tunicam accepi, & quando hæc ad te ſcripſi, ea me veſtire jam cœperam.* En, inquiunt noſtri Regulares Canonici, Auguſtinus erat clericus, veſteſque clericales gerebat, frater quippe iſtius Sapidæ erat Diaconus Carthaginenſis, cujus proinde tunica pallido ac palliato monacho non poterat convenire. Gerebat togam laneam, tunicam lineam, ac byrrhum, quæ ſunt propria indumenta Regularium Canonicorum.

Reſpondeo hæc vera eſſe: Ita tamen ut vera etiam ſint ea omnia, quæ huc uſque dixi de habitu Eremitarum. Dico, quomodò ego modo amictus monachum, aliquando amictus fui laicum, ita quoque Auguſtinum quandoque clericum, quandoque Eremitam ac monachum fuiſſe: videlicet diverſo tempore. Monaſticum amictum exuit conſecratus Epiſcopus, ſecutus morem per omnem tunc Latinam Eccleſiam uſitatum, de quo ad Nicolaum Papam primum ſcribit Photius Pſeudo-Epiſcopus Conſtantinopolitanus. *Apud nos monachi habitum nemo unquam in clerici commutarit; nonnulli autem, cum voluerint monachum ad Epiſcopi faſtigium attollere, eum orbiculariter tondentes, priorem habitum immutant.* Nonnulli iſti erant Latini. Et verè dicit *Nonnulli:* Eam quippe conſuetudinem non fuiſſe penitus ubique Latinarum Eccleſiarum univerſalem, patet ex ſancto Fulgentio, ſancto Gregorio magno, ſancto Heliodoro Epiſcopo Aquilejenſi, ſancto Euſebio Epiſcopo Vercellenſi, ſancto Martino, aliiſque non paucis: Gregorius quippe magnus monachum indutus inventus eſt in ſepulchro à Gregorio quarto; de Epiſcopi autem Fulgentii monaſtico habitu auctor iſte incognitus, & de ſancto Heliodoro teſtatur ſanctus Hieronymus, de ſancto Euſebio ſanctus Ambroſius, de ſancto Martino ſanctus Sulpitius Severus. Latinis ergo monachis in Epiſcopos conſecratis liberum erat monaſticum habitum reiicere vel retinere; communius tamen reiiciebant, idque per plura ſæcula, quouſque tandem in octava
Synodo generali ſtatutum eſt in hæc verba. *Mo- Cap. 27.
nachi, qui vita & doctrina, ut Epiſcopi creentur, meruerint, non mutent habitus veſtiſque rationem ob novam dignitatem: Non minus enim hoc arrogans eſſet, quam pallio ineptè uti. Quiſquis ergo Epiſcopus præter definita tempora ſe pallio induerit, aut monaſticam veſtem depoſuerit, aut corrigatur, aut à Patriarcha proprio deponatur.* Hic canon necdum erat tempore Auguſtini. Hinc ergo Auguſtinus, omnis particularitatis peſſimus oſor, ſecutus eſt morem Eccleſiæ Latinæ communiorem. Conſtanter dico eum uſque ad Epiſcopatum monaſtico ſuperiùs deſcripto habitu fuiſſe uſum. Ita patet ex hiſce ejus jam Epiſcopi ad populum verbis de
ſuo ad civitatem Hipponenſem adventu. *Non* Serm.
attuli aliquid, non veni ad hanc Eccleſiam, niſi 49. c. 1.
cum iis indumentis, quibus illo tempore, utpote adhuc monachus, *veſtiebar.* Proinde ſive in Eremitico ſive in clericali habitu depingatur, bene depingitur, utrumque enim habitum fuit indutus.

Dico inſuper, idque conſtanter, Tunicam laneam, tunicam lineam, & byrrhum non fuiſſe indumenta propria canonicorum Regularium: Erant eo tempore veſtimenta quorumcumque clericorum. Quod namque Regulares Auguſtini

cle-

clerici à ſæcularibus aliorum Epiſcoporum clericis qnoad babitum non differrent, patet ex toga iſta, quam ei pro fratre ſuo factam dederat Sapida Sanctimonialis. Frater quippe iſte erat Eccleſiæ Carthaginienſis Diaconus, adeoque clericus ſæcularis, neque enim ſanctus Aurelius clericos ſuos regulæ ac vitæ commnni adſtrinxiſſe uſpiam legitur: Si ergo clerici Regulares à ſæcularibus qnoad habitum diſcreti fuerinr, qnomodò potnit iſtins Diaconi tnnica Auguſtino bene convenire? Conveniebat, qnia clerici iſti habitu non differebant. Suprà habitum inferiorem induti erant tunica lanea talari, eaque non alba, ut moderni Regularea canonici paſſim, ſed violacea: Oſtendi id ſupra ex ſancto Hieronymo ac Concilio Narbonenſi. Super banc induebant tnnicam lineam. Teſtatur id idem Hiero-
Ep. 2. c. 11. nymua ſic ſcribena ad Nepotianum. *Non abſque amicta linea incedere, ſed pretium veſtium linearum non babere, laudabile eſt*. Et ſcribens adversùs Apoſtatam in clericali babitu jam ſplen-
Lib. 2. c. 13. dentem Jovinianum. *Ante nudo eras pede, modò non ſolùm calceato, ſed & ornato: Tunc pexa tunica & nigra ſubucula veſtiebaris, ſordidatus & pallidus, & calloſam opere geſtitans manum; nunc lineis & ſericis, & Atrebatum ac Laodicææ indumentis ornatus incedis*. Et ſcribena adversùs im-
Epiſt. 48. c. 4. pium Diaconum Sabinianum. *In proprium funus ornaris. Amiciris lineis, digitos annulis oneras, dentes pulvere teris, &c.* Et ſanctus Paulinua ſcribens ad Sulpitium Severum de differentia habitus monacbalis ab babitu clericali.
Epiſt. 7. *Nos adeant & reviſant conſervuli & compallidi noſtri, non veſtibus pictis ſuperbi, ſed borrentibus ciliciis bamiles; nec chlamyde curta lini, ſed ſagulis palliati*. Tnnica ergò linea erat curta, genua dumtaxat tangens, quale modò eſt rochetum canonicorum Regularium ac omnium Epiſcoporum. Hæc eſt linea tunica, de qua in ſupra citato ſermone loquitur Auguſtinus. Hæ duæ tunicæ unà cum byrro erant plenum clerici indumentum. Eo indutus eſt etiam Epiſcopus Auguſtinua. Quapropter induebatur, non qnomodo Windeshemenſes canonici Regulares in albia, neque quomodò Regnlares canonici veteria inſtituti in nigria; ſed in violaceis, qnomodò omnes modò Epiſcopi, ac quomodo canonici Regulares Cameracenſes ſancti Autberti, & Atrebatenſes ſancti Eligii. Hoc modò Auguſtinus depingi debet, ut pictura innocens non mentiatur.

CAPUT XXVIII.

Quid ſit birrum.

A. 261. VErùm qnid eſt birrus ſeu birrum? Cardinalis Baronius putat eſſe breve palliolum iſtud, quo Epiſcopi atque alii prælati ſupra tnnicam lineam induuntur, quod etiamnum in uſu videmus apud quoſdam canonicoa Regularea. Putat birrum eſſe potius coloris, quam veſtimenti vocem, ideoque paſſim dici, non ſimpliciter birrum, ſed birrum lacernum: Lacerna quippe iſtud palliolum ſignificat, birrua autem ejus rubrum colorem. Hioc notat Sulpitium Severum, quod lacernam à birro diſtinguat, ubi adverſum voluptnoſos clericos invectus ſic dicit. *Hæc caris viduis ac familiaribus mandat tributa virginibus: Illa ut birrum rigentem, hæc ut fluentem texat lacernam*. At perperam. Lib. 1. Dial. c. 14. Primò itaque dico, à Sulpitio Severo rectè diſtingui birrum rigentem ac lacernam fluentem, ſeu birrum rigentem ac birrum lacernum. Ea quippe in ſermone de verbis Apoſtoli diſtinguit etiam ſanctus Auguſtinus, ſic dicens. *Lubricos & inboneſtos* Ser. 81. c. 10. *amatores attendite. Si quis amore fœminæ laſcivas & nequam veſtit ſe aliter, quam illi placet, & illa dixerit, nolo te babere tale birrum, non babet: Si per byemem illi dicat, in lacerna te amo, eligit tremere, quam diſplicere*. Birrum ergo lacernum eſt birrum leve ac æſtivale; birrum autem rigens eſt birrum ſpiſſum ac byemale. Birrum, inqnam, apud Afros non fuit clericis proprium, ſed etiam laicia commune. Hinc enim rurſum de illo dicit Auguſtinus ad populum. *Quando quereris, vel amicis, vel in judicio, boc* Pſa. 130. *dicis judici: Conſcidit me. Non dicis, conſcidit birrum meum, ſed conſcidit me*. Sanè lubrici iſti amatorea, ac mutui birri conſciſſores, atque de eo in judicio litigatores palam erant laici, non clerici: Adeoque malè dicit Cardinalia Baronius birrum fuiſſe habitum proprium ſolorum clericorum. Inquibuſdam regionibua geſtabatur etiam à monachis. Hinc namqne de Ægypti monachis dicit Joannes Caſſianus. *Poſt bæc anguſto palliolo, tam* L. 1. inſtit. c. 7. *amictus bumilitatem, quam pretii vilitatem, compendiumque ſectantes, colla pariter atque bumeros tegant, quæ maphortes tam noſtro quam ipſorum nuncupantur eloquio, & ita planeticarum atque birrorum pretia ſimul ambitionemque declinant*. Dicit, ecce, eos abſtinuiſſe birris, non quia eis uti non poterant, ſed ut eorum pretium atque ambitionem evitarent. Erat ergo indumentum pretioſum ardue ſuperbum. Et hinc patet legitimus intellectus Canonis duodecimi in concilio Gangrenſi. *Si quis virorum propter continentiam, quæ putatur,* Cap. 12. *amictu pallii utitur, quaſi per boc ſe babere juſtitiam credens, & deſpicit eos, qui cum reverentia birris & aliis communibus & ſolitis utuntur, Anathema ſit*. Fulminatum eſt hoc anathema adversùs naſcio quem Euſtatium, nuptias, eſum carnium, honeſtum divitiarum uſum, aliaque id genùs per Evangelium licita, fidelibus interdicentem, volentemque reſtitui avitum pallium, non tamqnam quodvis humilitatis ſignum, ſed tamquam neceſſarium ad juſtitiam ac ſalutem. Iſtorum temporum fideles à primo Patrum fervore ac rigore defecerant, at non toti: Neque enim ab bumili pallio ad ſuperbam togam redierant, ſed birrum acceperant, qnaſi quid medium, neque ſuperbum nimis, neque nimium vile. Hoc ergo arguebat Euſtatius, aſſerens etiam birri ornatum eſſe à Chriſtiana bumilitate damnabiliter alienum.

Secundò dico, birrum non fuiſſe breve iſtud palliolum Epiſcopale aut clericale. Patet abundè ex dictis: Neque enim laici tali palliolo uſpiam leguntur uſi. Deinde, Joannes Caſſianus dicit birrum eſſe amictum Ægyptiorum monacborum maphortibua oppoſitum, id eſt, *anguſto palliolo, quo monachi colla atque bumeros* Lib. 1. Cap. 7. *contegebant*. Ita de maphorte loquuntur, quotquot

antiquo in ſolis lineis procederent ac miniſtrarent. Miniſtrare in ea poterant ſoli Diaconi Eccleſiæ Romanæ. Hinc namque Papa Symmachus ſancto Cæſario, famoſiſſimæ ſanctitatis Epiſcopo, Romam advenienti, tamquam ſpecialiſſimum in tantum virum favorem indulſit, ut Eccleſiæ Arelatenſis Diaconi, more Romano, Dalmaticis uterentur. Erat veſtimentum adeo honoratum, ut ne quidem Epiſcopi citra ſpecialem Sedis Apoſtolicæ gratiam eò poſſent uti. Hinc enim Aregio Epiſcopo ob populi ſui frequentiſſimas motes afflictiſſimo ſic ſcribit ſan-
Lib. 7. Epiſtol. 111. ctus idem iſte Pontifex. *Præterea communis Filius Petrus Diaconus nobis innotuit, quod Fraternitas veſtra tempore, quo hic fuit, papaſcerit, ut ſibi & Archi-Diacono ſuo utendi Dalmaticis licentiam præberemus. Sed quia ita hominum ſuorum infirmitate compulſus feſtinanter abſceſſit, ut nec ipſe mœror incumbens diu fineret imminere, & nos in multis implicitas Eccleſiaſticæ rationis conſideratio novum hoc inconſultè & ſubitò non permitteret indulgere, idcircò poſtulatæ vel prolongatus effectus eſt. Nunc verò Charitatis tuæ bona revocantes ad animum, hujus auctoritatis noſtræ ſerie petita concedimus, atque te vel Archi-Diaconum tuum Dalmaticarum uſu decorandos eſſe conceſſimus, eaſdemque Dalmaticas dilectiſſimo filio noſtro Cyriaco Abbate deferente tranſmiſimus*. En, hic uſus Epiſcopis concedi non poteſt ſubitò ac inconſultè, novum enim quid eſt in Eccleſia; ſed poſt longam Eccleſiaſticæ rationis conſiderationem, atque in præmium abundantium meritorum. Credo hunc uſum de jure competiiſſe ſolis Epiſcopis Sedium Primatialium. Hinc namque ſanctus Cæſarius Sedis Arelatenſis, utique antiquiſſimæ ac nobiliſſimæ, Epiſcopus uſum iſtum, non pro ſe, ſed pro ſolis Eccleſiæ ſuæ Diaconis poſtulavit. Neque mirum: Dalmatica quippe erat tunica ſerica, alba, auro ac purpura intertexta, qua uti conſueverant, ac etiamnum in glorioſa ſuæ coronationis die utuntur Romani Imperatores. Patet hoc ex hoc decreto ſancti Papæ Eutychiani: *Conſtituit, ut quicumque fidelium marty-*
Lib. Damaſc. *rem ſepeliret, ſine Dalmatica aut ſine colobio purpurato non ſepeliret*. Viden, Dalmaticam vocat colobium purpuratum. Et ſanè ea ſepultura martyri congruebat: Quid enim congruentius, quam ut totius ſæculi victor triumphet in tunica imperiali? Neque eum uſum Eutychianus primus induxit: Enim jam pridem conſuetum dumtaxat extenſum juſſit per Eccleſiam univerſam. Ita ſepeliri poterant martyres ſoli: Hinc namque pium iſtum uſum dixerim an abuſum, quo etiam Romani Pontifices ſic ſepeliri conſueverant, Gregorius eliminat, ſic ſtatuens in con-
Cap. 4. cilio Romano. *Sicut indignos nos probat Apoſtoli Petri reverentia mens fidelium veneratur; ita noſtram infirmitatem decet ſemetipſam ſemper agnoſcere, & impenſæ ſibi venerationis honorem declinare. Ex amore quippe fidelium hujus Sedis Rectoribus honor ultra meritum crupit, ut cum eorum corpora deferuntur, hæc Dalmaticis contegant, & eas deinque Dalmaticas pro ſanctitatis reverentia ſibimet partiendas populus ſcindat. Et cum adſint multa à ſacris corporibus Apoſtolorum martyrumque velamina, à peccatorum corpore ſumitur, quod pro magna reverentia ſervetur. De qua re præſenti decreta conſtituo, ut feretrum, quo Romani Pontificis corpus ad ſepeliendum ducitur, nulla tegmine veletur. Quam decreti mei curam gerere Sedis hujus Presbyteros ac Diaconos cenſemus. Si quis verò ex eorum ordine hoc curare neglexerit, anathema ſit*. Dalmatica ergo erat colobium purpuratum, purpura Patriarcharum atque Primatum: Et quia glorioſus martyr Cyprianus, totius Africæ Primas Epiſcopus, noviſſimam ac principalem dignitatis ſuæ functionem peracturus procedebat, eum ſine Primatiali purpura procedere nullatenùs congruebat. Quapropter ex hac tunica nihil elicere poteſt Cardinalis Baronius pro ſuo ſtrio.

At inquies, cur Primas Epiſcopus ad locum ſupplicii, campumque ſceleratum producitur indutus ſuam purpuram? Quæ hujus rei cauſſa? Reſpondeo cauſſam, eamque firmam, non deeſſe. Ob eam ipſam cauſſam in campum ſceleratum productus eſt cum ſua purpura ſanctus Cyprianus, ob quam in eum cum ſpinea corona productus eſt caput martyrum Dominus noſter Jeſus Chriſtus: Nempe propter titulum ac ſignificationem criminis in reo puniri. Solebant namque Romani Principes ac judices reo ad ſupplicium ducto tabulam, in qua damnationis cauſſa inſcripta erat, an ſcilicet ob furtum an ob homicidium plecteretur, præferre, eique jam mulctato ſuperponere: Eamque tabulam titulum appellabant. Patet hoc ex Epiſtola Eccleſiæ Lugdunenſis, relata ab Euſebio. *Cum un-* Lib. 5.
dique per Amphitheatrum circumduceretur Attalus cap. 1.
martyr, tabula in qua Latinis literis hæc erat inſcriptio, præcedente. Hic eſt Attalus Chriſtianus. Sic de ſancto Sebaſtiano dicit martyrologium
Romanum: *Sub titulo Chriſtianitatis juſſus eſt li-* 20. Jan.
gari in media campo, & ſagittari. Sub titulo, id eſt, ſub tali tabula. Eademque de cauſſa Pontius Pilatus ſupra Domini noſtri crucifixi benedictum caput poſuit in titulo cauſſam ipſius ſcriptam: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*. Hoc eſt, Jeſus Nazarenus, quia ſe Regem Judæorum dixit, hoc ſupplicio damnatus eſt. Hinc namque, omnis ambigui tollendi gratia, dicebant
Pilato Pontifices Judæorum, *Noli ſcribere, Rex* Joan. 19.
Judæorum, ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Judæorum. At veracem titulum Pilatus corrumpere non auſus, dixit, *Quod ſcripſi, ſcripſi*. Romani, inquam, damnationis cauſſam hujuſmodi titulo non ſolùm inſcribebant, ſed quandoque etiam, dum commodè fieri poterat, hominis damnati habitu demonſtrabant. Hinc enim Dominus noſter, quoniam affectati regni damnabatur, ab illis productus eſt purpuram chlamydatus ac ſpinas coronatus. Eamus nunc ad ſanctum Cyprianum. Damnatus eſt, non quia ſimpliciter Chriſtianus, ſed quia Epiſcopus ac caput omnium in Africa Epiſcoporum. Hinc enim ad eum dixit Judex Proconſul: *Tu es Thaſcius Cyprianus, qui te Papam ſacrilegæ mentis hominibus præbuiſti?* Et ea perſecutio, non quoſvis generaliter Chriſtianos, ſed ſolos Epiſcopos, eoſque principaliores, inſectabatur. Sanctus ergo Cyprianus quia propter Epiſcopatum damnatus eſt, plenè Epiſcopum indutus proceſſit in campum ſceleratum, ut non ſolùm in tabella, ſed etiam in veſte cri-

men

men ejus ap; areret. Sic etiamnum hodie latrones, slijque criminoſi cum criminum ſuorum inſtrumentis produci quotidia videmus. Sanctus ergo Cyprianus productus ad locum Sexti, primo birrum exuit, talarem ſcilicet tunicam Epiſcupalem, ipſumque complicatum ad genua ſua poſuit, cum aliis ſui corporis ſpoliis relinquens tortori; at verò Dalmaticam, utpote veſtem ſacram, quam ſuo feretro ſuperponendsm noverat, ſuis Diaconis, quorum erat defuncti Epiſcopi curare funus, tradidit, mandans tortori numerandos viginti aureos, forſitan in Dalmaticæ compenſationem. Finio cum ſancto Hiero-
L. 1. cõt. Jovin. cap. 17. nymo: *Non eſt hujus temporis in morem commentarii omnia* Eccleſiaſticorum veſtium *pandere Sacramenta: quia & hæc ipſa faſtidioſo lectori naves contractuea non ambigo*. Verùm birrus Auguſtini nos coegit ita divagsri.

CAPUT XXX.

De inſtitutione Clericorum ſeu Canonicorum Regularium.

INſtituit eos Auguſtinus jam factus Epiſcopus poſt mortem ſancti Valerii, ſuos in horto Eremitas relinquere coactus, ac nactus plensm adminiſtrationem Eccleſiæ ac domus Epiſcopalis. Its ipſe clarè tradit in ſermone ad populum.
Serm. 39. de cap 1. *Perveni ad Epiſcopatum, vidi neceſſe habere Epiſcopum exhibere humanitatem aſſiduam quibuſcumque venientibus ſive tranſeuntibus. Quod ſi non feciſſem, Epiſcopus inhumanus dicerer; ſi autem conſuetudo iſta in monaſterio permiſſa eſſet, indecens eſſet. Et ideo volui in domo iſta Epiſcopi habere mecum monaſterium Clericorum*. Verùm longè alia ac difficiliori via erectum eſt hoc monaſterium in palatio, quam iſtud prius Eremitarum in horto: Neque enim hie dicit Auguſtinus: *Cæpi boni propoſiti fratres colligere, compares meos, nihil habentes, &c.* Quia nempe hoc clericale monaſterium, non per novorum fratrum ſponte accedentium, ſeſeque diſciplinæ ſubdentium collectionem, ſed per clericorum jam pridem, forſan ante Auguſtinum, Hipponenſi Eccleſiæ adſcriptorum reformationem, atque ad communem ſine proprio vitam ac cænobiticsm regulam coactionem. Neque enim Clerici iſti poterant de Eccleſiaſtico ſuo titulo detrudi. Hinc opus, hinc labor: faciliùs namque clsvam Herculi extorſeris, quam propriis præſepibus aſſueto clerico frigidum iſtum mei ac tui amorem. Nihilominùs fixs erat Auguſtini ſententia non vivere niſi in communi: Tam altè vitam iſtam ejus affectui infixerant verba Potitiani. Hinc convocatum Cathedralis ſuæ Eccleſiæ Clerum opportunè importunè ad vitam iſtam urſit, eique
Cap. 4. ſtatuit haſce conditiones. *Sanè etiam hoc noverit Charitas veſtra, dixiſſe me Fratribus meis, qui mecum manent, ut quicumque habet aliquid, aut vendat & eroget, aut donet & commune illud faciat. Eccleſiam habet, per quam Deus nos paſcit. Ego dedi dilationem uſque ad Epiphaniam, propter eos, qui vel cum fratribus ſuis non diviſerunt, & dimiſerunt quod habent apud fratres ſuos, vel nondum de re ſua aliquid egerunt, quia expectabatur ætus legitima. Faciant inde quod volunt, dum tamen ſint pauperes mecum, ſimul exſpectantes miſericordiam Dei. Si autem nolunt, qui fortè nolunt, certè ego ſum, qui ſtatueram, ſicut noſtis; nullum ordinare clericum, niſi qui mecum vellet manere: Ut ſi vellet diſcedere à propoſito, rectè illi tollerem clericatum, quia deſereret ſanctæ ſocietatis promiſſum cæptumque conſortium. Ecce in conſpectu Dei & veſtro, muto conſilium. Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non ſufficit Deus & Eccleſia ſua, maneant ubi volunt, & ubi poſſunt, non eis aufero clericatum. Nolo habere hypocritas. Malum enim eſſe quis neſciat? Malum eſt cadere à propoſito, ſed pejus eſt ſimulare propoſitum. Ecce, dico, audite: Qui ſocietatem communis vitæ jam ſuſceptam, quæ laudatur in actubus Apoſtolorum, deſerit, à voto ſuo cadit, & à profeſſione ſancta cadit. Obſervet judicem, ſcilicet Deum, non me. Ego ei non aufero clericatum. Quantum ſit periculum, ante oculos ejus poſui, faciat quod vult. Novi enim, quod ſi aliquem hoc facientem degradare voluero, non ei deerunt patroni, non ei deerunt ſuffragatores, & hic & apud Epiſcopos, qui dicant, quid mali fecit? Non poteſt tecum tolerare iſtam vitam. Extra Epiſcopatum vult manere, & de proprio vivere, ideo non debet perdere clericatum. Ego ſcio, quantum mali ſit profiteri ſanctum aliquid, nec implere. Vovete, inquit, & reddite Domino Deo veſtro. Et melius eſt non vovere, quam vovere & non reddere. Virgo, etſi nunquam fuit in monaſterio, & virgo ſacra eſt, illi nubere non licet, quamvis eſſe in monaſterio non compellitur; ſi autem cæpit eſſe in monaſterio, & deſeruit, & tamen virgo eſt, dimidia ruit. Sic & clericus duas res profeſſus eſt, ſanctitatem & clericatum. Interiùs ſanctitatem: Nam clericatum propter populum ſuum Deus impoſuit cervicibus ipſius, cui magis onus eſt, quam honor. Sed quis ſapiens, & intelliget hæc? Ergo profeſſus eſt ſanctitatem, profeſſus eſt communiter vivendi ſocietatem, profeſſus eſt: Quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. Si ab hoc propoſito ceciderit, & extra manens clericus fuerit, dimidius & ipſe cecidit. Quid ad me? Non eum judico. Si foris ſervat ſanctitatem, dimidius cecidit; Si verò intus habuerit ſimulationem, totus cecidit. Non habeat neceſſitatem ſimulandi. Scio quomodò homines ament clericatum, nemini eum tollo nolenti mecum communiter vivere, ſed habet Deum, qui mecum manere vult. Si paratus eſt paſci à Deo per Eccleſiam ipſius, non habere debet aliquid proprium, ſed aut erogare pauperibus, aut in commune mittere, maneat mecum. Qui hoc non vult, habeat libertatem, & videat, utrùm habere poſſit felicitatis æternitatem. Sufficiant hæc interim Charitati veſtræ. Quid egero cum fratribus meis, annunciabo vobis. Spero enim bonum. Omnes mihi libenter obediunt: Nec inventurus ſum aliquos habere aliquid, niſi aliqua neceſſitate religionis, non occaſione cupiditatis. Quid ergo egero, poſt Epiphaniam non tacebo. Multa locutus ſum, date veniam loquaci ſenectuti, ſed timidæ infirmitati. Ego, ſicut videtis, per ætatem jam ſenui, ſed per infirmitatem corporis olim ſenex fui.*

Dixit hæc ad populum Auguſtinus, non juvenis in prima clericalis monaſterii erectione, ſed jam ætate ſenex in ejus pridem erecti reformatio-

Digitized by Google

matione neceſſaria propter Presbyterum Januaſium in ſuo proprietatis peccato infeliciter mortuum, alioſque quoſdam clericos de eadem lepra ſuſpectos, nec non propter quaſdam imperiti populi exinde detractiones. Teſtatur hoc palam Auguſtinus ſic dicens in ſermone ſequenti. *Contigit quædam neceſſitas, ut hæc diligentiùs agerem: Quoniam, ſicut jam noſtis, Presbyter in noſtra ſocietate conſtitutus moriens teſtamentum fecit, quia habuit unde faceret. Erat quod diceret ſuum, cum in ea ſocietate viveret, ubi nemini licebat ſuum aliquid dicere, ſed eſſent illis omnia communia. Si quis dilector & laudator noſter apud detractarem noſtrum prædicaret iſtam ſocietatem, & diceret, cum Epiſcopo Auguſtino ſic vivunt omnes cohabitatores ejus, quomodo ſcriptum eſt in actibus Apoſtolorum: continuò ille detractar caput movens, dentem promovens, diceret, ita verè ſic ibi vivitur quomodo tu dicis? Quare mentiris? Quare falſa laude honoras indignos? Nanne ibi modo in eorum ſocietate poſitus presbyter teſtamentum fecit, & quod habuit, quomoda voluit, diſpoſuit & reliquit? Certè omnia ibi ſunt communia, certè nemo dicit aliquid ſuum. Sub his verbis quid ageret laudator meus: Nonne os ejus quaſi plumbo oppilaret ille detractor? Nonne illum laudaſſe pœniteret? Nonne reverentia perfuſus, & illius ſermone confuſus vel nobis vel teſtatori illi malediceret? Hæc fuit neceſſitas, ut ad illam diligentiam veniremus.* Diligentiam utique reformationis. Et revera ſatis neceſſariæ: In variis quippe Auguſtino conviventibus clericis erant non omnino futiles ſiniſtræ ſuſpicionis rationes ac conjecturæ. Auguſtinus ergo, crediderim quod menſe Decembri,

Homil. 25. c. 3. in anniverſario ſuæ Epiſcopalis conſecrationis die, quo præter varia pietatis opera ſolebat totius ſui Epiſcopatus rationem ſibi ipſe reddere;

Lib. de beata vita. aut idibus Novembris, die ſuo natali, quo Domeſticos hilariori prandio excipere conſueverat; Hoc, inquam, vel iſto die clericis ſuis vitam communem ſecum profeſſis ſtatuit hanc conditionem: ut ante proximam Epiphaniam quiſque ſemetipſum expropriaret, ſuamque profeſſionem novo ſpiritus fervore denuò inciperet; aut ſuis ſecum ablatis de domo Epiſcopali diſcederet, ac tamquam bonus clericus ſuo jure viveret, memor interim primæ ſuæ fidei, divinique timoris. Abiret ſecurus, liber à degradationis metu: Quia priorem ſententiam jam Auguſtinus mutaverat, ſtatueratque neminem ob hujuſmodi diſceſſum, quantumvis impium ac Deo injurioſum, degradare. Idque ob multos in Africa Epiſcopos, qui iſtas huc uſque apud Afros inauditas novitates improbantes ſolebant apoſtatis iſtis aurem præbere, ac in conciliis, ad quæ appellabant, ablatum Eccleſiaſtici miniſterii gradum reſtituere. Ita palam ſonant hæc verba. *Novi, quod ſi aliquem hoc facientem degradare voluero, non ei deerunt patroni, non ei deerunt ſuffragatores, & hic & apud Epiſcopos, qui dicant, quid mali fecit? Non poteſt tecum tolerare iſtam vitam. Extra Epiſcopatum vult manere, & de propria vivere: Ideò non debet perdere clericatum.* Et in ſermone ſequenti. *Interpellet contra me mille concilia, naviget contra me, quo voluerit, &c.* Talia namque Apoſtatæ clerici adversùs bonum Patrem ſolebant. Ad ſtatuendam portò iſtam conditionem adactus eſt Auguſtinus à perplexo iſto, cui ſe videbat infixum. Videbat ſibi tolerandos aut apertos Apoſtatas, aut occultos ac larvatos proprietarios: Apoſtatas, ſi diſcedentibus clericatum relinqueret; proprietarios, ſi eum auferret, quia nempe clericatus perdendi timor quoſdam diſcedere volentes fuerat retenturus. Hinc ergo minus peccatum in aperta Apoſtaſia, quam in fucato vitæ communis hiſtrionatu eſſe judicans, ne majoris mali occaſio foret, cenſuit diſcedentes non eſſe degradandos. Et quidem hæc ejus verba ac vota: *Spero bona, omnes mihi libenter obediunt, nec inventurus ſum aliquos habere aliquid, niſi aliqua neceſſitate religionis, non occaſione cupiditatis*, Dominus exaudivit. Etenim elapſa proxima Epiphania ſic dixit ad populum. *Nuncio vobis, unde gaudeatis: Quia omnes fratres & clericos meos, qui mecum habitant, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, & Patricium nepotem meum, tales inveni, quales deſideravi.* Et infra *Ecce, dico, audiſtis: Qui habere voluerit proprium, & de proprio vivere, & contra iſta præcepta noſtra facere, parum eſt, ut dicam, non mecum manebit, ſed nec clericus erit. Dixeram enim, & ſcio me dixiſſe, quod ſi nollent ſuſcipere ſocialem vitam mecum, non illis tollerem clericatum, ſed ſeorſim manerent, & ſeorſim viverent, quomodo noſſent, Deo viverent. Et tamen ante oculos poſui, quantum mali ſit à propoſito cadere. Malui enim habere cæcos vel claudos, quam plangere mortuos. Qui enim hypocrita eſt, mortuus eſt. Quomodo ergo quicumque voluiſſet extra manere & de ſuo vivere, non tollerem ei clericatum; ita modo, quia placuit illis, Deo propitio, ſocialis hæc vita, quiſquis cum hypocriſi vixerit, quiſquis inventus fuerit habens proprium, non illi permitto, ut inde faciat teſtamentum, ſed delebo eum de tabula clericorum. Interpellet contra me mille concilia, naviget contra me quò voluerit, ſit certè ubi potuerit, adjuvabit me Deus, ut ubi ego Epiſcopus ſum, illic clericus eſſe non poſſit.* Sic Auguſtinus ſtatuit, ubi jam omnes ſemetipſos denuo expropriaſſent, atque innovata profeſſione ſua vitam communem novo ſpiritu rurſum aſſumpſiſſent: Tunc adversùm omnes de cætero Apoſtatas tulit firmam legem irreparabilis degradationis. Ita patet ex hiſce verbis: *Ita modò quia placuit illis ſocialis hæc vita, &c.* Et quidem hæc omnia propter lapſum unius Januarii: ut Prælati Regulares diſcant ad quamvis metus cauſſam gregi ſuo ambobus oculis invigilare. Ser. 50.

Ex hac clericalis monaſterii reformatione ſeu viſitatione colligamus nunc primæ inſtitutionis modum. Jam ſupra dixi ac etiamnum dico inſtitutionem iſtam priùs factam eſſe poſt mortem ſancti Valerii, ubi Auguſtinus nactus eſt liberam atque independentem Eccleſiæ ac Epiſcopalis palatii adminiſtrationem atque inhabitationem. Firmiter enim credo Auguſtinum Epiſcopum uſque ad Valerii mortem, cujus tempus ignoratur, permanſiſſe in horto, in monaſterio Eremitarum, neque antea migraſſe ad Palatium Epiſcopale. Ita innuunt hæc verba in libris Retractationum. *Liber de agone Chriſtiano fratribus in eloquio Latino ineruditis humili ſermone* L. 2. c. 3.

can-

*conſcriptus eſt, fidei regulam continens & præcepta
vivendi*. Scriptus eſt ſub Epiſcopatus initium,
expoſtulatus credo, à quibuſdam ſimplicioribus
fratribus tamquam quoddam Doctrinæ Catholi-
cæ Enchiridion, quædamque ſui Patris memo-
ria, à cujus eloquiis, utique ſuis maternis ube-
ribus, videbant jam ſe propediem ablactandos.
Neque enim Pater Epiſcopus filiorum curam
abdicavit: Abſit. Quin immò eorum bono
proſpiciens, quoniam Alipius jam Tagaſtæ
pridem præſidebat Epiſcopus, è Tagaſtenſi mo-
naſterio Alipii proviſioni relicto evocavit Evo-
dium, ac præfecit, quoniam curæ Epiſcopales
eum alio avocabant, ſuo Eremitorio Hippo-
nenſi. Ita colligo ex his Auguſtini verbis ad
Epiſtol. 147. Proculianum, ſuum Hippone Corrivalem, ut-
pote ibi Epiſcopum Donatiſtarum. *Ne mireris,
quod apud Benevolentiam tuam diu tacui, non pu-
tabam in hac te eſſe ſententia, quam mihi Frater
Evodius, cui fidem non habere non poſſum, gaudens
judicavit. Nam cum fortè contigiſſet, ut in unam
domum conveniretis, & ſermo inter vos de ſpe no-
ſtra, id eſt, de Chriſti hæreditate, ortus eſſet,
ait dixiſſe Benignitatem tuam, velle te bonis viris
ſedentibus conferre nobiſcum. Quod te multum gau-
deo noſtræ humilitati offerre dignatum. Audivi qui-
dem de memorato fratre te fuiſſe conqueſtum, quod
neſcio quid contumelioſè tibi reſponderit: Quod,
quæſo te, ne illam contumeliam deputes, quam
certum mihi eſt non de ſuperbo animo proceſſiſſe.
Novi enim fratrem meum. Sed ſi quid in diſpu-
tando pro fide ſua & pro Eccleſiæ charitate dixit
fortaſſe ferventius, quod tua Gravitas nollet audi
re, non illa contumacia, ſed fiducia nominanda eſt.
Collatorem enim & diſputatorem, non aſſentatorem
& adulatorem ſe eſſe cupiebat. Quamquam etiam-
ſi aliquantùm pro ſuæ communionis defenſione tur-
batior aliquid elatius animo commotiore dixiſſet,
ætati hominis & neceſſitatis cauſſa te oporteret igno-
ſcere*. Verùm etiam hoc noſtro tempore verbum
iſtud omnes non capiunt. Scripſit hæc Augu-
ſtinus jam ordinatus Epiſcopus, & vivo adhue
Valerio. Primùm patet ex hiſce iſtius Epiſtolæ
verbis. *Honorant nos veſtri, honorant vos noſtri:
Per coronam noſtram adjurant nos veſtri, per coro
nam veſtram adjurant vos noſtri. Omnium verba
ſuſcipimus, neminem offendere volumus. Homines
cauſſas ſuas ſæculares apud nos finire cupientes, nos
ſanctos & Dei ſervos appellant. Quantumlibet ca
pita ſubmittant, qui nos ſalutant*, &c. Quæ om-
nia palam ſignificant Auguſtini cum Proculiano
communem dignitatem Epiſcopalem. Alterum
patet ex hiſce verbis. *Prorſus ſicut volueris, li-
benter amplector, & de animo Beatiſſimi & vene-
rabilis mihi Patris Valerii nunc abſentis tota ſecu-
ritate polliceor, hoc eum cum magna lætitia cogni-
turum*. Hoc ergo tempore Evodius morabatur
ac habitabat Hippone, neque tamquam quiſ-
piam treſſis aut ſemiſſis homo, ſed qui cum Pro-
culiano ageret; dempto Epiſcopali Sacramen-
to, tamquam par cum pari: Nempe in Valerii
horto Præpoſitus fratribus Eremitis. Rogo
nunc, quando Hipponem habitaturus advene-
rit? Sanè non advenit ſub Auguſtini Presby-
teratu. Ad ſanctum quippe Aurelium Carthagi-
nenſem Epiſcopum ſic ſcribit Presbyter Augu-
ſtinus. *Quod fratrem Alipium in noſtra conjunctio- Epiſtol. 64.
ne manſiſſe, ut exemplo ſit fratribus curas mundi
hujus vitare cupientibus, benevolentiſſimè accepi-
ſti, gratias ago*. Hinc patet ad Hipponenſe
monaſterium adveniſſe tunc ſolum Alipium:
Neque enim Aurelius de adventu Evodii, cum
quo utique in domo Exadvocati Innocentii jam
pridem parem amicitiam inierat, gratulationem
fuerat in ſuis literis omiſſurus. Evodius ergo
Hipponem advenit ſub exordium ſuſcepti ab
Auguſtino Epiſcopatus, eumque ibidem cum
Auguſtino habitaſſe in monaſterio, ſatis innuit
diligenter attenta tota Epiſtola ad Proculianum.
Idipſum innuunt hæc verba in ſermone ad popu-
lum. *Perveni ad Epiſcopatum, vidi neceſſe habere
Epiſcopum exhibere humanitatem quibuſcumque ve-
nientibus ſive tranſeuntibus. Quod ſi non feciſſem,
Epiſcopus inhumanus dicerer; ſi autem conſuetudo
iſta in monaſterio permiſſa eſſet, indecens eſſet. Et
ideò volui mecum habere in domo iſta Epiſcopi mona-
ſterium clericorum*. En, ideò voluit Auguſtinus
habere monaſterium in domo Epiſcopi, quia
neceſſaria hoſpitalitas fieri non poterat in mona-
ſterio horti, in quo ſi Auguſtinus Epiſcopus
non habitarit, ea ſanè cauſtalis propoſitio eſt
admodum inepta. Hic namque eſt ejus ſenſus:
Quia neceſſaria hoſpitalitas non congruebat mo-
naſterio Horti, ſtatui illud deſerendum, ac
alium alterius diſciplinæ in domo Epiſcopali in-
choandum.

Poſt mortem ergo Valerii, videns Auguſti-
nus ſe curis Epiſcopalibus ultra aures immerſum,
ac vitæ communis ac dilectiſſimorum fratrum
conſortio ac ſolatio deſtitutum aut certè deſti-
tuendum, clericale monaſterium habere voluit
in domo Epiſcopali. Omnes ſuæ civitatis cleri-
cos ad hanc vitam eſt ſeriò adhortatus, fideliter
ſpondens nihil imponendum oneris, niſi ſolum-
modò Apoſtolicam ſine proprio communitatem.
Neminem coegit, liberum reliquit vel domum
Epiſcopi ingredi, vel foris manere ac more ſo-
lito de proprio præſepi edere, interim ſtatuens
ac edicens neminem de cætero ordinandum in
civitate clericum, niſi qui in communem cum
Epiſcopo vitam conſentiret. Patet hoc ex hiſce
verbis ad populum. *Ego ſum, qui ſtatueram, ſi- Serm. 49. cap. 4.
cut noſtis, nullum ordinare clericum, niſi qui me-
cum vellet manere: ut ſi vellet diſcedere à propoſito,
rectè illi tollerem clericatum*. Tunc factum eſt,
quod dicit ſanctus Poſſidius. *Proficiente divina Cap. 11.
doctrina, ſub ſancto & cum ſancto Auguſtino in mo-
naſterio ſervientes Deo, Eccleſiæ Hipponenſi clerici
ordinari cæperunt*. Nempe Auguſtini Epiſcopi
conſilium ac preces quidam Hipponenſes clerici
fuerunt ſecuti, quidam aſpernati, ideoque vi-
dens Auguſtinus deeſſe ſibi competentem nume-
rum, ex quo clericale monaſterium inchoaret,
ex horto evocavit Eremitas ſuos, atque partim
ex illis in clerum cooptatis, partim ex prioribus
ejus conſilium amplectentibus clericis primum
erexit canonicorum conventum regularem. Fe-
cit idipſum, quod poſtmodum fecit ſanctus Ful-
gentius in Sardinia exul. *Inter ipſa ſanè primordia Cap. 20.
glorioſi exilii monaſterium congregare paucos ſecum
monachos ducens non potuit: Sine fraterna tamen con-
gregatione vitam ducere neſciens, Coepiſcopos ſuos,*
Illu-

Illuſtrem ſcilicet & Januarium: habitare ſecum perſuaſit volentes, quibus unico ſerviens charitatis affectu, ſimilitudinem magni cujuſdam monaſterii, monachis & clericis adunatis, ſapienter effecit. Erat quippe ejus communis menſa, commune cellarium, communis oratio ſimul & lectio. Et quod ex exilio redux idem Fulgentius fecit Ruſpæ.
Cap. 29. *Emit juxta Eccleſiam domum, cui fabricandæ curam maximam diligenter impendit, ne futuro ſucceſſori ſuo deeſſet hoſpitium. Clericorum vero ſi qua miniſteria defuiſſent reparans, probatos ſibi multos ex fratribus monachis ad Eccleſiaſticam militiam tranſtulit, ibique charitati conſulens, dum pænè omnes clericos ex illo monaſterio ordinat, antiquæ familiaritatis manente notitia, nulla lis aliquando inter clericos & monachos ventilaretur.* Et quod in Eccleſia ac civitate ſua Livonienſis fecit primus Epiſcopus ſanctus Bertholdus, ad quem ita ſcribit Innocentius Papa tertius. *Deus qui Eccleſiam ſuam novam ſemper prole fœcundat, &c. Ne igitur, ſi diſpar in vobis obſervantia fuerit & diſſimilis habitus, apud eos, quibus unum Evangelium prædicatis, ſcandalum ſuſcitetur; mandamus, quatenus eo non obſtante, quod inter vos monachi ſunt & canonici Regulares, vel alii etiam regularem vitam ſub alia diſtrictione profeſſi, omnes pariter in unum regulare propoſitum & honeſtum habitum, quantum ad hoc ſpectat officium, conformetis.* Et planè credo, quod futuram hanc Innocentii legem Auguſtinus, utique homo unitatis amantiſſimus, ex tunc obſervarit. Hoc ergo modo ab Auguſtino inſtituti ac reformati fuere canonici Regulares. Inſtituti ſunt ab Auguſtino fratres Eremitas deſerere coacto, idque ex Eremitis in clerum coaptatis.

CAPUT XXXI.

Addacta Auguſtini verba magis explicantur.

VErba explicanda ſunt hæc. *Certè ego ſum, qui ſtatueram, ſicut noſtis, nullum ordinare clericum, niſi qui mecum vellet manere: Ut ſi vellet diſcedere à propoſito, rectè illi tollerem clericatum, quia dcſereret ſanctæ ſocietatis promiſſum, cœptumque conſortium. Ecce, in conſpectu veſtro & Dei, muto conſilium. Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non ſufficit Deus & Eccleſia ſua, maneant ubi volunt & ubi poſſunt, non eis aufero clericatum. Nolo habere hypocritas. Malum enim eſſe quis neſciat? Malum eſt cadere à propoſito; ſed pejus eſt ſimulare propoſitum. Ecce, dico, audite: Qui ſocietatem communis vitæ jam ſuſceptam deſerit, a voto ſuo cadit, & à profeſſione ſancta cadit, obſervet Judicem, ſcilicet Deum, non me. Ego ei non aufero clericatum. Quantum ſit periculum, ante oculos ejus poſui: Faciat quod vult. Novi enim, quod ſi aliquem hoc facientem degradare voluero, non ei deerunt patroni, non ei deerunt ſuffragatores, & hic & apud Epiſcopos, qui dicant: Quid mali fecit? Non poteſt tecum tolerare iſtam vitam. Extra Epiſcopatum vult manere, & de proprio vivere: Ideò non debet perdere clericatum.* Et in ſermone ſequenti. *Ecce, dico, audiſtis Qui habere voluerit proprium, & de proprio vivere, & contra iſta præcepta noſtra facere, parum eſt, ut dicam, non mecum manebit, ſed nec clericus erit. Dixeram enim, & ſcio me dixiſſe, quod ſi nollent ſuſcipere ſocialem vitam mecum, non illis tollerem clericatum, ſed ſeorſim manerent, & ſeorſim viverent, quomodo poſſent, Deo viverent. Et tamen ante oculos poſui, quantum mali ſit à propoſito cadere. Malui eum habere claudos vel claudos, quam plangere mortuos. Qui enim hypocrita eſt, mortuus eſt. Quomodo ergo quicumque voluiſſet extra manere & de ſuo vivere, non tollerem ei clericatum; ita modo, quia placuit illis, Deo propitio, ſocialis hæc vita, quiſquis cum hypocriſi vixerit, quiſquis inventum fuerit habens proprium, non illi permitto, ut inde faciat teſtamentum, ſed delebo eum de tabula Clericorum. Interpellet contra me mille concilia, navigct contra me quo voluerit, ſit certè ubi potuerit, adjuvabit me Deus, ut, ubi ego Epiſcopus ſum, illic clericus eſſe non poſſit.* Circa quæ verba variæ oriuntur quæſtiones. Prima: Qua de cauſa ac quo colore quidam Regulares canonici vitam communem ſub Auguſtino profeſſi, ingreſſique monaſterium domus Epiſcopalis, à propoſito reſilierint, ac deſerta Epiſcopali domo regreſſi ſint ad proprias ædes, propriaſque facultates? Secunda: Quo colore ſibi clericatum eripi ægrè tulerint, ideoque adverſus Auguſtinum, tamquam adverſus injuſtum degradatorem, appellarint ad alios Epiſcopos, atque ad neſcio quæ concilia navigarint? Tertia: Quo colore quidam Epiſcopi eis ſuffragati ſint, juſtificarintque impiam eorum Apoſtaſiam? Quarta: Quare Auguſtinus aliquo tempore auſus non fuerit illis Apoſtatis auferre clericatum? Quinta: Unde tandem Auguſtinus eos conceperit animos, quibus omnes illos Apoſtatas degradare decrevit atque degradavit, non curans eorum etiam ad mille concilia appellationes?

Reſpondeo, hæc omnia enata eſſe ex Monachiſmi ac communis vitæ apud Afros novitate. Auguſtinus quippe eis invexerat, non ſolummodò aliis gentibus notum monachiſmum, *genus vitæ*, ut ipſe adverſus Petilianum ſcribit, *toto orbe notiſſimum*; ſed etiam toti huc uſque Chriſtianæ Eccleſiæ ignotam Clericorum vitam communem atque in domo Epiſcopali monaſticam profeſſionem. Hocce vitæ genus quidam inchoatum putant Alexandriæ à ſancto Evangeliſta ac ejus Sedis Epiſcopo Marco, aut ejus ſucceſſore Aniano: Aſt malè. Primus id in ſuo Epiſcopali domo inchoavit ſanctus Auguſtinus. Non nego vitam communem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ſub Apoſtolis, neque ſub ſancto Marco ejuſmodi vitam Eccleſiæ Alexandrinæ: Dumtaxat nego eam fuiſſe vitam verè monaſticam, aut clericis propriam. Erat vita omnium fidelium. Hinc ubi Eccleſia ſupra numerum multiplicari ac tamquam grandis ſagena bonos & malos piſces congregare cæpit, dico eam ſimul & ſemel in clero ac populo defeciſſe. Hinc itaque erat Africanis Epiſcopis penitus ignota, narique ſunt, quos quidem mox diſſipavit Auguſtinus, varii de illa errores. Putabant vitam iſtam non eſſe immobilem ſtatum, ſed electionem voluntariam, adeoque eam poſſe aſſumi ac denuò deſeri ſine crimine aut delicto mortali. Hinc namque de

iſtis

iſtis Apoſtatis dicebant ad Auguſtinum. *Quid mali fecit? Non poteſt tecum tolerare iſtam vitam. Extra Epiſcopatum vult manere, & de proprio vivere. Ideò non debet perdere clericatum.* Certè propter quodvis notorium, quale erat iſta Apoſtaſia, mortale peccatum perdebatur iſtis temporibus clericatus, cadebaturque in laicam communionem. Patet id ex primo Concilio
Cap. 4. Valentino Galliæ. *Quicumque ſua ordinatione vel Diaconatus, vel Presbyterii, vel Epiſcopatus, mortali crimine dixerint ſe eſſe pollutos, à ſupradictis ordinationibus ſunt ſubmovendi, vel ſcilicet*
Cap. 76. *vel veri confeſſione, vel mendacio falſitatis.* Et ex Concilio Eliberino. *Si quis Diaconum ſe permiſerit ordinari, & poſtea fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiſerit, ſi ſponte fuerit confeſſus, placuit eum acta legitima pænitentia poſt triennium accipere communionem. Quod ſi alius detexerit, poſt quinquennium, acta pænitentia, accipere communionem laicam debere.* Ecce, non ſolummodò peccatum poſt ſacram ordinationem, ſed etiam commiſſum ante illam ac poſtea patefactum deiiciebat clericum in laicam communionem. Eſtque id fundatum in Apoſtolo, qui etiam Diaconum dicit debere eſſe ſine crimine, hoc eſt, ſine peccato mortali. Et hoſce canones fuiſſe Afris notos atque ab illis obſervatos, patet ex ſancto Auguſtino, adverſum Pelagianos ſic ſcribente ad ſanctum
L. 1. c. 14. Pontificem Bonifacium. *Nullus in Eccleſia rectè poſſet ordinari miniſter, ſi dixiſſet Apoſtolus, Si quis ſine peccato eſt, ubi ait, Si quis ſine crimine eſt: Aut ſi dixiſſet, Nullum peccatum habentes, ubi dixit, Nullum crimen habentes.* At verò iſti Apoſtatarum ſuffragatores Epiſcopi nolebant ob iſtam apoſtaſiam perdi clericatum: Cenſebant ergo iſtam apoſtaſiam non eſſe crimen, id eſt, peccatum mortale, adeoque & vitam iſtam communem eſſe placitum temporaneum, nequaquam immobilem ſtatum. Et iſte, neſcio quibus probabilitatum fucis larvatus, error occupavit plurimos Epiſcopos, etiam ipſum ſanctum Aurelium. Hic namque non ſolum diſcolos, ſed etiam Apoſtatas monachos promovit ad clerum, idque adeò densè, ut inde adagium fieret: *Sicut malus choraula bonus ſymphoniacus eſt, ita malus monachus bonus clericus eſt.* Putavit ergo non ſolummodo in clericis, ſed etiam in monachis vitæ communis deſertionem non eſſe peccatum mortale. Si namque mortale peccatum ibi agnoviſſet, ſtatuiſſet, haud dubie de iſtis Apoſtatis, quod non ita pridem de illis, omnium, quæ monachos norant, gentium unanimem conſenſum ſecuta ſtatuerat ſe-
Cap. 25. cunda Synodus Arelatenſis. *Sine pænitentia communionem penitùs non accipiant, quos etiam jubemus ad clericatus officium non admitti.* Contigit iſtis doctiſſimis ſanctiſſimiſque Africanis Epiſcopis fermè idipſum circa instituti monaſtici naturam, quod circa naturam iſtius inſtituti, quod profitentur Clerici Societatis, hoc noſtro ſæculo contigit quibuſdam Eximiis Sacræ Theologiæ Magiſtris. Quidam enim adeò exorbitatum, adeò firmiter inſtitutum iſtud tamquam veraciter Religioſum agnoſcere noluerunt, ut à Sancta Sede Apoſtolica fuerint per anathematis minas coercendi. Erat error infamis. Graviter, inquam, errabant, putantes iſtorum Clericorum ſolubilem profeſſionem eſſe quid ſub cælo novum: Etenim omnis omnino cunctorum antiquorum Religioſorum profeſſio fuit hujuſmodi uſque ad tempora Gregorii Papæ noni, qui magnis de cauſſis iſtam Religioſos profeſſos dimittendi atque ſtatu ſuo ſolvendi poteſtatem Regularibus Prælatis eripuit, eamque ſuæ ſanctæ Apoſtolicæ Sedi providentiſſimè reſervavit. Cui optimi Pontificis optimo ſtatuto nuper derogavit, atque vitæ genus jam per tria ſæcula unanimi omnium ſub cælo Eccleſiarum conſenſu improbatum denuò reduxit in orbem Romanum Gregorius Papa decimustertius, haud dubiè ex cauſſis. Quæ omnia Eximii iſti Magiſtri debuerant ſciviſſe atque attendiſſe. Proinde Africanorum Epiſcoporum error, utpote verſans circa rem in eorum Eccleſiis huc uſque non viſam, erat longè levior. Et quia plurimos occuparat Epiſcopos, ipſumque etiam S. Aurelium, ceſſit ad tempus Auguſtinus, neque delevit Apoſtatas ſuos de tabula clericorum.
Videns rem eſſe agendam fortiter ac ſuaviter, Epiſt. 76.
Aurelium, apud quem auctoritate pollebat, primitùs eſt aggreſſus, tandemque perduxit rem ſuam ad plenarium Africæ Judicium, atque ibi in quinto, ſeu veriùs tertio Carthaginenſi Concilio impetravit hunc canonem. *Placuit, ut ſi* Cap. 13.
quis de monaſterio alterius repertum vel ad clericatum promovere voluerit, vel in ſuo monaſterio Majorem monaſterii conſtituere, Epiſcopus, qui hoc fecerit, a cæterorum communione ſejunctus, ſuæ tantum plebis communione contentus ſit, & ille neque clericus neque Præpoſitus perſeveret. Traxit itaque Auguſtinus omnes omnino Africanos Epiſcopos in ſuam ſententiam, atque exinde cæpit quoſvis ſuos Apoſtatas intrepidus delere de tabula clericorum.

CAPUT XXXII.

De origine Africanarum Sanctimonialium.

ERrant graviter, qui hanc originem attribuunt S. Auguſtino. Africas quippe ſanctimoniales eſſe antiquiſſimas ac cum prima Evangelii prædicatione ibidem exortas, docent non ſolum Tertulliani ac S. Cypriani varia de ſacris virginibus ſcripta, ſed etiam ipſe S. Auguſtinus, frequenter aſſerens Sanctimoniales, earumque profeſſionem, velationem ac benedictionem fuiſſe etiam apud Donatiſtas. Scribit quip-
pe ad S. Epiſcopum Theodorum. *Cum ad nos* Epiſt. 223.
veniunt ex parte Donati, mala eorum non ſuſcipimus, agnoſcentes in eis bona Dei, ſive ſanctum Baptiſmum, ſive benedictionem ordinationis, ſive continentiæ profeſſionem, ſive conſignationem virginitatis, &c. Et ad Euſebium Epiſcopum Donati-
ſtarum. *Cum Eccleſiæ quidam colonus filiam ſuam,* Epiſt. 169.
quæ apud nos fuerat catechumena, & ab illis Donatiſtis *ſeducta eſt invitis parentibus, ut ibi baptizata etiam Sanctimonialis formam ſuſciperet, &c.* Et adverſus Parmenianum eorum Epiſcopum Carthagi-
nenſem. *An non cum mœchis particulam ſuam ponunt,* L. 2. c. 9.
qui greges ebrios Sanctimonialium ſuarum cum gregibus ebriis circumcellionum die noctuque permixtos vagari

turpiter ſinunt? Et adverſùs Gaudentium eorum Epiſcopum Thamugadenſem. *Etiam quædam* Lib. 1. c. 36. *Sanctimoniales veſtræ gravidæ per ſaxa ſe miſerunt, & diſſilientibus uteris, homicidiorum ſcelere ſtuprorum ſcelera prodiderunt.* Neque mireris Sanctimoniales inter greges circumcellionum: Cap. 10. Teſte namque ſancto Poſſidio, circumcelliones, ſacræ iſtæ turbæ, profitebantur caſtimoniam, aſt eam ſervabant juxta teſtimonium iſtorum diſſilientium uterorum. Hæ Sanctimoniales nequaquam erant de propagine Auguſtini: Hinc enim dicit Auguſtinus, *Sanctimonialium ſuarum*, & *Sanctimoniales veſtræ*. Et ſanè nequam iſti Auguſtini Sanctimoniales non minus quam monachos ejus credendi ſunt odiſſe. Quidquid namque Auguſtini erat, leproſum erat, ingerebatque ſanctis iſtis metum contagionis, & quiſquis pro illo vel unicum verbum diceret, totius partis Donati deputabatur inimicus. Lib. 3. cont. Petil. c. 11. Proinde moniales iſtæ, nec non eas conſignandi ac velandi modus, erant ex illis, quæ Majorinus ac Donatus una cum aliis Deidonis in Eccleſia Africana repererant, atque cum ſibi credulis populis à Chriſti corpore dilacerata foras aſportarant.

Auguſtinus ergo Africanas moniales in meliorem dumtaxat ordinem redegit, in monaſteria clauſa uni Præpoſitæ ſubjecta, ac in vitam ſine omni proprio communem. Patet hoc ex Cap. 33. hiſce verbis ſancti Poſſidii. *Auguſtinus clerum ſufficientiſſimum & monaſteria virorum ac fœminarum continentium cum ſuis præpoſitis plena Eccleſiæ* Serm. 39. c. 4. *dimiſit*. Et ex hiſce Auguſtini verbis. *Virgo, etſi nunquam fuit in monaſterio, & virgo ſacra eſt, illi nubere non licet, quamvis eſſe in monaſterio non compellitur: Si autem cœpit eſſe in monaſterio, & deſeruit, & tamen virgo eſt, dimidia ruit.* Ex hiſce, inquam, inter ſe collatis verbis patet, in Africa fuiſſe ſacras virgines, alias in monaſteriis ſub ſua Præpoſita, alias in ſuis domibus ſub ſolius Epiſcopi cura, ac primas fuiſſe inſtitutum Auguſtini. Et ſanè omnes priorum temporum ſacratas virgines privatim ac diviſim habitaſſe teſtatur Auguſtinus frequenter, ac nominatim in Cap. 45. libro de ſancta Virginitate. *Deinde ubi ponimus, quod multi ac multæ ita cuſtodiunt continentiam virginalem, ut tamen non faciant quæ Dominus ait, Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælis, & veni ſequere me: Nec audeant eorum cohabitationi ſociari, in quibus nemo dicit aliquid proprium, ſed ſunt eis omnia communia. Nihilnè putamus fructificationis accedere virginibus Dei, cum hoc faciunt? Aut ſine ullo fructu eſſe virgines Dei, etiamſi hoc non faciunt?* Tales fuiſſe credo omnes antiquas Africæ moniales: Tales nempe, quales modò ſunt illæ, quas nos dicimus filias devotas ſeu ſpirituales, præterquam quod iſtæ Africanæ per Epiſcopum velarentur, ſolemniterque conſignarentur, more noſtrarum monialium. Eſt genus vitæ periculoſum, uti patet ex iis noſtro ſilentio quam eloquio dignioribus, quæ ad Pomponium Epiſcopum ſcribit ſanctus Cyprianus, & in libro de virginibus velandis Tertullianus. Non accuſo quod neſcio, dico dumtaxat eſſe genus vitæ periculoſum.

Hinc Auguſtinus illud emendandum cenſuit in duobus. Primò, circa iſtam habitationem Epiſt. 109. extra clauſtrum: Voluit virgines iſtas in unum vivere, in clauſtro, ſine proprio, ſub obedientia Præpoſitæ, id eſt, eſſe veras Religioſas. Primo hujuſmodi monaſterio præpoſuit germanam ſuam ſororem. Dico, *Primo:* Etenim plurima ejuſmodi ſtatim per omnem Africam erecta fuiſſe monaſteria, ſanctus Poſſidius teſtatur, aliquaque ſpecialia enumerat ſanctus Victor Epiſcopus Uticenſis. Nulla erant ante Auguſtinum: Etenim ejus tempore vox *monaſterium* erat vox nova. Atque omnem ſuam reformationem curavit Auguſtinus probari ab omnibus Epiſcopis, redigique in univerſales Eccleſiæ Africanæ canones. Sic namque legimus in tertio concilio Carthaginenſi. *Ut virgines ſacræ, cum parenti-* Can. 33 *bus, à quibus cuſtodiebantur, privatæ fuerint, Epiſcopi providentia, vel Presbyteri, ubi Epiſcopus abſens eſt, in monaſterio virginum, vel gravioribus fœminis commendentur, ut ſimul habitantes invicem ſe cuſtodiant, ne paſſim vagantes Eccleſiæ lædant exiſtimationem.* Pluresque alios ibi reperies de Sanctimonialibus ſanctiſſimos canones, quos certum eſt omnes emanaſſe ſtudio atque opera ſancti Auguſtini. Secundò, eas virgines correctas voluit circa externum habitum, præſertim capitis. Hinc enim dicit in libro de ſancta virginitate. *Nec de his ago, in quibus eſt qui-* Cap. 34. *dam placendi appetitus, aut de elegantiori veſtitu, quam tantæ profeſſionis neceſſitas poſtulat, aut capitis ligamento notabili, ſive pro tumidis umbonibus capillorum, ſive tegminibus ita teneris utuntur, ut retiola ſubtus poſita appareant: His nondum de humilitate, ſed de ipſa caſtitate vel integritate pudicitiæ præcepta danda ſunt.* Et in Regula Sanctimo- Epiſtol. 109. nialibus data. *Non ſint vobis tam tenera capitum tegmina, ut retiola ſubtus appareant. Capillos ex nulla parte nudos habeatis, nec foris vel ſpargat negligentia, vel componat induſtria.* Quapropter Auguſtinus ſuarum monialium capillos non curavit tonderi, ſed dumtaxat abſcondi: Hoc ſufficere arbitratus comprimendæ, quæ fœminis ex coma enaſci ſolet, vanitati. Alia namque circa hoc in Latinis, alia in Græcis Eccleſiis fuit conſuetudo. Eccleſia orientalis Sanctimoniales ſuas tondebat ac decalvabat. De Ægypto namque ac Syria teſtatur ſanctus Hieronymus ſic ſcribens adverſùs impium Diaconum Sabinia- Epiſtol. 48. c. 3. num. *Moris eſt in Ægypti ac Syriæ monaſteriis, ut tam virgo, quam vidua, quæ ſe Deo voverint, & ſæculo renuntiantes omnes delicias ſæculi conculcaverint, crinem monaſteriorum Matribus offerant deſecandum, non intecto poſtea contra Apoſtoli voluntatem inceſſuræ capite, ſed ligato pariter ac velato. Nec hoc quiſquam, præter tondentes, novit, & tonſas, niſi quod quia ab omnibus fit, penè ſcitur ab omnibus. Hoc autem duplicem ob cauſſam de conſuetudine verſum eſt in naturam: Vel quia lavacrum non adeunt, vel quia oleum nec capite nec ore norunt, ne à parvis animalibus, quæ inter cutem & crinem gigni ſolent, & concretis ſordibus opprimantur.* Neque obeſt concilium Gangrenſe, Cap. 17. ſic dicens. *Si qua mulier propter divinum cultum, ut æſtimat, crines attondeat, quos ei Deus ad ſubjectionis materiam tribuit, tanquam præceptum diſſol-*

diſſolvens obedientiæ, anathema ſit. Ad hunc canonem exultant noſtri Monachorum ac Sanctimonialium oſores Hæretici, dicentes Sanctimonialium profeſſionem ac decalvationem ab iſto concilio anathematizari. Et quidem Concilio non tali quali: Ipſum quippe, quia ei Hoſius Cordubenſis Epiſcopus, ac ſancti Sylveſtri per omnem orientem Apoſtolicus legatus, interſuit ac præſedit, Papa Symmachus auctoritate Apoſtolica confirmavit. At exultant ſine cauſſa ac in caput ſuum. Canonem quippe iſtum eleganter explicat Zozomenus, ſic di-
Lib. 3. c. 13. cens. *Mulieres non paucæ adductæ in fraudem primum viros deſeruerunt. Nonnullæ pietatis ſimulatione caput totendere, & contra quam ſexum muliebrem deceret, virilem habitum induere. His de cauſſis Epiſcopi*, &c. Deinde Hæreſiarcha iſto concilio damnatus Euſtatius inter alia etiam matrimonium damnabat, omneſque obligabat ad continentiam: Et quia iſto errore multas à maritis ſuis impiè abſtractas mulieres in monaſteriis decalvari fecerat, iſtam decalvationem Synodus iſta damnavit. Proinde Synodus iſta nihil omnino pro hæreticis, plurimùm autem pro nobis facit: Oſtendit enim Sanctimonialium decalvationem etiam in Paphlagonia fuiſſe oſitatam. At verò in Eccleſia occidentali fuit uſus contrarius: Sanctimonialium crines illic dumtaxat ſub ſacro reticulo ac velo abſcondebantur. Teſtatur id palam codex Theodoſianus, quem modò ad manum non habeo, ac etiam ſanctus Ambroſius in opuſculo ad virginem lapſam. Et hunc uſum ſanctus Auguſtinus, utpote magnus Ambroſii Diſcipulus, ſuis Sanctimonialibus etiam præſcripſit.

Atque hinc patet, quo olim ſenſu ad ſanctum Epiſcopum Pomponium de Africanis Sanctimonialibus profeſſionem ſuam per neſcio quos fædos concubitus prævaricantibus ſcripſerit glorioſus Doctor ac Martyr Cyprianus. *Quod ſi ſe ex fide Chriſto dicaverint, pudicæ & caſtæ ſine ulla fabula perſeverent, ita fortes & ſtabiles præmium virginitatis expectent; ſi autem perſeverare nolunt vel non poſſunt, melius eſt nubant, quam in ignem delictis ſuis cadant*. Hunc Cypriani locum nobis ad nauſeam uſque aſſiduè obtrudunt Martinus Lutherus ac Joannes Calvinus, ex eo concludentes monaſtica perpetuæ continentiæ vota nullius eſſe roboris ac obligationis, utpote quæ proprio motu poſſint deſeri, & à quibus poſſit ad nuptias tranſiri, atque ita evadi ignis æternus. Verùm homines ſolemniter delirant, volenteſque eſſe legis Doctores non intelligunt, quæ affirmant, neque de quibus loquuntur. Neque enim ibi loquitur Cyprianus de votis monaſticis, utpote cujus tempore nulla apud Afros erant monaſteria aut monaſtica vota. Vocem *Monaſterium* tunc Afri adhuc ignorabant. Loquitur ergo de ſolo ſimplici, quale modò emittunt noſtræ filiæ devotæ, perpetuæ continentiæ voto, quod ob probabile incontinentiæ periculum olim per quoſvis Epiſcopos diſpenſari potuit, poſſetque etiamnum, niſi Romani Pontifices eam facultatem ſanctæ ſuæ Sedi reſervaſſent. Quapropter lapſus hic eſt Theologus veraciter eximius, ac Eccleſiaſticæ antiquitatis longè peritiſſimus, Magiſter Baſilius Pontius Lib. 7.
Legionenſis, dum in doctiſſimis ſuis de matri- c. 15.
monii Sacramento libris putat Cyprianum loqui de veris tria vota profeſſis Sanctimonialibus, atque ex eo probat ſacrilega Religioſorum conjugia antiquitus fuiſſe valida ac firma. Probo aſſertionem ejus: Ea namque certiſſima eſt, atque per ipſum ex obſcuro antiquitatis puteo elegantiſſimè evocata in lucem meridianam. Verùm iſtam probationem improbo. Quia certiſſimum eſt, tempore ſancti Cypriani nullas in Africa fuiſſe Sanctimoniales veraciter Religioſas. Mirorque id etiam ignoratum fuiſſe à Jacobo Pamelio. At inquies, unde ergo iſtæ devotæ virgines vocabantur Sanctimoniales? Neque enim ſimplex continentiæ votum facit Sanctimonialem. Reſpondeo ſic vocatas fuiſſe à ſacro velamine, ac Epiſcopali conſecratione. Hæc enim iſtis virginibus ſemper impenſa fuiſſe, clarius eſt, quam ut probetur.

CAPUT XXXIII.

Quare ſanctus Auguſtinus adeò acriter ſuis Sanctimonialibus inculcet, ut gerant humile capitis velamen?

Reſpondeo hujus rei cauſſam addiſci poſſe ex ſancto Optato Epiſcopo Mileviiano,
ad Parmenianum ſic ſcribente de criminibus Lib. 2.
Donatiſtarum, ac præſertim Felicis Epiſcopi Idicrenſis. *Felix inter crimina ſua & facinora nefanda, ab eo comprehenſam puellam, cui mithram ipſe impoſuerat, à quo paulò antè Pater vocabatur, nefariè inceſtare minimè dubitavit*. Ratio itaque præſentis quæſtionis eſt, quia Africanæ Caſtimoniales jam ab immemoriali tempore pro capi-
tis velamine geſtabant mithram, de qua idem Lib. 6.
ſanctus Optatus ſic denuò dicit. *Jam illud quam ſtultum, quam vanum, quod ad voluntatem & quaſi ad dignitatem veſtram revocare voluiſtis, ut virgines Dei agerent pænitentiam, diſcentes ut jam dudum profeſſæ ſigna voluntatis capitibus, poſtea vobis jubentibus, immutarent: Ut mithrellas aureas projicerent, alias acciperent. Primò dicite, ubi vobis aliquid de mithrella mandatum ſit. Nec ulla ſunt præcepta, vel de qua lana mithrella fieret, aut de qua purpura pingeretur. Non enim panno hoc poteſt virginitas adjuvari. Res inventa eſt ad ſignum capitis, non ad remedium caſtitatis. Denique & talis pannus deturpari, & rodi, & perire poteſt; & tamen virginitas ſine mithrella tuta eſſe poteſt. Spirituale nubendi hoc genus eſt. In nuptias ſponſi jam venerant voluntate & profeſſione ſua, & ut ſæcularibus nuptiis ſe renunciaſſe monſtrarent, ſpiritali ſponſo ſolverant crinem, jam cæleſtes celebraverant nuptias. Quid eſt, quod eas iterum crinem ſolvere coegiſtis? Quid, inquam, eſt, quod ab ipſis per vos exacta eſt profeſſio ſecunda? Quis eſt alter ſpiritalis ſponſus, cui iterum nuberent? Quando mortuus eſt, cui nupſerant, ut iterum nubant? Nudaſtis denuo capita jam velata, de quibus profeſſionis detraxiſtis indicia, quæ contra raptores aut petitores videntur inventa. In mithrella indicium eſt voluntatis, non caſtitatis auxilium. Signum eſt, non Sacramentum. Inveniſtis virgines*

nes hujuſmodi, quæ jam ſpiritaliter nupſerant: quaſi ſecundas coegiſtis ad nuptias, ut crines iterum ſolverent, imperaſtis. Jam conſecratas Deo immundis adſperſiſtis cineribus, crines juſſiſtis etiam ſalſa aqua perfundi.

Ex hiſce verbis habemus duo notatu digna. Primò habemus, rabidis Donatiſtis non ſuiſſe ſatis, omnem Chriſtianæ Africæ maſculinum ſexum, tam clerum, quam omnem uſque ad parvulos populum, de pænitentia ſauciaſſe, atque hac via feciſſe indiſpenſabiliter irregularem; ſed inſuper impias ſuas manus injecere in Sanctimoniales. A Catholicis ac Cæciliano communicantibus Epiſcopis velatas Sanctimoniales velo, tamquam nulliter dato, exuerunt, coegeruntque in plenam pænitentiam: Afras quippe Sanctimoniales, dum ia quodpiam crimen inciderent, ſolitas fuiſſe plenæ pænitentiæ ſubjici, palam patet ex Epiſtola ſancti Cypriani ad Epiſcopum Pomponium. Neque id ſolum, ſed inſuper earum capillos cineribus ac ſalſa aqua abluebant atque expiabant, utpote ex Catholicorum Antiſtitum attactu pollutos ac ſcabioſos. At inquies, Cur eos non abſcindebant? Reſpondeo, quia ut jam audivimus, Afræ virgines nunquam fuerunt ſolitæ detonderi. Et quidem privabant eas velo ad longos quandoque dies, toto nempe pænitentiæ tempore, nec non omni illo tempore, quo miſeræ develatæ virgines debebant à Donatiſtis Epiſcopis veli reſtitutionem tam quam ſingularem quamdam gratiam inſtanter atque aſſiduè expoſtulare. De cujus moræ eff ctu ſic ſubdit ſanctus Optatus. *Et utinam vel id, quod tuliſtis, velociter revocare velletis. Interpoſuiſtis moras, ut retractæ in priſtino habitu aliqua diutius remanerent, retractis ſigais, quibus ſe jam dudum contra petitores & raptores muniĕrant. Qui cum viderent præſcriptionem ſibi jam dudum oppoſitam à vobis eſſe ſublatam, de ſponſis raptores effecti ſunt. Nec viſus eſt ſibi nunſquiſque peccaſſe, dum talem rapuit, qualem viderat, quando ut uxorem acciperet poſtulabat.*

Et meritò dicit Optatus iſtam velaminis iterationem fuiſſe vanam ac ſtultam. Eo quod velum non ſit Sacramentum aut caſtitatis ex opere operato adjutorium, ſed merum voluntatis ſeu virginalis profeſſionis ſignum, inventum contra petitores ac raptores, *ut rem jam Deo devotam ne qui ſponſabat perſeveret petere, aut ne raptor audeat violare.* Erat præſcriptio adversùm procos, id eſt, ſignum omnem procandi ſpem peremptoriè interdicens. Et hinc patet, quo ſenſu Tertullianus doctiſſimum quempiam ſuum librum vocet librum præſcriptionum contra hæreticos. Librum præſcriptionum, id eſt, librum ſignorum, quibus peremptoriè excludantur hæretici à jure ſibi legitimam Eccleſiam arrogandi. Alia, inquam, erat cauſſa Divinorum Sacramentorum, alia hujus veli. Velum quippe hoc erat mera quædam nullum in anima effectum producens cæremonia, ideoque quantumvis data per Hæreticum aut Traditorem Sacramenta legitimè iterari poſſent aut deberent, nulla tamen foret anſa exufflandi ac iterandi iſtud velum. Et hinc ſanctus Optatus iterationem iſtam dicit fuiſſe vanam ac ſtultam. Nihilominùs videtur ex intervallo Auguſtini temporibus, placuiſſe quibuſdam Epiſcopis Catholicis: Videntur quidam Catholici Epiſcopi datum à Donatiſtis velum, eò quod merus quidam eſſet ritus humanus, exufflaſſe ac reiteraſſe, quorum praxim Auguſtinus reprobat ac vetat ſcribens ad Epiſcopum, à quo conſultus fuerat, Theodorum. Epiſt. 223.

Ex iſtis Optati verbis habemus ſecundò, Africanas Sanctimoniales geſtaſſe mithras ſeu mithrellas, de quibus, omiſſis quorumdam opinionibus, placet mihi ſententia Franciſci Balduini ſic ſcribentis. *Velis tegebantur & quaſi obnubebantur capita ſacrarum virginum. Mithrellas vocat Optatus, quaſi parvas mithras dicas. Mithra verbum Syriacum eſt, Græci dicunt Diadema, Latini vittam: Et propriè ſignificat vinculum aut redimiculum. Ut autem erant vittæ virginales, ſic & aliæ erant matronales: Nam nuptæ matronæ aliter quam virgines caput velabant & ornabant.* Incognitus autem Optati commentator ſic dicit. *Virgilius in Catalectis: Copa Syriſca caput grata redimita mitella. Cicero pro Rabirio Poſthumiano. Deliciarum cauſſa & voluptatis non modo Romanos cives, ſed & nobiles adoleſcentes, & quoſdam etiam Senatores ſummo loco natos, non in hortis & ſuburbiis ſuis, ſed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella ſæpè videmus. Ubi alia exemplaria habent Mithrella. Cornelio Celſo ſummæ elegantiæ Medico mitella eſt linteum, in quo brachium fractum, læſumve ſuſpenditur ad collum. Optatus Nonnarum ſive ſacrarum virginum vittas ſeu vela (unde Belgis noſtris* Wielle, Wiedoeck, *& Wyle) mitrellas vocat, quaſi parvas mitras dicas.* Erat velum iſtud compoſitum ex tribus: Ex panno, ex purpura, & ex auro. Purpura quippe & aurum erant panno ſupertexta. Erat itaque tegumentum fovendæ vanitati aptiſſimum, ideoque ne in foveam iſtam ſuæ Sanctimoniales caderent, adeo diligenter atque acriter cavit ſanctus Auguſtinus. Et hinc patet, quantùm hallucinetur in ſuis ſuper Tertulliani librum de velandis virginibus commentariis Beatus Rhenanus, dum dicit Epiſcopalem virginum velationem apud Afros cœpiſſe dumtaxat circa tempora ſancti Ambroſii. Dico ibi cœpiſſe cum ipſo Evangelio, idque non ſolùm ex ſancto Optato ac variis Africanis Conciliis, ſed etiam ex ſancto Cypriano, ipſoque Tertulliano eſſe manifeſtum. At inquies, Cur Epiſcopi Africani ſuis Caſtimonialibus dedere velum adeò ſplendidum? Reſpondeo, ad omnibus demonſtrandum virginalis profeſſionis ſplendorem, futuramque ejus in cælis laureolam, nec non ipſas virgines commonendas, quatenus ſuum iſtud pretioſum depoſitum cautè cuſtodirent. Rurſum inquies, Cur ſanctus Auguſtinus ſplendidum iſtum ornatum mithrellis non detraxit? Sic enim vanitati omnem rimam præcluſiſſet, anſamque præcidiſſet. Reſpondeo rationem patere ex hiſce verbis ſancti Optati. *Ut virgines Dei ſigna voluntatis capitibus, vobis jubentibus, immutarent: Ut Mithrellas aureas projicerent, alias acciperent.* Ecce, Donatiſtæ mithrellis iſtis aureas fimbrias, omnemque alium ornatum detraxerant, eoque charactere volebant ſuas virgines à noſtris eſſe diſtinctas: Nihil quippe nobiſcum volebant habere com-

mune. Noluit itaque Auguſtinus ornatum iſtum
detrahere duas maximè ob cauſſas. Primò, quia
antiquus per Patres inductus Eccleſiæ ritus non
Epiſt. eſt facilè immutandus: *Ipſa quippe mutatio conſue-*
118. c.5. *tudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate per-*
turbat. Deinde, quia ritus iſte, quem quaſi in
hæreſis ſuæ ſymbolum ac profeſſionem aſſumunt
hæretici, longiſſimè eſt abjiciendus.

Dicoque omnes iſtas Sanctimoniales, quas in
monaſteriis Auguſtinus coadunavit atque in ſu-
am curam ſuſcepit, fuiſſe Eremitanas, nequa-
quam Canonicas Regulares. Patet id primò ex
ipſo earum habitu, de quo ſic ſcribit Auguſtinus
L. 5. c. 7. in libris adverſus Julianum. *Tenent ſanctam pro-*
feſſionem, non ſolo habitu veſtis, ſed & mentis &
corporis. Habebant, ecce, habitum ab habitu
ſeculari diſparatum. Hic porrò diſparatus habi-
tus erat, non alba cappa ac linea tunica, qualem
modò geſtant Regulares Canonicæ; ſed habitus
fuſcus & niger, qualem etiam hodie geſtant E-
remitanæ. Tradit id ipſe Auguſtinus in Epiſtola
ad Ecdiciam, quæ monialium habitum aſſum-
Epiſt. pſerat, ſic ſcribens. *Expediret te potius marito ob-*
199. *temperare candidis moribus, quam nigellis veſtibus*
repugnare. Quia etſi te indumentum monachæ dele-
ctabat, &c. Eaque erat veſtis omnium penitùs
per Europam ac Africam, immò per omnem ſub
cælo Eccleſiam monacharum. Neque huic pun-
cto comprobando immorabor: Etenim in ſan-
cto Athanaſio, Ambroſio, Hieronymo, aliiſ-
que Patribus res eſt obvia ac manifeſta. Secundò
patet dictum meum ex inſpecta origine Moniali-
um Europæarum, præſertim Italicarum. Hæ au-
tem ſunt Moniales, quas Auguſtinus adeò lau-
dat in libro de moribus Eccleſiæ Catholicæ, qua-
rumque ſanctimoniam opponit hypocriſi Mani-
chæorum: Proindeque non eſt dubitandum,
quin earum diſciplinam ac vivendi normam ſe-
cum deportarit in Africam, ibique eam præſcri-
pſerit Afris Monialibus in monaſteria coaduna-
tis. Exinde enim didicit, ſecumque deportavit
etiam virorum monaſticum inſtitutum. At vero
Italicæ Moniales erant omnes Eremitanæ, ortæ
de Eremitana propagine ſancti Antonii. Teſtis
meus eſt ſanctus Hieronymus, ſic ſcribens ad
Epiſt. Principiam de ſancta Marcella. *Nulla eo tempore*
16. c. 2. *Nobilium fæminarum noverat Romæ propoſitum mo-*
3. *nachorum, nec audebat, propter rei novitatem,*
ignominioſum, ut tunc putabatur, & vile in po-
pulis nomen aſſumere. Hæc ab Alexandrinis pri-
ùs Sacerdotibus, Papaque Athanaſio & poſtea Pe-
tro, qui perſecutionem Arianæ Hæreſeos declinan-
tes, quaſi ad tutiſſimum communionis ſuæ portum,
Romam confugerant, vitam beati Antonii adhuc
viventis; monaſteriorumque in Thebaide Pachomii
& virginum ac viduarum didicit diſciplinam:
Nec erubuit profiteri, quod Chriſto placere cogno-
verat. Hanc ex intervallo imitatæ ſunt Sophro-
nia, Paula, Euſtochium, aliæque plurimæ:
Eaque eſt origo Monialium in Europa. Qua-
propter dubitandum non eſt, quin Auguſtinus
hanc ipſam originem ſecum detulerit, atque
in Africa plantarit.

CAPUT XXXIV.

De Regula Sancti Auguſtini: Quibus fuerit primò ſcripta & data?

Literio Eraſmus ait Regulam ſcriptam ac da-
tam ſolis Sanctimonialibus, idque ex oc-
caſione tumultus iſtius facti in Monaſterio quo- Epiſt.
piam, cui præfuerat Germana Auguſtini Perpe- 109.
tua; Gabriel autem Pennottus ſcriptam & da-
tam ait primò Canonicis Regularibus, ac dein
Monialibus communicatam. Verùm utrique ma-
lè. Conſtanter enim dico, primitùs eam ab Au-
guſtino ſcriptam ac datam fratribus Eremitis pro-
pe Hipponem in agro Valeriano, ac ex interval-
lo communicatam tam Regularibus Canonicis,
quam Sanctimonialibus. Quam aſſertionem
agnoſcunt etiam Theologi Lovanienſes ac Pari-
ſienſes: Etenim Regulæ præfigunt hanc Epigra-
phen, *Regula ad ſervos Dei*, quod eſt vocabu-
lum propriè apud antiquos ſignificativum laico-
rum monachorum. Patetque clarè ex Auguſtini
libro de monachorum opere. Ibi namque varios
Regulæ locos Auguſtinus citat, eiſque mona-
chis, qui utique Eremitæ erant, refricat in
mentem, tamquam de cætero melius attenden-
dos ſervandoſque. Dicit, inquam. *Neque enim* Cap. 21.
apparet, utrum ex propoſito ſervitutis Dei venerint,
an vitam inopem & laborioſam fugientes, vacui pa-
ſci atque veſtiri voluerint, & inſuper honorari ab
eis, à quibus contemni conterique conſueverant. Et
infra. *In eorum ſocietate victurus, quibus eſt ani-* Cap. 24.
ma una & cor unum in Deum, ita ut nemo dicat ali-
quid proprium, ſed ſint illis omnia communia. Et
rurſùm. *Neque enim propterea in militia Chriſ-* Cap. 25.
tiana ad pietatem divites humiliantur, ut paupe-
res ad ſuperbiam extollantur: Nullo modo enim
decet, ut in ea vita, ubi fiunt Senatores laborioſi,
ibi fiant opifices otioſi; & quo veniunt relictis di-
vitiis ſuis qui fuerant prædiorum Domini, ibi ſint
ruſtici delicati. Quæ omnia, non quidem quoad
verba, tamen quoad ſenſum, palam deſumpta
ſunt ex regula, ideoque palam oſtendunt eam
datam ſcriptamque fuiſſe iſtis Eremitis. Et qui-
dem talia ſunt plura loca in Auguſtino, credo
interim aſſertionem meam, quoniam quæſtioni
huic finem imponere volo, ex his abundè com-
probari.

Audiamus tamen quid pro ſe dicat Gabriel L. 1. c.
Pennottus. Dicit Regulam vitæ Eremiticæ in 18. n. 2.
multis repugnare, ideoque dari ac ab Auguſtino
ſcribi non potuiſſe ad Eremitas. Prima repu-
gnantia eſt in his verbis. *Qui aliquid habebant in*
ſæculo; quando ingreſſi ſunt monaſterium, libenter
velint illud eſſe commune. Eremitæ enim non ha-
bebant bona immobilia in communi. Secunda
in his verbis. *Non ſit notabilis habitus veſter,*
nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus. Hæc
non cadunt in vilem Eremiticum habitum. Ter-
tiò in his verbis. *Neque enim proceditis, fæminas*
videre prohibemini. Hæc non cadunt in con-
cluſos ſolitudine Eremitas. Quarta in his ver-
bis. *Quando eſtis ſimul in Eccleſia, & ubicum-*
que fæminæ ſunt, invicem veſtram pudicitiam cu-
ſtodite. Hæc non quadrant in ſolitarias Eremiti-
cas

eas Eccleſiss. Quinta in his verbis. *Veſtes ve-
ſtras in unum babebatis ſub uno cuſtode, ne à tinea
lædantur*. Nec hoc in Eremitas qusdrat, qui uni-
ca contenti tunica non habuere veſtes mutato-
rias. . Sexta in bis verbis. *Veſtimenta veſtra ſecun-
dum arbitrium Præpoſitì laventur, ne interiores
animæ ſordes contrabat mundæ veſtis nimius appe-
titus*. Quia Eremiticus ſaccus non egebat lotio-
ne. Seprima denique in his verbis. *Lavacrum
etiam corporis minimè denegetur, neque eant ad bal-
nea minus quam duo vel tres*. Eremiræ enim non
balneabanr, unde ſanctus Fulgenrius etiam in
fine vitæ ſuæ recuſavit balneum tamquam à ſua
profeſſione alienum.

Verùm Pennottus quærit nodum in ſcirpo.
Ad primum, peto unde didicerit Pennottus
Eremitis inrerdictam fuiſſe communem bono-
rum immobilium poſſeſſionem? Sanè Auguſti-
Epiſtol. nus palam dicit contrarium in Epiſtola ad Ali-
239. pium, agens de parrimonio fratris Honorsii è
Tagaſtenſi Eremitorio aſſumpti ad Presbyrera-
tum Eccleſiæ Tbianenſis. Palam ibi dicit tam
Tagaſtenſi quam Hipponenſi Eremitarum mons-
ſterio communes fuiſſe fundos. Et in Epiſtola
Epiſtol. ad Albinam reſtatur paucu los ſuos paternos agel-
225. los à ſe donatos fuiſſe, non Hipponenſi, ſed
Tagaſtenſi Eccleſiæ, id eſt, monaſterio Eccleſiæ
Tagaſtenſis. Hinc namque in ſermone populari
Ser. 49. dicit ſe nihil Tagaſta Hipponem atruliſſe, niſi
de diver. veſtimenta, quibus tunc induebatur: Quia nem-
cap. 1. pe omne patrimonium monaſterio Tagaſtenſi
jam donarar, non clericorum, quod adhuc ibi
nullum erat, ſed monaſterio Eremitarum. Patet
itaque Pennottum hic miſerè hallucinari.

Ad ſecundum dico, ea verba omnino cadere
in vilem Eremiticum babitum. Fatetur nam-
que Pennortus ejuſmodi vilem habitum geſtatum
fuiſſe à ſancto Fulgentio: Et ramen de ipſo di-
Cap. 18. cir jam ſæpè citans incognitus Auctor, *Caſu-
lam pretioſam vel ſuperbi coloris nec ipſe babuit nec
monacbos ſuos babere permiſit*. Hoc eſt, voluir à
ſuis monachis hoc Regulæ punctum obſervstum.
Et quivis Auguſtini ſedulus Lector novir ab
illo, non ſolùm hic in Regula, ſed & alibi fre-
quenter argui eos, qui in ſacco & cinere nimiam
munditiam quærunt & nitorem. Eodemque
modo reſpondens ad ſextum, remitto Pennor-
tum ad frarres Minores, rogaturum, num ipſi
vilem ſuum habitum nunquam ſint conſueti la-
vare.

Ad tertium dico, ea verba quam optimè di-
rigi ad Eremitas. Solebanr nsmque de Eremis
ſuis frequenter egredi. Teſtarur enim tam Au-
guſtinus quam ſanctus Salvianus Epiſcopus Maſ-
ſilienſis eos frequenter appsruiſſe Carthagine,
cauſſa pietatis aut aliorum negotiorum. Item
Epi. 46. Creſconius & Felix Adrumeto Hipponem, frater
47. 256. autem Florus Adrumeto Uzalim, Uzali Cartbagi-
nem ambulavir. Evodius monaſterii Hipponen-
ſis Prior paſſim frequentabat cives Hipponenſes,
arque in eorum domibus non ſemel cum Hip-
Ep. 147. ponenſium Donatiſtarum Epiſcopo Proculiano
diſputavit. Euſtarius & Andreas de Caprarienſi
Ep. 81. Eremitorio egreſſi ſunr in campum militarem, ſe-
cuti Mazcezil perduellis Gildonis fratrem, ejus
gladium ſuis orationibus adjuturi. Hoſce ergo,
aliosque id genus Eremitarum ſuorum in publi-
cum progreſſus reſpiciens Auguſtinus in Regula
ſua edixit jam adducta verba.

Ad quartum reſpondeo, ea Regulæ verba non
intelligi à Pennotto, ſuam Eccleſiaſticæ antiqui-
tatis imperitiam nimium clarè illic profeſſo. Ea
verba nequaquam cadunt in Regulares Auguſti-
ni canonicos. Hi namque dum in Eccleſia ſi-
mul eſſent, non in ambone, ſeu atrio populi
cum fæminis eranr, ſed in ſecretario intra can-
cellos, quo nullus omnino laicus, ne quidem
ipſe Romanus Imperator intrabat, uti patet ex
ea repulſa, quam Mediolani in ejuſmodi in-
greſſu Theodoſius ab Ambroſio eſt paſſus. Ita,
inquam, fiebat in omni Eccleſia Latina: Græ-
ci verò Auguſtum admittebanr intra cancellos.
Hunc enim Eccleſisrum divarſum morem igno-
rans Theodoſius, quia Conſtantinopoli intra
cancellos adſtare ſolebat Epiſcopo Nectsrio,
putabar & Mediolani ſeſe Ambroſio aſſociare.
Hocque diſcrimen Epiſcopi Græci poſt ſextam
Synodum congregati in Trullo redegerunt in
hunc canonem. *Nulli omnium, qui ſit in laico-* Cap. 69.
*rum numero, liceat intra ſacrum altare ingredi:
Ab eo tamen nequaquam probibita Poteſtate & Au-
ctoritate Regia, quando quidem voluerit Creatori
dona offerre ex antiquiſſima conſuetudine*. Proindu
Canonicis Regulsribus, dum ſimul eranr in Ec-
cleſia, nullum penitus erat periculum adſpicien-
darum fæminarum. Dico itaque Auguſtinum lo-
qui conformiter ad banc Apoſtolicam conſtitu-
tionem Clementis Romani. Eucharistiam pri-
mò *ſumat Epiſcopus, deinde Presbyteri, & Dia-* Lib. 8. c.
coni, & Hypodiaconi, & Anagniſtæ, & Canto- 20.
*res, & Aſcetæ, & ex mulieribus Diaconiſſæ, &
virgines & viduæ, poſtea pueri, & omnis populus,
ordine, cum pudore & reverentia, abſque tumultu*.
Hoc ordine antiqui fideles Euchariſtiam commu-
nicabanr. Neque verò omnes iſti in eodem loco,
ſed juxta præſcriptum quartæ Synodi Toleranæ.
Sacramentum ſumatur eo ordine, ut Sacerdotes & Cap. 17.
*Levitæ ante altare communicent, in choro clerus,
extra chorum populus*. Atque ita ſervatum fuiſ-
ſe in omni penitùs ſub cælo Eccleſia, fidem
faciunt concilium Laodicenſe, primum Bracha-
renſe, ſecundum Turonenſe, aliaque plura, de
quibus ſuo tempore. Monachi itaque atque Ere-
mitæ, quia domi ſuæ non Eccleſias, ſed dum-
taxat Oratoria habebanr, ſtatis temporibus ad
Parochiales ac Carhedrales Eccleſiss ſumendæ
Euchsriſtiæ ac audiendæ Epiſcopalis miſſæ gratia
conveniebant ac convenire debebanr: Dumque
convenirent, quia meri laici erant, non in cho-
ro intra cancellos, ſed foris cum fæminis in atrio
populi permanebant. Hos itaque conventus re-
ſpiciens Auguſtinus dicit Eremitis ſuis in Regu-
la: *Dum ſimul eſtis in Eccleſia, & ubicumque fæ-
minæ ſunt, invicem veſtram pudicitiam cuſtodite*.
Dum ſimul eſtis in Eccleſia, non propria, quam
oratorio contenti non habebant Eremitæ, ſed
in Parochiali aut Cathedrali.

Ad quintum reſpondeo Pennottum augurari.
Unde quippe novit Eremitis non fuiſſe veſtes
mutatorias. Ar inquies, ſanctus Fulgentius eas
non habuit: Ergo nec alii Eremitæ. Deus bo-
ne, qualis ſequela. Similemque ſequelam obtru-

dit nobis Pennottus circa baloea Eremitarum. Licet namque Fulgentius volens omni balneo abſtinuerit, nequaquam tamen Auguſtinns Eremitis ſuis impoſuit iſtius abſtinentiæ neceſſitatem. Eo namque tempore balnea erant omni hominum geoeri uſitatiſſima, etiam Sanctimonialibus atqne Epiſcopis, cenſebautnrqne non minùs neceſſaria, quam eſca & potus. Hioc ex præcepto iis abſtinebant ſoli ſacco, cineri, rigidiſſimis jejuoiis, aliiſque id genus afflictiooibus adjudicati Pœnitentes. Cujus rei lnculentiſſimis teſtimoniis, quoniam in ſacris canonibus ſunt paſſim obvia, nolo Lectorem onerare. Proinde nequaqnam vero eſt ſimile, quod ea Eremitis ſuis interdixerit Auguſtinns.

Quin immo ſunt quædam Regulæ puncta, quæ videntur oullo modo quadrare Canonicis Regu-
Cap. 31. laribus. Primò hæc verba. *In oratorio nemo aliquid agat.* Aliod namque eſſe Eccleſiam ſeu Baſilicam, aliud oratorium, patet ex canonibus editis in Trullo poſt ſextam Sydodnm generalem: Canonici porro, quia Epiſcopo cohabitabant, habebant Baſilicam ſeu Eccleſiam, non oratorium. Deinde hæc verba. *Præpoſito tamquam Patri obediatur, multomagis Presbytero.* Canonici qnippe ſuberant immediatè Epiſcopo, nequaquam alicui Presbytero, longeque mioùs alicui laico Præpoſito. Tertiò hæc verba. *Nullus ſibi aliquid operetur, ſed opera veſtra in unum ſiant.* Etenim clerici, qnoniam altari deſerviebant, oon de ſuis manibus, ſed de altari vivebant. Nibilominus omnioo ctedo Regulam etiam Canonicis fuiſſe ab Auguſtino communicatam: Eteoim ſic communicari potuit, ut tamen ab illis non ſervarentur quæpiam puncta eis non penitùs concinna. At inquies, qno tempore Auguſtious Regulam ſcripſit, quando Eremitis, quando Canonicis, quando Monialibus dedit? An ſtatim ab erectione monaſterii, an ex intervallo, & qua occaſione? Reſpondeo nihil hic eſſe certi, ſoliſque conjecturis agendum, quas, quia longæ ſunt, & ego ad finem propero, nolim enumerare. Hoc tamen certum videtur, Regulam communicatam Monialibus, non ſtatim à prima earum inſtitntione, ſed dudum poſt, poſt mortem ſanctæ Perpetuæ, occaſione iſtius famoſi tumultus.

C A P U T XXXV.

An ſermones ad fratres in Eremo *ſint germanum opus ſancti Auguſtini?*

FUrtum iſtud, qno neſcio qui obſcuri tenebriones nomeo invadere conati ſunt alienum, atque eo tamquam grato omnibus colore vel errores vel nugas ſuas tingere, taliterque tinctas venum exponere, eſt io Eccleſia admodùm antiquum. Huic namque furto debemus varias, quæ ſub ſanctorum Apoſtolorum atque aliorum canonicorum Auctorum nomioe prodieruot, ſcripturas apocryphas, nec non plurimas nugas, patenteſque impoſturas, quas circumferri ſcimus ſub nominibus plurium ſanctorum Patrum. Et tale quidem furtum quidam paſſi ſunt dumtaxat poſt mortem ſuam, ſanctus verò Auguſtinus id paſſus eſt etiam in ſua vita. Teſtatur id ipſe io libro de geſtis Pelagii ſic ſcribens. *Nam & mihi quidam fratres noſtri nonnulla opuſcula ſub* Cap. 6.
meo nomine in Hiſpaniam veniſſe dixerant, quæ quidem ab eis, qui alia noſtra legiſſent, non agnoſcerentur, ab aliis tamen noſtra eſſe crederentur. Eſtque furtum iſtud commiſſum quandoque ab ipſis iſtorum opuſculorum Auctoribus, quandoque ab aliis neſcio quibus impoſtoribus. Fuerunt oamque quidam in ignotis quibuſcumque opuſculis Auguſtioo adſcribendis adeò imperiti ac faciles, ut ipſi adſcripſerint ſermonem de Antichriſto, in quo multum extollitur fides Regum Galliæ, eorumque languidum jus ad imperium Romanum: Et Epiſtolam ad Demetriadem virginem, quam conſtat eſſe Pelagii aut certè cujuſdam inſignis Pelagiani, quamque Auguſtinus ex profeſſo refutat: Et librum de vera & falſa pœnitentia, eruditum quidem, cujus tamen Auctor in capite finali ſancti Auguſtini ſententiam refert ac reiicit: Ac quæſtiones in vetus ac novum teſtamentum, opus varia hæreſi leproſum, quod putatur eſſe impuri Hilarii, Luciferiani, quem ſanctus Hieronymus lepidè vocat orbis Deucalionem. Adeò verſata fuerunt proxima ſæcula in ſancto Auguſtino.

Dico itaque ac conſtanter aſſero præfatos iſtos ad fratres in Eremo ſermones non eſſe Auguſtini, ſed eſſe opus neſcio cujus imperiti impoſtoris, qui fecit id ipſum, quod ſuo tempore à quopiam ſimili factum eſſe teſtatur Caſſiodorus
in libro de Divinis Lectionibus. *In Epiſtolas tre-* Cap. 8.
decim ſancti Pauli annotationes conſcriptas in ipſo initio meæ lectionis inveni, quæ in cunctorum manibus ita celebres habebantur, ut eas à ſancto Gelaſio, Papa urbis Romæ, doctiſſimi viri ſtudio dicerent eſſe conſcriptas. Quod ſolent facere, qui res vitioſas cupiunt glorioſi nominis auctoritate defendere. Sed nobis ex præcedentibus lectionibus diligenti retractatione patuerunt, ſubtiliſſimas quidem eſſe ac breviſſimas dictiones, ſed pelagiani erroris venena eſſe illic ſeminata. Non fecit id quidem Auctor iſte, ut rem hæreticam glorioſi nominis auctoritate defenderet: Nullo modo. Nihilominus peccavit peccatum iſtud, de qno dicit ſanctus Auguſtious in libro de mendacio. *Inſanus eſſet homo,* Cap. 10.
ſi alienæ libidinis evitandæ cauſſa, Chriſti Evangelium falſis laudibus infalſaret, magis evitans alienam corruptionem in corpore ſuo, quam in doctrina ſanctificationis animarum atque corporum, corruptionem ſuam. Quamobrem à doctrina Religionis atque ab eis omnino enunciationibus, quæ propter doctrinam Religionis enunciantur, cum illa docetur & diſcitur, omnia penitus mendacia removenda ſunt. Nec alia omnino cauſſa inveniri poſſe credatur, cur in rebus talibus mentiendum ſit, quando nec ideò in ea doctrina mentiendum eſt, ut ad eam ipſam faciliùs quiſque perducatur. Fracta enim vel leviter diminuta auctoritate veritatis, omnia dubia remanebunt, quæ niſi vera credantur, teneri certa non poſſunt: Licet igitur vel diſertori ac diſputatori atque prædicatori rerum æternarum, vel narratori, vel pronunciatori rerum temporalium ad ædificandam pietatem atque religionem pertinentium, occultare in tempore quidquid occultandum videtur, mentiri autem nunquam licet, ergo nec occultare mentiendo. Bo-

nus ergo ille iſtorum ſermonum Auctor imitatus
eſt neſcio quos noſtri ſæculi homines, qui confi-
cta miracula, aliaque id genus falſa ad alicujus
Religioſi Ordinis laudem ac commendationem
in vulgus ſpargere, eſſe putant fraudes licitas ac
pias. Eſt peccatum grande: Inter omnia perni-
Cap. 12. cioſa mendacia primum, ideoque haud dubiè
13. 14. culpa mortalis. Quod porrò Auctor iſte culpam
17. 21. eam admiſerit, jam ſtatim ſum abundè demon-
ſtraturus.

Audiamus primò, quid de iſtis ſermonibus
ſentiant Magiſtri noſtri Lovanienſes. *Hos ſer-*
mones Bartholomæus Urbinas in ſuo milleloquio non
agnoſcit. Et ſatis conſtat ſub Divi Auguſtini nomi-
ne a quodam ſemilatino, exercitii cauſſa, conſcri-
ptos eſſe. Aliquando intermiſcet verba Auguſtini,
Cæſarii, Gregorii. Martinus Lipſius ex phraſibus
A.1414 *& dictionibus quibuſdam ſuſpicatur auctorem fuiſſe*
exclamatorem Gallo-Flandrum. Subduntque eos
olim Rhegii à Conſervatore Apoſtolico fuiſſe re-
probatos atque damnatos. Quam cenſuram
acriter impugnat magnus Theologus, Baſilius
Pontius Legionenſis. Et primò quidem laudat
Lovanienſes, quod duos de communi clerico-
rum vita ſermones tamquam verum Auguſtini
L. 7. c. 1. fœtum admiſerint, ſic dicens. *Eos autem ſermo-*
num. 5. *nes in dubium revocare vel ipſe Eraſmus auſus non*
eſt. Agnoſcit ut Auguſtini Gratianus, qui quatuor
ex illis canones accepit. Agnovit etiam Concilium
Aquiſgranenſe, ante hos octingentos annos celebra-
tum. Agnovit etiam venerabilis Beda. Eos ſer-
mones Auguſtini eſſe nemo ſanus dubitavit un-
quam, interim iſta Doctiſſimi Viri verba ego
conciliare non poſſum cum his ejuſdem aliis.
Hos ſermones Auguſtini non eſſe inſigniter mentitur
Cap. 13. *Eraſmus. Ego tamen audaci, inverecundo, & ef-*
n. 1. *frænato Eraſmo, qui cuncta de ſuo grammaticali ce-*
rebro metiebatur, oppono concilium Aquiſgranenſe,
ferè ante octingentos annos in Dei Eccleſia celebra-
tum. Hæc quomodò concinant, ego non vi-
deo. Audiamus, quid de ſermonibus ad Ere-
Cap. 1. n. mitas dicat adversùm Lovanienſes. *Verùm ſer-*
6. 7. *mones ad Eremitas revocantur in dubium à nonnul-*
lis Catholicis, non alio quam duce Eraſmo. Videant
quem illi ſequantur Anteſignanum. Pudet me, dum
Catholicos ita Eraſmi amore affectos video. Nos
enim illius argutas ineptias admirantes, reddidi-
mus illuſtrem, dignum qui lateret & cimmeriis
oblivionis tenebris cum omni ſua prole ſepeliretur.
At ſermonem illum, quem Waldenſis citat, agno-
ſcit ut Auguſtini Bartholomæus Urbinas in ſuo mille-
loquio, ut ex indice conſtat, verbo Monachus,
in fine, cui utpote doctiſſimo viro, & in operibus
Auguſtini ſtrenuè verſato, & qui ante hos trecentos
annos ſcripſit, credendum magis, quam Eraſmo
Hæretico atque mendaci. Parum ergo conſideratè
Lovanienſes in cenſura ad ſermones ad Eremitas
poſuerunt illos non agnoſci ab Urbinate. Atque ut
videat Lector, quam parvi momenti ſit cenſura
decimi tomi operum Auguſtini, ſciat illam poſitam
à Canonico Regulari Maburno, cui Lovanienſes de-
cimum tomum cenſendum commiſerunt, qui quidquid
Eremitanæ Religionis antiquitatem confirmat, era-
ſum vellet. Sermonem etiam 241. *de tempore, qui*
eſt de auguriis, reiicit, eſtque in appendice ſermo
68. *Cum tamen ſanctus Bonifacius Germanorum*
Antiſtes ad Zachariam Papam ſcribens, nominatim Auguſtini eſſe dicat, habeturque ea Epiſtola in hac recenti Conciliorum editione per Severinum Binium. Aſſumptus autem fuit Zacharias ad Sedem anno Domini 741. *ducentis annis elapſis ab Auguſtini morte. Quod ſi unius Bedæ teſtimonio plures ſermones eſſe Auguſtini fatentur, cur ſancti Bonifacii Epiſcopi & Martyris teſtimonio, quique Bedam præceſſit, non agnoſcemus eum eſſe ab Auguſtino conſcriptum? Et horum ſermonum ad Eremitas, quos incognitos Urbinati cenſent, meminit ille ſermonis quadrageſimi noni de vita, & ſermonis quinquageſimi quarti de obedientia, & ſermonis ſexageſimi de perſecutione Chriſtiana, & ſermonis ſexageſimi ſecundi de timore. Quod ſi ideo Lovanienſes non agnoſci ab Urbinate ſcribunt, quia non meminit illorum omnium, neceſſe eſt fateantur multos etiam indubitatos Auguſtini ſermones ab eo non agnoſci, ſiquidem non eorum omnium ſermonem fecit, quod abſurdiſſimum eſt. Nec verò obeſt quod in quibuſdam ſermonibus eorum, duobus ſcilicet aut tribus, aliqua reperiantur quæ abſurda judicantur: & licet demus ita rem ſe habere, non inde efficitur omnes alios ſpurios eſſe & adulterinos. Quis æquus Judex non cenſebit iniquum eſſe ejuſmodi Judicium?* Addit ex iſtis ſermonibus deſumptas eſſe quaſdam ſententias S. Proſperi: nempe ſententiam ſeptuageſimam primam ex ſermone trigeſimo ac ſeptuageſimo primo, ac ſententiam trecenteſimam octuageſimam octavam ex ſermone quadrageſimo octavo. Ac tandem adductis plurimis recentioribus Magiſtris, qui iſtos ſermones tamquam Auguſtini agnoſcunt, ſic concludit. *Denique inſignis noſtri Eremitani inſtituti adverſarius Joannes Maburnus, Canonicus Regularis, fatetur ſermones hos eſſe Carolo magno antiquiores. Ejus verba hæc ſunt. Paſſim in fronte libri ſermonum iſtorum invenimus, quod iſti ſermones in Abbatia ſancti Dionyſii fuerunt comperti in quodam libro à Presbytero Joanne Capellano Eccleſiæ ſanctorum Gervaſii & Protaſii tempore Regis Pipini conſcripto.*

De hac itaque re volo liberè dicere quod ſentio. Adeoque dico Lovanienſes non rectè dicere, dum dicunt ſermones iſtos non agnoſci à fratre noſtro Bartholomæo Epiſcopo Urbinate, ut clarè oſtendit Magiſter Baſilius Legionenſis. Vereque idem dicit Cenſuram Lovanienſem non eſſe ubique æquam & juſtam. Ut namque taceam de ſermone iſto, quem citat ſanctus Germanorum Apoſtolus Boniſacius, patet idipſum ex ſermone ſexageſimo primo de tempore: Eſt enim, non Auguſtini, ut putant Lovanienſes, ſed neſcio cujus famoſi Pelagiani. Primò, quia citat hæc Pelagii verba ex Epiſtola ad Demetriadem. *Nec impoſſibile aliquid potuit Deus imperare, qui juſtus eſt; nec damnaturus eſt hominem pro eo, quod non potuit vitare qui pius eſt.* Deinde totus eſt in eo, ut probet charitatem, quam aſſiduè Auguſtinus clamat eſſe ex Deo, eſſe intra vires humanæ voluntatis. Tertiò, ponit hanc definitivam ſententiam ab Auguſtini ſenſis longè alienam. *In poteſtate noſtra poſitum eſt, qualiter in die Judicii judicemur.* Patet idipſum ex ſermone centeſimo nonageſimo primo: Eſt enim etiam totus Pelagianus. Eſt mera profeſſio fidei quoad omnia ei ſimilis,

quam

quam ad Sedem Apoſtolicam miſit verſipellis Pelagius, quamque ſanctus Auguſtinus refert in libro de gratia Chriſti ac de peccato originali. Eſt, inquam, profeſſio ea ipſa, ut in nuper editis Auguſtini inſignioribus opuſculis doctè
Cap. 24. adverterunt Moderni Lovanienſes. Audi enim in ſymbolo iſto varios articulos inſigniter Pelagianos. Primus eſt hic. *Baptiſma unum tenemus, quod iiſdem Sacramenti verbis, in infanti-*
Cap. 21. *bus, quibus etiam in majoribus dicimus eſſe celebrandum.* Hoc eſt, licet baptiſma infantibus ab originali contagio liberis non conferat remiſſionem peccatorum, quam confert adultis, eſt tamen in utriſque ſub eadem Ritualium verborum formula celebrandum. Secundus eſt hic, *Animas à Deo dari credimus*, utique per novam quotidianam creationem. Hoc namque erat ſolemne Pelagianorum dogma, viſum illis longè aptiſſimum ad ſubruendum traducem peccati originalis. Non dico articulum iſtum eſſe Pelagianam Hæreſim; abſit: Dumtaxat dico eum Pelagianis fuiſſe amicum ac familiarem. Tertius eſt hic. *Execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe præceptum, & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in*
Cap. 43. *commune poſſe ſervari.* Hic articulus eſt Pelagii in Epiſtola ad Demetriadem: Et quoniam ambiguæ ſignificationis eſt, eum potiùs exponit Auguſtinus, quam impugnet, in libro de natura & gratia. Quartus eſt hic. *Anathematizamus eos, qui Dei filium neceſſitate carnis mentitum eſſe dicunt, & tunc propter aſſumptum hominem non omnia facere potuiſſe volunt.* Jacitur hoc anathema in Orthodoxos, quibus Pelagiani, ut quidem Auguſtinus ad ſanctum Pontificem Bonifacium ſcribit, imponebant hunc blaſphemum furorem potiùs quam errorem: *Chriſtum & à pec-*
L. 1. c. 12. *catis liberum non fuiſſe, ſed carnis neceſſitate mentitum, & aliis maculatum fuiſſe delictis.* Quintus eſt. *Joviniani quoque damnamus errorem, qui dicit in futuro nos habituros eſſe virtutes, quas hic habere neglexîmus.* Hoc eſt, damnamus Romanos
L. 3. c. 7. nos orthodoxos, *qui poſt reſurrectionem tales profeſſus futuros eſſe dicunt, ut ibi incipiant homines, quæ hic noluerint, Dei mandata complere.* Et hanc enim inſaniam nobis iſti maledici imponebant. Sextus eſt hic. *Liberum ſic confitemur arbitrium, ut dicamus Dei nos ſemper indigere auxilio, & tam illos errare qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non poſſe, quam illos qui cum Joviniano aſſerunt hominem non poſſe peccare.* Damnantur & hic Orthodoxi. Eos namque erga hominem necdum gratia fidei illuſtratum eſſe Manichæos, erga hominem verò regenera-
L. 1. cap. 100. 101. tum eſſe Jovinianiſtas, blaterabat aſſiduè Julianus, ut teſtatur Auguſtinus in opere imperfecto. Septimus eſt hic. *Execramur blaſphemiam eorum, qui nuptias primas cum Manichæo damnant.* Nempe Orthodoxos, *qui dicunt commi-*
Lib. 1. ad Bonif. cap. 5. *xtionem conjugum à Diabolo eſſe repertam.* Etenim & iſtud dogma nobis appingebat Julianus. Ecce, quam monſtroſi ſermones adſcribuntur ſancto Auguſtino. Malè item ei adſcribitur ſermo
Cap. 1. ducenteſimus nonus. In ejus exordio ſic legimus. *Omnimodis deteſtandus eſt error Eutychetis*, quem conſtat dudum poſt Auguſtini mortem fuiſſe detectum. Obiit namque Auguſtinus ſub Pontificatu Cœleſtini, dum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præſideret impius Neſtorius; imperitus autem Senex Eutyches delirare cœpit ſub Pontificatu Leonis, dum Conſtantinopoli poſt ejecti Neſtorii ſucceſſorem ſanctum Maximianum ſederet glorioſus Doctor ac Martyr Flavianus. Malè quoque ei tribuitur ſermo quadrageſimus ſextus. In ejus namque exordio legimus varia, quæ clarum eſt eſſe penitus ab Auguſtino aliena. Sermo autem centeſimus ſeptuageſimus Cap. 1.
ſextus malè reiicitur in appendicem. Eum namque tamquam verè Auguſtinianum agnoſcit Bre- Domin.
viarium Romanum. At inquies, agit ſermo iſte infr. ad-
adverſus errorem orientalem, errorem utique ſcenſ.
Eutychetis. Reſpondeo ibi agi adversùs errorem Agrii, Apollinarii, ac Valentini, ut palam eſt omni, qui ſermonem iſtum legerit vel oſcitanter. Eſtque, ut mihi quidem viſum eſt, ita erratum in ſermonibus aliis multis. Et quidem per omnem appendicem ſparſus eſt error omnino corrigendus. Plures namque ibi elegantiſtimi ſermones adſcribuntur Euſebio Epiſcopo Emiſeno, homini quidem, ut in virorum illuſtrium catalogo ſcribit ſanctus Hieronymus, *elegantie & Rhetorici ingenii, qui innumerabiles, & qui ad plauſum populi pertinent, confecit libros, magiſque hiſtoriam ſecutus, ab iis, qui declamare volunt, ſtudioſiſſimè legitur*; Græco tamen, fœtidoque Ariano, atque adeo ſermonum iſtorum nequaquam Auctori. Sermones iſti, ſi Auguſtini non ſint, ſunt ſancti Eucherii Epiſcopi Lugdunenſis, adeoque, ut ſeriò monet Cardinalis Baronius, ſunt illi ſine mora reſtituendi.

Eodem modo erratum hinc inde eſt in aliis tomis. Etenim libellus de fide rerum inviſibilium rejicitur in tomi quarti appendicem, cum tamen ſit veriſſimus fœtus ſancti Auguſtini. De eo namque ſic ſcribit Auguſtinus ad Nobilem verum Darium. *Miſi & alios libros, quos non petiſti, ne hoc tantummodò facerem quod petiſti. De* Epiſt.
fide rerum, quæ non videntur; de patientia, de 264.
continentia, de providentia, & unum grandem de fide & ſpe & charitate. Et hinc libello de patientia apponi non debuiſſet hæc cenſura: *Auguſtini eſſe arguit erudita tractatio, & phraſis congruens cum ea, quam habet libellus ſuperior.* Neque ſuperiori de continentia libello hæc: *Librum hunc eſſe ſancti Auguſtini conteſtantur citationes Bedæ & Eugyppii Abbatis. Huc etiam referendum videtur, quod in fine indiculi ſcribit Poſſidius: De continentia ſermo unus.* Dici debuiſſet de utroque: *Eum agnoſcit Auguſtinus in Epiſtola ad Darium.* Ec quidem etiam Epiſtolarum cenſura habet ſuos nævos. Etenim Epiſtola centeſima vigeſima ſcripta dicitur Honorato Coepiſcopo: Quod eſt omnino falſum. Scripta namque eſt Honorato laico & adhuc Cathecumeno, iſti ipſi, cui
inſcriptus eſt liber de utilitate credendi. Patet Cap. 19.
id ex hiſce Epiſtolæ verbis. *Hinc gratias agimus Domino Deo noſtro, quod eſt magnum Sacramentum in ſacrificio novi teſtamenti: Quod ubi, & quando, & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus, invenies.* Perperam putavit Indiſex hunc Honoratum eſſe eum ipſum, ad quem ſcripta eſt Epiſtola centeſima octuageſima. Hic namque

fuit

fuit Epiſcopus: Teſte ſancto Poſſidio , Epiſco-
pus Eccleſiæ Thabennenſis , vel potius , meo
quidem judicio , Thiannenſis . Credo enim
hunc eſſe Honoratum iſtum , pro cujus è Taga-
ſtenſi Alipii Monaſterio ad Eccleſiæ Thianenſis
Presbyteratum aſſumpti patrimonio lis iſta emer-
ſit inter Alipium & Auguſtinum. Puto enim ex
Presbytero eſſe tandem promotum in ejuſdem
Cap. 30. Eccleſiæ Epiſcopum. Puto id ex firmis conjectu-
ris. Deinde , in Epiſtola ad Comitem Macedo-
Epiſt. nium malè ponitur hæc annotatio marginalis:
52. *De vita beata libro primo*. Poni debet *libro*
primo de civitate Dei. Tertiò, plurium Epiſ-
tolarum ordo eſt planè præpoſterus : Quæſtio
namque pluries in tomi fine, reſponſio autem
ponitur in ejus exordio. Quartò, perbreves illæ
Auguſtini ad Comitem Bonifacium ac Bonifacii
ad Auguſtinum Epiſtolæ videntur perperam eſſe
rejectæ in appendicem. Rectè namque de illis di-
A 422. cit Cardinalis Baronius *De rebus aliiſque in A-*
frica inter Auguſtinum & Bonifacium tranſactæ
ſunt , exſtant perbreves utriuſque Epiſtolæ ultro
citroque datæ, ſed in appendice collocatæ , quas
germanas eſſe , cujuſvis fuerint , rerum geſtarum
illorum temporum argumenta declarant . Stylo ta-
men viſæ ſunt Auguſtini diſſimiles , ob laconiſmos,
quibus in illis ſcribendis Auctor uſus eſt . Verùm
etſi Auguſtini non eſſe quis certò probare poſſet ,
ſanè quidem haud aſſeret commentitias , ſed po-
tius alicujus alterius magni nominis Africanorum
Epiſcoporum litteras eſſe , puta Aurelii Carthagi-
nenſis vel Alipii Tagaſtenſis Epiſcoporum , jure
cenſebit , quod eſſe germana certo certius cognoſ-
cantur , ſed citentur nomine Auguſtini , cujus in
ſcriptione notantur. Certè non poſſunt eſſe litte-
ræ Alipii , qui eo tempore jam obierat; ideoque
penitùs credo eſſe Auguſtini : Nuſquam enim le-
gimus S. Aurelium uſque adeò intimè fuiſſe Co-
miti Bonifacio familiarem . Neque quis miretur
iſtos laconiſmos aliàs ab Auguſtino alienos . Eo-
rum quippe neceſſitatem ac cauſam ſcribit Au-
guſtinus in alia ad eumdem Bonifacium longiori
Epiſtola , miſſa per hominem utrique fideliſſi-
Epiſt. mum Diaconum Paulum . *Nunc ergo fili audi*
70. *me ſaltem per litteras tibi ſermocinantem , quas*
in periculis tuis numquam tibi mittere potui ,
periculum cogitans perlatoris , & cavens ne ad
eos, ad quos nollem , mea Epiſtola perveniret .
Unde peto , ut ignoſcas , ſi me putas plus timuiſſe
quam debui , tamen dixi quod timui . Eo quippe
tempore ob manifeſtam perduellionem atque ad-
verſus Romanum Imperium cum Barbaris ex Hiſ-
pania in Africam evocatis conſpirationem erat
Comes Bonifacius læſæ Majeſtatis reus , ideoque
non audebat Auguſtinus niſi pauciſſimis verbis ,
idque per nuntios longè fideliſſimos , cum ipſo ,
quantumvis longè amiciſſimo , communicare .
Ea eſt cauſa iſtorum laconiſmorum . Et quidem
ad hunc ipſum Bonifacium extant tres longiores
Auguſtini Epiſtolæ , ideoque Lovanienſis indifex
perperam ex uno fecit duos . Iſtorum Doctiſſi-
morum virorum in Auguſtini opere corrigendo ,
purgando , atque ordinando , utiliſſimos labores
veneror atque admiror; ubi tamen ipſum denuo
typis mandari contigerit , opus erit nova revi-
ſione . Pergamus nunc ad ſermones ad fratres
Eremitas . Et quidem in illis nullam ego reperio
ſententiam S. Proſperi , ideoque conſtanter dico
eos , aut ſanè ipſorum multos , non eſſe S. Au-
guſtini .

CAPUT XXXVI.

Quod ſermones iſti non ſint ſancti Auguſtini ,
probatur ex alieno ſtylo .

HOC argumentum penitùs frivolum eſſe pu-
tat Magiſter Baſilius Legionenſis . Sic
namque dicit adverſus Eraſmum . *Deinceps Eraſ-* L. 7. c.
mus , cui non olet quod bene olet , conticeſcat , nec 13.
dicat , Olet ſtylum , ſtylum non ſapit . Dico tamen
argumentum iſtud non eſſe contemnendum .
Patet id ex ipſo ſancto Auguſtino , ſic de Sancto
Cypriano , quem , quia olim Hereticorum
Baptiſma exſufflarat , Donatiſtæ aſſiduè ſuum
eſſe buccinabant , ſic ſcribente ad Vincentium
Rogatiſtarum Epiſcopum Cartennenſem . *Cy-* Epiſt.
prianum autem ſenſiſſe aliter de baptiſmo , quam 48.
forma & conſuetudo habebat Eccleſiæ , non in Ca-
nonicis , ſed in ſuis & in concilii litteris inve-
nitur . Correxiſſe autem iſtam ſententiam non in-
venitur . Non incongruè tamen de tali viro exi-
ſtimandum eſt quod correxerit . Et fortaſſe ſupreſ-
ſum ſit ab eis , qui hoc errore nimium delectati
ſunt , & tanto velut patrocinio carere noluerunt .
Quamquam non deſint , qui hoc Cyprianum non ſen-
ſiſſe prorſus contendant , ſed ſub ejus nomine à præ-
ſumptoribus atque mendacibus fuiſſe confictum . Ne-
que enim ſic potuit integritas atque notitia litterarum
unius , quamlibet illuſtris , Epiſcopi cuſtodiri , que-
madmodum ſcriptura canonica, tot linguarum litteris
& ordine & ſucceſſione celebrationis Eccleſiaſticæ
cuſtoditur , contra quam tamen non defuerunt , qui
ſub nominibus Apoſtolorum multa confingerent . Fru-
ſtra quidem , quia illa ſic commendata , ſic celebrata,
ſic nota eſt : Verùm quid poſſit adverſus litteras non
canonica auctoritate fundatas , etiam hinc demonſtra-
vit impiæ conatus audaciæ , quod & adverſus eas ,
quæ tantæ notitiæ mole firmatæ non ſunt , ſeſe erigere
non prætermiſit . Nos tamen duas ob res non nega .
mus illud ſenſiſſe Cyprianum . Quod & ſtylus ejus
habet quamdam propriam faciem , qua poſſit agnoſci ,
&c. Ecce , quomodo quiſque propriam faciem ,
ita & quiſque Doctor proprium ſtylum habet , ex
quo à bonis oculis facile poſſit agnoſci. Et quidem
talem propriam faciem eſſe etiam in ſtylo ſancti
Auguſtini , teſtatur ipſe in libro de geſtis Pe-
lagii ſic ſcribens . *Nam & mihi quidam fratres* Cap. 6.
noſtri nonnulla opuſcula ſub meo nomine in Hiſpa-
niam veniſſe dixerunt , quæ quidem ab eis , qui
alia noſtra legiſſent , non agnoſcerentur , ab aliis
tamen noſtra eſſe crederentur . Hoc ipſum contingit
hiſce ſermonibus. Ut enim nihil dicam de fre-
quentiſſimis eorum barbariſmis ac ſolœciſmis ab
Auguſtino penitùs alienis , ſanè quivis Augu-
ſtino aſſuetus lector ſtatim olfacit eos non pro-
venire ab Auguſtino . Qui itaque Auguſtino
inaſſueti de hac re judicare non poſſunt , ap-
pello ad quoſvis aſſuetos . At inquies , quomodo
in brevibus iſtis ad Comitem Bonifacium lit-
teris Auguſtinus propter iſtius temporis circum-
ſtantias mutavit ſtylum , deſcenditque in iſtos à

ſe penitus alienos laconiſmos; ita quoque ad fratres iſtos dicens deſcendit in iſtos ſibi penitus inſuetos ſolæciſmos ac Barbariſmos: Fratres quippe iſti, uti ex iſtis ſermonibus patet, erant ſtolidi ac ruſticani. Reſpondeo eam eſſe inſignem iſtorum ſermonum impuſturam. Etenim ex uno iſtorum fratrum Hipponenſi monaſterio ſimul & ſemel aſſumpti fuere decem Epiſcopi, plurimique ex omnibus aliis paſſim clerici: Quis ergo credat eos fuiſſe ſtolidos ac ruſticanos? Fateor omnes non fuiſſe legis Chriſtianæ Doctores: Attamen dico eorum ſtolidiſſimos non fuiſſe laica plebe ſtolidiores, ad quam tamen dicens Auguſtinus non utitur ſermonibus iſtis vitiatis. Deinde, ad fratres iſtos imperitiores ſcriptus eſt liber de agone Chriſtiano: In quo etiam tales Latinitatis ſtrumæ nullæ ſunt. Et ſanè omnes fratres iſtos fuiſſe acriter ſtudioſos, abunde patet ex diſputationibus monaſterii Adrumetini.

CAPUT XXXVII.

Probatur hæc ipſa noſtra aſſertio ex variis iſtorum Sermonum erroribus.

Serm. 1. PRimus error continetur in his verbis. *Operentur ergo in nomine Domini ſacram ordinem non habeates uſque ad horam lucernariam.* Etenim jam ſatis oſtendi omnes iſtorum Eremiticorum monaſteriorum fratres, etiam ipſum Præpoſitum, fuiſſe merè laicos, neque vivo Auguſtino ullos ordinatos fuiſſe, niſi dum evocarentur ad alicujus Eccleſiæ miniſterium. At inquies, Epiſtola Auguſtini centeſima trigeſima quinta ſcripta eſt ad Abbatem Severum, quem Auguſtinus appellat ſuum Conſacerdotem: Ergo monaſteriorum Præpoſiti erant Sacerdotes. Reſpondeo Severum iſtum non fuiſſe Abbatem ſeu Eremitici monaſterii Præpoſitum. Dico ipſum eſſe ſanctum Severum Epiſcopum Milevitanum. Patet id tum ex contextu Epiſtolæ, tum ex ejus epigraphe, in qua Auguſtinus ipſum vocat beatiſſimum ac venerabilem fratrem & Conſacerdotem. Presbyter namque numquam Conſacerdos, ſed dumtaxat Compresbyter vocari ſolet; item monaſteriorum Præpoſiti numquam Beatiſſimi, ſed dumtaxat Dilectiſſimi per ea tempora vocabantur. Neque refert, quod Severus iſte in ſuprema ſuperſcriptione Epiſtolæ vocetur Abbas: Ea namque non ab Auguſtino eſt, ſed à neſcio quo alio, quem ſecutus Epiſtolarum Indifex unum Severum malè diviſit in duos. Fateor tamen Eudoxium monachorum Caprarienſium Patrem fuiſſe Presbyterum. Haud dubiè ex diſpenſatione. Cum enim in deſerta iſta inſula nullus eſſet populus, nulluſque parochus, indulſit Auguſtinus, ut propter Euchariſtiæ myſteria Eudoxius in presbyterum ordinaretur.

Notanda eſt illic vox *Horam lucernariam*. Vocatur lucernaria ab iſto lucernario, de quo dicit primum Concilium Toletanum. *Lucernarium niſi in Eccleſia non legatur. Aut ſi legatur in villa, præſente Epiſcopo, vel Presbytero, vel Diacono legatur.* Hoc eſt iſtud lucernarium, de quo

Pſ. 119. ſcribit ſanctus Hieronymus. *Hora tertia oramus, hora ſexta oramus, nona lucernarium facimus.* Et ſanctus Baſilius magnus in libro de ſpiritu ſancto. *Viſum eſt Patribus noſtris, veſpertini luminis gratiam haud quaquam ſilentio arripere, ſed* Cap. 29.
mox, ut apparuit, gratias agere. Quis autem fuerit auctor illorum verborum, quæ dicuntur in gratiarum actione ad lucernas, dicere non poſſumus. Et Nicephorus Callixti. *Similiter in Cypro & Cæ-* Lib 12.
ſareæ Cappadocum in Sabbatho & in Dominica die, cap. 34.
veſperi poſt lucernarum accenſionem, Epiſcopi & Presbyteri ſacras ſcripturas populo exponunt. Lucernarium itaque eſt iſtud Divinum officium, quod veſperi fiebat ad occaſum ſolis poſt accenſas lucernas: Ab his lucernis vocabatur lucernarium. Nos hodie vocamus completorium: Quod & ipſum in quibuſdam monaſteriis dici non ſolet, niſi poſt accenſas lucernas. Et ex his patet iſtorum ſermonum Auctorem eſſe hominem antiquum, qui credi poſſit ſenior aut coævus Carolo magno: Etenim *lucernarium* vox antiqua eſt, jam à pluribus ſæculis obſoleta. Quod annotaſſe volui adverſum illos, qui inſtitutos ab Auguſtino Eremitas jam pridem exſtinctos putant, neque nos ex illis eſſe, utpote qui primò apparere cœperimus ſub Pontificatu Alexandri quarti. Hos ego convinco ex iſtu Auctore. Palam namque eſt hunc adeò ſenem auctorem fuiſſe Eremitam Auguſtinenſem.

Secundus error eſt in his verbis. *Veni ad ci-* Serm. 4.
vitatem Hipponenſem cum chariſſimis meis amicis, Evodio, Simplicio, Nebridio, & Alipio. Quis namque eſt iſte Simplicius, cujus nuſquam omnino meminit Auguſtinus? Quis iſte Nebridius? Amiciſſimus quippe Nebridius cohabitavit Auguſtino ſuo Carthagine in ſtudiis, videturque ei quoque cohabitaſſe Tagaſtæ, dum ibi Auguſtinus profiteretur Rhetoricam. Item cohabitavit ei Mediolani in Italia. Teſtatur id Auguſtinus in ſuis confeſſionibus ſic dicens. *Nebri-* Lib. 6.
dius etiam, qui relicta patria vicina Carthagine at- cap. 10.
que ipſa Carthagine, ubi frequentiſſimus erat, relicto rure paterno optimo, relicta domo, & non ſecutura matre, nullam ob aliam cauſſam Mediolanum venerat, niſi ut mecum viveret in flagrantiſſimo ſtudio veritatis atque ſapientiæ. Pariter ſuſpirabat, pariterque fluctuabat, beatæ vitæ inquiſitor ardens, & quæſtionum difficillimarum ſcrutator acerrimus. At verò ex Italia in Africam reduces non cohabitarunt, neque Carthagine, neque Tagaſtæ, longè minùs Hippone. Tradit id Auguſtinus ſic dicens in iiſdem libris de ſuo Nebridio. *Erat in-* Lib. 9.
quiſitor ardentiſſimus veritatis. Quem non multò cap. 3.
poſt converſionem noſtram & regenerationem per baptiſmum tuam, ipſum etiam fidelem catholicum, caſtitate perfecta atque continentia tibi ſervientem in Africa apud ſuos, cum tota domus ejus per ipſum Chriſtiana facta eſſet, carne ſolviſti, & nunc ille vivit in ſinu Abrahæ. Ecce, Nebridius mox poſt reditum in Africam defunctus eſt, adeoque cum Auguſtino per triennium moratus non eſt in agris Tagaſtenſibus, ut cum ipſo inde migraret Hipponem. Deinde, Nebridius in Africa ſervivit Deo, non cum Auguſtino in vita communi, ſed *apud ſuos*, totamque domum ſuam utique aſſiduis domeſticis concionibus fecit Chriſtianam: Habitavit Carthagine, ſeu potiùs propè ipſam in

rure

rure paterno. Et quoniam Auguſtini ſocietatem
amabat ardentiſſimè, obtulit ei rus iſtud, ajens
Ep. 114. ſe cauſſa matris non poſſe venire Tagaſtam ſeu
ad rus Tagaſtenſe: Cui ſic reſpondit Auguſtinus.
Ep. 116. *Reſtare unum vides, ut tu quoque in commune con-*
ſulas, quo vivamus ſimul. Quod enim cum matre
agendum ſit, quam certè frater Victor non deſerit,
tu multò meliùs calles quam ego. Patet ergo ho-
ſce duos amicos in Africa non cohabitaſſe. Di-
viſi fuere, dum ex Italia advenere Carthaginem:
Tunc namque Nebridius lares paternos petiit,
Auguſtinus verò ac Alipius hoſpitium accepere
apud Innocentium Exadvocatum vicariæ Præfe-
cturæ.

Serm. 4. Tertius error eſt in his verbis. *Valerius dedit*
5. 39. *mihi hortulum in Eremo à gentibus ſegregatum, ubi*
multo labore fatigatus ædificare cœpi monaſterium,
& congregavi in unum ſervos Dei per nemora habi-
tantes. Falſum quippe eſt hortum Valerianum
fuiſſe in Eremo ſegregatum à gentibus: Erat
namque in agro ſuburbano, intra limites paro-
chiæ Hipponenſis. Falſum quoque eſt collectos
fuiſſe ab Auguſtino ſervos Dei per nemora habi-
tantes. Etenim uſque ad Auguſtini tempora nul-
los viderat Africa monachos, adeò ut Donatiſtæ
eum introductorem Auguſtinum de introductis
novis monſtris ſint calumniati. Hinc falſa ſunt
Ser. 17. etiam hæc verba. *Aliqui ſunt ex vobis, qui per*
annos octoginta & amplius in Eremo ſunt ſanctiſſimè
converſati. Item hæc verba de eiſdem Eremitis.
Serm. 5. *Numquid verè fratres mei & Patres ſunt? Num-*
quid per eorum exempla ad viam veritatis perveni?
Numquid eos ſemper dilexi, & eorum ſanctam con-
verſationem ſemper deſideravi? Ex his patet Au-
ctorem iſtum Auguſtinianæ converſionis ac Au-
guſtinenſis monaſtici inſtituti fuiſſe penitùs im-
peritum.

Ser. 4. 5. Quartus error eſt in his verbis. *Quia adverſa-*
rius noſter fortunatus ad partes pervenit, idea redi-
re Hipponem omnino compellor, cupiens illum vide-
re, & cum eo pariter diſputare. Ipſe enim toto af-
fectu diſſipare conatur filios, quos peperi in viſceri-
Ser. 36. *bus charitatis.* Et in his. *Si ergo Deus mecum,*
quis contra me? Numquid Fortunatus vel Arius cum
ſuis inſidiis? Nam quia verum eis dixi, ideò in
Eremo inſidias mihi poſuerunt, volentes me compre-
hendere & occidere, & tamen Deus me liberavit.
Primò, grande mendacium, ſtrophaque nimium
imperita eſt, quod Auguſtinus diſputarit cum
Ario. Deinde, falſum quoque eſt, quod Augu-
ſtinus jam Epiſcopus, ut quidem dicunt hi ſer-
mones, diſputarit cum Fortunato. Patet hoc ex
ipſo Auguſtino ſic dicente in libris ſuarum Re-
Lib. 1. c. 16. tractationum. *Eodem tempore Presbyterii mei, con-*
tra Fortunatum quemdam Manichæorum Presbyterum
diſputavi, qui plurimum temporis apud Hipponem
vixerat, ſeduxeratque tam multos, ut propter illos
eum ibi delectaret habitare. Tertiò, falſum eſt,
quod Fortunatus iſte ſtruxerit Auguſtino in Ere-
mo inſidias. Patet id ex ipſo Auguſtino ſic ibi-
dem dicente. *Conſequenti die tandem confeſſus eſt*
nihil ſe adversùs nos invenire quod diceret. Nec ſa-
nè catholicus factus eſt, ſed tamen ab Hippone di-
Cap. 6. *ſceſſit.* Et clariùs ex ſancto Poſſidio. *Fortunatus*
deficiens reſponſione, ultimò collaturùm ſe cum ſuis
majoribus ea, quæ refellere non potuit, profecutus
eſt, & ſi ſibi fortè de his ſatis minimè feciſſent, ſuæ
animæ conſulturum: Atque ita ab omnibus, apud
quos magnus & doctus videbatur, nihil voluiſſe in
ſuæ ſectæ aſſertione judicatus eſt. Quia ille confuſio-
ne affectus, & ſequenti tempore de Hipponenſi civi-
tate profectus, ad eandem amplius non remeavit.
In ejus tamen locum venit alius quidam Presby- Epiſtol. 244.
ter, cujus nomen ignoramus. Proinde ab iſto
timido ac fugitivo Fortunato nullum fui pericu-
lum tam crudelium inſidiarum.

Quintus error eſt in his verbis. *Cavete ergo Sa-* Serm. 5.
cerdotes, ne aliquis veſtrum audeat inſurgere contra
Præpoſitum vel Presbyterum, qui omnium veſtrum
curam gerit. Ita loquitur ibi Auguſtinus Epiſco-
pus ad ſuos Clericos Regulares. Ita, inquam,
ibi loqui dicitur. At peſſimè; Laicus namque
Præpoſitus ac ſupra ipſum omnium curam gerens
Presbyter, de quibus Auguſtinus in Regula,
erant præfecti monachorum, nequaquam cleri-
corum. His præerat immediatè ſanctus Auguſti-
nus. Quod porrò Epiſcopus Auguſtinus in Do-
mo Epiſcopali nullum ſub ſe habuerit Decanum Cap. 24.
aut clauſtralem Priorem, ſatis patenter colligi-
tur ex ſancto Poſſidio, ex actis in deſignatione Ep. 110.
Eradii futuri poſt Auguſtinum Epiſcopi, ac præ-
ſertim ex moribus iſtorum temporum necdum
agnoſcentium ejuſmodi ſubſidiarias Præfecturas.

Sextus error eſt in his verbis. *Similiter accedit* Serm. 5.
Januario noſtro. Paupertatem ſervare promiſit, &
tamen vineam & agrum nobis ignorantibus in ſæculo
poſſidebat. Et obſtinatus in ſuo ſenſu, nobis ignoran-
tibus, teſtamentum fecit, & filium, quem habebat
in ſæculo, ditavit. Falſum eſt, quod Presbyter
Januarius ſibi occultè retinuerit vineam & agrum.
Patet id ex ipſo ſancto Auguſtino, qui in primo
de communi clericorum vita ſermone, Januarii
caſum accuratiſſimè refert, & dicit ſic. *Venit* Cap. 2.
etiam ad nos Presbyter Januarius, qui videbatur
ſua honeſtè erogando, quaſi conſumpſiſſe, ſed non
conſumpſit. Remanſit illi quædam pars pecuniæ, id
eſt, argentum, quod diceret eſſe filiæ ſuæ. Filia
ipſius, Deo propitio, in monaſterio fæminarum &
bonæ ſpei eſt. Ecce, Januarius non in vinea aut
agro occultè poſſeſſo, ſed in pecunia, quam fi-
liæ ſuæ eſſe diceret, ideoque eam tamquam filiæ
depoſitum palam ſervaret, commiſit peccatum
proprietatis. Falſum quoque eſt, quod Janua-
rius teſtamento ſuo filium, quem habebat in ſæ-
culo, ditarit. Etenim, ut ibidem dicit Auguſti-
nus, *Eccleſiam ſcripſit hæredem.* Deinde, Janua-
rius nullum habuit in ſæculo filium, filius quip-
pe ejus erat etiam in monaſterio. Tantumque
abeſt ipſum à Patre per teſtamentum fuiſſe dita-
tum, ut & ipſe & ſoror ejus fuerint expreſsè ex-
hæredati. Sic namque dicit ibidem Auguſtinus.
Filia ipſius in monaſterio fæminarum eſt, filius ipſius
in monaſterio virorum eſt. Ambos exhæredavit: Il-
lam cum laude, iſtum cum elogio, id eſt, cum vitu-
peratione. Conſtat ecce iſtorum ſermonum Au-
ctorem non eſſe ſanctum Auguſtinum, ſed ne-
ſcio quem impudentiſſimè mendacem, aut pro-
fundiſſimè imperitum.

C A-

CAPUT XXXVIII.

Adducuntur adhuc alii errores iſtorum ſermonum.

Serm. 14. 40. SEptimus errot eſt in his verbis. *Ut bene noſtis, fratres chariſſimi, tria monaſteria apud Hipponem merui Dei gratia laudabiliter ad honorem ſanctæ Trinitatis conſtruere. Quorum primum hoc eſt, in quo jam annis multis modico pabulo contenti hilariter commoramini, viſus hominum fugientes. Aliud quoque monaſterium in horto, quem ſanctus noſter Pater Valerius mihi dedit, ædificatum eſt. Et quoniam poſtquam Presbyter Epiſcopus factus ſum, nec ſemper hic vobiſcum habitare potui, nec cum fratribus, qui in prædicto monaſterio poſiti ſunt, propterea intra domum Epiſcopi mecum habere volui monaſterium clericorum.* Et in his. *Et licet fratres noſtri, qui collocati ſunt in horto ſancti Epiſcopi Valerii, ſatis diſtent ab urbe, quia eorum tamen fama divinitùs divulgata eſt, ordinavi, ut verbum Dei ſalubriter prædicarent. Ecce, quomodo terram judicant, ligant & ſolvunt, &c.* Primò namque ſalſum eſt, quod Auguſtinus ædificarit monaſterium in neſcio qua ſolitudine Hipponenſi, atque in ipſo habitarit. Patet id ex ſancto Poſſidio. Dicit enim Auguſtinum cum amicis de Italia reducem in Africam, habitaſſe per triennium in agro Tagaſtenſi, quoad Hippone, ubi Agentem in rebus in iſtam ſuam ſocietatem lucrari quærebat, à populo apprehenſus eſt, factuſque Presbyter ædificavit monaſterium in horto Valeriano. Deinde ſalſum eſt, agrum iſtum Valerianum atque ædificatum in ipſo monaſterium fuiſſe ſatis diſſitum ab urbe. Patet id ex eodem Poſſidio. Dicit enim fuiſſe *intra Eccleſiam*, id eſt, intra limites Parochiæ civitatis Hipponenſis. Tertiò tandem ſalſum eſt, quod Auguſtinus fratres ordinarit ad miniſterium verbi ac audiendas fidelium confeſſiones. Eſt mera fabula, Eccleſiaſticæ iſtorum temporum diſciplinæ palam adverſa, ideoque ridenda, non refutanda.

Serm. 21. Octavus error eſt in his verbis. *Ad virum illum Simplicianum, qui à juventute ſua devotione Deo vivebat, in omni charitate perrexi, deprecans eum, ut mihi quoſdam ſervos Dei de ſuis donaret. Et donavit eos mihi paternè. Quarè paternè eos mihi donavit? Quia ſciebat me in Africa monaſterium velle ædificare. Et aſſumptis mecum Anaſtaſio, Fabiano, Severo, Nicolao, Dorotheo, Iſaac, Nicoſtrato, Paulo, Cyrillo, Stephano, Jacobo, & Vitali pauperculo, qui pecuniæ ſacculum apud Mediolanum invenit, & non rapuit. Igitur iſtis mecum aſſumptis, imitari cupiebam cum chariſſimis meis amicis, Evodio, Alipio, & Pontiano, qui diu mecum fuerunt, & cæteris duodecim, quos nuper aſſumpſeram, illos, quorum famam etiam ſanctus Presbyter Hieronymus mihi deſcripſerat, & ſic perveni ad Africam.* Primò ſalſum eſt, quod Auguſtinus ex Italia in Africam ſecum duxerit iſtos monachos Italos. Patet id ex ſancto Poſ-
Cap. 3. ſidio. Dicit enim Auguſtinum regreſſum eſſe *in Africam cum aliis civibus & amicis ſuis*, nulla facta mentione iſtorum Italorum. Et ex ipſius Auguſtini confeſſionibus. Dicit namque ſe regreſſum in Africam cum fratre Navigio, Filio L.9. c.8.
Adeodato, Alipio, Evodio, ac Nebridio. Dicit ſe egiſſe cum Simpliciano ante auditum L.8. c.3. 4. 5.
Potitianum, adeoque antequam monachos ſciret, aut de monachiſmo cogitaret. Et ſanè ſi Itali iſti Auguſtinum ad Afros comitati ſint, cur nulla penitus apud ipſum de illis mentio aut memoria? Proinde comitatus iſte eſt inter fabulas computandus. Deinde falſum eſt, Severum fuiſſe Italum. Conſtat ex ipſo Auguſtino. Di- Ep. 242.
cit enim fuiſſe ſuum concivem Tagaſtenſem. Tertiò ſalſum eſt, pauperculum iſtum pecuniæ repertorem veniſſe cum Auguſtino in Africam. Patet ex Auguſtino. Eum quippe in ſermone de Serm. 19.
verbis Apoſtoli mirificè laudat, de monachiſmo cap. 7.
autem ejus aut in Africam adventu ne vel verbum. Quartò denique falſum eſt, ſanctum Hieronymum per epiſtolas communicaſſe Auguſtino, dum hic adhuc eſſet in Italia. Patet ex ipſo Auguſtino. Dicit enim primam amicitiam naſci cæpiſſe tempore ſui Presbyteratus, idque opera ſancti Alipii, qui neſcio quibus de cauſſis profectus tunc fuit in terram ſanctam.

Et quidem de Pontiano iſto referunt nobis ſermones iſti mirabiles ſtrophas ac fabulas, mendacioque nimium groſſa. Sic quippe dicunt. Ser. 22.
Sed dicetis, Ecce multi ſumus, & præter Evodium, Alipium & Pontianum, qui de ſcriptura ſancta multùm noverunt, omnes groſſi idiotæ ſumus, igitur doce nos orare. Et infrà. *Evodius, Alipius,* Ser. 36.
Pontianus diu Romæ mecum fuerunt. Et in alio loco. *Ego etiam infidelis eram, & non ſolùm à Carthaginenſibus, ſed à Romanis acutiſſimus reputabar à cunctis. Copioſa turba circumdabat frequenter, & me tranſire videntes & audientes, manum ori ſuo ponebant, civem Romanum Tribunorum caput me fecerunt, & uxorem Pontiani filiam mihi æqualem paraverant. Audeo enim dicere, audeo hoc aſſerere, in nullo me mutatum fuiſſe, omnia contemnens, cuncta quæ promiſerant ſpernens, divitias abhorrens, civitatem cautè relinquens, fugiens Mediolanum, uxorem non quærens, cogitans* Ser. 43.
nihil pejus habere quam conſortium mulierum & ſocietatem. Et rursùm. *Cum eſſemus apud oſtia Tiberina, matre charitatis ſociati, expectantes temporis tranquillitatem, cauſſa remeandi ad Africam, & gratia illius, cui terra & mare obediunt, compulſi à Pontiano Præfecto, viro clariſſimo, qui de Roma ad nos videndum venerat, cum eodem iterum reverſi ſumus Romam, ad intuendam diligentius magnifica ædificia & opera Paganorum.* An hæc omnia dicantur de eodem Pontiano, neſcio: Interim ſive de eodem, ſive de diverſis, ſunt omnia fabuloſa ac plena mendaciis. Primò, quis iſte Pontianus inter Eremitas una cum Alipio ac Evodio adeò doctus, atque cum illis dudum commoratus Romæ? Auguſtinus, qui ejuſmodi ſodalium ſuorum aſſiduè meminit, iſtius Pontiani nullam omnino memoriam facit, ideoque credo ipſum eſſe ſocium fictum ab iſto Auctore. Secundò, falſum eſt, Alipium eo tempore, quo Auguſtinus erat Epiſcopus, habitaſſe in monaſterio horti Hipponenſis. Etenim ante Auguſtinum Epiſcopus factus eſt, ideoque

pri-

Digitized by Google

pridem tunc ſeceſſerat Tagaſtam. Tertiò, falſum eſt, Eremitas iſtos Hipponenſes fuiſse groſſos ac Idiotas. Eremus namque iſta erat quaſi quædam Theologica Academia, è qua plurimi ad omnem paſſim alcricatum, ac ſimul & ſemel decem fuere aſſumpti ad Epiſcopatum. Quartò, falſum eſt, Evodium Romæ cohabitaſſe Auguſtino. Patet id ex libris confeſſionum ejus. Sic enim ibi dicit de ſe ac ſociis ſuis jam baptizatis ac habitantibus in rure Caſſiaco Grammatici verecundi. L. 9. c. 8. *Qui habitare facis unanimes in domo, conſociaſti nobis & Evodium, Juvenem ex noſtro municipio. Qui cum agens in rebus militaret, prior nobis ad te converſus eſt & baptizatus, & relicta militia ſæculari, accinctus eſt in tua. Simul eramus, ſimul habitabamus placito ſancto; quærebamus, quiſnam locus nos haberet utiliùs ſervientes tibi, pariter remeabamus in Africam.* Ecce, Auguſtinus & Evodius neque Romæ neque Mediolani ſimul cohabitarunt. Quintò, falſum eſt, quod Romani Auguſtinum Rhetoricæ Profeſſorem facere voluerint caput tribunorum, quodque L. 6. c. 6. 11. ipſe id recuſarit. Etenim ipſe eo tempore adhuc totus vanus vanis inhiabat honoribus, ac per potentes, qui ei non deerant, amicos ambiebat neſcio quem Præſidatum. Quomodò ergo ambabus manibus non arripuiſſet ſupremum iſtum Tribunatum? Sextò, falſum eſt, Romæ paratam ipſi fuiſſe uxorem. Neque enim homo fœdus uxorem tunc, ſed ſuæ libidinis ſatietatem quærebat, cœpitque uxor priùs quæri Mediolani, Cap. 13. *maximè matre dante operam, quo ipſum jam conjugatum baptiſmus ſalutaris ablueret.* Septimò, falſum eſt, ipſum tunc divitias abhorruiſſe, uxoremque non quæſiiſſe, ac cogitaſſe nihil eſſe pejus mulierum conſortio ac ſocietate. Ea quippe fœdiſſima ac tenaciſſima cupiditas in ipſo poſtrema manſit, fuitque longè miſerrimè ſub ipſa captivus, quouſque audita voce. *Tolle lege, tolle lege*, legeret in Apoſtolo. L. 5. c. 13. *Non in cubilibus & impudicitiis*. Octavo, falſum eſt, ipſum Roma exiiſſe occultè. Exivit enim *evectione publica*, per ſuos præſertim tunc Manichæos ſollicitata & impetrata. Falſum tandem eſt, Præfectum urbis, dum apud oſtia Tiberina eſſet, fuiſſe quempiam Pontianum. Etenim dum Auguſtinus Roma Mediolanum ad Rhetoricæ profeſſionem abiit, Urbanam Præfecturam gerebat Symmachus, isque Auguſtinum L. 5. c. 13. *dictione propoſita probatum* miſit Mediolanum: Eamque geſſit plurimis adhuc poſt annis. Eam quippe adhuc geſſit, dum ſanctus Bonifacius aſſumptus fuit ad Sedem Apoſtolicam, atque adverſus ipſum acriter fovit ſchiſma Eulalianum. Abſit ergo, ut hi fabuloſiſſimi ac mendaciſſimi ſermones ſint ſancti Auguſtini. Adeoque lapſus eſt Magiſter noſter Baſilius Legionenſis, dum ex iſto omnium mendaciſſimo ſermone quadrageſimo octavo poſtremam ſancti Proſperi ſententiam putavit eſſe deſumptam.

Duos alios errores habemus in ſermone vigeſimo primo. Primus eſt in his verbis. *Ego, qui Epiſcopus ſum, ſummè cavere debeo, ne res pauperum divitibus largiantur, quod bene feci huc uſque. Nam conſanguineos habeo, & nobiles ſe eſſe non erubeſcunt, & ad me Epiſcopum veniant dicentes: Da nobis aliquid Pater, caro enim tua ſumus.* Falſum quippe eſt Auguſtinum fuiſſe divitem aut Nobilem. Patet id ex ipſo Auguſtino, qui in ſermone ſecundo de communi vita clericorum ſic dicit de ſeipſo. *Non decet Auguſtinum, id eſt, hominem pauperem de pauperibus natum.* Et alibi ſe vocat *filium hominis pauperculi Tagaſtenſis*. Hinc Patre vita functo ſtudia ſua nequiit proſequi, niſi adjutus ære Romaniani, viri Nobilis ac divitis Tagaſtenſis. Teſtatur id ipſe tam in ſuis confeſſionibus, quam etiam in libris contra Academicos, ſic ſcribens ad iſtum Romanianum. *Tu me adoleſcentulum pauperem ad peregrina ſtudia* L. 2. c. 2. *pergentem & domo & ſumptu & animo excepiſti. Tu patre orbatum amicitia conſolatus es, hortatione animaſti, ope adjuviſti. Tu in noſtro ipſo municipio, favore, familiaritate, communicatione domus tuæ penè tecum clarum, Primatemque feciſti.* Ecce, Auguſtinus non erat ſanguine clarus ſeu nobilis, ſed ex nimia Romaniani amicitia ac communione propemodum talis evaſit. Et haud dubiè pater ejus Patricius fuit neſcio quis opifex: Hinc namque deficientibus operis ejus nequiit pia mater vidua filii ſtudia de cætero ſuſtinere. Alter iſtius ſermonis error eſt in his verbis. *Sanctus Epiſcopus Valerius de bonis Epiſcopatus, ut monaſterium in Eremo ædificarem, mihi multa donavit. Non enim ſatis fuit patrimonium meum, niſi etiam ipſe me coadjuvaſſet.* Contrarium enim Ep. 225. dicit Auguſtinus in Epiſtola ad Albinam, & in ſermone primo de communi vita Clericorum. Dicit namque illic, ſe omne ſuum, quantumvis tenue, patrimonium effudiſse in pauperes, aliaſque pias cauſsas Eccleſiæ Tagaſtenſis, ac veniſse Hipponem cum unico, quo tunc induebatur, veſtimento. Tertius error eſt forſitan in his verbis. *Quia ſolus ſtare non poteram Epiſcopus, ideò rogavi ſanctum ſenem Epiſcopum Valerium, ut infra domum Epiſcopi monaſterium clericorum conſtituerem. Et placuit ſancto Epiſcopo mihi condeſcendere.* Suprà namque oſtendi eſse admodum probabile, quod clericorum monaſterium Auguſtinus non inſtituerit, niſi poſt mortem Valerii: Tunc namque prius nactus fuit plenam adminiſtrationem, forſitan & primam habitationem domus Epiſcopalis.

Alium errorem ſanctitati ſancti Auguſtini admodum injurioſum habemus in ſermone trigeſimo ſexto. In illo enim de uxore, ſæculari honore, aliiſque id genus agens ſic dicit Auguſtinus Epiſcopus. *Hæc omnia ſervus iniquitatum mearum facere nolebam, qui tamen nunc ſervus Chriſti ea, quæ diximus, & majora tentor habere frequenter.* Plenè, inquam, blaſphemum eſt, Auguſtinum Epiſcopum talium tentationum motibus adhuc fuiſse impetitum. Non ſolùm enim ab ejuſmodi conſenſibus, ſed etiam ab ipſis motibus fuit alienus ſtatim à lecto Apoſtolo, *Non in cubilibus & impudicitiis*. Patet id ex libris ſoliloquiorum, quos utique ſcripſit cathecumenus. Ibi namque à ratione interrogatus, num adhuc honores appeteret, reſpondit. *Fateor eos modo ac penè his diebus cupere deſtiti.* Et rogatus de uxore, *Nonne te delectat interdùm pulchra, pudica, morigera, literata, vel quæ abs te facilè poſſit erudiri, afferens etiam dotis tantùm, &c.* ſic

Digitized by Google

répoſuit. *Quantum velis licet tam pingere atque cumulare bonis omnibus, nihil mihi tam fugiendum quam concubitum eſſe decrevi: Nihil eſſe ſentio, quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quam blandimenta fœminea, corporumque ille contactus ſine quo uxor haberi non poteſt. Prorſus nihil hujuſmodi quæro, nihil deſidero, etiam cum horrore atque aſpernatione talia recordor.* Et hanc mirificam mentis ſanctitatem in ipſo fuiſſe quotidie auctam, ipſe teſtatur in libro decimo ſuarum confeſſionum. Proindè iſtorum ſermonum Auctor eſt non ſolummodo mendax, ſed etiam in Auguſtinum fœdè injurioſus.

Alia adhuc mendacia habemus in hiſce verbis.
Serm. 37. *Ecce ego jam Epiſcopus Hipponenſis eram, & cum quibuſdam ſervis Chriſti ad Æthiopiam perrexi, ut eis ſanctum Chriſti Evangelium prædicarem. Et vidimus ibi multos homines ac mulieres capita non habentes. Vidimus & in inferioribus partibus Æthiopiæ homines unum oculum tantùm in fronte habentes.* Nota verba, *Homines & mulieres*. Ex iis quippe non malè quis forſan colliget Auctorem iſtum fuiſſe Gallum aut Walonem: Hi namque viros vocant hommes. Verùm oſtendamus mendacia. Primò falſum eſt, talia unquam monſtra viſa fuiſſe ab Auguſtino. Teſtatur id ipſe in libris de civitate Dei, ubi omnia hominum monſtra enumerans,
L. 16. c. 8. ſic dicit. *Ferunt quoſdam ſine cervice oculos habere in humeris, & cætera hominum vel quaſi hominum genera, quæ in maritima platea Carthaginis muſivo picta ſunt, ex libris ſumpta velut curioſioris hiſtoriæ.* Ecce, talia hominum monſtra dicit à ſe viſa, non in Æthiopia, ſed in opere muſivo Carthaginenſi. Neque dicit ea monſtra eſſe, ſed dicit: *Ferunt eſſe*. Et iterum. *Perhibentur quidam unum habere oculum in fronte media*. Et rurſum. *Gentium narrat hiſtoria*. Solita itaque mendaciis ſcatere. Sanè de rebus à ſe viſis non ita loqueretur Auguſtinus. Neque quis dicat libros hoſce ſcriptos ex intervallo: Conſtat namque eos in ſenio ejus eſſe ſcriptos. Alterum mendacium eſt, Auguſtinum Epiſcopum gratia prædicandi Evangelii profectum fuiſſe unquam in Mauritaniam Paganam. Profectus quidem fuit in Mauritaniam Cæſarienſem: Attamen non gratia prædicationis, ea quippe Provincia erat plena Chriſtianis ac Epiſcopis; ſed ad componenda quædam negotia Eccleſiaſtica, legatus eò à Zozymo, Pontifice Romano. Scimus ibi varia fuiſſe per ipſum præclarè geſta: Verùm de monſtris iſtis aut ejus ad iſtas remotiſſimas gentes Apoſtolatu nihil ſcimus, ideoque in mendaciis computamus. Et quidem eſſe mendacium teſtatur ipſe in Epiſtola ad Heſychium Epiſcopum Eccleſiæ Salonitanæ. Exiſtimabat Heſychius totum undequaque orbem eſſe per Apoſtolos impletum ſacroſancto Domini ac Dei noſtri JESU CHRISTI Evangelio, ideoque noviſſimum diem jam propediem inſtare: Cui ſic reſpondit Au-
Epiſt. 80. guſtinus. *Quod putat venerabilitas tua jam hoc per ipſos Apoſtolos factum, non ita eſſe certis documentis probavi. Sunt enim apud nos, hoc eſt, in Africa, barbaræ innumerabiles gentes, in quibus nondum eſſe prædicatum Evangelium, ex iis qui ducuntur inde captivi, & Romanorum ſervitiis jam miſcentur, quotidie nobis addiſcere in promptu eſt. Pauci tamen anni ſunt, ex quo quidam eorum rariſſimi atque pauciſſimi, qui pacati Romanis finibus adhærent, ita ut non habeant Reges ſuos, ſed ſuper eos Præfecti à Romano conſtituantur imperio, & illi & ipſi eorum Præfecti Chriſtiani eſſe cœperunt. Interiores autem, qui ſub nulla ſunt poteſtate Romana, prorſus nec Religione Chriſtiana in ſuorum aliquibus detinentur.* Claré ecce Auguſtinus dicit illum ſuum ad interiores, alioſque barbaros Afros Apoſtolatum eſſe mendaciſſimam impoſturam. Neque putes eum contigiſſe ex intervallo: Scripſit enim Auguſtinus Epiſtolam hanc jam ſenex, uti patet ex alia ejus Epiſtola ad Epiſt.
eundem Heſychium. 78.

CAPUT XXXIX.

Adducuntur adhuc alii errores iſtorum Sermonum.

IN Sermone vigeſimo quarto ſic dicit iſte Impoſtor. *Legimus, fratres chariſſimi, ſanctum Patrem Hieronymum Cardinalem fuiſſe in Eccleſia ſancti Laurentii martyris.: Et quia Romanos de avaritia & fœtida fortiter luxuria reprehendebat, per veſtem muliebrem eum proclamare in populo voluerunt, ſed Deo auxiliante, ſanctitatis fama minimè diminuta, Romam tandem egreſſus eſt, & cum Paula & Euſtochio, earum patre rogante, aſperrimam vitam duxit.* Peccat hic Auctor in antiquam cautè mentientium legem, *Oportet mendacem eſſe ſui memorem*. Dicit namque, *legimus*, eoque verbo ſatis indicat ſe non Hieronymo coætaneum, ſed longè poſteriorem. Primum itaque hujus ſermonis mendacium eſt, ſanctum Hieronymum fuiſſe Sanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinalem. Sanctus namque Hieronymus, licet ſancto Pontifici Damaſo cohabitarit atque in conſcribendis Decretalibus Epiſtolis ſervierit, nequaquam tamen fuit in Romanam Eccleſiam ac Romanum clericorum tabulam adſcriptus. Adſcribi enim noluit in ullam ejuſmodi tabulam, adeò ut ſancto Paulino Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopo, ipſum importunè ad presbyterium urgenti, conſentire ac manus ſibi imponi noluerit, niſi ea lege, ut non referretur in tabulam Antiochenſem. Alicui enim Eccleſiæ adſcriptus clericus libertatem ſuam amittebat, neque ab illa poterat migrare, fixurus alibi domicilium: Quæ omnia Hieronymo, peregrinationem atque orthodoxarum Eccleſiarum ac ſcholarum luſtrationem amanti, penitus diſplicebant. Atque ſub iſta ſuæ libertatis lege à Paulino fuit Hieronymus ordinatus. Patent hæc omnia ex ea ſolemni inter Hieronymum ac Joannem Hieroſolymitanum Epiſcopum lite, qua Joannes Hieronymum ac Vincentium, eò quod in ſua Diœceſi fixi habitarent, necnon Hieronymi fratrem Paulinianum, eo quod in ſua Diœceſi apud fratrem frequens eſſet, volebat poteſtati ſuæ ſubiicere, atque referre in canonem ac tabulam Clericorum Hieroſolymitanam. Etenim in Epiſtola ad Pammachium ſic iſtum Joannem alloquitur ſanctus Hieronymus. *Porrò quod dicis* Epiſt.
te petiſſe, ut ſubiiceremur Eccleſiæ Dei, & non 16. c. 16.

ſcin-

ſcinderent eam, neque proprium ſibi facerent principatum: De quibus ditar, non ſatis intelligo. Si de me & Presbytero Vincentio, ſatis multo dormiſti tempore, qui poſt annos tredecim nunc excitatus hæc loqueris. Ob id enim & ego Antiochiam, & ille Conſtantinopolim, urbes celeberrimas, deſeruimus; non ut te in populis prædicantem laudaremus, ſed ut in agris & in ſolitudine adoleſcentiæ peccata deflentes, Chriſti in nos miſericordiam deflecteremus. Sin autem de Pauliniano tibi ſermo eſt, vides eum Epiſcopo ſuo eſſe ſubjectum, verſari Cypri, ad viſitationem noſtram interdum venire, non ut tuum, ſed ut alienum, ejus videlicet, à quo ordinatus eſt. Quod ſi hic etiam eſſe voluerit, & in exilio noſtro quietus in ſolitudine vivere, quid ſibi debet, niſi honorem, quem omnibus debemus Epiſcopis? Fac à te ordinatum: Idem ab eo audies, quod à me miſello homine ſanctæ memoriæ Epiſcopus Paulinus audivit. Num rogavi te, ut ordinares? Si ſic Presbyterium tribuis, ut monachum nobis non auferas, tu videris de judicio tuo; ſin autem ſub nomine Presbyteri tollis mihi propter quod ſæculum reliqui, ego habeo quod ſemper habui, nullum diſpendium in or-
A. 378. *dinatione paſſus es*. Ad quæ verba rectè ſcribit Cardinalis Baronius. *En his vides, nequaquam ſuſtinuiſſe Hieronymum altius, cum ordinatus eſt, adſcribi titulo, nec poſtea in aliquam referri Eccleſiam toleraſſe. Immo de ambobus, nempe de Hieronymo & Vincentio Epiphanius ad Joannem ſcribens teſtatur, nec precibus unquam adduci potuiſſe, ne vel ſaltem in monaſterio Sacerdotis munere fungerentur. At ſi quod plerique dicunt, idem Hieronymus à Damaſo Papa factus eſt Cardinalis tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, cur non redigi vellet à Joanne ſub Eccleſia Hieroſolymitana, non æquè excepit, ſicut de ordinatione à Paulino facta, ita de Cardinalatu, quo dicunt à Damaſo Romæ donatum?* Eam namque exceptionem adduxit pro fratre ſuo Pauliniano. Dicit eum ſcriptum eſſe in clericorum tabula Salaminenſi, ideoque ſcribi non poſſe etiam in Hieroſolymitana. Si ergo & ipſe ſcriptus fuiſſet in tabula Romana, haud dubiè id, tamquam exceptionem peremptoriam, allegaſſet. Deinde; aliqui dicunt ipſum fuiſſe Cardinalem ſancti Laurentii, aliqui Cardinalem ſanctæ Anaſtaſiæ: Quia nempe mendaces rarò ſolent convenire. Neque quis dicat eum factum Cardinalem ex intervallo: Conſtat namque hanc cum Joanne controverſiam poſt mortem Damaſi contigiſſe. Notanda illic ſunt hæc Hieronymi ad Epiſcopum Paulinum verba. *Si ſic Presbyterium tribuis, ut monachum nobis non auferas*. Declarant enim antiquum Eccleſiæ morem, quo per quemvis clericalem gradum ſolebat exui monachatus.

Alterum iſtius ſermonis mendacium eſt, quod ſanctus Hieronymus à Romanis Clericis, quos offenderat, periclitatus ſit Roma expelli in veſte muliebri. Scimus quidem Hieronymum tam iſtorum Clericorum quam novi Pontificis Siricii gravem incurriſſe invidiam. Hinc namque in Præfatione verſionis Dydimi de ſpiritu ſancto ſic dicit adversùm iſtos clericos. *Phariſæorum conclamavit Senatus, ubi nullus ſcriba vel fictus, ſed omnis quaſi indicto ſibi prælio doctrinarum, adverſum me imperitiæ factio conſpiravit*. Et in Epiſtola ad Pammachium ſic ſcribit adversùs Siricium. *Audio totius in te urbis ſtudia concitata. Audio Pontificis & populi voluntatem pari mente* Ep. 32. *congruere. Minus eſt tenere Sacerdotium, quam mereri*. Fateor item Hieronymum propter novi Pontificis ac Romani cleri invidiam, ſtatim à morte ſancti Damaſi, Roma exiviſſe, ac quaſi exire compulſum. Verùm quod de habitus muliebris injuria periclitatus ſit, fabola ac impoſtura eſt, ſanctiſſimo huic Doctori, ipſique Romanæ Eccleſiæ nimium contumelioſa. Adverſus quam eleganter ac nervosè exclamat Cardinalis Baronius. *O quanti emiſſet iſta Ruffinus, ſi quis talia ſuo tempore excogitaſſet, dum leviora* A. 385. *quæque mendacia, quæ in Hieronymum quoquo modo eſſe jactata audiſſet, ignominiæ à ſe contextæ coronæ connectit? Adeò ut ad impoſturam hanc refellendam illud ſufficiens eſſe dicatur argumentum, quod Ruffinus iſtud non invexit in eum, quod in fronte fuerat collocandum. Unde certum eſſe commentum probatur. Cum præſertim res tanta, in tantum virum, locoque tali admiſſa, nec angulum orbis prætermiſſe potuerit, ubi non ſciretur*. Neque verò ſolet Romana Eccleſia in imponendis pœnis ita delirare. Sanè ſi talem ſanctiſſimi viri injuriam permiſiſſet attentari Papa Siricius, non tacuiſſet id ſanctus Paulinus Nolenſis Epiſcopus, quem Hieronymo addictiſſimum novimus, Siricio autem infenſiſſimum. Ac ex variis tandem Hieronymi locis conſtat ipſum honorificè urbe Romana exiviſſe.

Diverſi quoque errores continentur in ſermone vigeſimo quinto. Sic enim ibi legimus. *Scitote, fratres mei, quod antiquitus Patres noſtri fideles jejunare conſueverant in vigiliis magnarum ſolemnitatum uſque ad noctem, quod laudandum erat & bonum. Sed hoc non ſolùm, ſed etiam vigilabant per noctem, & ad Eccleſiam ludendo & chorizando conveniebant, quod deteſtabile erat & malum. Tales non ſolùm Romani erant, non ſolùm Papienſes & Ravennates; ſed etiam Mediolanenſes. De qua turpi conſuetudine dolebat Mediolani Mater mea, & inſtitutum eſt, ipſa inſtigante, à Patre noſtro ſancto Ambroſio, ut vigiliæ ceſſarentur vel ceſſarent à cunctis, ut homicidia & fornicationes à fidelibus deponerentur*. Auctor hic videtur mihi non eſſe purus Catholicus, ſed de Hæreſi Vigilantiana ſuſpectus: Damnat enim nocturnas vigilias propter quoſdam nequam hominum abuſus ſolitos in ipſis committi. Eam namque eſſe unam è Vigilantii Hæreſibus, patet ex ſancto Hieronymo, qui adversùs Vigilantium ſic ſcribit ad Presbyterum Riparium. *Quod dicis eum vigilias execrari, facit & hoc contra vocabulum* Ep. 53. *ſuum, ut velit dormire Vigilantius, & non audiat Salvatorem dicentem, ſic non potuiſtis una* Cap. 4. *hora vigilare mecum?* Et in libro adversùs ipſum. *Error autem & culpa juvenum, viliſſimarumque mulierum, qui per noctem ſæpè deprehenditur, non eſt Religioſis hominibus imputandus: Quia & in vigiliis Paſchæ tale quid fieri plerumque convincitur, & tamen paucorum culpa non præjudicat Religioni, qui & abſque vigiliis poſſunt errare vel in ſuis vel in alienis domibus. Apoſtolorum fidem Judæ proditio non deſtruxit: & noſtras ergo vigilias malæ aliorum vigiliæ non de-*

deſtruent. Quin potius pudicitiæ vigilare cogantur,
qui libidini dormiunt. Quod enim ſemel feciſſe bo-
num eſt, non poteſt malum eſſe, ſi frequenter fiat:
Aut ſi aliqua culpa vitanda eſt, non ex eo quod ſæpe,
ſed ex eo quod fit aliquando, culpabile eſt. Non vi-
gilemus itaque diebus Paſchæ: Ne expectata diu
adulteriorum deſideria complenatur; ne occaſionem
peccandi uxor inveniat; ne maritali non poſſit clave
concludi. Ardentius appetitur, quidquid eſt rarius.
Urget aſſiduè Hieronymus vigilias Paſchales:
Eas namque ſolas probabat Vigilantius, ut
toto anno poſset ſecurus dormire. An paſcha-
les vigilias etiam probarit Auctor iſtorum ſer-
monum, neſcio; palam tamen eſt, ipſum in
hac parte ſuiſse purum putum Vigilantianum.
Et hinc denuo credi poteſt ſuiſse Natione Gal-
lus: Inter hos enim Vigilantius venenoſos ſuos
ſibilos ſibilabat.

Deinde, palam manifeſtat Auctor iſte ſe eſse
Auguſtino longè poſteriorem, dum dicit ſan-
ctorum vigilias ſuiſse antiquitus jejunari ſolitas
uſque ad noctem. Etenim ſanctiſſimam iſtam
conſuetudinem ſuiſse tempore Auguſtini ubique
adhuc uſitatiſſimam, patet ex variis iſtorum ac
vicinorum temporum Conciliis, atque ex ipſo
Auguſtino, præſertim in libro de moribus Ec-
cleſiæ Catholicæ, atque in Epiſtola ad Presby-
Ep. 16. terum Caſulanum. Tertiò, mentitur noctur-
nas vigilias abrogatas ac caſsarss ſuiſse à ſancto
Ambroſio, idque ad inſtantiam ſanctæ Monicæ.
Patet id ex ipſo ſancto Auguſtino, qui in libris
ſuorum confeſſionum, cum dixiſset ſe adhuc
Catechumenum ac recens baptizatum mirificè
affectum ſuiſse hymnis & canticis, ſuaveſonan-
L. 9. c. 7. tis Eccleſiæ vocibus, ſic ſubdit. *Excubabat pia*
plebs in Eccleſia, mori parata cum Epiſcopo ſuo,
ſervo tuo. Ibi Mater mea, ancilla tua, ſollicitudi-
nis & vigiliarum primas partes tenens, orationibus
vivebat. Tunc hymni & Pſalmi ut canerentur ſecun-
dùm morem orientalium partium, ne populus mæro-
ris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt. Et ex illo
in hodiernum retentum, multis jam ac penè omni-
bus gregibus tuis & per cætera orbis imitantibus.
Ecce, ſancta Monica vigilias non petivit abro-
gari, ſed primas partes in ipſis tenuit, atque de
ipſis quaſi vixit. Sanctus item Ambroſius eas
non abrogavit, ſed novo Hymnorum ac Pſal-
morum cantu adauxit, iſtudque augmentum
univerſa ſub cælo Eccleſia probavit ac recepit.
Patetque idipſum ex ipſo etiam Ambroſio. Sic
Pſ. 109. namque dicit ad ſuum populum. *Jejunavimus*
Sabbatho, vigilias celebravimus, orationibus per-
noctantes inſtitimus. Hinc etiam in Eccleſia Afri-
cana eas non ſuſtulit Auguſtinus, ſed quoſdam
earum abuſus dumtaxat reformavit. Patet id ex
ſermone iſto, quem habuit Auguſtinus Cartha-
Serm. gine in Baſilica ſancti Cypriani. *Aliquando ante*
115. de *annos non valdè multos etiam iſtum locum invaſerat*
diverſ. *petulantia ſaltatorum. Iſtum tam ſanctam locum,*
cap. 4. *ubi jacet tam ſancti Martyris corpus, ſicut memine-*
runt multi, qui habent ætatem, invaſerat peſtilen-
tia & petulantia ſaltatorum. Per totam noctem hic
cantabantur nefaria, & cantantibus ſaltabatur.
Quando voluit Dominus per ſanctum fratrem no-
ſtrum Epiſcopum veſtrum, ex quo hic cæperant ſan-
ctæ vigiliæ celebrari, illa peſtis in quantulum relu-
ctatu, poſtea ceſſit diligentiæ, erubuit ſapientiæ.
Ecce, ſanctus Aurelius Carthaginenſis Epiſco-
pus in Eccleſiam ſancti Cypriani, in qua per
noctem ejus feſti ſolebant fieri petulantes cantus
& ſaltus, Introduxit ſanctas vigilias: Tantùm
abeſt, ut eas abrogarit. Patet idipſum ex hiſce
Auguſtini ad populum verbis. *Nonne id egit in* Pſalm.
nomine Chriſti inſtitutio vigiliarum iſtarum, ut ex 32. c. 1.
iſto loco citharæ pellerentur? Solebant in iſtis vi-
giliis cantare citharis, aliiſque id genus muſicis
inſtrumentis: Quem morem ejecit Auguſti-
nus. Quapropter conſtanter dico hujus ſermo-
nis Auctorem non eſse Auguſtinum, ſed ne-
ſcio quem impurum ac fæculentum Vigilantia-
num.

In eodem ſermone aſſiduè aſserit animam ra-
tionalem inſundi per novam creationem. Quòd
etiam eſt ab Auguſtino penitus alienum. Ete-
nim jam ſenex de antiqua ſua cunctatione ſic di-
cit in libris ſuarum retractationum, retractans
libros ſuos de Animæ origine. *In iis omnibus in* L. 2. c. 56
quibus multa neceſſaria diſſeruntur, defendi de ori-
gine animarum, quæ ſingulis dantur, cunctationem
meam. Et retractans libros contra Academicos.
Quod attinet ad Animæ originem, qua fit ut ſit in L. 1. c. 1.
corpore, nec tunc ſciebam, nec adhuc ſcio. Et hic
lapſus eſt Cardinalis Baronins, dum iſtam cun-
ctationem putat ab Auguſtino in libris adverſùs
Vincentium Victorem ſuiſse revocatam: Etenim
in libris iſtis aliud non agit Auguſtinus, quam
eam ſuam cunctationem ſtabilire. At longè fæ-
diùs lapſus eſt impurus auctor iſte, dum novam
quotidianam Animarum creationem attribuit
ſancto Cypriano. Apud ſanctum namque Cy-
prianum de ea quæſtione ne vel verbum repe-
rias. Suam item imperitiam egregiè prodit in
hiſce ſuis de ſancto Jacobo Apoſtolo Zebedæi fi-
lio verbis. *Nec diem mortis ejus celebramus, ſed*
potiùs translationis. Hæc verba convincunt eum
ſancto Auguſtino eſse longè poſteriorem. Licet
namque ſancti Jacobi Apoſtoli translatio de Pa-
læſtina in Hiſpanias dudum ante Auguſtini tem-
pus facta ſit, utpotè facta ipſo anno, quo ipſe
Herodis gladio in Judæorum gratiam percuſſus
eſt dudum tamen poſt Auguſtini ævum homini-
bus innotuit. Prius namque innotuit ſub regno
Religioſiſſimi Principis, Alphonſi caſti, ac
Epiſcopatu Theodemiri, Epiſcopi Iirienſis. A-
deoque & tunc priùs cæpit à fidelibus celebrari.

Alius denique intolerabilis error eſt in hac
Epigraphe. *De obitu Valentini Epiſcopi Carthagi-* Ser. 55.
nenſis. Etenim per Auguſtini tempora inter Ec-
cleſiæ Carthaginenſis Epiſcopos nullum novimus
Valentinum. Dum Auguſtinus ab Hipponenſi-
bus ad Presbyteratum raperetur, Eccleſiæ Car-
thaginenſi præſidebat ſanctus Aurelius: Diſpen-
ſavit in Concilio Nicæno, ut Auguſtinus Va-
lerio adhuc vivo ordinaretur Coepiſcopus: Se-
ditque uſque ad mortem propemodum ſancti Au-
guſtini. Proximè ei ſucceſſit Capreolus, Ca-
preolo Quodvultdeus, Quodvultdeo Deogra-
tias, Deo gratias Eugenius, nullus omnino Va-
lentinus. Quod Aurelio Capreolus ſucceſſerit,
patet ex Liberato Diacono, ſic ſcribente in ſuo Cap. 5.
Breviario. *Scripſit Imperator* Theodoſius *& beato*
Auguſtino Hipponenſi Epiſcopo per Ebagnium Magi-
ſtrianum,

Digitized by Google

ſtrianum, ut ipſi Coacilio Epheſino *præſtaret ſuam*
præſentiam: Qui Ebagnius veaieas Carthaginem
magnam, audivit à Campolo urbis ipſius Antiſtite
Beatum Auguſtinum ex hoc mundo migraſſe ad Do-
minum. Acceptis ab eo ad Imperatorem literis lo-
quentibus de obitu beati Auguſtini, Coaſtantinopo-
lim, unde venerat, rediit. Pro *Campolo* legen-
dum eſt *Capseolo*. Patet id tum ex elegantiſſimis
ſynodalihus lireris, quas adverſus Neſtorii per-
fidiam ad Epheſinum Concilium dedit Capreo-
lus, rum ex Vincentio Lirinenſi, qui ſic dicit
Cap. 42. de iſto Concilio. *Cum lecta eſſet ſancti Capreoli*
Epiſcopi Carthagineaſis Epiſtola. Huic Capreo-
lo ſucceſſit Quodvulideus, ad quem adhue
ejuſdem Ecletiæ Diaconum ſcripſit Auguſtinus
lihrum de Hæreſibus. Pater id ex ſancto Vi-
ctore Epiſcopo Uticenſt, qui Quodvulrdeum
Carrhaginis Epiſcopum dicit à Genſerico nu-
dum atque exſpoliatum eſſe detruſum in exi-
lium: Idque Anno Chriſti 439. ur ram ſan-
ctus Proſper quam Marcellinus affirmant, eo
namque anno prius venit Carthago in poteſta-
tem Barbarorum. Proinde lapſus eſt hic Car-
dinalis Baronius, ſic ſcribens de ſancto Ca-
A.430. preolo. *Succeſſit hic Quodvultdeo; qui Aurelio*
fuerat ſubrogatur. Hoc planè falſum eſt. Ere-
nim Capreolus ſedit Carrbagine Epiſcopus tem-
pore Concilii Epheſini, ur verò Quodvultdeus
dudum poſt pulſus eſt in exilium: Dehet ita-
que Capreolo ſucceſſiſse, non eum præceſſiſſe.
Credo Baronium deceptum fuiſſe ex hiſce Au-
guſtini vehis ad ſanctum Honoratum Epiſco-
Ep. 180. pum Thianenſem. *Charitati tuæ miſſo exemplo*
Epiſtolæ, quam fratri Quodvultdeo noſtro Coepi-
ſcopo ſcripſi, putabam me oaere caruiſſe, quod
mihi impoſuiſti. Putavir, inquam, Baronius
Quodvultdeum ſediſſe Carthagine Epiſcopum
adhue Auguſtino vivo, Capreolum autem Au-
guſtino jam mortuo: Adeoque hunc iſti ſuc-
ceſſiſſe. At errat. Etenim iſte Auguſtini Coe-
piſcopus Qundvultdeus non fuit Epiſcopus Car-
rhaginenſis, ſed Epiſcopus Centurienſis, cu-
jus cauſſa diſcuſſa ae agitata fuir in Concilio
Milevitano. Hallucinatur item Baronius, at-
que ex ipſo Severinus Binius in ſuis ad ſecun-
dum Carthaginenſe Concilium notis, dum in
ſedem Carthaginenſem intrudunt neſcio quem
Genedium, dicuntque eum jam Seni Aurelio
fuiſſe ordinatum Coepiſcopum, quomodo olim
Valerio fuerat coordinatus Auguſtinus. Tota
ratio eorum eſt, quia in dicto Concilio legitur
Genedius præſediſſe, quod utique non poterat,
niſi fuiſſet Epiſcopus Carthaginenſis. At dico
eſſe meram fahulam. Primò, quia tales vivo
adhuc Epiſcopo ſuperordinationes fuerunt tune
in Africa rigidiſſimè prohibitæ. Patet id ex
Cap 8. ſancto Poſſidio, qui ſic dicit de ſancto Auguſti-
no. *Quod in ſeipſo poſtea fieri non debuiſſe, ut vi-*
vo ſuo Epiſcopo ordinaretur, & dixit & ſcripſit,
propter Concilii univerſalir vetitum, quod jam or-
dinatur didicit: Nec quod ſibi factum eſſe doluit,
aliir fieri voluit. Unde etiam ſategit, ut Conciliis
conſtitueretur Epiſcoporum, ab Ordinatoribus debe-
re Ordinandis vel Ordinatir omnium ſtatuta Sacer-
Cap. 3. *dotum in notitiam eſſe deferenda*. Statutum id fuit
in tertio Concilio Carthaginenſi. Aurelium

porro hujus canonis fuiſse primum prævaricato-
rem numquam credidero. Secundò, quamvis
Genedius fuiſset Aurelii Coepiſcopus, debuiſset
tamen Aurelius ſedere ae ſententiam dicere ante
ipſum: At verò Aurelius ibi ſedit ac dixit poſt
Genedium: Clarum ergo eſt, eum non fuiſse
Aurelii Coepiſcopum. Quid ergo? Reſpondeo
primò, pleraque Africana concilia, uti & mul-
ta alia, eſſe miſerabiliter diſtorta ac permixta.
Ex duohus aut trihus quandoque fit unum; ex
uno fiunt plura; frequenterque turbatur ordo
canonum ac Epiſcoporum. Et ita factum eſſe
potuit in hac præſenti Synodo Carthaginenſi.
Dico itaque Genedium neſcio cujus Sedis Epiſ-
copum iſta forſan ratione in iſtius Concilii Præ-
ſidem eſſe promotum. Utinam viri docti quan-
doque unanimiter intendant pleniſſimæ concilio-
rum correctioni. Reſpondeo ſecundò, pro Ge-
nedio forſitan legendum eſſe Genethlium, Au-
relii in Sede Carthaginenſi proximum præceſſo-
rem. Menſurio namque ultimo Carthaginis pa-
cifico Epiſcopo ſucceſſerunt Cæcilianus & Ma-
jorinus; his Ruſus ae Donatus magnus, etenim
aſſentiri non poſsum Doctiſſimo Eccleſiæ Aure-
lianenſis Epiſcopo Gabrieli Alhaſpineo, ubi in
ſuis ad ſanctum Optatum Milevitanum Epiſco-
pum præclariſſimis obſervationihus ait Majorino
proximè ſucceſſiſse Donatum à Caſis Nigris; Cap. 3.
his ſucceſsere Gratus & Parmenianus; his Gene-
thlius ae Primianus, Genethlio Aurelius ſucceſ-
ſit, Primiano autem nullus: Eo quod poſt Car-
thaginenſem Collationem Donatiſtæ Epiſcopi
de ſuis ubique Baſilicis per leges Imperiales fue-
rint extruſi, privatique omni facultate novos
Epiſcopos in mortuorum ſedes ſubſtituendi.
Quapropter etiam labitur Franciſcus Balduinus,
dum Primiano ſucceſſiſse putat Jannarium iſtum,
ad quem exſtant quædam Epiſtolæ ſancti Augu-
ſtini. Palam namque eſt iſtum Jannarium una
cum Primiano fuiſse Primatem Epiſcopum:
Primatem Numidiæ, nequaquam Primatem
Carthaginenſem. At inquies, Cur ergo in actis
Collationis Carthaginenſis aſſiduè præponitur
Primiano? Reſpondeo ex eiſdem palam conſta-
re Primianum, non Januarium fuiſse tum Do-
natiſtarum Carthaginenſem Archi-Epiſcopum,
atque etiam in omni Africa iſtius factionis Prin-
cipem univerſalem. Pater ex hiſce vethis Vi- N. 201.
ctoris Epiſcopi Tahborenſis. *Suſceperam quidem*
mandatum, ſed quia Beatiſſimus Pater & Princeps
noſter Primianus nunc ſuſcepit, me neceſſe eſt man-
dare hîc actir. Jannarius iſte fuit Epiſcopus in
Caſis Nigris, uti palam patet ex Donatiſtarum
ad ſuum mandatum ſuhſcriptionihus, quas in
Collatione recitavit Scriha Rufinianus. Ve-
rùm cur uhique ſuhſcribit, comparet, ae ſe-
det ante ſuum Principem Primianum? Reſpon-
deo eadem de cauſsa, oh quam ubique præpo- N. 149.
nitur Felici Donatiſtarum Epiſpopo Romano.
Donatiſtæ enim, quoniam ſine Romanæ Ca-
thedræ communione ſciebant nullam poſse eſse
veram Eccleſiam, etiam illic ſibi Pſeudo-Epiſ-
copum ordinarunt. Proinde Januarium præpo-
ſuere ſuo Principi Primiano, non ratione emi-
nentioris Cathedræ, ſed ratione majoris in Epi-
ſcopatu ætatis. Malè quidem & contra Africa-

nos

nos canones: Ita tamen fecere. Iſtiuſque facti rationes diſcutere, oon eſt hujus loci. Qnod porro Genethlius fuerir ante Aurelium Carthaginenſis Epiſcopus, pstet ex Auguſtino ita ſcribente ad quoſdam Epiſcopos Donatiſtss. *Inde* Pſalm, 164. *neſcio quomodo ventum eſt ad commemorationem beatæ memoriæ Genetblii Epiſcopi, quod neſcio quam conſtitutionem datam contra illos compreſſerit, & effectum babere non ſiverit. Laudabant illum omnes, & benigniſſimè præferebant. Inter quas laudes à nobis ſubiectum eſt, quod etiam ipſe Genetblius, ſi in eorum manus incidiſſet, rebaptizandus cenſeretur.* Hic ergò Genetblius jam ſenio gravis in Epiſcopatus ſui Collegam forſan adſcivit ſanctum Aurelium, eaque eſt cauſſa, cur in iſta Carthaginenſi Synodo adfuerinr duo Carthaginenſes Epiſcopi, curque primo loco ſederir Genedius ſeu Genetblius: Quia nempe hic Epiſcopus erat, Aurelius autem dumtaxat Coepiſcopus. Quod namque iſte Collegas adſciſcendi mos fuerit in Africa admodum tunc familiaris, patet ex ſancto Poſſidio, qui de Auguſtino Valerii Coepiſcopatum recuſante agens ſic Cap. 8. dicit. *Dum illi fieri ſolere ab omnibus ſuaderetur, atque id ignaro tranſmarinis & Africanis Eccleſiæ exemplis probaretur, compulſus atque coactus ſuccubuit, & Epiſcopatus curam & majoris loci ordinationem ſuſcepit*, Et quia idipſum ipſi ſancto Aurelio contigerat, ideò ad diſpenſandum etiam cum Auguſtino fuit Aurelius adeò promptus. Ea porrò diſpenſario fuit apud Afros, ut jam audivimus, omnium poſtrema. Quapropter Aurelius ſibi in Coepiſcopum non adſcivit Genedium, ſed Genedius aut Genethlius olim ſibi Aurelium adſciverat in Collegam. Quidquid interim ſit de iſto Genedio; nullus tamen per hæc tempora fuit Carthaginis Epiſcopus Valentinus. Fuit tum quidam Valentinus Numidiæ Primas, de quo ſupra memini me eſſe locutum. Severinus Binius in jam dictis ſuis notis malè putat eum fuiſſe Xsntippi ſucceſſorem. Etenim Valentinus hic mendoſo iſti ſecundo Carthaginenſi Concilio unà cum Alipio interfuit tamquam Numidiæ Primas: At vero Xantippus, utpote Alipii in Epiſcopatu Tagaſtenſi ſucceſſor, Primatum prius accepir poſt mortem Alipii: Ergo Xantippus iſte fuit ſucceſſor, non præceſſor Valentini. Iſte tamen Valentinus, utpote Numida, nequaquam fuit Epiſcopus Carthaginenſis. Fuir Epiſcopus Eccleſiæ Vajenenſis. Patet ex num. 99. Collatione Carthaginenſi: Ibi namque tamquam talis ab Exceptore Martiali fuir proclamatus atque ab omnibus agnitus. Et binc in alio Collationis loco paſſim malè legitur *Valentius*: legi num. 57. namque debet *Valentinus*. Tota iſta Collatio opus habet ſeria reviſione. Neque mirari ſatis poſſum, quomodo Franciſcus Balduinus, Gabriel Albaſpineus, Severinus Binius, aliique viri docti dicant Epiſcopales Sedes Montani, Adeodati, ac Protaſii, qui unà cum quatuor aliis egere ibi partes Donatiſtarum, eſſe huc uſque ignotas. Etenim ex ipſa Collatione palam conſtat Montanum fuiſſe Epiſcopum Zamenſem, Adeodatum Epiſcopum Milevitanum, Protaſium autem Epiſcopum Tubinienſem. Verùm de bis aliàs. Et quidem in iſtis Sermonibus ſunt errores adbuc multi alii. Interim jam adducti ſufficiunt, ut quivis rationalis homo videat eos non eſſe Auguſtini.

AMI-

AMICO LECTORI.

IN quæſtione hac dixi quædam requirentia firmam memoriam. Hinc in uno punćto lapſus ſum: Dum Numidiæ Primatem Sylvanum dixi fuiſſe Epiſcopum Perdicenſem. Fuit namque Epiſcopus Summenſis. Patet id ex Catholicorum Epiſcoporum ad Comitem ac Cognitorem Marcellinum Epiſtolis, quas in Collationis Carthaginenſis exordio legit Romulus Exceptor: Earum quippe ſecundæ Sylvanus ſubſcripſit hoc modo, *Sylvanus Epiſcopus primæ ſedis Provinciæ Numidiæ*; primæ autem ſic, *Sylvanus Senex Epiſcopus Eccleſiæ Summenſis*. Donatiſtæ tamen Felicem ſuum ejuſdem loci Epiſcopum vocabant Epiſcopum Zummenſem. Deinde in alio loco exponens crimen Donatiſtarum, quod ſanćtus Optatus nobis proponit his verbis, *Nec maledicerent Deo*, omiſi alia ejuſdem Optati verba, quibus ipſe clariſſime exponit ſeipſum. Optatum quidem rećtè expoſui, addere tamen debueram hæc ejus verba. *Neminem fugit, quod omnis homo, qui naſcitur, quamvis de parentibus Chriſtianis naſcatur, ſine ſpiritu mundi eſſe non poſſit, quem neceſſe ſit excludi ab homine & ſeparari ante ſalutare lavacrum. Hoc exorciſmus operatur, per quem ſpiritus immundus depellitur, & in loca deſerta fugatur. Fit domus vacua in pećtore credentis, fit domus munda: Intrat Deus & habitat, Apoſtolo dicente, vos eſtis templum Dei, & in vobis Deus habitat. Et cum Deo unuſquiſque plenus ſit, de quo fur diabolus aliquid involare contendit; Vos rebaptizando exorcizatis hominem fidelem & dicitis Deo habitanti*, Maledićte exi foras. *Audit ergo Deus injurias non ſibi debitas, & hujuſmodi habitaculum deſerit: Et homo, qui Deo plenus in Eccleſiam intraverat, egreditur vas inane.*

C. 7. 8.

num. 18. num. 16. nu 114. Cap. 9.

Lib. 4

INDEX

Capitum hujus quæſtionis quodlibeticæ.

PRæfatio ac reſolutio quæſtionis. Fol. 1.

Cap. I. *Auguſtinus à primo ſuæ converſionis exordio fuit ſemper ſtatui monaſtico mirificè affectus, ac ipſum etiam, prout tunc poterat, ſectatus.* f. 2

Cap. II. *Auguſtinus cum ſuis in Africam redux, ſemper tamquam monachus ac monachorum pater vixit, ac tandem factus Hipponenſis Eccleſiæ presbyter in agro ſuburbano primum ædificat ſui Eremitici Ordinis conventum.* f. 3

Cap. III *Hæc Auguſtini ac Poſſidii adducta loca elucidantur.* f. 6

Cap. IV. *Explicatur locus controverſus ſancti Poſſidii.* f. 7

Cap. V. *Auguſtinus monachiſmum primus inducit in Africam.* f. 9

Cap. VI. *Monaſticum Auguſtini inſtitutum ſtatim propagatum fuit per omnem omnino Africam.* fol. 11.

Cap. VII. *Factum ſancti Aurelii magis explicatur.*

AD CAPUT VII.

DEclaratur *Pontificia poteſtas Epiſcopi Carthaginenſis.*

Cap. VIII. *Reſolvitur quoddam dubium incidens:* Fol. 21.

AD CAPUT VIII.

DIſcutitur *Megalii Epiſcopi Calamenſis, Sylvani Epiſcopi Summenſis, Valentini Epiſcopi Vajenenſis, ac Xantippi Epiſcopi Tagaſtenſis ſucceſſio in Primatum Numidiæ.*

Cap. IX. *Unde per omnes Africanas Eccleſias orta fuerit iſta miſerabilis inopia clericorum.* f. 24

AD CAPUT IX.

ENumerantur *varia facinora Donatiſtarum, quibus omnem Africam fecere irregularem ac inopem Clericorum.*

Cap. X. *Enumerantur aliquot ſancti Auguſtini per Africam monaſteria Eremitica.* Fol. 29

Cap. XI. *De genere hominum, quod Auguſtinus ad hæc ſua monaſteria ſolebat admittere.* f. 32

Cap. XII. *De præcipuis horum monaſteriorum obſervantiis.* f. 34

Cap. XIII. *An ea omnia, quæ Auguſtinus, Aurelius, Alipius, Fulgentius, aliique id genus Epiſcopi in hortis, agris, ac inſulis fundaverunt, monaſteria fuerint monaſteria Eremitarum ſeu monachorum, an clericorum.* f. 36

Cap. XIV. *Hoc ipſum probatur ex ſancto Paulino, ſancto Evodio, ac ſancto Salviano.* f. 38

Cap. XV. *Reiicitur gloſſa Gabrielis Pennotti.* fol. 39.

Cap XVI. *Hoc ipſum probatur ex variis locis libri de opere monachorum.* f. 40

Cap. XVII. *De habitu ſancti Auguſtini ac monachorum ejus.* f. 42

Cap. XVIII. *De Auguſtini caligis ac calceis.* f. 43

Cap. XIX. *De Auguſtini interula atque orario,* fol. 44

Cap. XX. *De Auguſtini Cucullo ac pallio.* f. 45

Cap. XXI. *De Auguſtini Caſula.* f. 47

Cap. XXII. *De colore habitus Auguſtiniani.* f. 47

Cap. XXIII. *De pelliceo Auguſtini cingulo.* f. 48

Cap. XXIV. *De tonſura ac barba Auguſtini.* fol. 48.

Cap. XXV. *Digreſſio quædam.* f. 51

Cap. XXVI. *Reditur ad Auguſtinianam tonſuram.* fol. 51.

Cap. XXVII *Explicatur locus ſancti Auguſtini in ſpeciem contrarius.* f. 52

Cap. XXVIII. *Quid ſit birrum.* f. 53

Cap. XXIX. *De media tunica.* f. 54

Cap. XXX. *De inſtitutione Clericorum ſeu Canonicorum Regularium.* f. 56

Cap. XXXI. *Adducta Auguſtini verba magis explicantur.* f. 59

Cap. XXXII. *De origine Africanarum Sanctimonialium.* f. 60

Cap. XXXIII. *Quare ſanctus Auguſtinus adeo acriter ſuis Sanctimonialibus inculcet, ut gerant humile capitis velamen?* f. 62

Cap. XXXIV. *De Regula ſancti Auguſtini: Quibus fuerit primo ſcripta & data?* f. 64

Cap. XXXV. *An ſermones ad fratres in Eremo ſint germanum opus ſancti Auguſtini?* f. 66

Cap. XXXVI. *Quod ſermones iſti non ſint ſancti Auguſtini, probatur ex alieno ſtylo.* f. 69

Cap. XXXVII. *Probatur hæc ipſa noſtra aſſertio ex variis iſtorum ſermonum erroribus.* f. 70

Cap. XXXVIII. *Adducuntur adhuc alii errores iſtorum ſermonum.* f. 72

Cap. XXXIX. *Adducuntur adhuc alii errores iſtorum ſermonum.* f. 74

PRODIDAGMATA
PHILOSOPHICA
TOTI PHILOSOPHIÆ PRÆAMBULA.

In quibus

Accuratè explicatur quidquid circa Terminorum ſignificationem, ſuppoſitionem, ac prædicationem poſſibile eſt deſiderari. Adeoque non ſolis Philoſophis & Theologis; ſed & Juris-peritis perutilia, ac pernéceſſaria.

Auctore

Fr. CHRISTIANO LUPO, Yprenſi, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, Quondam in Gymnaſio Bruxellenſi, modò in Conventu Colonienſi Philoſophiæ Profeſſore.

Digitized by Google

Sereniſſimo, ac Reverendiſſimo Principi,

DOMINO

MAXÆMILIANO HENRICO

UTRIUSQUE BAVARIÆ

DUCI,

COMITI PALATINO

Rheni.

SERENISSIMI, AC CLEMENTISSIMI DOMINI NOSTRI, PATRUI SUI, FERDINANDI, ARCHI-EPISCOPI, ET PRINCIPIS ELECTORIS COLONIENSIS, &c. IN ECCLESIA HILDESHEIMENSI

Illuſtris Colonienſis ad Sanctum Gereonem Collegii

PRÆPOSITO,

Metropolitanarum, ac Cathedralium Eccleſiarum Colonienſis, Magdenburgenſis, Saltzburgenſis, Monaſterienſis, Halberſtadienſis, Hildesheimenſis, Paderbornenſis, Conſtantienſis, Argentinenſis, &c.

CANONICO,

Principi prius, Re, quam Spe Magno, ac ad Sacri Romani Imperii Solamen, ac Levamen deſuper dato.

In quo

Magnificentia & Comitas, Clementia & Majeſtas, Scientia & Pietas, aliæque ſimiles Principem facientes animi dotes ſedem fixere, ac de primatu certamen iniere.

A DIVO

Divorum Avorum S. R. I. Regum, ac Cæſarum Sanguine non degeneri

NEPOTI.

Sacræ & Auguſtæ Bavaricæ Domus

AUGUSTO SEMINI,

Ac deſolatarum in Sacro Romano Imp. Eccleſiarum

FIRMISSIMÆ SPEI, &c.

Domino ſuo Clementiſſimo.

Fr. CHRISTIANUS LUPUS poſt Auguſtarum oſcula manuum, ſe ſuaque omnia

D. C. Q.

Nec non perennem felicitatem, ac felicem perennitatem, & bene inchoatæ, beneque ominatæ Juventatis ad Neſtorea aſque tempora beatam traductionem apprecatur, & exoptat.

Sereniſſime ac Reverendiſſime Princeps.

CLementiſſimam SERENITATIS TUÆ Audientiam audacter interpellat importunus hic Philoſophiæ meæ præambulo: nihil adſerens politioris culturæ, aut ornamenti; ſed multi indigens ſubſidii, ac adjumenti. Quod à quo poſtularet, aut expectaret audactiùs ac firmiùs, quàm à Reverendiſſima SERENITATIS TUÆ Clementia? Mecaſtor à Nemine. Etenim Magnificentiam, Comitatem, Prudentiam, Pietatem, Scientiam, Scientiæque amorem, aliaſque verum Principem facientes virtutes in te ſemper miratus eſt, & adſtupuit ſingulares. Nihil ſibi ſpectavit de longa per Principes, Duces, Reges, Auguſtoſque Cæſares traducta propagine: Non attendit ad Heroica, vetèque Auguſta Stemmatis Auguſti geſta: Tranſivit avitam Bavariæ Sanctimoniam, Pietatem, ejuſque ſummam, nec hactenus ſatis laudatam in Orthodoxam Eccleſiam, ac Romanum imperium Benevolentiam, ac Beneficentiam: Nihil eum inflexit Bavarorum Ducum in magna illa Lutherana Eclipſi intacta Fides, ac intemerata Religio: Non denique adſpexit magnificentiſſima ac Bavariæ Ducibus digna in Ordinem noſtrum Beneficia, S. P. Auguſtino, ejuſque Dilecto filio, Tolentinati Nicolao per univerſam

Bavariam erecta Templa, ac exſtructa Cœnobia. Hæc enim omnia ſi attendiſſet, alienorum potiùs, quam Tui, aut Tuorum admirator, & amator fuiſſet. Invenit in Te, quæ eum ſatiarent: quæque eum aliis attendere, aut alia ſuſpicere, attendi tamen & ſuſpici plus quam digna, omninò non tolerarent. Quis enim non ſtupeat in adoleſcente ætate conſtitutum Principem Aula egredi, gratas ætati iſti delicias abominari, pro futuro Sacri Romani Imperii ſubſidio duris aſſueſcere, ac in omni Scientiarum, ac ſtudiorum Circo omnibus ſe oſtendere admirabiliorem? Etenim audivimus Te, SERENISSIME PRINCEPS, in ſolennibus pulpitis perorando, ac in publicis Gymnaſiis diſſertando, Auditoribus quidem concitare ſtuporem, & acclamationem; Oratoribus verò, Philoſophis, ac Theologis invidiam, Zelum, ac æmulationem. Non immeritò ſanè de Reverendiſſima Tua Clementia ſæpè ſæpiùs cantitari audio, quod de ſimilis ſpei, ac genii Principe decantandum nobis appoſuit Poeta ingenioſus;

Siſtite natales timidi numerare Deorum:
Cæſaribus virtus contigit ante diem.

Qui talis profectò, tantuſque cum ſis, Impudentiam velim ut excuſes meam, eminentibus hiſce tuis virtutibus innoteſcere ſæpè animus meus ambiit, ſæpiùs deſideravit. Verùm quid? Homo defuit, qui me ad tam eminens, celſumque faſtigium elevaret. Adjunxi ergò me præſumptuoſo huic Philoſophiæ meæ Præambuloni. Hic etenim proprio pondere, proprioque propriæ naturæ ductu ad Clementiæ Tuæ Sereniſſimam Audientiam, Sereniſſimumque Judicium currit, omnemque alium judicem, Cenſorem, & Tutorem refugit, firmiſſimum ac tutiſſimum ſibi ſub *Clementiæ Tuæ* tutela domicilium ſine ulla hæſitatione, aut titubatione præſumens. Præſumo mecaſtor & Ego. Etenim quid ni præſumamus? Non enim accedimus Principem, qui alieno opùs habeat judicio, qui famæ credat, & fallacibus vulgi rumoribus; verùm, ut dicebat ingenioſus ille.

Pagina Judicium docti ſubitura movetur
Principis, ut Clario miſſa legenda Deo.

Itaque,

Da mihi te facilem, dederis in Cætera *vires:*
Ingenium vulta ſtatque caditque tuo.

Etenim ſi Eruditiſſimæ Tuæ Clementiæ placuero, aliis quibuſcumque placuiſſe, aut diſplicuiſſe parùm, immò nihil omninò curavero. Deus ter Opt. Max. SERENITATEM TUAM Orthodoxæ Rom. Eccleſiæ, Sacroque Romano Imperio, Sanctæ ac verè Catholicæ Bavariæ, Ordini noſtro, mihique Clientum Tuorum infimo ad Neſtorea uſque tempora ſalvam ac incolumem perpetuare dignetur.

Dabam Auguſtæ Ubiorum, 5. Februarii, 1640. ad S. Auguſtinum, In feſto Sacratiſſimæ Virginis & Martyris Agathæ.

Sereniſ. ac Reverendiſ. Clementiæ Tuæ Cliens officioſiſſimus,

Fr. CHRISTIANUS LUPUS.

Ad
Prædidagmata Philoſophia R. P. Chriſtiani Lupi.

ADvenient merces, docilis concurre Juventus,
Tutaque jam portum Puppis anhela ſubit.
Puppis anhela ſubit, Logicæ quæ prædita merce eſt:
Quam nec Plato tulit, quam nec Ariſtoteles.
At quæ triſtis hyems nigreſcis corripe vela,
Ne pereant merces, naufragiumque ferant.
MAXIMILIANE DOMUS BAVARÆ GENUINA PROPAGO,
Tende rati dextram, ſubſidioque veni.
Surgentes ſapiens compeſcas Æole Ventos:
Ipſo ne in portu prora voretur aquis.

Aliud
Ad Invidos Epigramma.

Quid laceras verum Logices canis invide dogma?
Tene remorſurum vis Lacerare Lupum?

Teſtandæ Benevolentiæ ſuæ

Per-Illuſtris ac Reverendiſſimus Dominus FRANCISCUS WILHELMUS BARO à BOCHOLT, Cathedralium Eccleſ. Hildesheimenſis, ac Halberſtadienſis reſpectivè Cuſtos, ac Canonicus, &c.

DIS-

DISPUTATIO I.

De eſſentia & objecto Prodidagmatum.

DUBIUM PRIMUM.

Quodnam ſit objectum Prodidagmatum?

1. RESpond. breviter & dico: objectum Prodidagmatum eſt congrua & legitima ſignificatio, & conſtructio vocum. Probatur: quia objectum ſcientiæ, vel artis eſt illud, circa quod ſcientia vel ars verſatur, & in cujus explicatione, vel directione occupatur; atqui prodidagmata, ſive ſint ſcientia, ſive ars, de quo ſtatim, tota occupantur in dirigenda legitima ſignificatione & conſtructione vocum; ergo legitima ſignificatio, & conſtructio vocum eſt proprium objectum prodidagmatum. Probatur minor: quia in ſummulis ſive prodidagmatis explicatur ſignificatio vocum, ſcilicet ſignificatio vocis concretæ, & abſtractæ, vocis ſimplicis & compoſitæ, vocis denominantis & denominativæ, &c. Item explicatur vocum ſuppoſitio, ampliatio, diſtractio, ſtatus, appellatio &c. Item vocum prædicatio, oppoſitio, æquipollentia, &c. Item docetur modus voces recte ſupponendi, recte ampliandi, appellandi, prædicandi, opponendi, &c. Atqui vocum ſuppoſitio, ampliatio, ſtatus, diſtractio, appellatio, prædicatio, oppoſitio, &c. ſunt vocum conſtructiones, ſunt enim conſtructionum ſpecies; ergo prodidagmata tota occupantur in dirigenda & docenda legitima vocum ſignificatione, & conſtructione. Probatur minor: quia conſtructio, ut definit Alvarez in ſua ſyntaxi, eſt legitima vocum inter ſe compoſitio; vel ut definit Deſpauterius, eſt debita dictionum in oratione ordinatio, atqui vocum ſuppoſitio, ampliatio, appellatio, &c. ſunt debitæ vocum in contextu orationis ordinationes; ergo ſunt conſtructiones, ſive ſunt ſpecies conſtructionum. Probatur minor: quia ſuppoſitio eſt poſitio vocis in contextu orationis pro ſuo ſignificato, ampliatio vocis eſt propoſitio vocis in contextu orationis ad ſignificandum ſignificatum ſuum conjungi ſubjecto pro aliqua temporis differentia per principalem propoſitionis copulam non importata, appellatio eſt applicatio ſive ordinatio ſignificati formalis unius vocis ſupra ſignificatum alterius, & ſic de aliis; atqui hæc omnia, uti evidens eſt, nihil ſunt aliud quam debitæ vocum in oratione ordinationes, & poſitiones; ergo etiam nihil ſunt aliud quam ſpecies conſtructionum.

2. *Concluſio* hæc efficaciter confirmari poteſt ex ſecunda regula antepradicamentali: quia inter genera ſubordinata quorum unum ſub alio collocatur, unum eſt ſpecies alterius; atqui conſtructio & ſuppoſitio ſunt genera ſubordinata; ergo unum eſt ſpecies alterius; ergo vel ſuppoſitio eſt ſpecies conſtructionis, vel conſtructio eſt ſpecies ſuppoſitionis; atqui conſtructio non poteſt eſſe ſpecies ſuppoſitionis, multæ enim ſunt conſtructiones, quæ tamen conſtat non eſſe ſuppoſitiones; ergo neceſſario ſuppoſitio eſt ſpecies conſtructionis. *Probatur minor:* quia genera ſubordinata ſunt quæ ſub ſe habent aliquas communes ſpecies, aliquaſque communes differentias; atqui conſtructio & ſuppoſitio habent ſub ſe aliquas communes ſpecies; ergo ſunt genera ſubordinata. *Probatur minor*: quia metaphora, catachreſis, ſynecdoche, allegoria, omneſque alii tropi, ac multæ figuræ rhetoricæ ſunt ſimul conſtructiones, & ſuppoſitiones; ergo conſtructio & ſuppoſitio habent aliquas communes ſpecies. Quod conſtructiones ſint, manifeſtum eſt, nec ullus ſapiens negabit: ſunt etenim debitæ & ornatæ dictionum in oratione ordinationes: quod etiam ſuppoſitiones ſint, *facile probatur*, quia ſuppoſitio eſt poſitio vocis in contextu orationis pro ſuo ſignificato; atqui metaphora, allegoria, catachreſis, &c. ſunt poſitiones vocum in contextu orationis pro aliquo ſuo ſignificato; ergo ſunt ſuppoſitiones. *Probatur minor*: quia metaphora eſt translatio vocis à ſignificato proprio ad improprium, catachreſis eſt translatio vocis à ſignificato proprio ad alienum, &c. Atqui hoc nihil eſt aliud, quam poſitio ſeu uſurpatio vocis pro ſignificato improprio, vel alieno; ergo iſta præfata ſunt poſitiones vocum in orationis contextu pro aliquo ſuo ſignificato; & ſic ſunt ſuppoſitiones, ſimul & conſtructiones, ac per conſequens ſuppoſitio & conſtructio habent aliquas communes ſpecies, & ſunt genera ſubordinata.

3. *Objicies* I. Prodidagmata agunt de prædicationibus & modis ſciendi, atqui prædicationes & modi ſciendi non ſunt voces, neque vocum conſtructiones, ſed ſunt operationes intel-

tellectus, ergo Prodidagmata non agunt de vocum conſtructionibus ſed de mentia operationibus. Probatur min. quia prædicatio eſt affirmatio vel negatio unius de alio, item modi ſciendi ſunt defiuitio, diviſio, & demonſtratio, atqui hæc omnia non ſunt conſtructiones, ſed mentis operationes, uti clarum eſt, ergo Prodidagmata de his agentia non agunt de conſtroctionibus. *Reſp. diſt. mai.* Prodidagmata agunt de prædicationibus, & modis ſciendi mentalibus, ſic nego, agunt de modis ſciendi, & prædicationibus vocalibus, ſic concedo; quo poſito corruit minor cum conſequentia, quod verò Prodidagmata ſolummodo agant de prædi cationibus, ac modis ſciendi vocalibus, *facile probatur*: quia Prodidagmata agunt de prædicatione quæ conſtat extremis concretis, & extremis abſtractis, agunt de prædicatione in quid, & prædicatione in quale, de prædicatione ſubſtantiva & adjectiva, &c. Atqui hæ omnes prædicationes nou ſunt prædicationes mentales, ſed vocales, non enim conceptus concreti vel abſtracti, ſubſtantivi vel adiectivi, iu quid vel in quale prædicabiles ſunt, ſed ſolæ voces, & ſola nomina ſunt talia, ergo prodidagmata non agunt de mentalibus, ſed de ſolis prædicationibus, ac modis ſciendi vocalibus, atqoi prædicationes, & modi ſciendi vocales ſunt conſtruſtiones, ergo prodidagmata agunt de conſtructionibus: patet ſubſumpt. qnia omnis oratio vocalis eſt conſtroctio, atqui prædicatio, & modus ſciendi vocales ſunt orationes vocales, ergo ſunt conſtructiones.

4. *Petes* an objectom Prodidagmatum ſit ipſa entitas, an verò legitima ſignificatio & conſtructio vocum? *Reſp.* primo, entitatem vocum, & conſtructionem vocum eſſe duo planè diverſa & realiter diſtincta, *ratio eſt*: quia entitas vocum eſt qualitas quædam miniſterio oris & linguæ in aere producta & dearticulata, quam qualitatem phyſici vocant ſonum, at verò conſtructio vocum eſt earum debita poſitio & ordinatio in contextu orationis, atqui hæc duo ſunt duo realiter diſtincta, ergo entitas vocis, & conſtructio vocis ſunt duo realiter diſtincta. *Probatur min.* quia poſitio ſive ordinatio vocis in contextu orationis dicit duo; nimirum vocis productionem ſeu dearticulationem, & actum voluntatis vocem dearticulatam pro ſuo ſignificato ſupponentis, & ad ſignificatum ſuum ſignificandum ordinantia, atqui tam vocis productio, quam illius à voluntate ad ſignificandum ordinatio, ab entitate vocis realiter diſtincta ſunt, uti evidens eſt, ergo ſimiliter entitas vocis, & conſtructio vocis realiter diſtincta ſunt. Vide quæ dicam infra de ſuppoſitione, ſpero enim fore, ut dicam tibi aliquid pulchri, quod hacteous non ſciviſti.

5. *Reſp* ſecnndo objectum Prodidagmatum non eſſe entitatem vocum, hujus enim conſideratio ad ſcientiam de anima ſpectat; ſed eſſe vocum legitimam conſtructionem, ratio eſt; quia cognitio Prodidagmatum non eſt ſpeculativa, ſed tota practica & directiva, ergo ejus objectum non poteſt eſſe entitatis, ſed conſtructio vocum. *Probatur conſeq.* quia cognitiones practicæ pro objecto ſuo non habent rem circa quam operantur; ſed operationem ipſam qua operantur circa rem illam, quamque dirigunt, & rectè fieri docent, v. g. ars ædificandi pro objecto non habet domum quæ ædificatur, ſed ipſam domus ædificationem, ars equitandi pro objecto non habet equum qui equitatur, ſed ipſam equitationem, ars arandi non habet pro objecto terram quæ aratur, ſed terræ arationem. Logica quæ eſt ſcientia ratiocinandi non habet pro objecto objecta circa quæ ratiocinamur, ſed ipſam ratiocinationem, &c. Atqui cognitio prodidagmatum eſt cognitio practica, ergo pro ſuo objecto non debet habere ipſam vocem circa quam operatur, ſed operationem ipſam qua circa vocem operatur, quamque dirigit, & fieri docet; atqui operatio quam cognitio prodidagmatum dirigit, eſt legitima vocum conſtructio & ſignificatio, ergo hæc eſt legitimum objectum prodidagmatum. Ratio majoris eſt; quia objectum cognitionis practicæ debet eſſe praxis, atqui praxis eſt aliqua operatio, eſt quippe operatio facta juxta dictamen & regulamen cognitionis practicæ, ergo cognitio practica pro objecto debet habere aliquam operationem, ſed de hoc ſemel alias.

DUBIUM II.

An cognitio prodidagmatum ſit ſcientia, vel ars? & quæ?

6. RESp. & dico primo: cognitio prodidagmatum eſt ars, & non ſcientia. Probatur: quia ſcientia practica eſt cognitio directiva actuum internorum, ita Logica & Ethica ſunt ſcientiæ, quia Logica actus internos intellectus, Ethica actus internos voluntatis dirigit; ars verò eſt cognitio directiva actuum externorum, ut ars pingendi, ars equitandi, ars ſaltandi, &c. Atqui cognitio prodidagmatum non eſt directiva actuum internorum mentis, ſed externorum corporis, ergo eſt ars, & non ſcientia. Probatur min. quia cognitio prodidagmatum eſt cognitio directiva conſtructionom, ſuppoſitionum, ampliationum, &c. Atqui conſtructio, ſuppoſitio, ampliatio, &c. non ſunt actiones internæ mentis, ſed ſunt actiones externæ corporis, ſunt enim actiones linguæ, ergo cognitio prodidagmatum eſt cognitio directiva actuum externorum. Patet minor: quia conſtructio, ſuppoſitio, ampliatio, &c. ſunt poſitio vocis in contexto orationis, atqoi poſitio vocis in contextu orationis eſt actio linguæ, eſt enim nihil aliud quam productio & dearticulatio vocis cum ordinatione ejus ad ſignificandum ſuum ſignificatum, ut cæperam dicere dub. præced. ergo conſtructio, ſuppoſitio, ampliatio, &c. ſunt actiones linguæ, & corporis.

7. *Objicies* primo: ſcientia practica, uti dictum eſt, eſt cognitio directiva actuum internorum mentis, atqui cognitio prodidagmatum eſt talis, ergo eſt ſcientia, non verò ars. Probatur minor: quia cognitio prodidagmatum non ſolum dirigit potentiam executivam linguæ ad conſtructionem formandam, & exequendam, ſed

etiam

Digitized by Google

etiam dirigit voluntatem ad conſtructionem imperandam, & intellectum ad conſtructionem legitime ordinandam, intellectus enim conſtructionem ordinat, voluntas imperat, lingua exequitur, & format. Oportet quippe philoſophari de directione conſtructionis, ſicut philoſophamur de directione ædificationis; atqui regulæ architectonicæ non ſolum dirigunt potentiam executivam io ædificatione exequenda, ſed etiam dirigunt voluntatem in ædificatione recte imperanda, & intellectum in illa recte ordinanda, ergo ſimiliter regulæ ſummoliſticæ dirigere debent non ſolum conſtructionem, ſed inſuper illius imperium, & ordinationem; atqui conſtructionis ordinatio, & imperium ſunt actus intellectus & voluntatis, ergo cognitio prodidagmatum eſt cognitio directiva actuum internorum mentis.

8. *Reſp.* Concedendo totum præter conſeq. primi ſyllogiſmi, vel potius præter illius majorem, quæ diſtingui debet hoc modo: omnis illa cognitio quæ eſt directiva actuum internorum mentis tantum, eſt ſcientia & non ars, ſic concedo: omnis illa cognitio quæ eſt directiva actoum internorum ſimul & externorum, eſt ſcientia & non ars, ſic nego; & dico tales cognitiones directivas eſſe artes, non verò ſcientias: & per conſequens cum cognitio prodidagmatum ſit talis cognitio, erit ars, non verò ſcientia, oportet ergo bene percipere differentiam ſcientiæ practicæ ab arte; hæc enim duo partim inter ſe conveniunt, partim diſconveniunt: primo enim covenionr quod utraqoe ſit cognitio directiva, ſecundo quod utraque ſit cognitio directiva actoum internorum mentis; diſconveniunt vero, quod ſcientia practica ſit cognitio directiva ſolorum actuom internorum, quodqoe directio ejus ſiſtat in actibus internis, neque ſe protendat ad dirigendos actus externos: verbi gratia, Logica & Ethica ſunt ſcientiæ practicæ, quia earum officium ſolummodo eſt rectificare & dirigere internas intellectiones & volitiones, & gubernamini actuum externorum ſe non implicant, nec immiſcent; at verò ars debet eſſe cognitio directiva actuum internorum & externorum ſimul, ſive debet eſſe cognitio cujus directio non ſiſtit in actibus internis, ſed ſe extendit ad actus externos, quos etiam gubernat, dirigit, rectèque fieri docet: verbi gratia, cognitio architectonica eſt ars, & non ſcientia; qoia ejus officium eſt dirigare non ſolummodo intellectum in ædificio bene concipiendo, & ordinando, ac voluntatem in ædificio bene imperando, ſed inſuper potentias executivas in ædificio bene conſtruendo & formando: adeoque ejus directio non ſiſtit intra actus internos mentis, ſed ſe protendit uſqoe ad actus externos corporis. Unde ego artem & ſcientiam practicam hoc modo definire ſoleo: Ars eſt cognitio cujus finis eſt externa factio; ſcientia ſpeculativa eſt cognitio cujus finis eſt nuda rei contemplatio; ſcientia practica eſt cognitio cujus finis eſt interna operatio: cum ergo cognitio prodidagmatum pro fine habeat externam vocum conſtructionem, erit vera ars, non autem ſcientia.

9. *Objicies* ſecundo: cognitio prodidagmatum eſt pars Logicæ, atqui Logica non eſt ars, ſed vera ſcientia, habetque pro objecto non conſtructiones, ſed mentis internas operationes, ergo ſimiliter cognitio prodidagmatom eſt vera ſcientia. *Probatur maj.* quia quidquid docetur in Logica eſt pars logicæ, atqui Prodidagmata docentur in logica, ergo ſunt pars logicæ. *Reſp. neg. maj. utriuſque ſyllogiſmi*; prodidagmata enim ſi pars logicæ forent, ineptiſſime vocarentur Prodidagmata; nam *Prodidagmata* idem ſonat, quod *ante documenta*, quaſi dicas documenta quædam traditu neceſſaria antequam tradantur documenta Logica; ſunt ergo Prodidagmata, ut ſtatim dicam, pars grammaticæ, tradontur tamen in logica, & omittuntur in grammatica, quia continent quædam docomenta philoſophiæ addiſcendæ plane neceſſaria, & difficilia nimis, qoam ut à pueris grammaticæ ſtudentibus capiantur.

10. *Objicies* tertio: ars debet eſſe cognitio practica, atqui cognitio Prodidagmatom pro magna ſui parte eſt pure ſpeculativa, ergo malè dicitur eſſe ars. *Probatur min.* qoia in Prodidagmatis tractatur qoid ſit vox, quid ſignificatio vocis, quomodo ſignificatio à voce diſtinguatur, quid ſit ſuppoſitio, an ſit actus intellectus, an voluntatis, &c. Atqui hæc omnia ſunt pure ſpeculativa, ergo cognitio Prodidagmatum non eſt practica. *Reſp. neg. min.* ad probationem dico, illa omnia quidem tractari in Prodidgamatibus, ſed præpoſterè & extra ordinem, ac proprium ſuum locum; eorum enim locus proprius in phyſica in libris de anima eſt: *ratio eſt*, qoia cognitio ſpeculativa qualitatum corporearum, & actuum intellectus ac voluntatis humanæ ad phyſicam ſpectant, atqui vox eſt qualitas corporea, ſignificatio verò actualis eſt actus intellectus, ſignificatio aptitudinalis vel eſt ipſa vox, vel actus voluntatis, ut infra dicam, ſuppoſitio, ampliatio, appellatio, &c. Sont actiones corporeæ nimirum productio ſeu dearticulatio vocis, ſimul com actu voluntatis ordinantis vocem dearticulatam ad ſignificandum ſuum ſignificatum, uti etiam ſuo loco & tempore dicam, ergo horum omnium ſpecolativa cognitio non ad Prodidagmata, ſed ad phyſicam in libris de anima ſpectat.

11. *Et ratio* ulterior, ac magis à priori eſt: quia artes & ſcientiæ practicæ de objecto ſuo numquam docent quid ſit, ſed ſolummodo quomodo faciendum ſit; verbi gratia, Logica non docet quid ſit ſyllogiſmus, quid ſit argumentatio, quid ſit propoſitio, &c. Sed ſolum quomodo hæc facienda & efformanda ſint; item ars architectonica non docet quid ſit ædificatio, nec ars cytharizandi quid ſit cytharizatio, neque ars arandi quid ſit aratio, &c. Sed ſolum docent modum has actiones rectè faciendi, & exercendi; earum vero cognitionem ſpeculativam, ſive definitionem præſupponont & mutuantur ab aliis ſcientiis; atqui cognitio Prodidagmatum eſt ars, & cognitio practica, ergo illa non debet tradere quid ſit vox, quid ſignificatio, quid Prædicatio vocalis, quid ſup-

ſuppoſitio, quid appellatio, &c. Sed hæc omnia præſupponere & mutuare debet ex alia ſcientia, nimirum ex phyſica, ad quam horum omnium ſpeculativa cognitio propriè pertinet, ſolummodoquè docere debet modum hæc omnia recte faciendi & efformandi. *Ratio majoris eſt*, quia nemo poteſt mittere falcem in meſſem alienam, nemo poteſt ſe intermiſcere officio alieno, & ut habet regula Juris, *nemo poteſt egredi fines mandati ſibi facti, nam extra territorium, aut extra officium jus dicenti non paretur impunè*, atqui territorium, mandatum, ac officium cognitionis practicæ non eſt ſpeculari quid objectum ſuum ſit, ſed ſolummodo docere modum quomodo faciendum ſit, ergo cognitiones practicæ nunquam docent quid objectum ſuum ſit, ſed ſolummodo quomodo faciendum ſit.

12. *Inſtabis*, hoc eſt anti-Porphyrium agere, & totam ſcholam fuſtigare, nam omnes ſummuliſtæ, quotquot hactenus fuerunt, in ſuis ſummulis ſive Prodidagmatis, docuerunt quid ſit vox, quid ſignificatio, quid prædicatio, &c. Ergo vel omnes malè fecerunt, vel hæ veritates ſpeculativæ per ſe ſpectant ad objectum Prodidagmatum. *Reg. neg. mai.* nolo enim à communi via recedere, ſed dico ſummuliſtas in ſuis ſummulis legitimè ac ordinatè explicare iſtas veritates ſpeculativas, ſicut & ego illas explicaturus ſum; dico ergo ſolummodo ſummuliſtas de his veritatibus non agere ea proprio ſuo munere & officio, tamquam de ſuo proprio & per ſe objecto, ſed agere de illis tanquam objecto alieno, ex munere & officio alieno ſibi in hac parte conceſſo, delegato, & mutuato; cum enim ſummuliſtæ non poſſint facere officium ſuum, ſcilicet docere modum faciendi, ſuppoſitiones, appellationes, &c. niſi primo doceant, ac ſupponant quid ſint, ſuppoſitio, prædicatio, appellatio, &c. adeoque niſi ſe immiſceant objecto, & officio alieno, phyſicæ nimirum, aut cujuſcumque alterius ſcientiæ; ut officio proprio bene fungi, propriumque objectum adæquatè explicare poſſint, mutuantur, & accipiunt ſibi delegatam partem officii alieni, quantum abſolutæ proprii officii functioni ſatis eſt, ac neceſſarium. Fit quippe inter ſcientias, ſicuti fit inter homines: ſicut ergo ſi certo quodam caſu ſereniſſimus noſter Archiepiſcopus Colonienſis non poſſet commode fungi juriſdictione ſua propria, niſi ſe aliquatenus immiſcendo juriſdictioni Trevirenſi, vel Moguntinæ, profecto nec Trevirenſis, nec Moguntinus Archiepiſcopus tam juriſdictionis ſuæ avarus foret, quin libentiſſimè illius partem ſereniſſimo noſtro principi delegaret: ita etiam inter ſcientias, ubi una nequit perfectè exponere objectum ſuum, niſi aliquatenus ſe immiſcendo objecto alterius, illa altera neque tam inculta, neque tam inhumana eſt, quin hoc libentiſſimè indulgeat, & officium ſuum hac in parte deleget.

13. *Dico* ſecundo, Cognitio Prodidagmatum, ſive ars ſummuliſtica eſt pars grammaticæ: in hac concluſione non eſt multum immorandum, ſequitur enim manifeſtè ex dictis; habet autem duas partes, ſcilicet quod ars ſummuliſtica ſit ars grammaticalis, & quod ſit ars grammaticalis, non totalis, ſed ſolum partialis, ſive quod ſit ſolum pars artis grammaticalis. Prima pars probatur: quia omnis ars directiva conſtructionum eſt ars grammaticalis, atqui ars ſummuliſtica eſt ars directiva conſtructionum, ergo eſt ars grammaticalis. Probatur etiam ſecunda pars: quia grammatica totalis eſt ars dirigens non ſolas vocum conſtructiones, ſed inſuper vocum genera, declinationes, conjugationes, quantitatem, accentum, &c. Atqui ars ſummuliſtica non dirigit hæc omnia, ſed ſolummodo quaſdam difficiliores ſpecies conſtructionum, ergo non eſt grammatica totalis, ſed ſolummodo partialis.

DISPUTATIO II.

De ſigno, & ſignificatione in communi.

DUBIUM PRIMUM.

Quid ſit ſignum in Communi?

1. HÆc vox, Signum, vox æquivoca eſt, habens multas, ac planè diverſas ſignificationes. Primo, ergo aliquando ſumitur pro conſtellatione cœleſti, ita dicimus eſſe duodecim ſigna Zodiaci, & quadraginta octo ſigna cœleſtia, id eſt 48. conſtellationes: in hac ſignificatione loquitur poeta, primo faſt.

Tempora cum cauſſis Latium digeſta per annum.
Lapſaque ſub terras, ortaque ſigna canam.

Secundo, aliquando ſumitur pro vexillo militari, in qua ſignificatione loquitur idem ille lib. primo de arte.

Parthe dabis pænas, Craſſi gaudete ſepulti,
Signaque barbaricas non bene paſſa manus.

Tertio, quandoque ſumitur pro macula vel defectu, aut aliqua diſtortione corporali; ita in adagium tranſiit, *cave tibi à ſignatis*, aliaſque varias habet ſignificationes, quarum illa ſola ad rem, ac propoſitum noſtrum facit, qua ſumitur pro ſignificativo, ſive pro re quæ ducit potentiam cognoſcitivam in cognitionem alterius rei.

2. Sed & hæc ſignificatio vocis, Signum, adhuc varia eſt, cum variis enim temporibus etiam facta eſt varia; primo quippe ſigna vocabantur illæ ſolummodo res, quæ materiales erant, & percipiebantur aliquo ſenſu externo, & mediante ſui cognitione ſenſitiva deducebant intellectum in cognitionem alicujus alterius rei à ſe diſtinctæ, ita fumus, voces, ſcripturæ, ſonus, campanæ, & tympani erant ſigna, & de his ſignis format ſanctus Auguſtinus ſuas definitiones, alteram lib. de principiis dialecticæ, & lib. 2. de doctrina chriſtiana: *ſignum eſt id quod præter ſpeciem, quam ſenſibus ingerit, aliquid aliud facit in cognitionem venire*; alteram lib. de ordine: *ſignum eſt id quod ſeipſum ſenſui, & aliquid aliud animo repræſentat*. Deinde verò creſcente rerum uſu ac experientia adverterunt homines, non ſo-

lum

ſum res ſenſibiles & materiales eſſe tales, quæ mediante ſui cognitione deducerent intellectum in cognitionem alicujus alterius; ſed etiam id competere quibusdam rebus ſpiritualibus: ſicut enim inviſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt viſibilia, ita & per ea quæ facta ſunt inviſibilia, intellecta conſpiciuntur: idque multò melius & diſtinctius, item ſicut nos deducimur in cognitionem & communicationem mutuorum conceptuum per ſonos, ac ſigna ſenſibilia; ita in multorum theologorum ſententia angeli in mutuam conceptuum communicationem deveniunt per verba & ſigna quædam intelligibilia, hoc inquam homines advertentes ſignificationem vocis *ſignum* extenderunt; omneque illud ſignum vocitare cœperunt, quod mediante ſui cognitione deducebat intellectum in cognitionem alterius, ſive interim materiale & ſenſibile, ſive ſpiritnale, ac Intelligibile foret.

3 Sed & poſteri hiſce ſuis parentibus adhuc perſpicaciores, advertere cæperunt quaſdam eſſe res, quæ potentias cognoſcitivas deducerent in notitiam alterius, non ſolum cognitione ſui mediante, ſed etiam ſine cognitione ſui mediante; nam ſpecies & actus intellectus intellectum, ſpecies viſibiles ac viſiones viſum deducunt in cognitionem ſuorum objectorum, abſque eo quod ipſæ cognoſcantur, ſive cognitione ſui non mediante: ideò ſignificationem vocis, *ſignum*, adhuc magis ampliarunt, omneque illud ſignum appellarunt, quod deducit potentiam aliquam cognoſcitivam in cognitionem alicujus à ſe diſtincti: ſive interim hoc faciat cognitione ſui mediante, ſive non, ſive ſit materiale, ſive ſpirituale, &c. Itaque ſignum in communi hoc modo definies: *ſignum eſt aliqua res, quæ potentiam cognoſcitivam deducit in cognitionem alicujus alterius rei à ſe diſtinctæ*. Neque mirari debes ita cum tempore variatam ac ampliatam vocis, *ſignum*, ſignificationem; ſed in mentem reducere antiquum illud Horatii vaticinium,

> *Multa renaſcentur, quæ nunc cecidere, cadentque.*
> *Quæ nunc ſunt in honore vocabula, cum volet uſus.*

4. Non dixi in definitione: *ſignum eſt id quod potentiam intellectivam*; *ſed eſt id quod potentiam cognoſcitivam*: oportet namque in definitione ſigni in genere ita generaliter loqui: nam ſi dicerem, eſt id quod potentiam intellectivam, &c. definitio non foret convertibilis cum ſuo definito: *ratio eſt:* quia ſunt multa ſigna, quæ ſunt vere ſigna, & tamen non deducunt potentiam intellectivam; ſed ſolùm aliquam potentiam ſenſitivam externam vel internam in cognitionem alicujus alterius: qualia ſunt omnes ſpecies impreſſæ & expreſſæ, tam ſenſus externi, quam interni, ut infra latius dicam; ergo, ſi diceretur in definitione, *ſignum eſt id quod potentiam intellectivam, &c.* Definitio non comprehenderet omnia ſigna; & ſic non foret convertibilis cum ſuo definito.

5. *Dixi* præterea in definitione, *ſignum eſſe id quod deducit in cognitionem alicujus alterius à ſe diſtincti:* Hæc enim eſt differentia inter *ſignificare* & *repræſentare*; *repræſentare* namque eſt potentiæ cognoſcitivæ aliud exhibere cognoſcendum, ſive eſt potentiam cognoſcitivam deducere in alicujus cognitionem, ſive ſuiipſius, ſive alicujus alterius; ita fumus ignem, & vox *homo* naturam humanam repræſentat; item Eſſentia divina, quæ immediatè per ſe ſine ſpecie intermedia beato ſe manifeſtat: item objecta tactus, guſtus, & odoratus, quæ immediatè per ſe ſine ſpecie intermedia potentias iſtas ad operandum excitant: ſeſe illis cognoſcitivis potentiis repræſentant; *& ratio eſt:* quia repræſentare potentiæ cognoſcitivæ eſt aliquid potentiæ cognoſcitivæ præſens facere, illique exhibere cognoſcendum, atqui omnia illa præfata objecta ſemetipſa potentiæ cognoſcitivæ præſentia faciunt, & cognoſcenda exhibent; ergo ſemetipſa repræſentant: & ſic poteſt idem repræſentare ſeipſum; at verò *ſignificativum eſt* ſpecies *repræſentativi*, & *τὸ ſignificare* eſt ſpecies *τοῦ repræſentare*, ſuperadditque illi realem diſtinctionem repræſentati à repræſentante: eſtque nihil aliud, quam potentiam cognoſcitivam deducere in cognitionem alicujus alterius à ſe diſtincti; nequit ergo idem ſignificare ſeipſum, uti poteſt repræſentare, ſed ſemper ſignum debet eſſe realiter diſtinctum à ſuo ſignificato; cujus rationem ne ſcrupuloſius inveſtigaveris: nullam enim invenies præter uſum doctorum, & auctoritatem ſcholæ; à quibus ſine urgentiſſima ratione nunquam eſt facilè recedendum.

6. *Objicies* primò: ſi *Julius Cæſar*, aut *Pompejus* in propria perſona prodiret in theatrum, ibique gereret bella fictè, antea à ſe geſta verè, tunc *Julius Cæſar* ſignificaret ſeipſum; ergo non repugnat idem ſignificare ſeipſum *Probatur antec.* quia *Titius* vel *Sempronius* agens in theatro *Julium Cæſarem*, ſignificat *Julium Cæſarem*; ergo etiam *Julius Cæſar* agens ſeipſum, ſignificaret ſeipſum, quid enim de eſt? argumentum hoc magni fit à *Chriſtophoro Schiblero* hæretico Marpurgenſi. *Reſp. neg. antec. & conſeq. probationis*: & dico iſto caſu *Julio Cæſari* ad ſignificandum ſeipſum defuturam realem diſtinctionem à ſeipſo; adeoque tunc *Julium Cæſarem* non ſignificaturum *Julium Cæſarem*, ſed actiones à *Julio Cæſare* modò exercitas in theatro ſignificaturas eſſe actiones ab illo quondam exercitas in foro, bello, ſenatu, &c. Inter has enim eſt diſtinctio realis, adeoque ſufficiens proportio, ut illæ ſint ſignum, & hæ ſignificatum.

7. *Objicies* ſecundo: hæc vox, *nomen*, ſignificat ſeipſam; ergo poteſt idem ſignificare ſeipſum. *Probatur antecedens*: quia vox, *nomen*, ſignificat nomen in communi, & etiam omnia nomina in particulari; atqui hæc vox, *nomen*, eſt aliquod nomen in particulari; ergo ſignificat ſeipſam. *Ad hoc argumentum diſtinguitur ordinariè antecedens*: vox, *nomen*, ſignificat ſeipſam primariò, ſic eſt falſum: ſignificat ſeipſam ſecundariò, ſic eſt verum, hoc autem non eſt abſurdum;

dum;

Digitized by Google

dum; quia cum dicunt philoſophi ſignum debere diſtingui à ſuo ſignificato, intelligunt de ſignificato primario, non verò de ſecundario, quod cum ſigno identificatum eſſe poteſt. *Sed hæc reſponſio mihi nullatenus placet, ob hanc rationem*: quia ſignum debet eſſe realiter diſtinctum tam à ſuo ſecundario, quam primario ſignificato, ergo vox, *nomen*, nequidem poteſt ſignificare ſeipſum ſecundariò. *Probatur antec.* quia ſignum debet realiter diſtingui ab omni ſuo ſignificato vero, atqui ſignificatum ſigni ſecundarium eſt ſignificatum verum, neque enim illa particula, *ſecundarium*, vocem, *ſignificatum*, alienat aut diminuit, ergo ſignum debet diſtingui realiter etiam à ſuo ſignificato ſecundario; *& confirmatur*: quia ſignificatum primarium, & ſecundarium conveniunt univocè in ratione ſignificati, ut facilè deduces ex principiis, quæ infra tradam de voce univoca, cur ergò ſecundarium minus à ſigno diſtinguis, quam primarium?

8. *Reſp. ergò negando antec.* ad probationem dico verum eſſe, quod vox, *nomen*, ſignificet primariò naturam nominis in communi, & ſecundariò omnia nomina in particulari, ad eum modum, quo vox, *homo*, ſignificat primariò naturam hominis in communi, & ſecundariò omnes homines in particulari. Addo tamen vocem, *nomen*, ſignificare omnia nomina in particulari præter ſe, quia cum ſeipſa, vel potius à ſeipſa non habet diſtinctionem realem, quæ eſt conditio & proportio eſſentialiter requiſita inter ſignum & ſignificatum; adeoquè dico illam vocem, *nomen*, neque primariò, neque ſecundariò ſignificare ſeipſam. *Neque hoc quid miri aut novi eſt*: nam, uti fatebuntur omnes, conceptus quo concipio conceptum in communi, ſignificat primariò naturam conceptus in communi, ac ſecundariò omnes conceptus in particulari, excepto tamen ſeipſo, ergò ſimiliter illa vox, *nomen*, ſignificabit omnia nomina in particulari, excepta tamen ſeipſa. *Probatur antec.* quia conceptus omnia & ſola illa ſignificat, quæ concipit, atqui conceptus, quo concipio conceptum in communi, non concipit ſeipſum, eſt quippe in ſchola moderna quaſi canonizatum, nullum dari poſſe conceptum creatum naturalem, qui ſit conceptus ſui ipſius, ergò neque conceptus ille ſignificabit ſeipſum: & ſic neque vox, *nomen*, ſeipſam ſignificare poterit. *Dixi conceptum naturalem creatum*: quia de conceptibus ſupernaturalibus, ver. gr. de viſione beatifica aliqui philoſophantur aliter, dicuntque illam etiam eſſe viſionem ſui ipſius, ſed huic negotio ego me hic non immiſceo.

9. *Inſtabis*: hæc vox, *nomen*, in ſingulari non diſtinguitur realiter à natura nominis in communi, atqui ſecundum nos, vox, *nomen*, in ſingulari eſt ſignum, natura verò nominis in communi eſt ejus primarium ſignificatum, ergò ſignum non debet diſtingui à ſuo ſignificato, nequidem primario. *Probatur maj.* quia vox hæc, *nomen*, in ſingulari habet ſe ad naturam nominis in communi, ſicut quodcunque ſingulare habet ſe ad naturam ſuam univerſalem, atqui natura univerſalis non diſtinguitur realiter à ſuis individuis, ut apud omnes metaphyſicos certum eſt, ergo hæc vox *nomen*, in ſingulari non differt realiter à natura nominis in communi. *Reſp. neg. maj. & diſt. min. probationis*. Secundum metaphyſicos natura univerſalis à ſuis individuis non diſtinguitur realiter adæquatè, *ſic concedo*. Non diſtinguitur realiter inadæquatè, ſicut totum à ſua parte, *ſic nego*. Univerſale enim reſpectu ſuorum inferiorum quoddam totum eſt, & inferiora ſunt ejus partes: unde inter univerſale & inferiora ejus eſt diſtinctio talis, qualis eſt inter totum & partes: ſcilicet realis inadæquata; quæ ſufficiens eſt ad fundandam proportionem ſigni & ſignificati, quandoquidem ſufficiens ſic ad fundandam proportionem cauſæ & cauſati.

10. Pro quo ex Metaphyſica vel Logica ſupponendum eſt; naturam univerſalem nihil eſſe aliud, quam aggregatum omnium ſuorum inferiorum, quatenus uno conceptu confuſo, & inadæquato, ac uti vocant, abſtractivo concipiuntur. ver. gr. animal in communi nihil eſt aliud, quam omnia animalia ſimul ſumpta, quatenus inadæquatè concipiuntur ſine differentiis ſuis ſpecificantibus, ac individuantibus, ſecundum quod conveniunt in ratione ſenſandi, homo in communi nihil eſt aliud, quam aggregatum Petri, Pauli, Joannis, aliorumque omnium individuorum humanorum, quatenus concipiuntur ſine ſuis differentiis individuantibus, ſecundum quod conveniunt in ratione ſenſandi ſimul & ratiocinandi: inferius verò tantum eſt unica iſtius aggregati pars: differt ergò natura communis à ſuis inferioribus ſicut differt cumulus lapidum à ſingulis cumuli lapidibus, & differunt ſingula inferiora à natura communi & univerſali, ſicut ſinguli lapides differunt à toto cumulo; ſcilicet realiter inadæquatè; ſed de his plura dicam in meo Anti-Porphyrio.

11. Pro plenè ac exactè intelligenda definitione ſigni adhuc hoc adverte, ſignum eſſe concretum quoddam accidentale, ſicuti ſunt *album*, *dulce*, *doctum*, &c. cujus ſignificatum materiale ſive rectum eſt res illa, quæ ſignificat; ſignificatum verò obliquum ac formale eſt ſignificatio aptitudinalis, ſive potentia ſignificandi, ut ex decurſu hujus diſputationis infra patebit; oportet ergò philoſophari de definitione ſigni, ſicut philoſophamur de definitione albi, ſimiliumque concretorum accidentalium. Primo ergò, ſicut in definitione Albi non eſt quærere verum genus & differentiam, ſed ſolum ſubiectum formæ principaliter definitæ poſitum loco generis, tales enim definitiones ſunt definitiones per additamentum, ita neque in definitione ſigni. Secundò ſicut in definitione Albi, quæ eſt hæc: *album eſt corpus diſgregativum viſus*, CORPUS, quod eſt ſubjectum albedinis principaliter definitæ, ponitur loco generis; ita etiam in hac definitione ſigni: *ſignum eſt id, ſive eſt res illa, quæ potentiæ cognoſcitivæ aliquid à ſe diſtinctum repræſentat*, res illa, quæ eſt ſubjectum ſignificationis aptitudinalis principaliter definitæ, ponitur in locum generis. Tertiò ſicut in definitione albi diſtinguimus definitum totale, & definitum partiale; ac definitum partiale ſub-

ſubdiſtinguimus in definitum rectum ſeu materiale, & in obliquum, formale, ſeu principale: ita etiam diſtinguere oportet in hac definitione ſigni. Quartò ſicut in definitione albi definitum materiale ſive rectum eſt *corpus* ſecundum ſe, definitum formale, obliquum, ſeu principale eſt albedo ſecundum ſe; definitum verò totale non eſt ſolum corpus, nec ſola albedo, ſed corpus prout habens albedinem: ita ſimiliter in definitione ſigni, definitum formale eſt ſola ſignificatio aptudinalis, definitum materiale eſt ſola illa res, quæ ſignificationem habet; definitum verò totale eſt res quatenus ſubſtans, ac quatenus habens ſignificationem aptitudinalem, quæ omnia latius proſequar & exponam in Logica circa definitionem Univerſalis.

DUBIUM II.

Quid ſit ſignificatum? quid ſignificatio?

12. SIcut ſignum eſt res rem aliam potentiæ cognoſcitivæ repræſentans, ita ſignificatum eſt res per aliam rem potentiæ cognoſcitivæ repræſentata. ver. gr. vox *homo* eſt ſignum; fumus, pulſus campanæ, & ſimilia, ſunt ſigna, at verò natura humana, ignis, & facienda lectio, ſunt iſtorum ſignorum ſignificata: ſunt enim res, quæ per iſta ſigna nobis repræſentantur, ac cognoſcenda exhibentur, ſunt verò ſignum & ſignificatum duo concreta; ideoque duplex ſignificatum habent; ſcilicet formale & materiale. Significatum eorum materiale eſt res illa, quæ ſignificat, & illa, quæ ſignificatur; ſignificatum verò formale eſt ſignificatio, qua ſignum ſignificat, & qua ſignificatum ſignificatur. *Ratio eſt:* quia ſignum, ſive potius ſignificans, & ſignificatum ſunt duo participialia, unum activum, alterum paſſivum: qualia ſunt calefaciens & calefactum, intelligens & intellectum, videns & viſum, &c. atqui inter ſimilia participialia activum ſemper in recto, ſive de materiali ſignificat rem, quæ agit, ver. gr. calefaciens, intelligens, videns, &c. in recto ſignificant rem, quæ calefacit, intelligit, videt, &c. Paſſivum verò in recto ſignificat rem illam, quæ patitur aut quaſi patitur, v. g. calefactum, intellectum, viſum, in recto importat rem, quæ calefit, quæ intelligitur, quæ videtur: in obliquo verò ſimilia participialia important actionem, qua activum agit, & qua paſſivum patitur: nimirum calefactionem qua calefaciens calefacit, & calefactum calefit, intellectionem qua intelligens intelligit, & intellectum intelligitur, viſionem qua videns videt & viſum videtur, &c. ergò ſimiliter *ſignum* ſeu potius *ſignificans* & *ſignificatum* de materiali important rem, quæ ſignificat, & ſignificatur; de formali verò ſignificationem, qua ſignum ſignificat, & qua ſignificatum ſignificatur. Quæritur ergò hic, quid præciſè ſit ſignificatio tam qua ſignum ſignificat, quam qua ſignificatum ſignificatur?

13. *Dixi ſignum* vel potiùs *ſignificans*, & *ſignificatum* ſunt participialia, &c. quia *ſignum*, ſi velis propriè loqui, & voce illa in ſua nativa ſignificatione uti, non eſt participiale activum correſpondens participiali paſſivo, SIGNIFICATUM. *Ratio eſt.* quia participiali paſſivo, SIGNIFICATUM, proprie & ex diametro correſpondet SIGNIFICANS: ſicut VISO, INTELLECTO, CALEFACTO, &c. correſpondet VIDENS, INTELLIGENS, CALEFACIENS, &c. atqui *ſignum* non eſt idem, quod SIGNIFICANS, ſed eſt quid toto cœlo diverſum; ergo *ſignum* non eſt participiale activum correſpondens participiali paſſivo, SIGNIFICATUM. *Probatur min.* quia hoc activum participiale, *ſignificans*, de formali importat actualem ſignificationem, eſtque idem quod res habens ſignificationem actualem; ſicut *calefaciens*, *videns*, *ædificans*, &c. ſunt res habentes actualem calefactionem, viſionem, ædificationem, &c. Atqui ſignum de formali non importat actualem ſignificationem, ſed ſignificationem aptitudinalem, ſive potentiam ſignificandi; ſignum quippe idem planè eſt, quod ſignificativum, ſive potens ſignificare, ergò ſignum & ſignificans ſunt duo planè diverſa.

14. Oportet ergò bene diſtinguere inter has, ſimileſque voces: *ſignum* ſive *ſignificativum*, *ſignificans*, *ſignificatum* & *ſignificabile*: *calefactivum*, *calefaciens*, *calefactum*, & *calefactibile*: *intellectivum*, *intelligens*, *intellectum*, & *intelligibile*. Nam voces ſibi mutuò oppoſitæ & ex diametro correſpondentes non ſunt *ſignum* & *ſignificatum*: *ſignificans* & *ſignificabile*, &c. ſed ſunt *ſignum* & *ſignificabile*: *ſignificans* & *ſignificatum*, & ſic de aliis. *Ratio eſt;* quia participialia, ſive generaliter concreta ſibi activè & paſſivè oppoſita debent de formali ſignificare eandem formam, quæ ab unius ſignificato materiali reſpiciatur activè, & ab alterius paſſivè; atqui nequè *ſignum* & *ſignificatum*, neque *ſignificans* & *ſignificabile*; ſed *ſignum* & *ſignificabile*, *ſignificans* & *ſignificatum* ſunt talia, ut conſideranti facile patebit: *ſignum* enim & *ſignificabile* ſignificant de formali potentiam ſignificandi activam & paſſivam; *ſignificans* & *ſignificatum* de formali important actualem ſignificationem, qua hoc ſignificat, illud ſignificatur, ergò hæc ſunt concreta ſibi mutuo ex diametro correſpondentia; & ſic *ſignum* non eſt concretum præciſè correſpondens *ſignificato*.

15. Sed ut ad rem & quæſtionem noſtram redeamus: adverte ſignificationem (ſicut & alia quævis ſimilia verbalia) poſſe dividi, primò in ſignificationem activam, & paſſivam; ſignificatio activa eſt illa, quæ tenet ſe ex parte ſigni, qua nimirum ſignum ſignificat: ſignificatio paſſiva eſt quæ ſe tenet ex parte ſignificati, qua nimirum ſignificatum ſignificatur, nam ſicut calefactio alia eſt activa, qua ignis calefacit, alia paſſiva qua lignum calefit; eſt alia, inquam, non re & entitate, ſed reſpectu & connotato: eadem namque calefactio, quatenus reſpicit & connotat ſuum agens, vocatur activa, quatenus verò reſpicit & connotat ſuum paſſum, vocatur paſſiva: ita etiam eadem proportione philoſophandum eſt de ſignificatione reſpectu ſigni & ſignificati.

16. Utra-

Digitized by Google

16. Utraque hæc ſignificatio ſubdividitur paſſim in actualem & aptitudinalem: ita ut univerſim ſint quatuor ſpecies ſignificationis; ſcilicet ſignificatio activa actualis, ſignificatio activa aptitudinalis, ſignificatio paſſiva actualis, & ſignificatio paſſiva aptitudinalis: ſignificatio activa actualis eſt ea, per quam ſignum dicitur actu ſignificare; ſicut ſignificatio actualis paſſiva eſt illa, per quam ſignificatum dicitur actu ſignificari; illud autem per quod ſignum actu ſignificat & ſignificatum actu ſignificatur, in re nihil eſt aliud, quam conceptus ſive cognitio de re ſignificata, quam cauſſat ſignum in potentia illa cognoſcitiva, cui ſignificat. ver. gr. in ſignis inſtrumentalibus ſignificatio actualis nihil eſt aliud, quam conceptus, quem audiens vel videns ſignum, format de re ſignificata ex occaſione ſigni auditi vel viſi. ſic ſignificatio quo vox, HOMO actu ſignificat naturam humanam, quaque natura humana actu per vocem illam ſignificatur, nihil eſt aliud, quam conceptus ille, quem formo de natura humana ex occaſione auditæ vocis, HOMO. ſimiliter in ſignis formalibus (ſecundum ſententiam communem loquor, poſtea enim ex ſententia propria loquor aliter) ſignificatio actualis, qua ſpecies viſibiles, audibiles, intelligibiles, &c. actu ſignificant, quaque earum objecta actu ab illis ſignificantur, nihil eſt aliud, quam viſio, auditio, & intellectio, quam in potentia viſiva, auditiva, & intellectiva, quibus ſignificant, cauſſant. cognitiones itaque illæ quatenus referuntur ad ſignum, ex quo procedunt & ſuo modo cauſantur, dicuntur ſignificatio actualis activa; quia per illas cognitiones ſignum actu ſignificat: quatenus verò referuntur ad ſignificata, dicuntur ſignificatio actualis paſſiva: quia nimirum per illas ſignificata actu ſignificantur, ſicuti calefactio dum comparatur ad ignem calefacientem, dicitur calefactio activa, dum vero ad lignum calefactum refertur, calefactio paſſiva dicitur: nam ſicuti per eandem numero calefactionem ignis calefacit, & lignum calefit, ita etiam per eandem cognitionem, eundemvè conceptum ſignum ſignificat, & ſignificatum ſignificatur.

17. *Ratio* vero cur cognitio iſta procedens, & ſuo modo cauſata à ſigno (cur dicam ſuo modo cauſſata, ſcies poſtea, quando de ſigno formali & inſtrumentali agam, quandoque enim cauſatur phyſicè, quandoque ſolum moraliter) ſit ſignificatio actualis tam activa, quam paſſiva; *ratio* inquam, *eſt hæc:* quia ſignificatio actualis eſt forma illa, per quam ſignum actu ſignificat, & ſignificatum actu ſignificatur; ſicuti calefactio eſt forma iſta, per quam ignis actu calefacit, & lignum actu calefit; atqui per cognitionem iſtam ſignum actu ſignificat, & ſignificatum actu ſignificatur, ergo cognitio iſta eſt actualis ſignificatio tam activa, quam paſſiva. *Probatur min.* quia ſignificare eſt rem aliquam potentiæ cognoſcitivæ cognoſcendam repræſentare, & ſignificari eſt potentiæ cognoſcitivæ repræſentari, uti patet ex definitione ſigni *dubio Primo* allata; atqui ſignum repræſentat ſuum ſignificatum potentiæ cognoſcitivæ per iſtam cognitionem, ac per eandem ſignificatum à ſigno potentiæ repræſentatur, ergò per iſtam cognitionem & ſignum actu ſignificat, & ſignificatum actu ſignificatur. *Probatur min.* quia ſignum repræſentat ſignificatum ſuum potentiæ cognoſcitivæ per repræſentationem à ſe procedentem, ac ſuo modo cauſatam; item per repræſentationem à ſigno procedentem ſignificatum potentiæ cognoſcitivæ repræſentatur, uti evidens eſt: nam ſicut per orationem à ſe cauſſatam homo orat & Deus oratur; & ſicut per dealbationem à ſe procedentem homo dealbat, & paries dealbatur: ſic per repræſentationem à ſe procedentem ſignum repræſentat, ac ſignificatum repræſentatur: atqui repræſentatio cauſſata & procedens à ſigno eſt præciſè ac formaliter idem, quod conceptus ſivè cognitio ſignificati procedens & cauſſata à ſigno, ergò per illam cognitionem ſivè conceptum ſignum repræſentat, & ſignificatum repræſentatur. *Probatur minor.* quia, uti hic ex libris de anima ſuppono, conceptus ſive cognitio eſt quædam viva imago, ſimilitudo, & pictura ſui objecti, ergò eſt etiam viva quædam illius repræſentatio, & exhibitio.

18. *Petes* an ergò cognitio ſive conceptus, & ſignificatio actualis nullo modo differant; ita ut omnis conceptus ſit ſignificatio actualis, & è contra omnis ſignificatio actualis ſit conceptus? *Reſp. primo*: in ſignis formalibus eſſe plane idem quia uti patebit ex dicendis, tum *dubio quinto hujus diſp. tum diſp. ſpeciali* de ſigno formali; apud me ſignum formale, & ſignificatio ſigni formalis, & cognitio ſunt plane eadem, & omnino convertibilia; unde omnes ſpecies impreſſas tam ſenſibiles, quam intelligibiles, ego inter ſigna inſtrumentalia computo. *Reſp. ſecundo:* in ſignis inſtrumentalibus, in quibus ſemper ſignificatio actualis à ſigno realiter diſtinguitur, non eſſe planè idem: diſtinguitur enim ibi conceptus à ſignificatione actuali ſicut magis commune à minus communi, ſicut incluſum ab includente, ſeu *ut dialectici loquuntur*, ſicut totum in modo à parte in modo: nam licet omnis ſignificatio actualis ſit conceptus quidam, ac cognitio; non tamen è contra omnis cognitio ſive conceptus eſt ſignificatio actualis; ſignificatio quippè ſupra conceptum addit dependentiam ejùs, ſive proceſſionem à ſigno: eſt enim ſignificatio non conceptus ſecundum ſe, ſed eſt conceptus formatus ex occaſione ſigni, ſive procedens & cauſſatus ſuo modo, quandoque phyſicè, quandoque moraliter à ſigno; ſuperaddit ergò ſignificatio ſupra conceptum aliquod accidens, ſive aliquod extrinſecum connotatum; quod explicamus his terminis, *quatenus procedens ſuo modo à ſigno*; quodque nihil eſt aliud, quam conceptus dependentia, ac proceſſio phyſica, vel occaſionalis ex ſigno.

19. *Objicies:* proceſſio cognitionis à ſigno, quam ſecundum dicta ſignificatio addit & importat ſupra cognitionem, eſt cognitioni aliquando forma verè intrinſeca, ergo malè dicitur eſſe ſemper forma quædam, ſive connotatum quoddam extrinſecum cognitioni. *Probatur antecedens:*

tecedens: quia ſigna ſunt ſpecies viſibilis, ſpecies audibilis, & ſpecies intelligibilis, *uti infra oſtenditur*; eorum ſignificatio actualis ſunt viſio, auditio, & intellectio, ab illis procedens & phyſicè cauſſata: atqui proceſſio viſionis, auditionis, & intellectionis à ſpecie viſibili, audibili, ac intelligibili, eſt viſioni, auditioni, & intellectioni forma verè intrinſeca: ergo proceſſio cognitionis à ſigno, eſt aliquando cognitioni forma verè intrinſeca. *Probatur min.* quia proceſſio cognitionis à ſua ſpecie eſt actio, per quam cognitio à ſua ſpecie producitur; procedere enim eſt idem, quod produci: ergo proceſſio neceſſario eſt idem, quod productio; atqui productio eſt termino producto forma verè intrinſeca; equidem ut mihi, nobilibuſque aliis hujus temporis philoſophis viſum eſt, actio quantumvis termino ſuo non inhæreat, tamen illi intrinſecè adhæret; ac per conſequens ipſum intrinſecè denominat: de quo dicemus ſuo loco; ergo proceſſio cognitionis à ſua ſpecie eſt cognitioni procedenti forma verè intrinſeca.

20. Antequam argumento reſpondeam, præmitto in hoc negotio debere bene diſtingui inter cognitionem & ſignificationem: dixi quippe proceſſionem à ſigno eſſe extrinſecam cognitioni, non verò ſignificationi: ſignificationi namque illa proceſſio eſt planè & omnino intrinſeca. *Ratio eſt*: quia quidquid eſſentiale eſt, hoc intrinſecum eſt, atqui proceſſio illa à ſigno eſt ſignificationi actuali eſſentialis; ergo eſt omninò intrinſeca. *Probatur min.* quia omnis pars componens eſt eſſentialis ſuo compoſito, atqui proceſſio à ſigno eſt pars componens ſignificationem; ergo eſt ſignificationi eſſentialis. *Probatur min.* quia ſignificatio eſt cognitio procedens à ſigno; ſicut homo albus eſt homo habens albedinem: ergo ſicut homo albus componitur ex humanitate tamquam ex materia & ſubjecto, & ex albedine tamquam ex forma, ita etiam ſignificatio componitur ex cognitione tamquam ex materia, & ex illius cognitionis proceſſione à ſigno, tamquam ex forma: ergo proceſſio à ſigno eſt pars componens, ac pars eſſentialis, adeoque intrinſeca ſignificationis; oportet igitur philoſophari de cognitione & ſignificatione, ſicut philoſophamur de homine, & homine albo: vel potius ſicut philoſophamur de homine, & de homine viſo: ſicut enim viſio, quæ eſt extrinſeca homini, eſt intrinſeca homini viſo: ita hic proceſſio à ſigno extrinſeca cognitioni, eſt intrinſeca ſignificationi; eſt quippe ſignificatio quoddam compoſitum accidentale ex cognitione & proceſſione ejus à ſigno; ſicut homo viſus eſt quoddam accidentale compoſitum ex humanitate & viſione ejus, non quam principiat, ſed quam terminat. Hoc præmiſſo.

21. *Reſp.* totum iſtud argumentum valdè parum contra nos facere, totumque collapſurum intellecta quadam diſtinctione; oportet ergo bene diſtinguere inter hæc duo: cognitionem procedere, & cognitionem procedere à ſigno; calorem procedere, & calorem procedere ab igne; intellectionem procedere, & intellectionem procedere ab intellectu, &c. procedere enim ſimpliciter eſt denominatio verè intrinſeca, ut efficaciter probat præfatum illud argumentum: at verò procedere à ſigno, ab igne, ab intellectu, à ſpecie, &c. ſunt denominationes extrinſecæ. *Ratio eſt*: quia procedere à ſigno habet ſe ad cognitionem procedentem, ſicut ſe habet ad cognitionis proceſſionem: item procedere ab igne habet ſe ad calorem procedentem, ſicuti ſe habet ad caloris proceſſionem: atqui procedere à ſigno, vel ab igne eſt proceſſioni cognitionis & caloris denominatio extrinſeca; ergo etiam eſt talis cognitioni & calori procedenti. *Probatur maj.* quia procedere ab igne, vel procedere à ſigno non competit immediatè calori aut cognitioni, ſed competit immediatè eorum proceſſioni, ſive productioni; & mediante hac ſua productione, ſive proceſſione competit illis, uti manifeſtum eſt & facile probari poteſt; quia procedere à ſigno, procedere ab igne, idem eſt, quod ab igne, vel ſigno egredi & cauſſari; atqui actio ſive productio termini ab igne, à ſigno, & generaliter à quavis cauſſa egreditur & cauſſatur immediatè, & hac mediante tamquam ratione formali egreditur cognitio, calor, aut alius quivis terminus per actionem productus & cauſſatus: ergo ſimiliter procedere ab igne, aut à ſigno non competit immediatè cognitioni, & calori; ſed actioni, ſeu productioni caloris & cognitionis (ſuppono enim ex libris de anima, cognitiones non eſſe actiones, ſed qualitates, ideoque produci per actiones à ſe realiter modaliter diſtinctas) & hac mediante competit cognitioni & calori, ergo procedere à ſigno, vel procedere ab igne ita ſe habet ad cognitionem vel calorem procedentem, ſicut ſe habet ad eorum proceſſionem: neque poteſt eſſe magis intrinſecum illis, quam ſit eorum proceſſioni. *Hæc ultima conſeq. probatur*: quia denominatio habens duo ſubjecta, unum immediatum, alterum mediatum, non poteſt aliter convenire, neque eſſe magis intrinſeca ſubjecto ſuo mediato, quam ſit ſubjecto ſuo immediato, v. g albedo inhærens immediatè quantitati, & hac mediante ſubſtantiæ (in ſententia communi loquor) non poteſt eſſe magis intrinſeca ſubſtantiæ, quam ſit quantitati; atqui hæ, ſimileſque denominationes, procedere à ſigno, procedere ab igne, procedere à ſpecie, &c. ſunt denominationes habentes duo ſubjecta; unum immediatum, alterum mediatum: earum ſubjectum immediatum eſt proceſſio ſive actio, qui calor & cognitio ab igne, & ſigno producuntur ac procedunt; ſubjectum verò mediatum eſt cognitio & calor productus & procedens; ergo iſtæ denominationes non poſſunt eſſe magis intrinſecæ cognitioni & calori procedentibus, quam ſint eorum proceſſionibus, ſive productivis eorum actionibus.

22. *Minor argumenti principalis*, ſcilicet procedere à ſigno, procedere ab igne, &c. eſſe proceſſionibus ſive actionibus immediatè procedentibus, denominationes extrinſecas, *etiam probatur*: quia denominationes extrinſecæ vocantur illæ, quæ nihil intrinſecum ſuperaddunt ſubjectis ſuis, ſed ſolummodo aliquod extrinſecum

connotatum, atqui quod hæc actio procedat ab hoc vel illo agente, quod prodnctio bujus cognitionis principietur ab boc vel iſto ſigno, ſuper actiones illas nibil planè intrinſecum ſuperaddit: ſed ſolum agens vel ſignum, à quo procedunt, & principiantur: quodque illis eſt planè extrinſecum; ſicut enim actio non eſt intrinſeca agenti, ſic neque agens eſt intrinſecum actioni; ergo illæ præfatæ denominationes, ſcilicet procedere à ſigno, ab igne, à ſpecie, &c. ſunt actionibus immediatè procedentibus extrinſecæ, vel ſi quid intrinſecum ſuperaddant, tu illud nobis ediſſere: neque enim tu hic argumentari potes de proceſſione actionum, ſicut argumentamur de proceſſione terminorum, neque dicere actiones procedere per proceſſionem à ſe modaliter diſtinctam, ſibique intrinſecam, ſicut dicis de terminis: ſic enim dares actionem ad actionem, ac in infinitum abires, multaque alia incurreres abſurda.

23. Adverte tamen bas denominationes: procedere à ſigno, procedere ab igne, à ſpecie, &c. quamvis actionibus immediatè procedentibus nibil ſuperaddant intrinſeci; non eſſe tamen denominationes illis totaliter extrinſecas: ſed eſſe partim extrinſecas, partim intrinſecas. *Ratio breviter eſt*: quia denominatio partim intrinſeca eſt illa, cujus ſignificatum formale eſt ſubjecto ſuo partim extrinſecum, partim intrinſecum, ut latius declarabitur ſuo loco, atqui illæ præfatæ denominationes ſunt tales, ergo, &c *probatur min.* quia bæ denominationes procedere à ſigno, procedere ab igne, &c. de formali non important ſolum ſignum, neque ſolum ignem, ſed proceſſionem à ſigno, proceſſionem ab igne, &c. important proceſſionem connotando, ac ſimul importando ſignum & ignem tamquam terminum ſuæ dependentiæ; ſive potius tamquam principium ſui exitus: atqui proceſſio ab igne, proceſſio a ſigno eſt aliquid actionibus immediatè procedentibus partim intrinſecum, partim extrinſecum; ergo iſtæ denominationes de formali important aliquid actionibus immediatè procedentibus partim intrinſecum, partim extrinſecum. *Patet min* quia in actione immediatè procedenti proceſſio à ſua cauſa nibil eſt aliud quam ipſamet actio quatenus connotans ſuam cauſſam, tamquam principium ſui exitus, quid enim eſt aliud? atqui actio ſibi ipſi intrinſeca eſt, cauſſa verò ſua illi extrinſeca eſt; ergo manifeſte proceſſio à cauſſa eſt actioni immediatè procedenti quid partim intrinſecum, partim extrinſecum.

24 *Petes* antequam finiam, totus namque finire ambio, & ultra mentem meam hoc dubium protractum eſt: quare ſignificatio actualis non ſit ſola cognitio nudè ſecundum ſe, ſed ſit cognitio ſimul cum ſui proceſſione & dependentia à ſigno? *Reſpond.* breviter, quia ſignificatio eſt quaſi cauſſalitas, vel potius effectus ſigni (cur dicam vel potius effectus, intelliges poſtea, dum de ſigno formali erit ſermo) atqui cauſſalitas non eſt actio nudè ſecundum ſe, item effectus non eſt res aliqua nudè ſecundum ſe, ſed eſt actio, vel res aliqua quatenus procedens à ſuo principio; ergo ſimiliter ſignificatio actualis non poteſt eſſe ſola cognitio nudè ſecundum ſe, ſed eſt cognitio quatenus procedens à ſignificandi principio, ſive à ſigno.

DUBIUM III.

Quid ſit ſignificatio activa aptitudinalis, & quomodo diſtinguatur à ſigno?

25. Significatio aptitudinalis activa nibil eſt aliud, quam potentia ſeu aptitudo, quam babet aliquod ſignum, ut ſuum ſignificatum potentiæ cognoſcitivæ repræſentet; ſicuti ſignificatio aptitudinalis paſſiva nibil eſt aliud, quam potentia ſive aptitudo quædam, quam habet ſignificatum, ut à ſigno potentiæ cognoſcitivæ repræſentetur, ver. gr. aptitudo quæ eſt in voce, *homo*, ad ſignificandam naturam humanam, eſt ſignificatio aptitudinalis activa; ſicuti è contra aptitudo, quæ eſt in natura humana, ut per iſtam vocem, *homo*, ſignificetur, eſt ſignificatio aptitudinalis paſſiva; quæ alio nomine vocari poſſet ſignificabilitas; circa quas ſignificationes inquiri poteſt, quid præcisè ſint, & quomodò diſtinguantur tum inter ſe, tum etiam à ſigno & ſignificato? inter quas quæſtiones prima, quæ de ſignificatione aptitudinali activa eſt, reſolvenda eſt hoc dubio: altera verò quæ de ſignificabilitate, ſive de ſignificatione aptitudinali paſſiva eſt, reſolvetur dubio ſequenti.

26. *Reſp. & dico primo*: ſignificatio aptitudinalis activa non diſtinguitur realiter ab entitate ſigni naturalis: *probatur*: quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate; atqui nulla eſt neceſſitas diſtinguendi realiter ſignificationem aptitudinalem ab entitate ſigni naturalis; ergo non debet diſtingui. *Probatur min.* quia entitas ſigni naturalis ſeipſa ſola, ſine ullo alio ſuperaddito ſufficiens eſt, ut moveat potentiam cognoſcitivam, eamque deducat in cognitionem ſignificati; ergo nulla eſt neceſſitas ponendi ſignificationem aptitudinalem realiter diſtinctam entitati illius ſuperadditam. *Patet antecedens*: quia v. g. entitas fumi ſeipſa ſufficiens eſt, ut deducat potentiam cognoſcitivam in cognitionem ignis quocumque alio remoto, eò quod ex natura ſua ſit res ordinariè ignem ſubſequens, & concomitans; vide concluſionem ſequentem.

27. *Dico ſecundò*: ſignificatio aptitudinalis activa etiam realiter non differt ab entitate ſigni arbitrarii. *Concluſio hæc eſt valde controverſa*: volunt enim pleríque ſignificationem aptitudinalem ſigni arbitrarii eſſe ipſam illius ad ſignificandum impoſitionem, adeoque ab illius entitate realiter diſtinctam. *Contra quos concluſio probatur*: ſignificatio aptitudinalis, ſive potentia ſignificandi eſt illud, quo ſignum ſignificat; ſicut potentia calefaciendi eſt illud, quo ignis calefacit: atqui illud, quo ſignum arbitrarium ſignificat, non eſt impoſitio, ſed ipſiſſima illius entitas; ergo, &c. *Probatur min.* quia per illud ſignum ſignificat, per quod, & ex quo in nobis cauſſatur ſignificatio, ſive rei ſignifica-

ta

tæ cognitio; atqui cognitio rei ſignificatæ cauſſatur in nobis, non ex impoſitione, ſed ex ipſa ſigni arbitrarii entitate; ergo illud, quo ſignum arbitrarium ſignificat, non eſt impoſitio, ſed ipſiſſima ſua entitas. *Probatur minor inductione*: v. g. dum mihi profertur vox, *homo*, illud ex quo in me cauſſatur naturæ humanæ cognitio, ac ſignificatio, non eſt impoſitio vocis; ſed entitas vocis, ſive ipſamet vox; ergo illud, ex quo cauſſatur cognitio ſignificati, non eſt impoſitio, ſed ipſa entitas ſigni arbitrarii. *Probatur antec.* quia cognitio naturæ humanæ cauſſatur in me mediante auditu, ex aliqua re audita: ſignum enim eſt id, quod mediante ſui cognitione ſenſitiva deducit intellectum in cognitionem ſui ſignificati: atqui illud, quod audio, non eſt vocis impoſitio; hæc enim cum actus voluntatis incorporeus ſit, & à multo tempore tranſierit, audiri non poteſt, ſed eſt ipſamet vox; ergo ex ipſa voce, & non ex impoſitione cauſſatur in me naturæ humanæ cognitio; & ſic entitas ſua, & non impoſitio eſt voci illud, per quod ſignificat.

28. *Probatur concluſio ſecundò*: quia ſacramenta novæ legis, quæ ſigna quædam arbitraria ſunt, non ſignificant per impoſitionem, ſed per ſuam entitatem; ergo idem dicendum eſt de omnibus aliis ſignis arbitrariis; cum omnium eadem omnino ſit ratio. *Probatur antec.* quia ſacramenta hæc, cum ſigna practica ſint, illud ſignificant, quod cauſſant; & per illud ſignificant, per quod cauſſant, atqui ſacramenta hæc gratiam, quam ſignificant, non cauſſant per impoſitionem, ſeu inſtitutionem ſuam; ſed per ſuam entitatem; ergo ſimiliter ſignificant, non per impoſitionem, ſed per ſuam entitatem. *Patet min.* (ſuppono autem ex ſententia communiori & veriori, ſacramenta gratiam cauſſare realiter ac phyſicè) quia impoſitio ſeu inſtitutio ſacramentorum nihil eſt aliud, quam voluntas Chriſti domini, qua res ſenſibiles, dum hic in terris mundum redempturus viveret, elevavit; ut eſſent cauſſæ inſtrumentales gratiæ & ſanctitatis humanæ: atqui per hanc Chriſti Domini voluntatem, quæ jam à tanto tempore tranſiit & periit (per voluntatem enim hic non intelligo potentiam, ſed actum voluntatis) ſacramenta gratiam non cauſſant; ergo neque illam per impoſitionem, ſive inſtitutionem ſuam cauſſant. *Probatur min.* quia ratio, ſivè virtus agendi debet eſſe præſens & realiter exiſtens in cauſa, quando cauſa per illam operatur & agit: ſuppono enim ex phyſica cauſſam efficientem eſſe talem, quæ eſſentialiter requirat actualem exiſtentiam, ut cauſſare poſſit; atqui volitio, qua Chriſtus Dominus ſacramenta impoſuit & inſtituit, hoc tempore amplius non eſt; ergo hoc tempore ſacramenta non poſſunt cauſſare per illam; ergo cauſſant per ſuam entitatem: motus etenim, qualitas, aut impreſſio quædam divinitatis à quibuſdam illis ad cauſſandum alligate, apud me figmenta, non ſupernaturalia activitatis adiumenta ſunt.

29. *Dices* contra majorem hujus diſcurſus principalem, cui totus hic diſcurſus innititur; ſcilicet hanc: *ſacramenta per illud cauſſant, per quod ſignificant*: cauſſatio gratiæ, & ſignificatio gratiæ ſunt duæ ſacramenti actiones, vel quaſi actiones (nam ut poſtea dicam ſignificatio comparari non poteſt cum actione, vel cauſſalitate, ſed cum effectu) planè diverſæ, ac realiter diſtinctæ: cauſſatio enim gratiæ eſt actio productiva gratiæ; ſignificatio verò gratiæ eſt cognitio gratiæ à ſacramento ſuo modo procedens in recipiente, conferente, vel recipi aut conferri vidente ſacramentum; ergo non debent, immò non poſſunt egredi ab eodem formali principio; ergo per id ſacramenta non ſignificant, per quod cauſſant. *Reſp. neg. conſeq.* diverſæ enim ſpecie actiones ab eodem formali principio quam ſæpiſſimè egredi in phyſica obvium eſt: in hac verò concurrentia ita fieri debere: ſcilicet ſignificationem ſacramenti debere egredi ab ipſa entitate ſacramenti, ſicut ab illa egreditur cauſſatio gratiæ; *facilè probatur*: quia ſacramentum eſt ſignum ſenſibile, atqui ſigna ſenſibilia ſignificant, ſive ſignificationem principiant, per ſuam entitatem: ſive in ſignis ſenſibilibus ſignificatio egreditur ab ipſa ſigni entitate; hæc enim omnia planè eadem, & ferè ſynonima ſunt; ergo ſignificatio gratiæ egredi debet ab entitate ſacramenti, ſicut egreditur cauſſatio gratiæ. *Probatur min.* quia ſignum ſenſibile ſignificat mediante ſui ſenſatione; ergo ſignum ſenſibile debet ſignificare per ſuam entitatem. *Probatur conſequ.* quia ſignificare mediante ſui ſenſatione eſt ſignificare per id, quod in ſe ſentitur, ac ſenſu percipitur: dic enim mihi quid ſit aliud? atqui id, quod in ſigno ſenſibili ſenſu percipitur, eſt ipſa ſigni entitas; ergo ſignum ſenſibile, quale eſt ſacramentum, ſignificare debet per ſuam entitatem.

30. Argumentum hoc militavit non contra concluſionem; ſed contra concluſionis probationem; jam contra concluſionem directè *objicies primo*: ſignificatio aptitudinalis ſigni arbitrarii eſt illius ad ſignificandum impoſitio, atqui impoſitio diſtinguitur realiter ab entitate ſigni arbitrarii; ergo & ſignificatio aptitudinalis. *Probatur mai.* quia ſignificatio aptitudinalis eſt illud, quo poſito vel ablato ſignum fit potens, vel impotens ſignificare, atqui poſita vel ablata impoſitione ſignum arbitrarium fit potens, vel impotens ſignificare; ergo illa impoſitio eſt aptitudinalis ſignificatio. *Reſp. neg mai. utriuſque ſyllogiſmi*: nam illud, quo poſito vel ablato res fit potens, vel impotens, non ſemper eſt illius potentia; ſæpè enim ſolum eſt conditio quædam actui prærequiſita, quam vocare ſolemus *conditionem ſine qua non*, v. g. ignis calefactivus ſine applicatione ſui ad lignum, aut aliud corpus calefactibile, calefacere non poteſt; unde poſita vel ablata iſta ſui approximatione fit potens, vel impotens calefacere: neque tamen iſta approximatio eſt igni potentia calefaciendi, ſed nuda quædam *conditio ſine qua non*; ſimiliter ergo licet ſignum arbitrarium, poſita vel ablata ſui ad ſignificandum impoſitione, fiat potens vel impotens ſignificare; non ſequitur, quod iſta impoſitio ſit illi potentia ſignificandi, ſeu aptitudinalis ſignificatio; quia hæc omnia ſtare poſſunt, etiamſi tantummodo ſit *conditio* quædam *ſine qua non*.

31. Quod verò impoſitio hæc non ſit potentia ſignificandi, ſed ſolum conditio, probatum eſt jam ſupra. *Cujus adhuc ulterior ratio eſt:* quia hæc ſigni arbitrarii impoſitio nihil eſt aliud, quam quædam ſigni ad ſignificabile quaſi applicatio, & approximatio; ergo non eſt niſi nuda conditio. *Probatur antec.* quia impoſitio nihil eſt aliud, quam rei indeterminatæ ad ſignificandum quodcumque ſignificabile, ad certum quoddam ſignificabile determinatio & applicatio; ſicut approximatio ignis nihil eſt aliud, quam ignis indifferentis ad calefaciendum quodcumque calefactibile, ad certum aliquod & determinatum calefactibile applicatio: ſigna quippe arbitraria ante ſui impoſitionem ex ſe indifferentia ſunt ad ſignificandum quodcumque, ſicut ignis ex ſe aptus eſt ad calefaciendum quodcumque: non poſſunt tamen ſignificare, niſi ad certam aliquam rem ſignificandum imponantur & applicentur; ſicut ignis calefacere non poteſt, niſi certo alicui corpori applicetur, v.g. hæc vox, *homo*, ex ſe non magis petit aut capax eſt ſignificare naturam hominis, quam naturam bovis, equi, lapidis, plantæ, Dei, aut angeli &c. (& idem eſt judicium de omnibus aliis vocibus latinis, græcis, hæbraicis, germanicis &c.) non magis capax eſt, ut ſit vox latina, quam græca, aut germanica; ſed per voluntatem & impoſitionem humanam determinata, & applicata eſt ad ſignificandum naturam hominis intra idioma latinum; ergo impoſitio nihil eſt aliud, quam ſigni ex ſe indifferentis ad certam rem ſignificandam applicatio; ac per conſequens pura conditio.

32. *Objicies ſecundo*: ſigna arbitraria ante impoſitionem habent ſuam entitatem, non tamen habent aptitudinalem activam ſignificationem: ver. gr. vox, *blictri*, carens impoſitione, habet ſuam entitatem, & caret aptitudinali ſignificatione, ergo aptitudinalis ſignificatio eſt aliquid realiter diſtinctum, ac ſeparabile ab iſtius vocis entitate. *Probatur antecedens*: quia iſta vox non eſt ſignificativa, neque poteſt ſignificare; ergo non habet aptitudinalem ſignificationem. *Reſp. neg. antec. & conſ. probationis*: nam quod illa vox ſignificare non poſſit, non oritur ex carentia potentiæ, aut aptitudinalis ſignificationis; ſed oritur ex carentia applicationis & expeditionis factæ per impoſitionem: ſicuti quod ignis Romæ poſitus me hic Coloniæ poſitum calefacere non poſſit, non oritur ex carentia potentiæ calefactivæ, ſed debitæ applicationis: & ſicut quod homo ſanus habens ligatos pedes ambulare non poſſit, non ex defectu potentiæ, ſed expeditionis, ortum habet.

33. *Inſtabis primò:* iſta vox, *blictri*, ac quævis alia carens impoſitione, non eſt ſignificativa; ergo caret ſignificatione aptitudinali; ergo impoſitio non eſt nuda conditio, ſed eſt ipſa aptitudinalis ſignificatio. *Probatur prima conſeq.* quia *ſignificativum* idem eſt, quod habens potentiam ſignificandi, *non-ſignificativum* idem eſt, quod carens potentia ſignificandi; atqui voces carentes impoſitione non ſunt ſignificativæ; ergo carent potentia ſignificandi. *Probatur major.* quia *ſignificativum* idem eſt, quod potens ſignificare, atqui potens ſignificare idem eſt, quod habens ſignificandi potentiam; ergo etiam *ſignificativum* eſt idem, quod habens ſignificandi potentiam. *Reſp. negando primam conſeq. & ad probationem nego majorem, ad cujus probationem nego minorem, ſignificativum* enim, ſive *potens ſignificare* non eſt idem, quod habens potentiam; ſed quod habens potentiam expeditam ſignificandi; unde ut aliquid ſit ſignificativum, non ſufficit habere potentiam, ſed oportet habere potentiam non impeditam: & per conſequens ut aliquid dicatur non-ſignificativum, non requiritur, quod careat potentia; ſufficit enim quod careat potentia, vel expeditione potentiæ, ſicut homo habens oculos vitioſa & opaca quadam pellicula obductus, dicitur cæcus, & non-viſivus; non ob carentiam potentiæ (credo etenim firmiſſimè omnes potentias vitales non differre realiter à ſubſtantia *animæ*) ſed ob carentiam expeditionis, ac bonæ diſpoſitionis in potentia; ſimiliter ergo voces carentes impoſitione dicuntur non-ſignificativæ, non ob carentiam potentiæ, ſed ob carentiam expeditionis per impoſitionem factæ, quæ ad ſignificandum planè neceſſaria eſt.

34. *Inſtabis ſecundò*: ſi voces carentes impoſitione haberent potentiam ſignificandi, & impoſitio foret illis ſolummodo conditio, non deſinerent ob ejus carentiam dici & eſſe ſignificativæ, atqui tamen hoc fit; ergo clarum eſt impoſitionem non eſſe nudam conditionem. *Probatur ſequela majoris*: quia defectus ſolius conditionis nunquam id efficit, ut res deſinant dici & eſſe activæ, verb. gr. ignis ob defectum approximationis non deſinit eſſe calefactivus: item homo habens velatos oculos non deſinit eſſe viſivus; ergo ſimiliter ſi impoſitio foret nuda conditio, non deſinerent voces ob illius carentiam dici & eſſe ſignificativæ. *Cujus ratio à priori eſt*: quia ſolus defectus puræ conditionis impedire non poteſt, quo minus res denominetur à potentia, quam in ſe habet. *Reſp. negando ſeq. major. & anteced. probationis, ſimul cum illa ratione à priori*: & dico illam habere locum ſolummodo in conditionibus planè extrinſecis, in conditionibus verò intrinſecis minimè.

35. *Pro quo adverte*: inter conditiones ad agendum, vel quaſi agendum præerequiſitas, quaſdam eſſe extrinſecas, quaſdam intrinſecas extrinſecæ ſunt, quæ ſe tenent ex parte paſſi, circa quod agens agere debet; tales ſunt approximatio localis ignis ad lignum: item capacitas paſſi ad recipiendum effectum agentis, v.g. diaphaneitas aeris ad recipiendum lumen ſolis; aut capacitas hominis docti ad percipiendam ſignificationem vocum latinarum: item talis conditio eſt libertas ab omni impedimento extrinſecos appoſito: ut libertas oculi ab extrinſeco velamine; & in his conditionibus verum eſt, quod earum carentia, ſive defectus non impediat, quo minus agens à ſua potentia denominetur: ſic enim ignis defectu localis approximationis non deſinit dici calefactivus: item lux defectu diaphaneitatis ſubjecti, cui applicatur, non deſinit dici illuminativa item voces

ces

ces defectu intelligentiæ in homine, cui proferuntur, non deſinunt dici ſignificativæ, v. g. candela, eò quod applicetur parieti opaco, aut vox latina, eò quod proferatur homini ruſtico & barbaro, non deſinunt dici illuminativa, & ſignificativa; neque homo, ob velatos extrinſecus appoſito velo oculos, deſinit dici viſivus.

36. Conditiones intrinſecæ ſunt illæ, quæ prærequiruntur ex parte agentis, illudque aut ejus potentiam intrinſecè afficiunt, tales ſunt quantitas (ſi illam à ſubſtantia materiali diſtinguas) & extenſio ſitualis: item bona diſpoſitio organi, per quod potentia operari debet, & harum conditionum carentia impedit, quo minus agens à ſua poſſit denominari potentia: ita Chriſtus Dominus exiſtens ſacramentaliter in Euchariſtia dicitur inviſibilis, & non viſivus; non quod careat potentia activa, aut paſſiva videndi; ſed quia caret conditione intrinſeca extenſionis ſitualis ad videndum neceſſariò requiſitæ: item homo habens indiſpoſitum ac diſtemperatum organum viſus, vel auditus, dicitur ſurdus & cæcus; non ob carentiam potentiæ, ſed ob carantiam intrinſecæ expeditionis, & conditionis; ſimiliter ergo voces impoſitione carentes, quamvis habeant potentiam ſignificandi, dicuntur aſſe non ſignificativæ, quia impoſitio reſpectu vocis eſt de numero conditionum intrinſecarum.

37. *Objicies tertiò*: ſignificatio aptitudinalis habet ſe ad vocem, ſicut valor ad monetam, atqui valor monetæ non eſt entitas monetæ, ſed eſt inſtitutio ſeu voluntas principis volentis illam tanti valere, vel tanti; ergo ſimiliter ſignificatio aptitudinalis non eſt entitas vocis, ſed inſtitutio ſeu voluntas hominum volentium hac voce ſignificari rem hanc, vel iſtam. *Reſp. neg min.* & dico valorem monetæ eſſe ipſam entitatem monetæ, quæ tamen ut in actum exeat, & actu valeat, requirit deputationem principis, tamquam conditionem intrinſecè requiſitam, uti jam dixi de impoſitione reſpectu vocis: *& ratio eſt*: quia valor monetæ eſt illud, propter quod, & pro quo venditor merces ſuas tradit emptori, atqui illud propter quod, & pro quo venditor emptori merces ſuas tradit, non eſt deputatio principis, ſed eſt ipſa moneta, ſive pecunia, quam ab emptore recipit; ergo valor monetæ eſt ipſa entitas monetæ; & voluntas ſeu deputatio principis eſt ſolummodo conditio quædam ad valendum prærequiſita: nam ſi valor monetæ foret ſola deputatio principis, poſſet princeps pro ſolo ſuo beneplacito, monetæ valorem uſque in infinitum augere vel diminuere, nulla habita ratione materiæ; conſequens abſurdum eſt, ac manifeſtè injuſtum; ergo & id unde ſequitur; ſed de hoc loquatur Juris-peritus vel theologus.

DUBIUM IV.

Quomodo Significatio aptitudinalis paſſiva diſtinguatur à ſigno?

38. Significatio aptitudinalis paſſiva alio nomine vocari poteſt ſignificabilitas; ſimilia enim nomina tam concreta, quam abſtracta, terminata in *bilis* & *bilitas*, ordinariè pro ſuo ſignificato principali important aliquam potentiam paſſivam aliquid patiendi, vel quaſi patiendi: talia ſunt *ſignificabilis*, *calefactibilis*, *viſibilis*, *amabilis*, *corruptibilis*; *&c. ſignificabilitas*, *calefactibilitas*; *viſibilitas*, *&c.* dico *important ordinariè potentiam paſſivam*: quia ſunt quædam ſimilia nomina, quæ de principali non potentiam paſſivam, ſed important potentiam activam: talia ſunt *riſibile*, *riſibilitas*, *flebile*, *flebilitas*, *rugibile*, *latrabile*, *hinnibile*, aliaque ſimilia, quibus philoſophi animalium conſtitutivas differentias, vel proprietates exprimere ſolent: hæc, inquam, & ſimilia quædam nomina de principali ſignificant potentiam activam ridendi, flendi, rugiendi, hinniendi, &c. idque non ſolum apud philoſophos, qui cathedreſſa facere, & voces à ſua ſignificatione propria ad aliquam planè alienam, & oppoſitam, conceptibus ac ſpeculationibus ſuis exprimendis accommodam, traducere ac tranſportare, ſæpè non ducunt conſcientiæ: ſed etiam apud probatos grammaticos, ac linguæ latinæ fontes; in hac namque ſignificatione utitur ingenioſus ille, lib. 3. amorum, Eleg 8.

Flebilis indignos Elegeja ſolve capillos,
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

dicit *elegia flebilis*, non quia digna fleri; ſed quia apta & potens flere, ut dicit apud eundem *Sappho ad Phaonem*

Flendus amor meus eſt; Elegeja flebile carmen,
Non facit ad lacrymas barbitos ulla meas.

39. Quæritur ergo hic, quid ſimilia nomina in *bilitas* paſſivè ſignificantia de principali importent, an aliquid intrinſecum, an aliquid extrinſecum, an potius aliquid partim intrinſecum, partim extrinſecum? v. g quæritur quid præciſè ſit *ſignificabilitas*? & quomodo ſeſe habeat ad rem ſignificabilem? & quia eſt eadem ratio de *viſibilitate*, *calefactibilitate*, *amabilitate*, &c. quæ eſt de *ſignificabilitate*: breviter hæc omnia uno verbo reſolvemus; & graviores difficultates hic intercurrentes in locum aliquem commodiorem reſervabimus; ante omnia tamen præmitto ſignificabilitatem non eſſe planè idem, quod cognoſcibilitatem: differunt enim hæc duo, eo modo, quo ſupra dubio ſecundo dixi differre ſignificationem & cognitionem, ſcilicet ſicut includens & incluſum; incluſum eſt cognoſcibilitas, includens verò eſt ſignificabilitas: nam cognoſcibilitas eſt ſola aptitudo rei ut cognoſcatur ſimpliciter; at verò ſignificabilitas eſt aptitudo rei, ut cognoſcatur mediante ſigno: includit ergo ſignificabilitas cognoſcibilitatem, & ſuperaddit illi aliquod accidens, ſive extrinſecum connotatum; quod explicamus his terminis, *mediante ſigno*; hoc præmiſſo.

40. *Reſp. & dico primò*: *ſignificabilitas*, *cognoſcibilitas*, *calefactibilitas*, aliaque ſimilia important in recto aliquid intrinſecum rei ſignificabili, cognoſcibili, calefactibili, viſibili, &c. ſignificant enim ipſam entitatem talis rei. *Probatur*: quia calefactibilitas eſt potentia ad calefiendum (liceat ſic barbarizare) viſibilitas potentia paſſiva ad videndum, ſignificabilitas potentia paſſiva ad ſignificandum, &c. atqui tales paſſivæ potentiæ in recto nihil ſunt aliud, quam entitas rei

calefactibilis, viſibilis, ſignificabilis, &c. ergo calefactibilitas, viſibilitas, ac ſignificabilitas in recto dicunt ipſam rei entitatem. *Probatur min.* quia potentia ad calefiendum, potentia paſſiva ad videndum, ad ſignificandum &c. ſunt ratio formalis, qua calefactibile terminat ac recipit calefactionem; qua viſibile ſui viſionem; ac ſignificabile terminat ſui ſignificationem; atqui calefactibile in ſe recipit calefactionem, viſibile & ſignificabile terminant ſui viſionem, & ſignificationem per ſuam entitatem; ergo potentia ad calefiendum, potentia paſſiva ad videndum, & ſignificandum nihil ſunt aliud in recto, quam entitas rei calefactibilis, ac ſignificabilis, *major hujus ſyllogiſmi probatur*: quia ita ſe habet calefactibilitas ad calefactibile, & ſignificabilitas ad ſignificabile, & viſibilitas ad viſibile, ſicut ſe habet potentia calefactiva ad calefactivum, potentia viſiva ad viſivum, & potentia ſignificativa ad ſignificativum; atqui potentia calefactiva, ſignificativa, & viſiva ſunt ratio formalis, qua calefactivum, ſignificativum, & viſivum principiant & cauſſant calefactionem, ſignificationem ac viſionem; ergo ſimiliter calefactibilitas, ſignificabilitas, & viſibilitas ſunt ratio formalis, qua calefactibile, ſignificabile, ac viſibile terminant calefactionem, ſignificationem ac viſionem; ſicut enim activi proprium eſt agere per potentiam activam, ita paſſivi proprium eſt terminare per potentiam paſſivam. *Probatur etiam minor iſtius præfati ſyllogiſmi*: quia calefactibile, ſignificabile, & viſibile terminant calefactionem, ſignificationem, ac viſionem per id, quod calefit, ſignificatur, ac videtur; calefieri namque ſignificati, & videri eſt calorem recipere; ſignificationem ac viſionem terminare; atqui id quod calefit, id quod ſignificatur & videtur, eſt entitas rei calefactibilis, ſignificabilis, & viſibilis, uti evidens eſt; ergo calefactibile ſignificabile, & viſibile terminant calefactionem, ſignificationem, ac viſionem præciſè per ſuas entitates.

41. *Dico ſecundò: ſignificabilitas, calefactibilitas, viſibilitas, &c.* ſuperaddunt aliquid realiter entitati rei ſignificabilis, calefactibilis, ac viſibilis; ſeu important aliquid realiter diſtinctum præter entitatem rei calefactibilis, ſignificabilis, ac viſibilis. *Probatur*: quia poteſt res de viſibili fieri inviſibilis, de calefactibili fieri incalefactibilis; ſivè poteſt res exuere ſuam viſibilitatem, calefactibilitatem, & ſignificabilitatem, ac induere inviſibilitatem, non calefactibilitatem, ac non ſignificabilitatem; ergo ſignificabilitas, calefactibilitas, ac viſibilitas important aliquid realiter ſeparabile, adeoque realiter diſtinctum ab entitate rei calefactibilis, &c. *patet antecedens*: nam Chriſtus dominus in mundo quondam viſibilis, palpabilis, calefactibilis frigefactibilis &c. jam in ſacramento Eucharistiæ exiſtens omnibus hiſce potentiis paſſivis caret, ergo poſſunt res exuere viſibilitatem, ac induere inviſibilitatem, &c.

42. *Dico tertiò: ſignificabilitas, viſibilitas, calefactibilitas, &c.* non ſuperaddunt entitati rei aliquid intrinſecum; ſed ſolummodò aliquid extrinſecum: *Probatur*: quia poteſt res de viſibili fieri inviſibilis, de calefactibili & ſignificabili fieri non calefactibilis, & non ſignificabilis ſine intrinſeca ſui mutatione; ergo id, quod ſignificabilitas, calefactibilitas, ac viſibilitas important præter entitatem rei calefactibilis, ac ſignificabilis non eſt quid rei intrinſecum, ſed extrinſecum. *Patet conſeq.* quia ſi viſibilitas aut ſignificabilitas forent rei viſibili, ac ſignificabili quid intrinſecum, non poſſet res de viſibili fieri inviſibilis, aut de ſignificabili non ſignificabilis ſine intrinſeca ſui mutatione; ſicut quia albedo eſt forma intrinſeca corpori albo, non poteſt corpus de albo fieri non album ſine intrinſeca ſui mutatione. *Probatur etiam antecedens*; quia corpus meum modo viſibile, & calefactibile eſt, diſtruat autem Deus omnia agentia viſiva, & calefactiva, aut omnibus agentibus potentiam viſivam, ac calefactivam eripiat, fiet inviſibile ac non-calefactibile; atqui nulla per hoc in corpore meo fiet mutatio intrinſeca; ſed ſolummodo in agentibus viſivis, ac calefactivis; ergo poteſt res de viſibili fieri inviſibilis ſine ulla ſui mutatione intrinſeca: vide quæ dico concluſione ſequenti.

43. *Dico quartò*: extrinſecum illud, quod *viſibilitas, calefactibilitas, ſignificabilitas* important ſupra entitatem rei viſibilis, calefactibilis, ac ſignificabilis eſt potentia viſiva, calefactiva, & ſignificativa, cujus virtuti & activitati res viſibilis, calefactibilis, ac ſignificabilis ſubjicitur; itaque viſibilitas nihil eſt aliud, quam entitas rei viſibilis, quatenus ſubjicitur activitati intentionali potentiæ viſivæ, calefactibilitas nihil eſt aliud, quam entitas rei calefactibilis, quatenus ſubjicitur phyſicæ activitati potentiæ calefactivæ; ſignificabilitas nihil eſt aliud, quam ipſa entitas rei ſignificabilis, quatenus ſubſternitur activitati (ſi tamen activitas vocari poſſit) ſigni, ſive potentiæ ſignificativæ, & ſic de aliis; ita ut dicant entitatem rei in recto, activitatem verò potentiæ activæ, cui res iſta ſubjicitur, in obliquo; concluſionem hanc me docuit Magiſter noſter *Gerardus Senenſis, in 1. diſt. 1. quæſt. 4. art. 3. in fine*, mihique conſentit *Gabriel Vaſquez tomo 2. in 2. part. diſp* 104. *cap 2. & tomo 1. in 1. 2. diſp. 31. cap. 2. & probatur*: quia ſignificabilitas, viſibilitas, ac calefactibilitas illud ſuperaddunt entitati rei, quo poſito, ablatiſque omnibus aliis, res fit ſignificabilis, viſibilis ac calefactibilis; & quo ablato, perſeverantibuſque omnibus aliis res deſinit eſſe talis; atqui poſita potentia ſignificativa, viſiva, ac calefactiva, deſtructiſque omnibus aliis, res fit ſignificabilis, viſibilis, ac calefactibilis: & ſublata tali potentia, manentibuſque omnibus aliis, res deſinit eſſe talis; ergo potentia ſignificativa, viſiva, ac calefactiva, ſunt illud extrinſecum, quod ſignificabilitas, viſibilitas, ac calefactibilitas ſuperaddunt entitati rei ſignificabilis, viſibilis, ac calefactibilis. *Major probatur*: quia ſignificabilitas eſt cauſſa formalis ſignificabilis, viſibilitas eſt cauſſa formalis viſibilis &c. ergo præter entitatem rei nihil important niſi illud, quo præciſè poſito, vel ſublato res incipit, vel deſinit fieri ſignificabilis, viſibilis, &c.

ſicuti

ſicuti albedo, quia eſt cauſſa formalis albi præciſè importat illud, quo poſito, vel ſublato corpus præciſè incipit, vel deſinit fieri album. *Probatur etiam minor*: quia colores, omniaque corpora colorataria ſunt viſibilia, at verò ſi Deus deſtrueret omnem potentiam viſivam, fierent inviſibilia: item natura humana, & natura animalis modo ſunt ſignificabiles; ſi verò deſinerent omnes potentiæ ſignificativæ, fierent non ſignificabiles; ergo poſita vel ſublata potentia viſiva, aut ſignificativa, ſtatim incipiunt, vel deſinunt res fieri viſibiles, aut ſignificabiles. *Probatur antec.* quia viſivum & viſibile, ſignificativum & ſignificabile ſeſe mutuo ponunt, ac tollunt; ergò neceſſariò quando agentia deſinunt eſſe viſiva, aut ſignificativa, debent paſſiva deſinere eſſe viſibilia aut ſignificabilia. *Probatur antecedens*: quia viſibile, & ſignificabile ſunt idem, quod potens videri, ac ſignificari; ſignificativum, ac viſivum ſunt idem, quod potens videre, ac ſignificare: atqui potens videre & potens videri, potens ſignificare & potens ſignificari, ſeſe mutuo manifeſtè ponunt & tollunt; quomodo enim ego poſſem videri, aut tangi aut ſignificari, ſi nullus me poſſet videre, aut tangere, aut ſignificare? ergò ſimiliter ſignificativum & ſignificabile, viſivum & viſibile ſeſe mutuo ponunt & tollunt; poſſent & deberent pro complemento hujus quæſtionis à nullo hactenus ex profeſſo in medium adductæ, dici plura; ſed hic manum & calamum ſiſto: erit alibi opportunior dicendi locus & occaſio.

44. Ex dictis ſequitur: has denominationes, ſive prædicationes, *natura humana eſt ſignificabilis*, *colores ſunt viſibiles*, *corpus humanum eſt calefactibile*, & ſimiles, eſſe partim intrinſecas, partim extrinſecas. *Ratio eſt*: quia prædicatio partim intrinſeca, partim extrinſeca eſt illa, cujus prædicatum eſt ſubjecto ſuo partim intrinſecum, partim extrinſecum, atqui præfatæ iſtæ prædicationes conſtant talibus prædicatis, ergò ſunt prædicationes partim intrinſecæ, partim extrinſecæ. *Probatur minor.* quia prædicatum partim intrinſecum, partim extrinſecum eſt illud, cujus ſignificatum formale eſt forma ſubjecto partim intrinſeca, partim extrinſeca, atqui prædicata præfatarum prædicationum habent talia ſignificata formalia, ergo ſunt prædicata partim intrinſeca, partim extrinſeca; *patet minor.* quia iſtorum prædicatorum ſignificata formalia ſunt ſignificabilitas, viſibilitas, & calefactibilitas, atqui illa ſunt ſubjectis ſuis partim intrinſeca, partim extrinſeca, uti hactenus dictum eſt, ergo præfatarum prædicationum prædicata habent ſignificata formalia ſubjectis ſuis partim intrinſeca, partim extrinſeca.

45. *Dico quintò*: ſignificatio aptitudinalis activa & paſſiva non ſunt eadem realiter forma, uti ſunt ſignificatio activa & paſſiva actualis; ſed diſtinguuntur à ſeſe mutuo realiter inadæquatè, ſicut includens & incluſum: ita ut includens ſit ſignificatio aptitudinalis paſſiva, ſive ſignificabilitas, incluſum verò ſit ſignificatio aptitudinalis activa. *Probatur*: quia ſignificabilitas ſive ſignificatio aptitudinalis paſſiva eſt entitas rei ſignificabilis ſimul cum potentia ſignificativa ſigni, cui ſubeſt, & à qua ſignificari poteſt; includit quippe duo; nimirum entitatem rei ſignificabilis in recto, & potentiam ſignificativam, ſive ſignificationem aptitudinalem activam in obliquo; ergò comparatur ad ſignificationem aptitudinalem activam ſicut includens ad incluſum, ergò non eſt cum ea omnino idem, ſed diſtinguitur ab ea realiter inadæquatè; eodemque modo philoſophandum eſt de calefactibilitate & potentia calefactiva, de viſibilitate & potentia viſiva &c.

DUBIUM V.

Quomodo ſignificatio actualis diſtinguatur, tam à ſigno quam à ſignificato?

46. QUid ſit ſignificatio actualis tam activa, quam paſſiva dixi, dubio ſecundo; hic jam quæritur quomodo diſtinguatur tam à ſigno, quam à ſignificato, quam etiam à potentia, cui ſignificat? *Reſp. & dico primò*: ſignificatio actualis ſemper diſtingui debet realiter à ſuo ſignificato; in hac concluſione puto convenire omnes; *& ratio eſt*: quia ſignificatum ſemper debet diſtingui realiter à ſigno, ut dixi *dubio primo*, ergò etiam ſemper diſtingui debet realiter à ſignificatione actuali; ac per conſequens ſignificatio actualis ſemper diſtingui debet realiter à ſignificato. *Probatur conſeq.* quia ſi ſignificatum identificari poſſent cum ſignificatione actuali, etiam poſſet identificari cum ſigno, atqui cum ſigno nullatenus identificari poteſt; ergo neque cum ſignificatione actuali poteſt. *Probatur mai.* quia ſignum quandoque identificatur cum ſignificatione actuali, ut ſtatim infra dicam, ac per conſequens ſignificatio actualis quandoque identificatur ſigno; ergo ſi etiam identificari poſſet cum ſignificato, poſſet ſignificatum identificari cum ſigno, *patet conſeq.* quia quæcunque identificantur eidem tertio, identificantur inter ſe, atqui ſi ſemel ſignificationi actuali identificaretur ſignificatum, ſicut identificatur ſignum; tunc ſignum & ſignificatum identificarentur eidem tertio, nimirum ſignificationi actuali; ergo etiam identificarentur inter ſe.

47. *Et confirmatur*: quia uti dixi, ſignum ſemper realiter differre debet à ſignificato ſuo, atqui ſignificatio actualis, non ſolum eſt ſignificati ſui ſignificatio, ſed etiam eſt ſemper illius ſignum formale, ut infra dicam; ergo debet ſemper diſtingui realiter à ſuo ſignificato, *& ratio à priori eſſe videtur*: quia ſicut ſignum eſt ſpecies repræſentativi, ita etiam actualis ſignificatio eſt ſpecies quædam actualis repræſentationis, atqui ſignum eſt repræſentativum alicujus alterius à ſe realiter diſtincti; ergo ſimiliter ſignificatio actualis debet eſſe actualis repræſentatio alicujus alterius à ſe realiter diſtincti. *Aliquando aſſignabam hanc rationem*: quia ſignificatio actualis ſigni comparatur ad ſignificatum, ſicut cauſſalitas cauſſæ comparatur ad effectum, atqui cauſſalitas ab effectu ſemper diſtingui debet realiter, ſicut diſtinguitur cauſſa ipſa; ergo ſimiliter actualis ſignificatio diſtingui

ſtingui debet tealiter à ſignificaio, ſicut diſtinguitut ſignum ipſum. *Sed hæc ratio moda non placet*: puto enim falſam eſſe majorem: quia credo ſignificationem actualem non eſſe ſigni cauſſalitatem, ſed ultimum ſigni effectum, de quo infra ſuo loco.

48. *Dices*: ſignificatio actualis idem eſt, quod cognitum; atqui cognitio à cognito non ſemper differt tealiter, ergo ſimiliter ſignificatio actualis non ſemper differt realiter à ſignificato: *Probatur minor*: quia cognitum cognitionis divinæ eſt eſſentia divina, atqui eſſentia divina, non differt realiter à cognitinne divina, ergo cognitio non ſemper diſtinguitur à cognito: *præterea in ſententia multorum Theologorum*: viſio beatifica etiam eſt viſio ſoiipſius, quod maximè verum eſſe debet de viſione beatificante Humanitatem Chriſti Domini Noſtri; apud illos qui volunt viſionem Humanitatis eſſe æquè extenſam, ac eſt viſio divinitatis, ſcilicet ad omnia præſentia, prætetita, futura, omniaque poſſibilia, ergo neceſſariò illa viſio etiam extendi debet ad ſeipſam, & ſic cognitum non ſempet diſtinguitur à cognitione. *Reſp* argumentum hoc totum ſolutum eſſe ſupra *dub. primò num. octavo*, dico ergo ſignificationem actualem eſſe non qnamlibet cognitionem, ſed cognitionem procedentem à ſigno; & à ſignificato realiter diverſam: unde ſi ſint, vel eſſe poſſint aliquæ cognitiones, quæ ſint cognitiones ſui ipſius; de quo tamen ego modo non curo: dico illas non poſſe eſſe ſui ipſius ſignificationes: quia ſignificatio eſt cognitio & repræſentatio non quæcumque, nec qualiſcumque; ſed alicujus alterius à ſe tealiter diſtincti: ſi hujus rationem quæras, ego à te quæram, quare ſignum ſit non qnodcumque, nec qualecumque repræſentativnm, ſed alicujus à ſe diſtincti: ſatisfacias tu primò mihi, tunc ego de tuo facilè ſatisfecero tibi.

49. *Dico ſecundò*: ſignificatio actualis à ſigno formali, & ſignificatione ejus aptirudinali non diſtinguitur realiter: at verò à ſigno inſtrumentali ac ejus aptitudinali ſignificatione diſtinguitur ſemper realiter. *Probatur prima pars*: quia ſignificatio actualis eſt idem, quod actualis cognitio, atqui ſignum formale etiam planè idem eſt, quod actualis cognitio, ut infra dicam: ſignum verò inſtrumentale non eſt cognitio, ſed eſt cognitionis aliquando phyſicè, aliquando moraliter effectivum principium, uti etiam patebit infra; ergo ſignificatio actualis cum ſigno formali realiter identificatur, à ſigno verò inſtrumentali realiter diſtinguitur: principium enim effectivum, ſive phyſicum ſive motale; ſemper realiter differt à ſuo principiato. *Et hinc ſequitur probat. ſecundæ partis*: quia ſignificatio actualis eo modo differt à ſignificatione aptitudinali ſigni, ſicut differt ab ipſo ſigno; atqui à ſigno inſtrumentali realiter differt, cum ſigno verò formali realiter identificatur: ergo ſimiliter à ſignificatione aptitudinali ſigni inſtrumentalis realiter differt, at verò ſignificationi ſigni formalis realiter identificatur. *Probatur major*: quia ſignum & ſignificatio aptitudinalis ejus in re ſibi mutuo planè identificantur: ſuntque omninò idem, ergo neceſſariò ſignificatio actualis ita differt à ſignificatione activa aptitudinali, ſicut differt à ſigno.

50. *Et hinc patet ratio fundamentalis* iſtius, quod ſupra *dub. ſecundò num.* 18. dixi, nimirùm ſignificationem actualem cum cognitione in ſigno formali planè converti, in ſigno inſtrumentali verò diſtingui ſicut includens ab incluſo: *ratio, inquam eſt*: quia ſi actualis ſignificatio & cognitio in ſigno formali aliquo modo differrent, deberent differre eo modo, quo differunt in ſigno inſtrumentali; nimirum quia ſignificatio actualis non foret ſimplex cognirio, ſed foret cognitio procedens & cauſſata à ſigno; atqui in ſigno formali ita differre non poſſunt: neque enim hic ſignificatio procedit, aut cauſſatut à ſigno: ergo nullo modo differunt, ſed ſunt plane idem. *Probatur minor*: quia inter cauſſam & cauſſatum, inter procedens & principium proceſſionis ſemper eſt, & eſſe debet diſtinctio realis: atqui ſignificatio actualis à ſigno formali non diſtinguitur realiter, ut jam dixi, ergo in ſigno formali ſignificatio actualis non eſt cognitio procedens à ſigno, ſed eſt cognitio ſumpta nudè ſecundùm ſe: & ſic ſignificatio & cognitio ibi nullo modo differunt.

51. *Dico tertiò*: ſignificatio actualis ſemper differt realiter à potentia cognoſcitiva, cui ſignificat; ſi de potentiis creatis loquaris. *Probatur*: quia ſignificatio actualis eſt cognitio actualis, atqui in creaturis ſemper cognitio differt realiter à potentia cognoſcente, tamquam accidens à ſuo ſubjecto, ergo ſignificatio actualis ſemper realiter differt à potentiis creatis, quibus ſignificat: dixi *ſi de potentiis creatis loquaris*: in Deo etenim contrarium eſt verum: cognitio Dei eſt Deo, ac intellectui divino ſignum formale creaturatum, ſicut cognitio mea eſt meo intellectui ſignum formale ſui objecti: à creaturis enim cognitis cognitio divina realiter differt, unde non video quid illi deſit ad rationem ſigni formalis; atqui cognirio divina ab intellectu divino, cui ſignificat, tealitet non differt, ergo ſignum à potentia increata, cui ſignificat, non differt realiter.

52. *Dico quartò*: etiam ſignum non ſempee realiter differt a potentia cui ſignificat. *Probatur*: quia Eſſentia Angeli eſt Angelo ſignum inſtrumentale Dei, atqui, ut mihi quidem viſum eſt, eſſentia Angeli ab intellectu, aliiſque potentiis angelicis non differt realiter, ergo ſignum à potentia, cui ſignificat, non ſemper differt realiter: *Probatur major*: quia ſignum inſtrumentale eſt id, quod mediante ſui cognitione deducit in cognitionem alterius, atqui Angelus medianti cognitione ſuæ eſſentiæ devenit in cognitionem eſſentiæ divinæ, ergo eſſentia Angeli eſt intellectui Angeli ſignum inſtrumentale Dei, & ne de prima minori litiges, ſic aſſumere poteris: intellectus Angeli eſt ſibi ipſi ſignum inſtrumentale Dei, &c. Et tunc argumentum eſt extra omne periculum litis.

DU-

DUBIUM VI.

In quo præcisè ſita ſit Eſſentia ſigni in communi?

53. RESP. *& dico primò*: de eſsentia ſigni in genere non eſt ſignificatio actualis. *Probatur*; quia ſi ſignificatio actualis foret de eſsentia ſigni in genere, etiam eſse deberet de eſsentia ſingulorum ſignorum in ſpecie; conſequens abſurdum eſt, ergò & antecedens: *patet ſequela maj. ex prima regula antepraedicamentali*: quidquid enim eſt de eſsentia generis, debet etiam eſse de eſsentia ſingularum ſpecierum ſub illo genere contentarum; *minor verò probatur*: quia ſigna inſtrumentalia v. g. omnes voces ſignificativæ, fumus, pulſus campanæ, bedera appenſa foribus, &c. ſunt verè ſigna, atqui de horum ſignorum eſsentia non eſt ſignificatio actualis, ergò abſurdum eſt dicere ſignificationem actualem eſse de eſsentia cujuſcumque ſigni in particulari: *patet minor*; quia ſi de iſtorum ſignorum eſsentia foret ſignificatio actualis, iſta ſigna non forent ſigna, niſi dum actu ſignificant, & dum quis illa videns aut audiens aliquid eorum occaſione concipit, atqui hoc in omni ſana philoſophia abſurdum eſt, ergò & id undè ſequitur; *& ratio ulterior eſt*: quia *ſignum* non eſt idem, quod *ſignificans*, ſed eſt idem quod *ſignificativum*, atqui ſicut de eſsentia *calefactivi*, *& ambulativi* non eſt actualis calefactio, aut ambulatio, ita de eſsentia *ſignificativi* neque eſse actualis ſignificatio: nam ut habet adagium canonizatum per cap. *nam concupiſcentiam de conſtit.* juncta ſummatione gloſsæ, *verba in definitionibus, & propoſitionibus doctrinalibus non ſonant actum, ſed potentiam & aptitudinem*, ergo neque ſignificatio actualis eſse poteſt de eſsentia ſigni in genere.

54. *Dico ſecundò*: de eſsentia ſigni eſt ſignificatio aptitudinalis. *Probatur*: quia de eſsentia concreti eſt abſtractum, ſive ſignificatum formale; ut de eſſentia albi eſt albedo, de eſſentia hominis eſt humanitas &c. atqui ſignificatum formale hujus concreti, *ſignum*, eſt ſignificatio aptitudinalis, ergò illa eſt de eſſentia ſigni. *Probatur minor*, quia ſignum idem eſt, quod ſignificativum ſive potens ſignificare, atqui ſignificativum, ſive potens ſignificare de formali importat potentiam activam ſignificandi, ſive ſignificationem aptitudinalem activam, uti manifeſtum eſt; ergò illa eſt ſignificatum formale hujus concreti *ſignum*; ergò illa eſt de eſſentia ſigni, unde definitio ſigni: *ſignum eſt id, quod aliquid à ſe diſtinctum potentiæ cognoſcitivæ repræſentat*; reddit hunc ſenſum: eſt id, quod aptum eſt repræſentare aliquid à ſe diſtinctum, quia uti dixi, verba definitionum non ſignificant actum, ſed aptitudinem ad actum.

55. *Obiicies primò*: ſi ſignificatio aptitudinalis foret de eſſentia ſigni in genere, etiam foret de eſſentia quorumcumque ſignorum particularium, atqui hoc falſum eſt, ergo falſum eſt & id, ex quo hoc ſequitur. *Probatur min.* quia ſignificatio aptitudinalis non eſt de eſſentia ſigni formalis, cum de hujus ſigni eſſentia ſit ſignificatio actualis. *Reſp. nego min. & probationem ejus*: & dico de eſſentia ſigni formalis eſſe utramque ſignificationem, tam actualem, quam aptitudinalem, *cujus ratio eſt*: quia in eſſentia ſpeciei non debet includi ſola eſſentia generis, ſed eſſentia generis ſimul cum eſſentia differentiæ; ſpecies enim eſt quoddam compoſitum, aut certè quoddam conſtitutum ex genere & differentia genus iſtud contrahente: ſic in eſſentia hominis involvitur non ſola animalitas, ſed animalitas ſimul & rationalitas: atqui ſignum formale eſt quædam ſpecies ſigni in communi, ergò in illius eſſentia includi debet non ſola ſignificatio aptitudinalis, quæ eſt eſſentia generis; ſcilicet ſigni in communi: ſed etiam ſignificatio actualis; hæc quippe eſt differentia ſignum in genere contrahens, & ſpeciem ſigni formalis conſtituens: ergo de eſſentia ſigni formalis debet eſſe utraque ſignificatio, tam actualis, quam aptitudinalis.

56. *Inſtabis*: ſignificatio aptitudinalis & actualis non poſſunt ſibi mutuò realiter identificari, ergò non poſſunt tamquam genus & differentia conſtituere ſignum formale; *patet conſeq.* quia ratio generis & differentiæ conſtituentium eandem ſpeciem debent ſibi mutuò realiter identificari. *Probatur verò antecedens*: quia ſignificatio aptitudinalis & actualis habent ſe ſicut potentia & actus: ſicut calefactio & potentia calefaciendi, ſicut intellectus & intellectio; atqui actus quilibet à ſua potentia realiter diſtinguitur, ergò ſignificatio actualis & aptitudinalis à ſeſe mutuò realiter debent diſtingui. *Reſp. negando antec. & diſtinguendo majorem probationis*: ſignificatio aptitudinalis & actualis debent ſe ſicut potentia & actio, vel potius ſicut potentia & effectus in ſignis inſtrumentalibus; *ſic concedo*; habent ſe taliter in omnibus omninò ſignis; *ſic nego*, nam uti dixi *dubio præcedenti*, ſignificatio actualis ab entitate, & ſignificatione aptitudinali ſigni formalis non differt realiter, adeoque in illo ſigno idem ſunt ſignum & ſignificatio, ſignificans & potens ſignificare, ſignificatio actualis & aptitudinalis: undè hæ duæ ſignificationes in hoc ſigno non poſſunt ſe habere ſicut actus & potentia, quia verum eſt inter hæc ſemper opus eſſe diſtinctione reali; ſed habent ſe ſicut actus & non repugnantia ad actum quæ duo realiter non differunt, uti evidens eſt. *Eſt ſimile argumentum, ac ſi argumentareris*: intellectus & intellectio habent ſe ſicut potentia & actus, ergò intellectus divinus & intellectio divina debent realiter diſtingui; *negabitur tibi antecedens univerſaliter ſumptum*: licet enim ut plurimum ita ſeſe habeant, non tamen ſemper, nam in Deo ſeſe habent ſicut actus & non repugnantia ad actum, quæ duo realiter non differunt. Vide quæ dicam infra agens de ſigno formali.

57. *Obiic. ſecundò*. Eſſentia ſigni ſita eſt in relatione, ergo non in aptitudinali ſignificatione. *Probatur antecedens*: quia ſunt diverſæ relationes, ſine quibus ſignum nec eſſe, nec concipi poteſt: ut ſunt relatio ſigni ad ſignificatum; ad

po-

potentiam, cui ſignificat; ad imponentem, &c. atqui illud, ſine quo res hec eſſe, nec concipi poteſt, eſt eſſentia rei, ergò eſſentia ſigni ſita eſt in hiſce relationibus. *Reſp. neg. antec. & ratio eſt*: quia ſi eſſentia ſigni in relatione ſita foret; vel illa foret prædicamentalis, vel tranſcendentalis, ſive *ſecundum dici*: atqui neutra de eſſentia ſigni eſse poteſt, ergò nulla relatio eſt de eſsentia ſigni. *Quod non ſit prædicamentalis, apud me eſt evidens*: quia relationes prædicamentales nullæ ſunt aliæ, quam unio, actio, & paſſio: ut in metaphyſica me tibi facilè perſuaſurum ſpero; de quo interim vide Magiſtrum *Baſilium Pontium de Leon. tomo* 1. *quodlibetorum quæſt.* 8. *cap.* 1. *& ſeqq.* atqui eſſentia ſigni neque in phyſica unione, neque actione, neque paſſione ſita eſt, uti patet, ergò non eſt ſita in relatione prædicamentali.

58. *Quod neque etiam in relatione tranſcendentali ſive ſecundum dici, facilè à me probatur*: relationes tranſcendentales, ſive *ſecundum dici* ſunt illi reſpectus unius rei ad aliam, ſine quibus à nobis concipi non poteſt: ut reſpectus materiæ ad formam, formæ ad materiam, potentiæ ad actus, actuum ad objecta, actionum ad terminos, ſigni ad ſignificatum, ad potentiam cui ſignificat, ad imponentem, &c. atqui hi reſpectus non ſunt eſſentiales rei reſpicienti, ergò neque ſunt de eſſentia ſigni. *Majorem hic ſupponere, quam probare malo, habeo enim quod tibi de illa in Metaph. dicam, minorem probabo paucis*: quia illi reſpectus nihil ſunt aliud, quam aggregatum, ſive compoſitum ex re reſpiciente & re reſpecta; ita tamen ut dicant rem reſpicientem in recto, rem verò reſpectam in obliquo: atqui res reſpecta non eſt de eſſentia rei reſpicientis, quis enim dicat formam eſſe de eſſentia materiæ, aut objectum de eſſentia actus, aut terminum de eſſentia actionis? ergo illi reſpectus tranſcendentales non poſſunt eſſe eſsentiales rei reſpicienti, de quo plura in metaphyſica mea.

59. *Quare ad iſtius præfati antecedentis probationem, admitto & canonizo majorem; ſed minorem tanquam falſam, captioſam, & erroneam è ſcholis eliminandam judico, ratio eſt*: quia actio non poteſt concipi ſine agente & termino ſuo, materia neque modus ſine modificato, neque actus ſine objecto, neque accidens ſine ſubjecto, & ſic infinita alia; atqui hæc omnia non ſunt eſsentialia, cum ſint extrinſeca, & realiter adæquatè diſtincta, ergò omne illud eſse rei eſsentiale, ſine quo res nec eſse nec concipi poteſt, falſum eſt, captioſum eſt, erroneum eſt: oportet ergo bene diſtinguere inter hæc duo: *eſſe alicui eſſentiale*, & *involvi in eſſentiali alicujus conceptu*; hæc enim duo non ſunt ſynonima, neque convertibilia, ſed magis & minus communia: minus commune eſt *eſſe eſſentiali*, *involvi* vero *in eſſentiali conceptu* eſt magis commune; licet quippe omne eſſentiale ſit involutum in eſſentiali conceptu, non tamen è contrario omne involutum in eſſentiali conceptu eſt eſſentiale; *& ratio à priori eſt*: quia eſſentiale idem eſt, quod ipſa eſſentia, quod ipſa entitas rei, involutum autem in eſſentiali conceptu eſt illud, ſine quo res concipi non poteſt, atqui multa ſunt, ſine quibus res concipi non poteſt, quæ tamen non ſunt ipſa eſſentia, ſive ipſa entitas rei, ut patet ex jam ſtatim dictis, ergò multa ſunt involuta in eſſentiali conceptu, quæ tamen non ſunt eſſentialia.

60. *Dico tertiò*; ſignificatio activa aptitudinalis, ſive potentia activa ſignificandi non eſt tota eſſentia ſigni; ſed inſuper de ejus eſſentia eſt potentiæ expeditio; unde de eſſentia ſigni arbitrarii etiam eſt illius ad ſignificandum impoſitio, itaque rectè dices totam ſigni eſſentiam eſſe activam ſignificandi potentiam proximè ad ſignificandum expeditam. Ob non advertentiam hujus concluſionis nonnihil quandoque hallucinatus ſui. *Probatur ergo*: quia ſi ſola potentia activa ſignificandi foret tota ſigni eſsentia, quidquid haberet hanc potentiam, hoc foret ſignum; haberet quippe totam ſigni eſsentiam; atqui hoc falſum eſt; poteſt etenim aliquid habere potentiam ſignificandi, & tamen non eſse ſignum, ergò manifeſtè ſola hæc ſignificandi potentia non eſt tota ſigni eſsentia. *Probatur min.* quia voces carentes impoſitione habent potentiam activam ſignificandi, ſive ſignificationem activam aptitudinalem, uti dixi ſupra, *dub.* 3. & tamen tales voces non ſunt ſigna quamdiu impoſitione carent, ergò poteſt quid habere potentiam ſignificandi, & tamen non eſse ſignum. *Probatur min.* quia ſignum idem eſt quod ſignificativum, ſive potens ſignificari, atqui iſtæ voces non ſunt ſignificativæ, ut ibidem dictum eſt, ergo neque ſunt ſigna; *& ratio à priori eſt*: quia eſsentia concreti eſt abſtractum, ſive ſignificatum formale, atqui hæc concreta, *ſignum ſignificativum*, *potens ſignificare*, *ambulativum*, *calefactivum*, *viſivum*, & alia ſimilia, de formali non important ſolam potentiam; ſed potentiam ſuam ſimul cum ſua expeditione: ſive important potentiam expeditam; ergò etiam ſimilium concretorum eſsentia ſita eſt non in ſola potentia, ſed in potentia expedita. *Probatur minor*: quia ſimilia concreta de formali important illam potentiam, à qua aliquid dicitur potens ſignificare, ambulare, caleſacere, videre, &c. atqui nemo vocatur potens à potentia ligata, ſed à ſola potentia expedita, ergo etiam potentia expedita eſt ſignificatum formale ſimilium concretorum. Minorem ſatis manifeſtam habes toto *dubio* 3.

DUBIUM VII.

Quid ſit ſignificatum, quid ſignificatio primaria, quid ſecundaria?

61. Significatum propriè eſt objectum ſigni: objectum namque eſt illud, quod potentia per actum ſuum attingit, circa quod per actum ſuum verſatur & occupatur: atqui ſignum, ſive potentia ſignificativa ſigni per actualem ſuam ſignificationem attingit ſignificatum, circa illud verſatur & occupatur; ergò ſignificatum propriè eſt objectum ſigni. Hinc mihi perſuaſum habeo, nobis philoſophandum eſse de ſignificato primario & ſecunda-

cundario, ſicut philoſophamur de objecto primario & ſecundario, objectum primarium confundunt ſaniores philoſophi cum objecto motivo, & objecto formali: objectum verò ſecundarium cum objecto nudè terminativo, & objecto materiali; nos ergo ſimiliter hic ſignificatum primarium cum ſignificato motivo, & formali confundemus; ſecundarium verò cum terminativo, & materiali.

62. Objectum primarium ſive motivum vocatur illud, quod per ſe & ratione ſui à potentia attingitur, eſtque ſimul ratio attingendi aliud; objectum motivum requirit duas conditiones, primo, quod à potentia attingatur ratione ſui; ſecundo quod potentiæ ſit cauſſa & ratio motiva attingendi aliud, verb. gr. cum æger appetit ſumptionem potionis amaræ ob conſequendam ſanitatem; ſanitas iſtius appetitus objectum formale eſt; per iſtum namque actum attingitur, eſtque ſimul iſti actui ratio attingendi aliud, ſcilicet potionem amaram; ſimiliter cum bonus Catholicus credit ſanctiſſimam Trinitatem ob divinam revelationem; divina revelatio iſtius fidei objectum formale eſt: ipſa enim per iſtum actum creditur, eſtque illi ſimul ratio credendi aliud. Objectum verò ſecundarium, nudè terminativum, ac materiale eſt illud, quod ab actu attingitur non per ſe nec ratione ſui, ſed ratione alicujus alterius, verb. gr. in exemplis præfatis, potio amara, & ſanctiſſima Trinitas ſunt appetitionis, & fidei objecta ſecundaria, & nudè terminativa; nudè enim illos actus terminant, non verò potentiam ad illos movent & excitant: neque illa appetitur ratione ſui, ſed ratione ſanitatis per illam conſequendæ; neque hæc creditur ratione ſui, ſed ratione divinæ revelationis de illa factæ.

63 Circa quæ objecta & hoc adverte (nam ad rem noſtram etiam faciet) potentiam ſive habitum non poſſe unquam attingere objectum ſuum materiale ac purè terminativum, niſi ſimul attingat objectum ſuum formale ac motivum: poteſt quidem attingere objectum formale ſine materiali, non tamen materiale ſine formali; attingit enim in tantum objectum ſuum materiale, quatenus, & in quantum ſubſtat, & ſibi applicatum habet objectum formale, verb. gr. voluntas nequit attingere media, niſi ſimul attingendo ipſum finem, fides nequit attingere myſterium Trinitatis, Incarnationis, aut Euchariſtiæ, niſi ſimul attingat divinam revelationem; Charitas nequit attingere proximum aut ullam rem creatam, niſi ſimul attingendo divinam bonitatem; temperantia, fortitudo, Juſtitia, &c. non poſſunt inclinare, & Impellere voluntatem ad ullam materiam, niſi illam impellendo & inclinando ad ſuam propriam honeſtatem, & ſic de aliis, *& ratio eſt:* quia potentiæ & habitus in actus ſuos prorumpere nequeunt, niſi moti & excitati à ſuis objectis, objecta enim movent & excitant ſopitas potentias: atqui objecta potentias & habitus moventia & excitantia non ſunt objecta ſecundaria, purè terminativa, & materialia; ſed ſunt objecta principalia, motiva, & formalia, uti clarum eſt, & late deducendum in principio logicæ; ergo potentiæ & habitus attingere nequeunt objecta ſua materialia, niſi ſimul attingendo objecta formalia.

64. Philoſophemur nunc planè ſimili modo de ſignificato: ſignificatum ergo primarium voco illud, quod per ſe, & ratione ſui ſignificatur per ſignum, & ratione cujus ſignificantur alia: inde etiam ſignificatum primarium requirit duas conditiones: primò ut per ſignum ſignificetur, ſecundò ut ſignificetur propter ſe, & ratione ſui, & ut ratione illius ſignificentur alia, verb. gr. *albedo* eſt ſignificatum primarium vocis, *album*; quia illa per iſtam vocem ſignificatur ratione ſui, & ratione illius ſignificantur multa alia; nimirum homo, paries, equus, bos; & cætera albedinis ſubjecta; homo enim, bos, equus, &c. per vocem, *albus*, non ſignificantur per ſe ratione ſui, ratione ſuæ nimirum humanitatis, bovinitatis, equinitatis, &c. ſed ratione albedinis humanitati, bovinitati, & equinitati ſuæ inexiſtentis, *quod patet*: quia ſi homo per vocem, *album* ſignificaretur ratione ſui, tunc quivis homo, & quovis tempore & quovis modo ſignificaretur per vocem, *album*, atqui hoc abſurdum & falſum eſt; illa quippe vox, *album*, non ſignificat homines nigros, neque rubros, neque aliter coloratos, ſed ſolos albos, idque ſolum eo tempore, quo albi ſunt (quod non probo, quia puto eſſe clarum, & à nemine controvertendum) ergo homo per vocem *album*, ſignificatur non ratione ſui, ſed ratione albedinis ſuæ. *Probatur ſequela mai.* nam quia homo per ſe, & ratione ſui ſignificatur per hanc vocem, *homo*, aut hanc vocem, *animal*, ideò per iſtam vocem ſignificatur omnis homo, & omni tempore & omni modo, quomodocumque ſeſe habeat, ſive ſit albus, ſive niger, ſive doctus, ſive indoctus, ſive germanus, ſive hiſpanus, omnes enim ſignificantur per vocem, *homo*, ergo ſimiliter ſi homo ratione ſui ſignificaretur per vocem, *album*, quivis homo, & quovis tempore & modo per iſtam vocem ſignificaretur.

65. *Et ratio à priori eſt:* quia quæ alicui conveniunt ratione ſui, illorum convenientia eſt independens ab accidentibus, verb. g. quia convenit homini ratione ſui eſſe animal, aut eſſe rationale; idcirco illa illi conveniunt, quomodocumque ſe homo quoad ſua accidentia habeat; ergo ſi ſignificari per vocem, *album*, conveniret homini ratione ſui, hujus convenientia foret omnino independens ab hominis accidentibus; adeoque conveniret homini tam bene quando eſt albus, quam quando eſt niger, tam bene quando eſt niger, quam quando eſt albus. *Probatur antecedens*: quia convenire alicui ratione ſui, hoc eſt illi convenire ratione ſuæ entitatis; ergo illa quæ conveniunt ratione ſui habent convenientiam omnino independentem ab accidentibus iſtius, cui conveniunt. *Patet conſeq.* quia tam diu manet alicujus ad aliquid convenientia, quam diu manet iſtius convenientiæ fundamentum, atqui illa quæ alicui conveniunt ratione ſui, ſive ratione ſuæ entitatis, pro ſuæ convenientiæ fundamento habent ipſum, ſive ipſam ipſius entitatem;

ergo

ergo manente hanc entitate, & quomodocumque & qualitercumque variatis, alteratis, ſublatis & tranſportatis ejus accidentibus, ſemper manet illa convenientia; & ſic talia habent convenientiam planè independentem ab accidentibus illius, cui conveniunt.

66. Similiter albedo in communi eſt ſignificatum primarium hujus vocis, *albedo*, illa enim per iſtam vocem ſignificatur ratione ſui, & ratione illius ſignificantur hæc, iſta & illa *albedo*, omneſque aliæ albedines ſingulares: hæ namque per vocem, *albedo*, ſolum ſignificantur quatenus in ſe participant, & habent albedinem in communi; idem videre eſt in vocibus ſubſtantialibus: v.g. vox *homo* de principali ſignificat humanitatem, ſecundario verò ſignificat omnia humanitatis ſuppoſita; hæc enim ſignificat non ratione ſui, ſed ſolum ratione humanitatis in illis ſuppoſitatæ: pone namque per poſſibile, vel impoſſibile, ut ſuppoſitum meum, quod modo eſt ſignificatum vocis, *homo*, ſpoliatum mea humanitate incipiat ſuppoſitare brutalitatem, tunc amplius non erit ſignificatum vocis, *homo*, ſed fiet ſignificatum vocis *brutum*: ergo manifeſtum eſt illud per vocem, *homo*, non ſignificari ratione ſui, ſed ratione humanitatis in ſe ſuppoſitatæ. *Patet antec.* quia vox, *homo*, ſignificat omnia ſuppoſita ſuppoſitantia ac habentia humanitatem; atqui ſi ſupponas ſuppoſitum meum privari humanitate, & ſuppoſitare brutalitatem, tunc non erit amplius ſuppoſitum humanitatem, ſed erit brutalitatem ſuppoſitans; ergo tunc deſinet eſſe ſignificatum vocis, *homo*, & fiet ſignificatum vocis, *brutum*: *ſimiliter*: humanitas in communi eſt ſignificatum principale hujus vocis, *humanitas*, illa enim per iſtam vocem ſignificatur ratione ſui, & ratione illius etiam ſignificantur humanitas mea, & humanitas tua, humanitas Petri, & humanitas Pauli, aliæque omnes humanitates ſingulares: hæ etenim per iſtam vocem ſolummodo ſignificantur, quatenus & in quantum humanitas in communi principaliter ſignificata illis inexiſtit, & ab illis participatur: rectè ergo definitur ſignificatum primarium eſſe illud, quod per ſignum ſignificatur ratione ſui, & ratione cujus ſignificantur alia.

67. Hinc ſignificatum ſecundarium voco illud, quod per ſignum ſignificatur non ratione ſui, ſed ratione alicujus alterius ſibi conjuncti; unde ad ſignificatum ſecundarium etiam duæ requiruntur conditiones; primò, quod per ſignum ſignificetur; ſecundò, quod ſignificetur non ratione ſui, ſed ratione alterius ſibi conjuncti: quod ſatis patet conſideranti exempla jam adducta: circa quæ ſignificata hoc adverte: quod licet primarium ſignificari poſſit ſine ſecundario, non tamen poteſt ſecundarium ſine primario. *Primum patet ex illa propoſitione, quam habemus in Hymno SS. Ambroſii, & Auguſtini: tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, &c.* quia ſignificatum vocis, *homo*, eſt humanitas; ſignificatum verò ejus ſecundarium eſt ſuppoſitum humanitatem principaliter ſignificatam ſuppoſitans; atqui in illa præfata propoſitione vox, *hominem*, ſupponit pro ſola humanitate, & non pro ſuppoſito, ac per conſequens ſignificat ſolam humanitatem ſine ſuppoſito, voces namque illud ſignificant, pro quo ſupponuntur; ergo ſignificatum primarium per ſignum aliquando ſignificatur ſine ſecundario. *Probatur minor*: quia ſi illa propoſitione vox, *hominem*, ſignificaret ſuppoſitum; vel ſignificaret ſuppoſitum creatum, vel increatum; atqui neutrum ibi ſignificare poteſt: ergo nullum ſignificare poteſt; *patet minor*: quia ſi illa vox ibi ſignificaret ſuppoſitum, ſignificaret utique ſuppoſitum à verbo divino aſſumptum; quod enim ſignificaret aliud, nam vox, *hominem*, ibi regitur à participio activo, *ſuſcepturus*? atqui divinum verbum neque creatum, neque increatum ſuppoſitum aſſumpſit: non utique creatum; quia ſic docet fides catholica: neque etiam increatum; quia aſſumi ſolum convenit extrinſecis, & ſeparabilibus, quale non eſt ſuppoſitum divinum reſpectu verbi divini; ergo in iſta propoſitione illa vox, *hominem*, neutrum ſuppoſitum, adeoque nullum ſuppoſitum ſignificat, de quo plura adhuc infra.

68. *Secundum verò facilè probari poteſt inductione*: conſidera namque bene, & nuſquam reperies ſignificatum ſecundarium ſine primario ſignificari; *& ratio eſt*: quia ſignificatum ſecundarium eſt illud, quod per ſignum ſignificatur non ratione ſui, ſed ratione alterius; ergo nunquam ſignificari poteſt ſe ſolo ſine primario. *Patet conſeq.* quia ſi ſe ſolo ſine primario ſignificaretur, tunc non ratione alterius, ſed ratione ſui ſignificaretur; & ſic non ſecundarium, ſed primarium ſignificatum foret; *& ratio ulterior eſt*: quia ſignificatum primarium & ſecundarium habent ſe ad ſuum ſignum, ſicut ſe habent objectum formale & materiale ad ſuam potentiam ſive ſuum habitum, *uti dixi in principio dubii*: atqui neque habitus, neque potentia verſari poſſunt circa objectum materiale ſine formali, *ut ibidem dixi*; ergo neque ſignum ſignificare poteſt ſignificatum ſecundarium ſine primario.

DUBIUM VIII.

Quædam de ſignificato quæſtiuncula.

69. PEtes primo: quomodo ſignificatum primarium & ſecundarium à ſe mutuo diſtinguantur; re vel ratione? & ratio dubitandi ſumitur ex jam data definitione ſignificati ſecundarii: *eſt illud, quod per ſignum ſignificatur non ratione ſui, ſed ratione alterius ſibi conjuncti*: quæritur enim an iſtud alterum debeat eſſe alterum alteritate reali, an verò ſufficiat alteritas rationis? *Reſp. primo*: hæc duo ſignificata ſæpiſſimè differunt realiter. *Patet hoc inductione exemplorum*: nam vox, *album*, pro ſignificato primario albedinem, pro ſecundario hominem, parietem, bovem, &c. habet; vox *homo*, pro primario humanitatem, pro ſecundario ſignificato ſuppoſitum habet, à ſuppoſitata in ſe humanitate realiter diſtinctum. *Reſpond. ſecundo*: quandoque tamen hæc ſignificata ſola ratione differunt: *hoc etiam inductione patet*: quia vox,

Deus,

Digitized by Google

Deus, de principali deitatem, de minus principali divinas perſonas, ac ſubſiſtens deitatis abſolutum ſignificat, quæ omnia realiter non differunt: item in hac propoſitione, *humanitas eſt rationalis*, vox, *rationalis*, in recto & de materiali ſignificat humanitatem, de qua prædicatur; de formali verò ſignificat rationalitatem, quæ duo realiter non differunt.

70. *Petes ſecundò*: an ſignificatum primarium cum formali, & ſecundarium cum materiali poſſit & debeat planè confundi, & converti? *Reſp. primò*: hæc inter ſe paſſim non confundi, neque converti, ſed ſeſe habere ut magis & minus communia; ita ut omne ſignificatum formale ſit primarium, non tamen è contra: & omne materiale ſit ſecundarium, non tamen contra, & *ratio eſt*: quia ſignificatum materiale, & formale ſoli voci concretæ tribuitur; at verò ſignificatum primarium, & ſecundarium non ſolis concretis, ſed tam abſtractis, quam concretis vocibus; neque ſolis vocibus, ſed etiam quibuſcumque aliis ſignis adſcribitur, unde ſignificatum formale, & materiale ſunt ſignificatum primarium & ſecundarium ſolius vocis concretæ. *Reſp. ſecundò*: qui tamen hæc ſignificata inter ſe confunderet, & converteret, nullum in philoſophia peccatum committeret, ut patet ex comparatione ſignificati cum objecto facta in *principio dubii*, in re levi tamen ex levi fundamento nolim eſſe ſchiſmaticus, unde hæc inter ſe nunquam amplius confundam, vel ſi confundendi occurrerit opportunitas, hujus ego te præmonebo.

71. *Petes tertiò*: quomodò ſe habeant ſignificatum primarium & rectum, item ſignificatum ſecundarium & obliquum? *Reſp. primò*: ſignificatum rectum eſſe illud, quod per vocem importatur in caſu recto, ſive nominativo; ſignificatum obliquum eſſe illud, quod per vocem importatur in caſu aliquo obliquo; v. g. in voce, *homo*, ſignificatum rectum eſt ſuppoſitum ſive perſona, ſignificatum verò obliquum eſt humanitas; item in voce, *albus*, ſignificatum rectum eſt corpus: obliquum verò eſt albedo; nam dum exponis ſignificationem iſtarum vocum, *homo*, & *album*, dicendo *homo eſt ſuppoſitum habens humanitatem*, & *corpus habens albedinem*: importas ſuppoſitum & corpus in recto, humanitatem vero & albedinem in obliquo. Audivi ſemel trivialem quendam philoſophum diſtinguentem ſignificatum *rectum grammaticaliter*, & *rectum logicaliter*, ſed diſtinctionem illam, & membra ejus: ſcilicet ſignificati rectitudinem grammaticam & logicam, ego libenter edoctus fuiſſem: aſt ille hæſit, nec potuit, neque hoc mirum: nam ſignificati rectitudo nulla eſt logica, nulla phyſica, nulla juridica, theologica, aut medica; ſed omnis eſt grammatica: unde id, quod grammaticus vocat ſignificatum rectum, etiam tale vocare debet logicus, phyſicus, medicus, juriſperitus &c. cognitio quippe ſignificati recti non eſt logico, phyſico, medico, juriſperito, propria; ſed aliena, & à grammatico mutuata.

72. *Reſp. ſecundò*: ſignificatum rectum & ſignificatum materiale, item ſignificatum obliquum & ſignificatum formale, habent ſe ſicut magis & minus communia: ita ut ſignificatum rectum, & obliquum ſunt magis communia, materiale vero & formale ſint minus communia: nam ſignificatum materiale & formale ſunt ſignificatum rectum & obliquum non cujuſcumque vocis, ſed ſolius vocis concretæ: hæc namque vox, *rationalitas*, pro ſignificato ſuo recto habet principium formale operationum mentalium (rationalitas namque nihil eſt aliud, quam hoc formale principium) quod tamen principium non eſt illius vocis ſignificatum materiale; cum ſit vox abſtracta ſignificato materiali carens: ipſius vero ſignificatum obliquum ſunt ipſæ operationes mentales, quæ tamen non ſunt ſignificatum iſtius vocis formale; cum ſint ſignificatum ſecundarium: & præterea vox illa, utpote abſtracta, ſignificatio formali careat: ergo ſignificatum rectum latius, quam materiale; & obliquum latius patet, quam formale.

73. Cum dico: *ſignificatum materiale converti, ac eſſe idem cum ſignificato recto vocis concretæ*: id cum grano ſalis intelligere debes, debes hoc, inquam, intelligere de voce concreta recta, ſeu in caſu recto poſita, hoc ſenſu; *ſignificatum materiale convertitur cum ſignificato recto vocis concretæ rectæ*. Etenim cum ſignificato recto vocis concretæ obliquæ converti non poteſt: hæc enim ſignificatum rectum non habet; licet tamen habeat ſignificatum materiale: cum eo autem, quod non eſt, nihil poteſt converti; & *ratio eſt clara*: quia ſolæ voces rectæ habent ſignificatum rectum, ergo voces obliquæ, ſive concretæ ſint, ſive abſtractæ, non poſſunt habere ſignificatum rectum, adeoque cum dico in voce concreta ſignificatum rectum converti cum ſignificato materiali, de voce recta, non de obliqua, ſum intelligendus.

74. *Reſp. tertiò*: ſignificatum primarium & rectum; item ſecundarium & obliquum habent ſe ſicut excedentia & exceſſa: *ratio eſt*: quia excedentia & exceſſa vocantur illa, quæ de ſeſe mutuo particulariter affirmantur, & negantur: atqui ſignificatum rectum & primarium; item ſignificatum obliquum & ſecundarium ſunt talia: nam aliquod ſignificatum rectum eſt primarium, & aliquod non eſt primarium; item aliquod obliquum eſt ſecundarium, & aliquod non eſt ſecundarium, ergo ſunt excedentia & exceſſa. *Probatur minoris primæ pars, in hac voce, homo, & voce, humanitas*, nam ſignificatum rectum ac ſimul ſecundarium vocis, *homo*, eſt ſuppoſitum; ſignificatum rectum, ac ſimul primarium vocis, *humanitas*, eſt humanitas, ſive natura humana: ergo ſignificatum rectum aliquando eſt, aliquando non eſt ſignificatum primarium. *Secunda minoris pars probatur in eiſdem iſtis vocibus*: quia ſignificatum obliquum, ac ſimul primarium vocis, *homo*, eſt humanitas: ſignificatum vero obliquum ac ſimul ſecundarium vocis, *humanitas*, ſunt operationes humanæ; ergo etiam ſignificatum obliquum aliquando eſt, aliquando non eſt ſignificatum ſecundarium.

75. *En quibus tandem patet*: quid ſit ſignificatio primaria, quid ſecundaria, tam actualis, quam apri-

aptitudinalis: primaria ergo eſt illa, qua ſignum actu vel potentia ſignificat ſignificatum ſuum primarium: ſecundaria verò eſt illa, qua ſignum actu vel potentia ſignificat ſuum ſignificatum ſecundarium, quæ duæ ſignificationes, ſive de actualibus, ſive de aptitudinalibus loquaris, non diſtinguuntur realiter: *de aptitudinalibus eſt manifeſtum*: quia quæcumque identificantur eidem tertio, identificantur etiam ſibi mutuo, atqui ſignificatio aptitudinalis primaria, & ſecundaria identificantur eidem tertiò; identificantur enim ſuo ſigno, cujus ſunt ſignificationes, *ut dictum eſt ſupra*: ergo identificantur ſibi mutuo. *De actualibus etiam probatur*: quia ſignificatio actualis primaria & ſecundaria ſunt conceptus, quibus concipimus ſignificatum primarium & ſecundarium; atqui hæc duo ſignificata, ſi fortaſſe non ſemper (quod modo examinare non volo) ſaltem ordinariè concipimus unico conceptu: ergo etiam ſignificatio primaria & ſecundaria actualia ordinariè non differunt realiter; *& ratio ulterior eſt*: quia ſignificatum primarium & ſecundarium comparantur ad ſignum & ſignificationem actualem, ſicut objectum primarium & ſecundarium comparantur ad potentiam & actum ejus; atqui potentia ordinariè unico actu attingit utrumque hoc ſuum objectum: ergo ſimiliter ſignum unica actuali ſignificatione attinget, & ſignificabit utrumque hoc ſuum ſignificatum.

76. Abeo, & à ſigno in communi ad ſpecies ejus tranſeo: antequam tamen abeam, hoc tibi adhuc intimatum volo: ſcilicet poſſe res, non variata vocum impoſitione ac ſignificatione, migrare de ſignificatione unius vocis ſub ſignificationem alterius: *patet hoc*: quia ego & paries cubiculi noſtri modo continemur ſub ſignificatione vocis, *album*; ſi autem denigremur, migrabimus à ſignificatione vocis, *album*, ad ſignificationem vocis, *nigrum*: item meum ac tuum ſuppoſitum modo continentur ſub ſignificatione vocis, *animal*, & vocis, *homo*; pone verò quod hæc ſuppoſita rejectis noſtris humanitatibus incipiant ſuppoſitare naturas lapideas, aut arboreas, à ſignificatione vocum, *homo*, & *animal*, tranſibunt ad ſignificationem vocis, *lapis*, vel vocis *planta*. *Ratio eſt*: quia voces concretæ in recto ſignificant omne illud, & ſolum illud, in quo reperiunt ſuum ſignificatum formale; ergo quamdiu ego & paries noſter retinemus albedinem formaliter ſignificatam per vocem, *albus*, manemus ſignificata recta iſtius vocis: quandiu meum & tuum ſuppoſitum, ſuppoſitant humanitatem principaliter ſignificatam per vocem, *homo*, ſub iſtius vocis ſignificatione manent. Aſt ſi ego & paries noſter ſemel denigremur, ſtatim tranſibimus à ſignificatione vocis, *album*, ad ſignificationem vocis, *nigrum*: tunc quippe in nobis habebimus nigredinem, per iſtam vocem principaliter ſignificatam; ſi meum & tuum ſuppoſitum ſemel ejiciant noſtras humanitates, & incipiant ſuppoſitare naturas lapideas vel arboreas; ſtatim etiam tranſibunt à ſignificatione vocis, *homo*, ſub ſignificationem vocis *lapis*, aut *planta*, cujus in ſe receperint ſignificatum formale.

DISPUTATIO III.

De ſigno naturali, & arbitrario, ſeu impoſito.

DUBIUM I.

Quid ſit ſignum naturale, quid arbitrarium?

1. SIgnum naturale aliqui definiunt hoc modo: *ſignum naturale eſt id, quod potentiam ſignificandi à natura habet, arbitrarium verò eſt id, quod potentiam ſignificandi ab impoſitione alicujus agentis intellectualis habet*; ſed hæ definitiones non ſunt congruæ: quia tam arbitrarium, quam naturale ſignum potentiam ſignificandi habent à natura, non verò ab impoſitione; ſignificandi quippe potentia cum entitate tam arbitrarii, quam naturalis ſigni eſt realiter identificata: unde ſignum arbitrarium ab illo habet ſignificandi potentiam, à quo habet ſuam entitatem, atqui entitatem ſuam non habet ab imponente, neque ab impoſitione; ſed à natura, vel ab auctore naturæ: ergo ſimiliter à natura habet potentiam ſignificandi.

2. Hoc ergo modo definienda ſunt: *ſignum naturale eſt illud, quod completam & expeditam ſignificandi potentiam habet à natura ſua: arbitrarium verò eſt id, quod completam ac expeditam ſignificandi potentiam ab impoſitione alicujus agentis intellectualis habet*, v. g. fumus reſpectu ignis, fletus reſpectu immoderati alicujus luctus aut gaudii conceptus reſpectu ſui objecti ſunt ſigna naturalia: quia ſive quis illas res ad iſtas alias ſignificandas imponat, ac deputet, ſive non; illæ tamen ex ſe ad ſignificandum aptæ, & proximè capaces ſunt; at verò voces reſpectu rerum à ſe ſignificatatum, item pulſus campanæ, aut ictus tympani, aut cantus tubæ reſpectu faciendæ lectionis, congregandi militis, aut committendi prælii ſunt ſigna arbitraria: quia licet ad iſtas res aut actiones ſignificandas ex ſe potentiam habeant, tamen potentia iſta ligata, & impedita eſt, donec per alicujus agentis intellectualis impoſitionem aut deputationem ſolvatur, ac expediatur, ut ſupra *diſputat. 2. dubio 3.* declaratum eſt: ſigna ergo arbitraria ab imponente non accipiunt ſignificativam potentiam, ſed ſolummodò ſignificativæ potentiæ expeditionem: & ſic patet bonitas præfatarum definitionum: quid autem ſit hæc expeditio potentiæ ſignificativæ dixi *ibidem loco citato*, nihil quippe eſt aliud, quam rei ex ſe ad quamcumque rem ſignificandam indifferentis, ad certam aliquam determinatio, applicatio, ac deputatio; vide quæ dicam infra in decurſu hujus diſp.

3. *Ratio verò*: cur quædam res, ut ſigna ſint, indigeant, quædam verò non indigeant hac deputatione, & per conſequens cur quædam res ſint ſigna naturalia, quædam verò arbitraria, *eſt hæc*: quia ut una res poſſit ſignificare aliam, debet illi eſſe debitè connexa & applicata; ſicut enim operationes phyſicæ ac reales

les

les pro neceſſaria conditione ſibi prærequirunt applicationem ſeu approximationem localem; ſic etiam operationes intentionales, qualis eſt ſignificatio, prærequirunt ſibi certam operantis ad operationis objectum applicationem intentionalem; atqui quædam res ad quaſdam alias ſufficienter ſunt applicatæ (v. g. fumus ad ignem, imago Cæſaris ad Cæſarem, riſus ad internam lætitiam) per intrinſecam ac naturalem mutuæ concomitantiæ, ſimilitudinis, aut cauſſalitatis connexionem: quædam vero (v. g. ſacramenta noſtra cum gratia, charactere, aliiſque ſuis effectibus ſupernaturalibus: voces omnes cum rebus à ſe ſignificatis: pulſus campanæ, aut ictus tympani cum facienda lectione; aut congregando milite nullam habent intrinſecam aut naturalem connexionem, ſed omnimodam indifferentiam: ſacramentum namque baptiſmi ex ſe non magis petit ſignificare characterem baptiſmalem, quam Epiſcopalem; vox *homo* non plus petit aut debet ſignificare naturam humanam, quam equinam, aut bovinam; ergo hæc & ſimilia ſigna ad quamvis rem ſignificandam indifferentia debuerunt ad certam aliquam rem applicari, quæ applicatio nihil eſt aliud, quam impoſitio & deputatio, & ſic hæc ſigna ſunt arbitraria, quia ſcilicet eorum ſignificatio poſita eſt in hominis, vel cujuſcumque alterius arbitrio: ſicut enim modo applicata ſunt ad ſignificandum hoc, ita pro libertate arbitrii applicari ac imponi potuerunt ad ſignificandum iſtud; alia verò iſta priora naturalia ſunt; quia eorum ad ſignificandum applicatio, non à libertate arbitrii, ſed à neceſſitate naturæ ortum habet.

4. Alii quæſtionem, ſive difficultatem hanc ſic proponunt, in quo fundetur ſignificatio naturalis, in quo arbitraria? ſive quodnam ſit fundamentum ſignificationis tam naturalis; quam arbitrariæ? *ſed reſolutio eſt eadem*; dico ergò fundamentum ac radicem ſignificationis in communi eſſe connexionem unius rei cum alia re, ratione cujus connexionis nos poſſimus devenire ex una re in cognitionem alterius; fundamentum verò ſignificationis naturalis eſt connexio rerum orta ex intrinſecis earum principiis; ſicut ſignificationis arbitrariæ fundamentum ac radix eſt rerum connexio orta ex ſola extrinſeca ordinatione ac deputatione alicujus agentis intellectualis: quæ verò ſint illæ connexiones in particulari: quæ fundent ſignificationem tam naturalem, quam arbitrariam; vagum & longum foret dicere, & uſu melius, quam longis præceptis & regulis diſces. Interim videre potes *Laurentium giffene*.

5. Ex his ſequitur primò: inter ſigna naturalia quædam eſſe planè certa & infallibilia, utpote quæ potentiam cognoſcitivam nunquam decipiant, nec in errorem inducant; aliqua verò eſſe fallibilia; id eſt, talia quæ potentiam quandoque decipiant, ac in errorem inducant, & inter hæc aliqua magis, aliqua minus: *ratio eſt*: quia talis, id eſt tam firma, tam certa, ac tam infallibilis eſt ſigni ſignificatio, quam eſt ſigni cum ſuo ſignificato connexio: tanta quippe eſt firmitas radicati, quanta eſt radicis radicantis, atqui connexio ſigni naturalis cum ſuo ſignificato quandoque eſt omnino firma, immobilis & ſempiterna; quandoque verò eſt mobilis, fallibilis, & variabilis: ergo ſimiliter illius ſignificatio quandoque certa; quandoque dubia ac incerta eſt. *Patet minor*: quia v. g. eclypſis ſolaris eſt ſignum naturale interpoſitæ lunæ inter ſolem ac noſtrum adſpectum, fumus eſt ſignum naturale ignis, fletus ſignum naturale triſtitiæ, &c. atqui eclypſia ſolaris cum interpoſita luna inter ſolem & terram habet connexionem (per mutuam ſaltem) planè immobilem, & invariabilem; at vero connexio fumi cum igne, item connexio fletus cum interna triſtitia eſt fallibilis & variabilis; nam non ſolum

—— Summa procul villarum culmina fumant. verum etiam

Et jam tempus equum fumantia ſolvere colla.

Et *inſula Creta*

—— Tenuem exhalat nebulam, fumoſque volucres.

Ergò ſignum naturale cum ſuo ſignificato quoddam habet connexionem infallibilem & immobilem; quoddam verò fallibilem & mobilem, *eodemque modo philoſophandum eſt de ſigno arbitrario*: ſcilicet ſignificationem ejus quandoque eſſe planè certam ac infallibilem, uti contingit in ſacramentis novæ legis, ſæpè vero incertam & dubiam, uti ſæpè contingit in vocibus humanis: quid enim facilius quam mentiri & verba dare? nam

Promiſſis dives quilibet eſſe poteſt.

6. *Sequitur ſecundò*, quod inter ſignum naturale & arbitrarium ſit duplex notabile diſcrimen; primum eſt: quod ſignum naturale ubique gentium ſignificet idem ſignificatum v. g. fumus ubique ſignificat ignem, fletus ubique triſtitiam, riſus ubique lætitiam, &c. at verò ſignum arbitrarium apud diverſas gentes, immò & apud eandem gentem diverſo tempore diverſa ſignificat ſignificata, v. g. hedera appenſa foribus hic Coloniæ ſignificat vinum venale, apud Hiſpanos vel Italos poteſt ſignificare aliud quid planè diverſum, item pulſus ejuſdem campanæ matutinus apud nos faciendam lectionem, meridianus faciendam refectionem, veſpertinus faciendam capitularem congregationem ſignificat; *& ratio eſt*: quia ſignificatio ſigni naturalis oritur ex intrinſeca rerum natura; ſignificatio verò ſigni arbitrarii proximè oritur ex voluntaria hominum deputatione: atqui natura rerum ubique gentium eſt invariata, ac planè eadem; ubique namque gentium fumus eſt effectus ignis, riſus lætitiæ, fletus triſtitiæ &c. voluntas verò & deputatio hominum eſt ſæpiſſimè plane diverſa: ergo etiam ſignificatio naturalis ubique eſt eadem, ac invariata; ſignificatio verò arbitraria pro variatione humanæ deputationis etiam variatur, ac mutatur.

7. *Secundum diſcrimen eſt*: ſignum naturale ubique gentium eſt ſignum; ſignum verò arbitrarium ſæpè apud unam gentem eſt ſignum, apud alteram non, v. g. vox *homo* quæ apud latinos ſignum naturæ humanæ eſt, apud Germanos nullius rei ſignum eſt, quod generale eſt in omnium gentium & nationum vocabilis ſeu idiomatibus: voces enim quæ apud

unam gentem ſunt ſignificativæ, apud alteram non ſunt; *& ratio eſt:* quia voces habentes apud unam gentem totam eſſentiam ſigni, apud alteram totam ſigni eſſentiam non habent; ergo voces, quæ apud unam gentem ſunt ſigna, apud alteram non ſunt. *Probatur antec.* quia uti dixi *diſp. 2. dub. 6. ſub finem*, tota eſſentia ſigni arbitrarii non eſt ſola ſignificatio aptitudinalis; ſed eſt ſignificatio aptitudinalis ſimul cum ſua impoſitione: atqui voces apud unam gentem habentes impoſitionem, apud aliam impoſitione carent; ergo voces apud unam gentem totam ſigni eſſentiam habentes, apud alteram non habent illam totam.

DUBIUM II.

Quæ, & qualis ſit præfata ſigni diviſio?

8. PRæfata ſigni diviſio eſt adæquata, immediata, univoca, ac generis in ſpecies, *quod adæquata ac immediata ſit; probatur:* quia diviſio adæquata ac immediata eſt illa, in qua membra ſub diviſo immediatè continentur, & cum diviſo convertuntur; atqui ſignum naturale & arbitrarium, quæ hic membra dividentia ſunt, cum ſigno in communi hic diviſo convertuntur, ac immediatè ſub illo continentur: vel ſi hoc negas, da mihi membra immediatiora ac adæquata: *Probatur min.* quia illa membra dividentia convertuntur cum ſolo diviſo, quæ intra ſuum diviſum nullum habent medium; illa etenim talia ſunt, ut nihil contineatur ſub diviſo, quin etiam contineatur ſub ipſis: atqui ſignum naturale & arbitrarium intra totam ſigni latitudinem nullum habent medium; nullum quippe eſt aſſignare ſignum, quod neque naturale, neque arbitrarium ſit; ergò hæc membra dividentia cum ſuo convertuntur diviſo. *Probatur min.* quia contradictoria, ac etiam extrema poſitiva involventia contradictionem, nullum habent medium; atqui hæc membra dividentia, ſcilicet ſignum naturale & arbitrarium, ſunt duo extrema poſitiva involventia contradictionem: nam ſignum arbitrarium eſt id, quod habet potentiam ſignificandi expeditam ab extrinſeco; naturale verò eſt id quod potentiam ſignificandi habet expeditam ab intrinſeco, quæ duo manifeſtè ſibi mutuo contradicunt, ergo hæc duo membra dividentia intra totam ſigni latitudinem nullum habent medium.

9. *Quod univoca, & generis in ſpecies ſit, etiam probatur*, quia diviſio generis in ſpecies eſt illa, in qua diviſum eſt genus reſpectu membrorum dividentium; atqui ſignum in communi hic diviſum reſpectu arbitrarii & naturalis ipſum dividentium eſt genus: ergò hæc diviſio eſt generis in ſpecies, adeoque ſimul univoca: omne enim genus prædicatum univocum eſſe debet. *Probatur min* quia genus eſt prædicatum, quod prædicatur eſſentialiter de multis differentibus ſpecie in ſuo ſignificato formali: de qua definitione multa tibi dicam in Anti-porphyrio: atqui ſignum in communi reſpectu naturalis & arbitrarii eſt tale prædicatum ergo eſt genus: *Probatur minor*: quia ſignificatum formale hujus concreti, *ſignum*, eſt potentia ſignificativa ad ſignificandum expedita; *ut jam aliquoties dictum & probatum eſt:* atqui potentia ſignificativa ad ſignificandum expedita, quæ eſt in ſigno arbitrario, eſt ſpecie diverſa ab illa, quæ eſt in naturali; ergo hæc duo ſigna differunt ſpecie in ſignificato formali ſigni: ergò ſignum eſt prædicatum prædicabile de multis differentibus ſpecie in ſuo ſignificato formali. *Probatur minor*: quia potentia ſignificativa ad ſignificandum expedita, quæ eſt in ſigno arbitrario, eſt entitas illius ſigni ſimul cum illius impoſitione, ſive ad ſignificandum deputatione; potentia verò ſignificativa ad ſignificandum expedita, quæ eſt à ſigno naturali, eſt illius entitas cum illius naturali ad ſuum ſignificatum connexione & proportione; atqui, *uti patet*, hæc duo ſunt planè diſtincta, ac ſpecie diverſa: ergò potentia ſignificativa ad ſignificandum expedita, quæ eſt in arbitrario, eſt ſpecie diſtincta ab illa, quæ eſt in naturali ſigno.

10. *Obiicies primò*: ſpecies diviſivæ ejuſdem generis, præſertim ſi mutuam contradictionem involvant, debent ſibi mutuo repugnare; atqui ſignum arbitrarium & naturale ſibi mutuo non repugnant: ergò non poſſunt eſſe ſpecies diviſivæ ejuſdem generis: ergò præfata ſigni diviſio nequit eſſe generis in ſpecies. *Probatur minor*: quia repugnantia ſunt, quæ non poſsunt verificari ſimul de eodem, *ut traditur in poſt prædicamentis*: atqui ſignum arbitrarium & naturale verificari poſsunt de eodem; poteſt quippe eadem res, non ſolum reſpectu diverſorum, ſed etiam reſpectu ſignificati ejuſdem, eſſe ſimul arbitrarium, & naturale ſignum, v. g. Iris eſt ſignum arbitrarium non futuri amplius generalis diluvii, & ſignum naturale nubis roridæ depluentis, aut certè jam depluituræ: & ſanè quid vetat eandem itidem inſtitui & deputari ad ſignificandum eundem nubis rorem, pro hominibus indoctis, iridis ortum, naturam, ac naturalem ſignificationem ignorantibus? ergo ſignum naturale & arbitrarium ſibi mutuo non repugnant. *Reſp. diſt. maj.* ſpecies diviſivæ ejuſdem generis debent repugnare quoad eſſentiam, *id eſt*, debent habere diverſas ac diſſimiles eſſentias, ita ut eſſentia unius non ſit eſſentia alterius; *ſic concedo*; debent repugnare quoad in eodem ſubjecto vel ſuppoſito inexiſtentiam, *ſic nego*: hoc enim planè falſum eſt etiam in illis ſpeciebus, quæ aſſignantur per terminos contradictorios, involvuntque mutuam contradictionem, *quod oſtendo diverſis exemplis:* nam ſubſtantia & accidens ſunt ſpecies per terminos contradictorios dividentes ens; & tamen non repugnant quoad exiſtentiam intra idem ſuppoſitum, vel ſubjectum: nam formæ ſubſtantiales recipiuntur in eadem materia prima cum accidentibus, item forma materialis & immaterialis ſunt membra per terminos contradictorios dividentia formam in communi; & nunquid tamen forma carnis, oſſis, nervi, aliæque partiales, ſimul cum anima rationali exiſtunt in eodem ſuppoſito, in eodem ſubjecto, eadem nimirum materia prima? item in

tua

tua communi ſententia, linea, ſuperficies, & corpus ſunt ſpecies contradictoriæ quantitatis, nonne tamen in eodem ſubjecto ſunt? infinita poſſem tibi adducere exempla, ſi ratio me urgeret ſimiliter; ergo hic in caſu noſtro poterunt ſignum arbitrarium & naturale eſſe ſpecies per terminos contradictorios dividentes ſignum in communi, quantumvis in eadem re ſeſe mutuo compatiantur exiſtere, cum hac omnque compatibilitate quoad inexiſtentiam ſemper habent incompatibilitatem, & repugnantiam quoad eſſentiam; ſemper enim ſignificatio arbitraria eſt diſparata & realiter diverſa à ſignificatione naturali, quia, *uti dixi*, ſignificatio naturalis importat entitatem rei cum ſua intrinſeca ac naturali ad ſuum ſignificatum proportione; ſignificatio verò arbitraria importat rei entitatem cum extrinſeca illius ad ſignificatum deputatione; quæ duo diſparata, ac realiter, ſaltem inadæquatè, diſtincta ſunt, *unde ad probationem minoris dico*; per illam ſolummodo probari, ſignum arbitrarium & naturale non repugnare quoad inexiſtentiam; nam definitio illa poſt-prædicamentalis ſimilium ſolummodo repugnantium definitio eſt; unde totum hoc nihil contra nos militat.

11. *Objicies ſecundò*: omne ſignum eſt arbitrarium, nullumque eſt naturale, ergo diviſio iſta non valet. *Probatur antecedens*: quia ſignum arbitrarium eſt quod habet ſuam ſignificationem ab aliquo arbitrio; atqui omnia ſigna habent ſuam ſignificationem, entitatem, omniaque ſua ab arbitrio divino: *omnia enim per ipſum facta ſunt*; ergo omnia omnino ſigna ſunt arbitraria. In hoc argumento ſolvendo quidam valde laborant; ego tamen nullam video difficultatem. *Reſp. ergo neg. antec. & maj. probationis*: nam, ut dixi num. 1. ſignum arbitrarium non eſt id, quod ab aliquo arbitrio habet aptitudinalem ſignificationem; ſed quod ab arbitrio recipit ſignificationis aptitudinalis ſibi congenitæ ac identificatæ, & ad quidlibet ſignificandum indifferentis, ad certum quoddam ſignificatum ſignificandum applicationem ac deputationem; at verò licet omnia ſigna à Deo receperint entitatem, ac aptitudinalem ſignificationem; non tamen omnia receperunt ſignificationis ſuæ indifferentis determinationem, ac deputationem: quantumvis enim omnia per ipſum facta ſint, non tamen omnia per ipſum ad ſignificandum deputata ſunt ab ipſo, aliqua ab Angelis, aliqua ab hominibus, aliqua ab ipſa ſua entitate & natura, & ſic quædam naturalia, quædam arbitraria ſigna ſunt.

12. Oportet quippe bene advertere præciſam diſtinctionem & differentiam ſigni naturalis ab arbitrario: conſiſtit ergo illa in eo, quod ſignum naturale ſit res aliqua, quæ per ſolam ſuam entitatem ex natura rei cum ſuo ſignificato certo modo connexam ac proportionatam poteſt ſignificare; at verò ſignum arbitrarium eſt res quædam, cui ad ſignificandum non ſatis eſt ſua entitas, ſed præter hanc requiritur deputatio quædam legitima, qua talis res vel à Deo, vel ab Angelo, vel ab homine deputetur, ac ordinetur ad aliam rem à ſe diſtinctam ſignificandam; quam ſine tali deputatione, ac ordinatione ſignificare non poſſet. Hinc ergo clarum fit, cur quædam ſigna ſint naturalia, & non arbitraria; quia ſcilicet ſunt quædam res, quæ per ſolam entitatem à Deo acceptam proximè ſignificativæ ſunt, neque opus habent illa cujuſcumque deputatione & ordinatione, & ſimilia ſigna dicimus eſſe naturalia non arbitraria, ut enim arbitraria forent, deberent eſse res ad ſignificandum indigentes non ſola ſua entitate; ſed etiam inſuper hac extrinſeca deputatione ac ordinatione.

13. Non poſſum hic non meminiſſe breviter cujuſdam Theologi diſcipulis ſuis obtrudentis, omnem omnino imaginem tam pictam, quam ſculptam eſſe ſignum naturale ſui repræſentati, v. gr imagines ſancti Petri, ſancti Pauli, ſancti Auguſtini, aliorumque ſanctorum eſſe ſigna eorum naturalia; *ſed hoc dicto nihil poſſet dici abſurdius*: nam licet imagines, ut dicere ſolemus, ad vivum repræſentantes ſint ſigna naturalia; talem imagines aliæ pro libitu ac phantaſia pictorum, nulla habita ratione prototypi, depictæ; quales ſunt pleræque, quæ hoc tempore circumferuntur, non poſſunt eſſe naturalia, ſed neceſsariò ſunt ſigna arbitraria: *ratio in promptu eſt*: quia ſignum illud, quod cum ſuo ſignificato nullam majorem connexionem, ac proportionem habet, quam cum alia quavis re, ſed eſt indifferens ad ſignificandum quidlibet, eſt arbitrarium & non naturale; atqui imagines modernæ ſanctorum ſunt tales: imago enim Sancti Zephyrini non eſt magis ſimilis Sancto Zephyrino, quam ſit Sancto Cuniberto, Sancto Martino, Sancto Ambroſio, aut alii cuivis Sancto Epiſcopo: & imago, quæ modo ſuppoſita eſt ad ſignificandum Sanctum Cunibertum, potuiſset, & adhuc poſset ſupponi ad ſignificandum Sanctum Zephyrinum, Martinum, aut Ambroſium &c. in his enim verum eſt illud, quod ille dicebat apud Poetam Pelagium.

Sume fidem & pharetram, fies manifeſtus Apollo.
Accedant capiti cornua, Bacchus eris.

Ergò manifeſtè illæ arbitrariæ ſanctorum imagines debent eſse ſigna arbitraria & non naturalia.

DUBIUM III.

Quid ſit inſtitutio ſigni arbitrarii?

14. RESP. *& dico*: inſtitutio ſeu deputatio ſigni arbitrarii nihil eſt aliud, quam volitio, qua aliquis, vel aliqui habentes ad hoc ſufficientem auctoritatem, voluerunt, & deputarunt, ut in tota communitate ſibi ſubjecta una res ſignificaret aliam; per quam volitionem res antea indifferens & indeterminata ad ſignificandam quamcumque

que rem determinatur ad certam aliquam rem ſignificandam, & ex impotenti fit potens ſignificare, v. g. inſtitutio qua vox, *homo*, inſtituta eſt ad ſignificandam naturam humanam nihil eſt aliud, quam voluntas primorum latinitatis parentum, qua voluerunt ut illa vox nobis notificaret ac ſignificaret humanam naturam, quam ex ſe ſignificare non poſſet; inſtitutio, qua hedera appenſa foribus ſignificat venale vinum, nihil eſt aliud quam commune voluntatis decretum, quo vinitores Colonienſes voluerunt ſuum venale vinum ſignificare tranſeuntibus per hederam foribus ſuis appenſam; inſtitutio, qua ſacramenta novæ legis inſtituta ſunt ad cauſſandam & ſignificandam gratiam, nihil eſt aliud, quam efficax Chriſti Domini noſtri decretum, quo voluit iſtas res aut actiones ſenſibiles in nobis cauſſare, & nobis ſignificare internam animæ noſtræ gratiam ac juſtitiam.

15. *Ratio concluſionis eſt:* quia inſtitutio ac deputatio ſigni arbitrarii eſt quaſi quædam latio legis; ſicut enim lex nihil eſt aliud, quam decretum à legitima auctoritate exiens, communitati ſibi ſubjectæ præſcribens modum in actionibus ſuis dirigendis ſervandum; ita etiam inſtitutio ſigni arbitrarii eſt quoddam decretum à legitima auctoritate egrediens, dirigens communitatem in bene ordinandis ſuis ſignificationibus; v. g. inſtitutio vocum ſeu idiomatum nihil eſt aliud, quam decretum quoddam primorum alicujus linguæ parentum, quo voluerunt poſteros ſuos tali vel tali voce talem vel talem rem ac conceptum ſuum ſignificare, atqui lex ſive latio legis non judicium intellectus, ſed imperium voluntatis eſt; præcipere enim, prohibere, obligare & permittere, qui ſunt effectus legis, non intellectionibus, ſed volitionibus ſolis quadrare mihi videntur (quod tamen hic malo ſupponere, quam probare) ergò ſimiliter inſtitutio ſigni eſſe nihil poteſt aliud quam ſimile quoddam voluntatis auctoritatem habentis decretum.

16. *Objicies:* ſi ſigni arbitrarii impoſitio nihil foret aliud, quam volitio, qua quis vult per unam rem ſignificare aliam v. g. qua quis vult per vocem, *homo*, ſignificare naturam humanam; impoſitio ſigni non differret à ſuppoſitione ſigni: conſequens eſt abſurdum; nos enim in dies voces ad ſignificandum ſupponimus, non tamen voces inſtituimus, ſed ſolummodo vocibus inſtitutis utimur; ergò abſurdum quoque eſt, undè tale quid conſequitur. *Probatur ſequela majoris*: quia ſuppoſitio ſigni etiam nihil eſt aliud, quam voluntas per ſignum ſignificandi ſignificatum, ut dictum eſt *diſp. 1. dub. 1. num.* 4. ergò ſuppoſitio ſigni, & inſtitutio ſigni nullatenus differrent; & ſic vocem ad ſignificandum ſupponere, erit vocem ad ſignificandum inſtituere, quo nihil dici poteſt abſurdius. *Reſp. negand. ſequelam maj. ad probationem dico*: me ſupra non dixiſſe ſuppoſitionem ſigni v. g. ſuppoſitionem vocis eſſe ſolam volitionem, qua quis per vocem vult ſignificare ſignificatum; ſed eſſe prolationem ſive productionem vocis cum volitione per illam ſignificandi ſignificatum, undè (*ut ibi obiter dixi*, *pluribus dicturus infrà*) ſuppoſitio importat duo: unum in recto importat vocis prolationem, ſive productionem; in obliquo verò volitionem, qua proferens rei vocem à ſe productam & prolatam vult ſignificare ſuum ſignificatum: undè ſigni inſtitutio & ſigni ſuppoſitio differunt ſaltem inadæquatè ſicut incluſum ab includente; quia ſigni inſtitutio, v. g. inſtitutio vocum non dicit vocum prolationem cum volitione ſignificandi; ſed ſolam volitionem ſignificandi.

17. *Supereſt tamen adhuc controverſia*: an illa volitio ſignificandi, quæ involvitur in ſigni ſuppoſitione, nihil differat ab illa, quæ eſt ſigni impoſitio? *& dicendum eſt differre toto cælo*; nam volitio, quæ eſt ſigni alicujus, v. g. vocis, *homo*, ad ſignificandum impoſitio, eſt volitio, qua quis ſufficientem ad hoc auctoritatem habens voluit & inſtituit, ut omnes in idiomate latino uterentur hac voce, *homo*, ad ſignificandum naturam humanam; at verò volitio involuta in iſtius vocis ſuppoſitione eſt volitio, qua quis iſtam vocem proferens vult ſe conformare iſti priori volitioni vocem inſtituentis, ac per illam ſignificare humanam naturam: atqui illæ duæ volitiones ſunt planè diverſæ; cum habeant diverſiſſima objecta: ergo volitio, quæ eſt ſigni impoſitio, eſt planè alia ab illa, quæ involvitur in ſigni ſuppoſitione. *Probatur minor:* quia objectum volitionis, quæ eſt ſigni impoſitio, eſt generalis uſus ſeu ſuppoſitio ſigni: nihil enim eſt aliud, quam volitio, qua quis auctoritativè vult, ut omnes hoc ſigno ad hanc rem ſignificandum utantur; ſive ut hoc ſignum ſupponant pro hoc ſignificato: etenim ſicut ſigni uſurpatio, uſus & ſuppoſitio idem planè ſunt; ſic etiam idem planè ſunt ſigno uti, ſignum ſupponere & uſurpare: *de quo plura ſuo loco*: at verò volitio, quæ involvitur in ſigni ſuppoſitione, pro objecto ſuo habet actualem ſignificationem; nihil quippe eſt aliud, quam volitio per vocem prolatam deducendi audientem in conceptum & cognitionem iſtius rei, ad quam ſignificandam vox impoſita eſt: atqui ſigni ſuppoſitio & ſigni actualis ſignificatio ſunt duo toto cælo diverſa; *ut manifeſtum eſt*: ſuppoſitio namque eſt actus voluntatis, ſignificatio verò eſt actus intellectus: ergo volitiones illæ, de quibus hactenus, habent diſparitiſſima objecta.

18. *Idem manifeſtè patet in inſtitutione & ſuppoſitione ſacramentorum: hæc enim etiam ſunt ſigna arbitraria*; primo tamen ſuppono ſacramenti ſuppoſitionem eſſe planè idem cum ſacramenti collatione; *cujus ratio eſt clara*: quia ſuppoſitio ſigni eſt applicatio ſigni ad ſignificandum ſuum ſignificatum; unde ſuppoſitio ſigni practici, quod ſignificatum ſuum ſimul ſignificare & cauſſare debet (qualia ſunt noſtra ſacramenta) eſt applicatio ſigni ad ſignificatum ſuum ſignificandum ſimul, & cauſſandum: atqui collatio ſacramenti eſt applicatio ſacramenti ad gratiam ſanctificantem cauſſandam, & ſignificandam, *uti evidens eſt*: v. g. collatio baptiſmi eſt applicatio aquæ ſuper catechumenum: collatio ordinis eſt applicatio calicis, libri, vel manuum Epiſcopalium ſuper ordinandum: collatio confirmationis eſt ap-

pli-

plicatio crucis ſuper frontem confirmandi: collatio Euchariſtiæ eſt applicatio Huſtiæ vel Calicis ad os ſumentis, &c. hæ autem applicationes quid quæſo ſunt aliud, quam applicatio ſacramenti ad effectum ſuum cauſſandum, & ſignificandum? ergo collatio ſacramenti, & ſuppoſitio ſacramenti idem planè ſunt. Hoc poſito

19. *Facilè probatur volitionem incluſam in ſigni ſuppoſitione eſſe planè diverſam à volitione, quæ eſt ſigni ad ſignificandum inſtitutio;* quia volitio, quæ fuit ſacramenti inſtitutio, eſt volitio, qua Chriſtus Dominus benedictus voluit nos uti talibus ſenſibilibus ſignis ad noſtram Sanctificationem; ſive qua voluit homines ſibi mutuo applicare talia ſigna ſenſibilia; volitio verò incluſa in collatione ſeu ſuppoſitione ſacramenti eſt volitio, qua miniſter vult parere iſti decreto ac volitioni Chriſti Domini, & in alio homine ſanctitatem per tale ſenſibile ſignum cauſſare, & ſignificare: atqui hæ duæ volitiones ſunt plane diverſæ; habent enim diverſiſſima objecta: volitio namque, quæ eſt ſacramenti inſtitutio, pro objecto habet ſacramentorum uſum, frequentationem, collationem, ſeu ſuppoſitionem; volitio verò incluſa in ſacramenti collatione ſeu ſuppoſitione pro objecto habet gratiæ cauſſationem, & ſignificationem per ſacramentorum faciendam; quæ duo, *uti pates*, ſunt planè diverſa ac diſparata; ergo volitio incluſa in ſigni ſuppoſitione eſt planè diſparata ab illa, quæ eſt ſigni impoſitio.

20. Ego quippe de ſigni inſtitutione & ſuppoſitione eo modo philoſophor (*& ſpero profectò quod non malè*) quo juriſtæ philoſophantur de alicujus actus legitimi (quales v. g ſunt *teſtamentum faciendum*, *Excommunicatio ferenda in ſcriptis*, *ejus abſolutio impendenda verbis*, *ſtipulatio facienda ſub certa verborum formula*, & alii ſimiles) inſtitutione, & celebratione ſive executione. Actus legitimi inſtitutionem cum inſtitutione ſigni; illius executionem ſive celebrationem cum ſigni ſuppoſition. æquiparo: nam uti inſtitutio ſigni eſt decretum auctoritativum alicujus præcipientis omnes ſibi ſubjectos uti hoc ſigno ad ſignificandum hoc ſignificatum; ita etiam inſtitutio Excommunicationis ferendæ in ſcriptis eſt auctoritativum Romani Pontificis decretum mandantis omnes prælatos ſe inferiores uti ſcriptura ad ferendam excommunicationem: ac inſtitutio ſtipulationis eſt decretum Imperatoris mandantis omnes ſibi ſubjectos uti hac formula verborum ad ineundum hunc contractum. Et ſicut ſuppoſitio ſigni, verb gr. ſuppoſitio vocis eſt prolatio vocis cum intentione ſignificandi ſignificatum ejus; ita etiam celebratio Excommunicationis eſt formatio ſcripturæ cum intentione ligandi: & celebratio ſtipulationis eſt prolatio certæ verborum formulæ cum intentione contrahendi, & ſe obligandi; ergo rectè à me inſtitutio actus legitimi cum inſtitutione ſigni, & illius celebratio cum hujus ſuppoſitione comparatur: atqui volitio illa, quæ eſt actus legitimi inſtitutio eſt planè diſparata ab illa, quæ involvitur in illius celebratione; uti clarum eſt, & videre potes apud Magiſtrum *Baſilium Legionenſem lib. 1. de matrimon. cap.* 5. ergo ſimiliter volitio illa, quæ eſt ſigni inſtitutio, planè diſparata eſt ab illa, quæ involvitur in illius ſuppoſitione.

21. *Ex quibus omnibus tandem concluda:* haſce duas volitiones ita ſeſe habere, ut una ſit objectum alterius, non quidem totale, ſed partiale: volitio quippe involuta in ſigni ſuppoſitione eſt objectum partiale illius, quæ eſt ſigni impoſitio. *Ratio eſt clara:* quia, *uti dixi*, objectum inſtitutionis eſt ſuppoſitio ſive uſus ſigni; nihil namque eſt aliud, quam auctoritativum decretum, quo quis præcipit uſum talis vel talis ſigni ad talem, vel talem rem ſignificandam; atqui uſus ſive ſuppoſitio ſigni; verb. gr. vocis, eſt prolatio vocis ſimul cum volitione ſeu intentione per illam ſignificandi ſignificatum ejus; ergo inſtitutionis objectum totale eſt ſigni ſuppoſitio; volitio verò in ſuppoſitione, tamquam altera illius pars, incluſa eſt objectum partiale.

DUBIUM IV.

Quis poſſit inſtituere ſigna arbitraria?

22. UT quis poſſit inſtituere ſigna, requiruntur tria: ſcilicet intellectus, voluntas, & auctoritas; unde bruta intellectu ac voluntate carentia non poſſunt inter ſe inſtituere & ordinare ſigna. *Prima pars de intellectu ac voluntate probatur:* quia ut quis ſigna inſtituat, debet cognoſcere habitudinem ſigni ad ſignificatum, & ſignificati ad ſignum; atqui talis habitudo cognoſci non poteſt niſi per potentiam plurium objectorum inter ſe collativam, ac diſcretivam; qui eſt ſolus intellectus; ergo, ut quis inſtituat ſigna, habere debet intellectum ac per conſequens voluntatem. *Probatur major:* quia inſtituere ſigna eſt ordinare, & decernere unam rem ad ſignificandam aliam: atqui hoc decretum, & hæc ordinatio fieri nequit, ſine cognitione habitudinis, quam illæ res inter ſeſe mutuo habent; ergo ut quis inſtituat ſigna, cognoſcere debet mutuas illas habitudines, 2. *Pars de auctoritate etiam probatur:* quia inſtitutio ſigni eſt quaſi quædam lex; eſt quippe decretum & mandatum, quo quis præcipit, totamque aliquam communitatem obligat, ut per tale ſignum ſignificet tale ſignificatum; atqui ad ferendam legem, decretum, aut mandatum, requiritur competens auctoritas; ergo etiam requiritur competens auctoritas ad inſtituenda ſigna. Quæritur ergo hic penes quos ſit hæc competens auctoritas?

23. Ac in primis dubitari non poteſt de auctoritate Dei; ille etenim eſt omnis auctoritatis primus fons, ac primum principium, à quo omnes alii auctoritatem participant & mutuantur; ille ergo poteſt tam inter Angelos, quam inter homines inſtituere ſigna. Et inter nos de facto quædam inſtituit; inſtituit namque iridem in ſignum fœderis, & non futuri amplius diluvii; inſtituit nomina *Abraham*, *Sara*, *Iſrael*, *Joannes*, *Jeſus*, *&c.* hæc namque nomina à Deo fuerunt inſtituta, &

ab

ab Angelis ſolummodo promulgata, ac hominibus denunciata. Inſtituit item Sacramenta novæ legis ad internam noſtram ſanctificationem. Item inſtituit omnes cæremonias, ſacrificia, ac ſacramenta antiquæ legis.

24. De Angelis, quin tum inter ſe in ſua politia Angelica, tum etiam inter nos in politia humana, etiam poſſint inſtituere ſigna, non videtur ambigendum. Nam Angelus *Michael* habet præſidentiam & auctoritatem ſuper totam Eccleſiam militantem conſtitutus à Deo ſuper omnes animas ſuſcipiendas. Item Angeli præſides regnorum, provinciarum, ac civitatum, gerunt principatum ſuper regna, provincias, ac civitates, quibus præſident: cur ergo *Michael* pro tota Eccleſia, & Angeli provinciales pro tota ſua provincia non poſſent inſtituere aliquod ſignum? Item Angeli cuſtodes hominum particularium, cur non poſſent clienti ſuo decernere aliquod ſignum? ita enim aliquando videtur factum: nam Angelus cuſtos Sanctæ *Cæciliæ* dedit *Valeriano* aliquod ſignum inveniendi Sanctum Pontificem *Urbanum* latitantem in cryptis.

25. Homines etiam inter ſe poſſe inſtituere ſigna, non eſt dubium: Nam Parochus baptizans nomina cathecumenis à ſe baptizatis, paterfamilias imponit nomina canibus, equis, aliiſque animalibus domeſticis. Magiſter in ſchola imponit diſcipulis ſuis ſigna malorum morum. Dux exercitus, aut gubernator civitatis vigilibus & excubiis ſuis inſtituit verbum ſive ſignum pacis, ac ſocietatis. Vinitores Colonienſes inſtituerunt hederam foribus appenſam ad ſignificandum vinum ſuum venale. Imperator inſtituit ſigna quædam diſtinctiva pro Judæis in imperio commorantibus. Principes Italiæ inſtituerunt quædam ſigna pro mancipiis Turcis, aliiſque legitimè captis, ac in legitimam ſervitutem redactis. Item boni ſtudioſi pro juvanda quandoque memoria in parietibus ſibi ſigna inſtituunt, &c.

26. Non tamen quilibet homo poteſt quodlibet inſtituere ſignum: non enim homo aliquis privatus poteſt variare idiomata, nec inſtituere novum; neque idiomatibus jam formatis & inſtitutis addere nova vocabula: ſed hæ variationes, additiones, ac novæ inſtitutiones, ſi fierent, deberent fieri auctoritate publica, ſupremi principis, ſcilicet, aut potius reipublicæ, ac quod magis uſitatum ac ſocietati humanæ innatum eſt, per conſuetudinem ac uſum populi. Ita videmus factum tum hic Coloniæ, ubi a centum plus minus annis floruit lingua belgica, teſtantibus id antiquis picturis, ac aliis tum publicis, tum privatis inſtrumentis; quæ modo, per frequentiora cum ſuperioribus, quam cum inferioribus Germanis commercia, pro maxima ſui parte degeneravit in linguam ſuperiorem. Tum etiam in Civitate ac diœceſi mea Yprenſi, ubi idioma francicum jam totaliter verſum eſt in germanicum, ſive flandricum, cui conſonat vulgata iſta prophetia Horatiana.

Multa renaſcentur, quæ nunc cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, cum volet uſus.

27. Cui prophetiæ fidem ac auctoritatem tribuunt Jura; verba enim ex communi uſu intelligenda ſunt, cap. *ex literis, de ſponſalibus*: non enim ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi uſu nomina exaudiri debent, *ff. de ſup. leg. l. labeo*; conſuetudo namque eſt optima legum & verborum interpres, cap. *cum dilectus de conſuet & ff. de legat. ſi de interpretatione*, & plus ſtatur uſui, quam ſignificationi; id eſt quam primæ inſtitutioni vocis, *ff. de legatis 3. non aliter*, immò ſtatur uſui vocis contra ſignificationem vocis, *ff. de leg. 3. uxori, in princip. & ratio eſt*: quia conſuetudo ac uſus populi poteſt leges alterare, derogare, abrogare, inducere, &c. atqui inſtitutio ſigni arbitrarii eſt quaſi quædam lex; ergo illa per uſum & conſuetudinem populi poteſt alterari, derogari, abrogati, variari, ac induci.

28. *Objicies*: ſi teſtator dixerit legatario, *cum bovem legavero, de mulo ſentiam*: ſi poſtea legaverit bovem, debetur mulus; is quippe cenſetur legatus, ut tradit *Accurſius in lib. 4. de leg. 1. Bartholus, & Paulus de caſtro ibidem. Vaconius à Vacuna lib. 6. declarat. juris*, & generaliter in quovis contractu ſive gratuito, ſive oneroſo, ſive inter mortuos, ſive inter vivos; etiam in contractu ſacramentali matrimonii: quando verba ſunt dubia, aut in ſenſu aliquo alieno ſumpta, attendi debet intentio contrahentium, quid illis verbis ſignificari voluerint: ita ut verba capiantur in ſignificatione, & ſenſu à contrahentibus intento, quantumvis ex communi hominum uſu, aut primæva ſua inſtitutione, habeant ſignificationem, ac ſenſum planè diſparatum; v. g. ſi contrahentes dicant, cum dixero tibi, *baculus ſtat in angulo*, de conſenſu in matrimonium, emptionem, aut locationem intelligam: ſi poſtea iſta verba ſibi mutuo protulerint, cenſebuntur contraxiſſe: ſic tradit *Cardinalis, in cap. ex literis 1. de ſponſ.* & probat textus *in lib 69. non aliter de leg. 3.* A quibus non diſſonat Rota apud *Seraphinum, deciſ. 689. num. 2. Cum habemus claram verborum diſpoſitionem, non eſt aliter ab ea recedendum, niſi certiſſimis argumentis conſtet de contraria mente contrahentium*: ergo per locum *à ſenſu contrario*, ſi de contraria mente conſtet, & ipſi contrariam ſuam mentem, antequam contraherent, explicaverint, non curatur clara, ac publica verborum ſignificatio: *& ratio à priori eſt*: quia ad validum ac legitimum contractum tantum requiritur interni conſenſus externa explicatio ac manifeſtatio; atqui hæc explicatio non debet fieri per determinata verba; ſed quodlibet externo ſigno, verb. gr. nutu, levatione digiti, motu oculi, his vel iſtis verbis fieri poteſt, quibuſcunque contrahentes mutuum ſuum conſenſum ſibi mutuo explicare voluerint; *non enim verba mentem, ſed mens regere verba debet* juxta, cap. *humanæ aures*, 22. *quæſt*. 5. & cap. *intelligentia in 6. de verbor. ſignifica.* ex quibus omnibus infertur quemcunque hominem privatum poſſe alterare, mutare ac variare communia idiomata jam inſtituta, vel etiam inſtituere nova. *Probatur hæc conſeq.* quia idio-

idiomata jam inſtituta variare, aut alterare eſt illa deputare ad ſignificandum quid à ſuo moderno ſignificato planè diverſum; atqui privati contrahentes id facere poſſunt; idque jure approbante, & tali deputationi valorem, vim ac aſſiſtentiam tribuente; ergo homines privati poſſunt mutare idiomata publica jam inſtituta, ac per conſequens etiam inſtituere nova.

29. *Reſp. diſtinguendo conſequens, & minorem probationis:* poteſt quis privatus idiomata publica alterare & variare pro tota communitate, ut uſui communi loquendi deroget, totamque communitatem cogat relicto uſu ſignificationis ac impoſitionis antiquæ, uti vocibus juxta ſuam hanc deputationem ac inſtitutionem novam; *ſic neg. conſeq.* Hoc quippe iſto argumento non *prob.* Neque fieri poteſt. Verè namque dicit *Pomponius Marcellus Tyberio: Civitatem barbaris hominibus dare potes, verbis non potes: id eſt,* barbaris hominibus Jus Civium & Civitatis dare potes, Civeſque Romanos facere: at verò barbara verba in uſum inducere, ac verbis Romanis intermiſcere non potes ullatenus; niſi hæc tua inductio Populi Romani uſu & acceptatione firmetur & placidetur: *& ratio eſt clara:* quia deputare ſigna, aut inſtituere voces pro tota communitate eſt quaſi ferre legem, totamque communitatem obligare ad utendum hac voce pro hoc ſignificato; atqui nullus privatus totam communitatem ita obligare poteſt; ergo, &c. poteſt quis privatus alterare commune idioma domi ſuæ, pro ſe, filiis, ſervis ac familiaribus ſuis; vel pro parte quicum contrahit, præcedente præſertim mutuo conſenſu; *ſic concedo conſeq.* hoc etenim egregiè probatur per totum illum diſcurſum iſtius argumenti: neque eſt abſurdum; ſed optimè fieri poteſt. Quamtumvis enim quis non poſſit nomina mutare, ut uſui communi deroget; at ſibi & familiæ ſuæ, ac patribus quibuscum contrahit, ex mutuo conſenſu poteſt.

30. *Contra hoc tamen objicies primò, l.4. ſi quis in fundi, de legat. & fideicom.1.* ubi dicitur: *Si quis cum velit veſtem legare, ſupellectilem ſcripſerit, dum putat ſupellectilis appellatione veſtem contineri, ex ſententia Pomponii veſtem tantum deberi: quemadmodum ſi quis putet auri appellatione electrum, vel auricalchum contineri, vel quod ſtultius eſt, veſtis appellatione etiam argentum contineri;* ergo privati contrahentes non poſſunt, etiam de mutuo conſenſu, in ſuis contractibus depravare inſtitutiones vocum, neque vocem quamlibet deputare, ad inter ſe ſignificandum quidlibet; ſed debent vocibus uti juxta inſtitutionem & uſum, quem ordinariè habent. *Reſp. negando conſeq.* & dico hanc *l.4.* non pugnare cum *l. non aliter* ſupra citata. Loquuntur enim in caſibus plane diverſis; *l.4.* enim loquitur de caſu, quo teſtator errat in ſignificatione verborum, & ex falſo errore ponit unum pro alio. Jus enim non patrocinatur erranti in nomine (*intellige appellativo: erranti namque in nomine proprio, bene patrocinatur.*) Deinde eum, qui pro ſupellectile veſtem poſuit, præſumit potius ludere, quam legare voluiſſe. At verò *l. non aliter,* non loquitur in caſu erroris; ſed in caſu, quo contrahentes ex certa ſcientia unum vocabulum pro alio ponunt, ac verborum ſuorum ſenſum exponunt; & tunc contractus ita initi valent, & à Jure probantur. Quantumvis namque Jura non patrocinentur errantibus, patrocinantur tamen verba ex certa ſcientia alienantibus, ac alterantibus, ac ſenſum ſuum ſufficienter explicantibus. De quibus omnibus videre potes *Vacontum à Vacuna lib.4. declarat. juris cap.5. & 6. Cujac. in dicta lib.4.* & Magiſtrum *Baſilium Legionenſem, lib.2. de matrim. cap* 8.

31. *Objicies ſecundò, cap. ex literis 1. de ſponſ. l. labeo 7. ff. de ſupell. legata, & l. anniculus amittitur 132. ff. de verb. ſignif.* ubi dicitur verba contractuum debere ſumi & intelligi ſecundum communem ac receptam loquentium ſignificationem. Item verba mercatorum intelligenda eſſe, prout ea communiter mercatores intelligunt, tenet Rota apud *Farinacium, part.2. deciſ* 88 *n.* 2. Neque diſſenſit Rota apud *Seraphinum deciſ.* 140. ergo privati contrahentes non poſſunt communia vocabula alterare, ac alienare; ſed illis uti debent juxta impoſitionem communem. *Reſp. negando conſequentiam.* Nam omnia illa adducta tam Jura, quam deciſiones Rotæ loquuntur in caſu, quo mens ac intentio contrahentium dubia eſt ac incerta: tunc etenim verba in ordinaria, ac maximè conſueta ſua ſignificatione ac ſuppoſitione debent capi. *Et ratio eſt clara:* quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis; atqui verba ſunt in pacifica poſſeſſione antiquæ ac uſitatæ ſuæ ſignificationis, ac inſtitutionis; ergo jura ſemper præſumunt verba juxta hanc inſtitutionem à contrahentibus eſſe prolata; niſi evidenter conſtet contrahentes hanc antiquam inſtitutionem alteraſſe, & ad aliud quid ſignificandum inter ſe inſtituiſſe, ac deputaſſe. At verò cum contrahentes ſenſum ſuum ſatis explicant, & verba à ſe ex certa ſcientia alterata, & ad aliud quid ſignificandum eſſe deputata ac uſurpata teſtificantur; tunc Jura de illis nihil præſumunt, neque illa interpretantur; neque enim in re certa interpretatione opus eſt, *l. continuus, 137. §. cum ita ſtipulatus ff. de verb. oblig.* ſed illa intelligunt juxta intellectum ac intentionem contrahentium; illiſque ita intellectis aſſiſtunt & ſuffragantur: adeoque etiam aſſiſtunt verborum alterationi ac alienationi à contrahentibus factæ.

32. *Objicies tertiò:* ſi unuſquiſque homo privatus in contractibus ſuis, ac præſertim in ſacramentali contractu matrimonii, poſſet publica idiomata alterare, ac ad aliud quid planè diverſum ſignificandum deputare, ac tandem internum ſuum conſenſum, ac intentionem ſignificare per quaslibet voces; poſſet etiam Miniſter Sacramentorum id facere in Sacramentorum collationibus: adeoque ego poſſem baptizare, aut corpus & ſanguinem Domini mei conſecrare per hæc verba *baculus ſtat in angulo,* modo iſta verba informarem debito interno conſenſu, ſive debita intentione requiſita ad baptizandum, vel conſecrandum: conſequens abſurdum, ac hæreticum eſt; ergo & id unde ſequitur. *Reſp. negando ſequelam majoris:* diſparitas enim eſt manifeſta; quia Miniſter Sacramentorum, (*excipe Miniſtrum Matrimonii, qui ſunt ipſi contrahentes*)

agit

agit perſonam publicam, agit vicarium, ac legatum Chriſti Domini ad totam Eccleſiam: unde verbis ſuis uti debet in ea ſignificatione ac inſtitutione, quæ à tota Eccleſia intelligatur; atqui verborum ſignificatio ac inſtitutio, quæ à tota Eccleſia intelligi poſſit, non eſt ea, quam ipſe pro libitu ſuo fingit, & adinvenit; ſed eſt ea quam verba in communi ac uſitato totius Eccleſiæ uſu ac ſenſu habent; ergo etiam Sacramentorum Miniſter verbis in hoc communi & uſitato ſenſu debet uti. At verò privati contrahentes (*quod etiam de contrahentibus matrimonium intellige: nam Chriſtus Dominus contractum hunc, quem ad eſſe ſacramenti elevavit, in nullo planè alteravit, ſed in naturali ſuo ſtatu totum reliquit, nullamque conditionem, aut ſolemnitatem requiſivit, quæ non requirebatur ex jure naturæ*) agunt nomine proprio, non tamquam legati, ſed tamquam principales: unde tantum requiritur in illis, ut verbis ac ſignis ſuis utantur in ea ſignificatione, in qua à ſeſe mutuo intelligantur; atqui poſſunt ex mutuo pacto ac conſenſu verbis ſuis apponere ſignificationem quamlibet; ergo ipſi inter ſe poſſunt per quamlibet vocem ſignificare quamlibet rem, ac voces inter ſe alterare, mutare, ac variare, prout voluerint.

DUBIUM V.

An ſignum arbitrarium, ut actu ſignificet, requirat cognitionem ſuæ impoſitionis in eo, cui ſignificat?

33. QUæſtio hæc de ſolis ſignis arbitrariis proponitur; habet tamen etiam locum in ſignis illis naturalibus, quæ ſignificant cognitione ſui mediante: qualia ſunt fumus reſpectu ignis, riſus & fletus reſpectu lætitiæ ac triſtitiæ, pictura viva reſpectu ſui prototypi, & ſimilia. Poſſet ergo quæſtio in terminis univerſalibus ac communibus proponi ſic: an ſigna Inſtrumentalia mediante ſui cognitione ſignificantia, ut aliquid actu ſignificent, requirant cognitionem ſuæ connexionis cum ſuo ſignificato, in illo, cui ſignificant? Nam ſicut connexio ſigni naturalis cum ſuo ſignificato eſt eorum naturalis proportio, ac habitudo; ita etiam connexio ſigni arbitrarii cum ſuo ſignificato eſt illius ad hoc ſignificatum ſignificandum deputatio, ac impoſitio: adeoque hæc quæſtio generalis comprehendit ſub ſe illam ſpecialem.

34. *Reſp. breviter & dico:* omne ſignum ſignificans cognitione ſui mediante, ut actu ſignificet, requirit actualem cognitionem ſuæ connexionis cum ſuo ſignificato, in eo cui ſignificat: adeoque ſigna arbitraria non poſſunt actu ſignificare, niſi illis qui habent actualem cognitionem ſuæ impoſitionis. *Probatur* 1. ex Apoſtolo 1. *ad Corinth.* 14. *ſi neſciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus, & qui loquitur mihi barbarus*, ubi per virtutem vocis intelligitur virtus expedita ad ſignificandum, quam vox ab impoſitione habet. Idem docet *Auguſt. lib. de magiſt. cap.* 1. dicens: *cum mihi ſignum datur, ſi me neſcientem invenit, cujus rei ſit ſignum, docere me nihil poteſt*: idemque confirmat experientia: nam eadem vox latina prolata mihi, ſimul & alicui ruſtico, mihi ſignificat, ruſtico nihil ſignificat; quia ſcilicet ego virtutem ac impoſitionem vocis novi, ille ignorat. Item dum nobis quis loquitur idiomate, quod uſque adeò bene non callemus, ſi mutuæ ſermocinationi verbum aliquod intermiſceatur, cujus virtutem & ſignificationem neſcimus; hæremus ac intellectum ſuſpendimus, donec in actualem cognitionem impoſitionis ac virtutis iſtius verbi devenerimus: ergo manifeſtum eſt ſigna arbitraria non poſſe actu ſignificare, niſi illis, apud quos actualem ſuæ impoſitionis cognitionem reperiunt.

35. *Et ratio à priori eſt*: quia is, cui ſignum inſtrumentale mediante cognitione ſui ſignificans, ſignificat, debet noviſſe habitudinem ac connexionem ſigni cum ſuo ſignificato; atqui omne ſignum arbitrarium eſt ſignum inſtrumentale ſignificans cognitione ſui mediante, *uti manifeſtum eſt*: ergo is, cui ſignificat, noviſſe debet connexionem ac habitudinem ejus cum ſuo ſignificato: atqui connexio ejus cum ſuo ſignificato eſt illius impoſitio, ac ad hoc ſignificatum ſignificandum deputatio: ergo ſignum arbitrarium, ut ſignificet, requirit cognitionem ſuæ impoſitionis in eo cui ſignificat. *Subſumptum patet*: quia ſigna arbitraria, *uti ſupra dixi*, ex ſe ante impoſitionem ad quamlibet rem ſignificandam planè indifferentia ſunt, & cum nulla re ullam ſpecialem connexionem, aut habitudinem habent; ergo illud eſt eorum cum ſuo ſignificato connexio, per quod cum ſuo ſignificato connectuntur in ratione ſignificativi & ſignificabilis; atqui connectuntur hoc modo cum ſuo ſignificato per impoſitionem, *uti ſupra oſtenſum eſt*; ergo impoſitio eſt eorum cum ſuo ſignificato habitudo ac connexio. *Major verò principalis probatur*: quia is cui ſignum, *de quo hic agimus*, ſignificat, debet ex ſigno cognoſcere ſignificatum: *id eſt*, debet ex cognitione ſigni deduci ac impelli ad cognitionem ſignificati; ſicut ſyllogizans ex cognitione, & aſſenſu antecedentis deducitur, ac impellitur ad cognitionem & aſſenſum conſequentis: ſignum quippe de quo hic agimus, eſt ſignum cognitione ſui mediante ſignificans. Atqui ut ſyllogizans ab aſſenſu antecedentis deducatur ac impellatur ad aſſenſum conſequentis, requiritur in illo ſpeciale ac actuale judicium de bonitate conſequentiæ, ac legitima connexione conſequentis cum antecedente; *de quo tibi dicam in libris priorum*; ergo ſimiliter ut quis ex cognitione ſigni deducatur in cognitionem ſignificati, habere debet actuale judicium de connexione ſigni cum ſuo ſignificato: adeoque is, cui ſignum inſtrumentale, *de quo hic agimus*, ſignificat, noviſſe debet connexionem ac habitudinem ſigni cum ſignificato.

36. *Objicies primò:* hujus judicii, ſive cognitionis actualis nulla eſt experientia, nullumque veſtigium; per experientiam namque habemus nos de vocum impoſitione ſæpe nihil cogitare dum nobis voces actu ſignificant: ergo voces, aliaque ſigna arbitraria non requirunt actualem ſuæ impoſitionis cognitionem, in eo cui ſignificant.

cant. *Hoc argumenta moti quidam dicunt*: ſignum arbitrarium, ad hoc ut ſignificet, requirere impoſitionis ſuæ cognitionem non actualem, ſed ſolummodo virtualem. *Reſp. neganda conſequentiam*: nullatenus enim ſequitur: ego talem cognitionem in me non experior; ergo talem cognitionem in me non habeo. Nam facilis quidam cytharædus dum cytharizat, cytharizationis ſuæ ſine dubio intellectionem dirigentem, & volitionem imperantem, habet; neutram tamen in ſe experitur: cytharizat enim quaſi non attendendo, & quaſi aliud quid agendo. Similiter dum ſtas, ſedes, aut ambulas, ſeſſionis, ſtationis, aut ambulationis tuæ abſque ullo dubio cognitionem, & volitionem habes; ſeſſio enim, ſtatio & ambulatio tibi actiones humanæ ac liberæ ſunt; quæ ex imperio voluntatis, ac directione intellectus progrediuntur: & tamen iſtam cognitionem & volitionem ſæpiſſime in te non experiris: ego ſaltem illam ſæpiſſimè in me non experior. Ergo caſſa, vana, & irrita eſt hæc conſequentia; ego talem cognitionem in me non experior; ergo illam non habeo, neque ſormo in me. *Et ratio eſt clara*: quia cognitionem vel volitionem aliquam in ſe experiri eſt cognitionem vel volitionem ſuam cognoſcere, ſeque ſupra illas reflectere; atqui habere poſſumus, ac ſæpè de facto habemus cognitiones ac volitiones, quas non cognoſcimus, ſupraque quas nos non reflectimus: reflectimus enim nos ſolummodo ſupra cognitiones & volitiones nobis difficiles & arduas; quas cum aliquo conatu elicere debemus. At verò ſupra actus nobis faciles, quos nullo negotio, & ex intenſo ac per quotidianum exercitium expedito habitu elicimus, ordinariè nos non reflectimus. Ergo ſæpè etiam in nobis cognitiones aut volitiones habemus, quas tamen habere nos non experimur.

37. *Malè ergo contra me argumentaris*: dum voces idiomatis materni, aut cujuſcumque alterius mihi firmiſſimè noti, & frequentiſſimè uſitati, mihi ſignificant, nullam in me de earum impoſitione cognitionem experior; item dum in materia evidenti & clara argumentor, in inferenda concluſione nullum de bonitate conſequentiæ in me judicium experior; ergo nullam in me de impoſitione cognitionem, nullumque de bonitate conſequentiæ judicium in me habeo. Præterquam enim quod iſtæ conſequentiæ ſint caſſæ & irritæ; *ego ad hominem argumentabor*: dum mihi ſignificant voces alicujus idiomatis externi non adeò uſque mihi bene noti, experior in me cognitionem de vocum iſtarum impoſitione; ergo tunc talem in me cognitionem habeo: Ergo ſi tunc habeo, ſemper habeo. Et ſanè quod ſemper habeam, & habere debeam ſatis probatum eſt ſupra. Sed quærit hoc argumentum: cur talem cognitionem homo magis experiatur circa ſignificationem idiomatis ſolum mediocriter noti, ac rarò uſitati, quam circa ſignificationem idiomatis egregiè noti, & admodum familiaris? *Reſponſio in promptu eſt*: quia, *uti jam dixi*, nos in nobis non experimur quamlibet cognitionem, aut volitionem; ſed ſolummodò illam, quæ nobis non nihil difficilis & ardua eſt, quamque non niſi cum aliquo negotio, attentione & conatu elicere poſſumus: at verò illam, quæ nobis facillima, frequentiſſima, & quotidiana eſt, ordinariè non experimur: atqui cognitio impoſitionis circa ſignificationem idiomatis externi, non adeò uſque bene noti, ac rarò uſitati, eſt actus nobis non nihil arduus ac difficilis; at verò cognitio impoſitionis circa ſignificationem idiomatis materni, aut cujuſcumque alterius egregiè noti, ac in dies frequentati, eſt nobis facillima, quotidiana ac ſine ullo negotio elicita: quid miraris ergo te hanc minus experiri quam iſtam? Quod in fine argumenti de cognitione an intentione actuali & virtuali adnectitur; hic tangere nolo: quia nodus hic pluſquam uno verbo opus habet; communem quippe philoſophiam hic non capio: neque intentionem aut cognitionem virtualem, inter habitualem & actualem, mediam intelligo. Hoc in libros de anima rejicio.

38. *Objicies ſecundò*: voces ſignificant pueris & ruſticis: atqui illi nihil de impoſitione ſciunt: ergo, &c. *Reſp. neganda minorem*: licet enim illi non habeant cognitionem impoſitionis diſtinctam, ſcholaſticam, ac doctrinalem, qualem habet doctus philoſophus; habent tamen illius cognitionem confuſam, & ſufficientem, ad hoc ut voces illis ſignificare poſſint. Nam ſi ruſtico græcè aut latinè loquaris; ſtatim ſe illa non intelligere proteſtabitur, ac rogare incipiet, quid voces iſtæ ſignificent: quod evidens ſignum eſt, illum rudi ſaltem & confuſa quadam impoſitionis pollere ſcientia. Hoc autem abundè ſatis eſt ad noſtrum propoſitum.

DUBIUM VI.

An ſignum arbitrarium poſſit rem perfectius ſignificare quam fuerit ab inſtituente, aut ſupponente concepta?

29. QUæſtio hæc maximè locum habet in ſignis vocalibus, ſive in vocibus ſignificativis. Is etenim qui vocem ad ſignificandum imponit vel ſupponit, primo rem concipit, & tunc vocem aliquam deputat, aut applicat, quâ rem à ſe conceptam audienti ſignificare intendit. Senſus ergo quæſtionis eſt: an vox prolata poſſit ſuum ſignificatum perfectiùs ſignificare, quam fuerit conceptum, ac ſignificari intentum à ſupponente, vel inſtituente? Negat ſanctus *Thomas 1. par qu. 13. art 1. in corpore. Durandus in 1. diſt. 22 quæſt. 1. art. 1. & 2. Suarez 1. par. tomo 1. lib. 2. cap. 31.* Aſt affirmat *Scotus in 1. diſt 22. quæſt. unica. Theodorus Smiſing. 1. part. tom. 1 tract. 2. diſp. 7. quæſt. 2. § 3. Molina 1. par. quæſt. 13 art. 1. diſp 1. Gabriel Vaſq. in eundem ejuſdem quæſtionis articulum*: aliique multi. Quibus ego omnino puto eſſe ſubſcribendum.

40. *Ratio, qua moveor, eſt hæc*: quia vocem ſuum ſignificatum perfectiùs ſignificare audienti, quam fuerit conceptum ac ſignificari intentum à loquente aut inſtituente, eſt vocem ſuum ſignificatum audienti ſignificare perfectiori ac nobi-

nobiliori ſignificatione actuali, quam fuerit conceptus ac intentio loquentis aut inſtituentis; ſicuti ignem ſubjectum ſuum perfectiùs caleſacere, aut intellectum objectum ſuum perfectiùs intelligere, eſt illud caleſacere perfectiori caleſactione, ac intelligere perfectiori intellectione; atqui voces ſignificare poſſunt, ac ſæpè ſignificant ſuum ſignificatum perfectiori ſignificatione actuali, quam fuerit conceptus ac intentio loquentis, aut inſtituentis: ergo poſſunt ſuum ſigoificatum perfectiùs ſignificare andienti, qoam fuetit conceptum, ac ſignificari intentum à loquente vel inſtituente. *Probatur minor*: quia ſignificatio actualis vocis, qua vox actualiter ſignificat, nihil eſt aliud, quam conceptus, quem de re ſignificata formst audiens ex occaſione vocis auditæ; *at dixi ſupra diſp. 2.* Unde vocem perfectiori ſignificatione ſignificare nihil eſt aliud, quam audientem in ſe ex occaſione vocis auditæ perfectiorem de re ſignificata conceptum formare; atqui audiens ſæpe format conceptum de re per vocem à ſe auditam ſignificata longè perfectiorem, diſtinctiorem, ac nobiliorem, quam formaverit loquens, aut inſtituens: Ergo voces ſignificare poſſunt, ac ſæpè ſignificant ſuum ſignificatum ſignificatione perfectiori, quam fuerit conceptus ac intentio loquentis, aut inſtituentis. *Patet minor inductione experientiæ*: nam dum v. g. ruſticus quidam, aut alius quivis ſimplex Catholicus loquitur cum profundo quodam Theologo de myſterio Trinitatis, aut Incarnationis, Theologus audiens longe perfectiorem ac clariorem conceptum format de myſterio per voces à ſe auditas ſignificato, quam formarit, aut ab audiente formari intenderit ruſticus loquens: item ſi nos de iſtis myſteriis cum Angelo, aut homine beato ſermocinaremur; longe perfectiores de illis conceptus formarent illi audientes, quam nos loquentes: ergo audiens ſæpè format conceptum de re per vocem à ſe auditam ſignificata longè perfectiorem, quam formarit, aut ab audiente formari intenderit loquens vel inſtituens.

41. *Objicies primò:* actus & verba agentium non operantur ultra intentionem agentium, *l. non omnis, ff. ſi certum petatur*. Item verba intelligenda ſunt juxta mentem, & voluntatem loquentis; mens etenim & voluntas ubique habere primum locum, ac verba regere debet. Ergo voces non poſſunt ſignificatum ſuum ſignificare perfectiùs audienti, quam fuerit mens, ac intentio loquentis, aut inſtituentis. *Reſp. neg. conſeq.* Jura enim præfata non negant id, quod nos aſſeruimus; neque enim de enodandis, vel decidendis hiſce difficultatibus logicis ita fuerunt ſollicita: non enim volunt actualem vocum ſignificationem nunquam poſſe eſſe nobiliorem ac diſtinctiorem, quam fuerit conceptus ac intentio loquentis; hoc enim decidere & definire parum profuiſſet Imperatori ad populi ſui rectam gubernationem, & pacem. Sed volunt actualem vocum ſignificationem, quoad effectus legales, ſcilicet obligationes naſcentes ex contractibus, ultimis voluntatibus, legibus, ac reſcriptis, non poſſe eſſe magis extenſam, neque plura comprehendentem, quam comprehenderit mens, ac voluntas loquentis, contrahentis, teſtantis, legem ferentis, reſcribentis; &c. Noſtra ergo concluſio, & jura iſta præfata loquuntur in caſibus plane diverſis ac diſpararis; à quibus non poteſt fieri illatio. Nam noſtra concluſio loquitur de ſignificationis qualitate ac perfectione; Jura vero iſta loquuntur de ſignificationis quantitate ac extenſione. Dicunt enim ſignificationem verborum non poſſe egredi, non poſſe excedere, non operari ultra intentionem loquentis, debere limitari juxta limitationem loquentis, &c. Quæ omnia non in ſignificationis qualitatem ac perfectionem; ſed in ejus quantitatem ac extenſionem quadrant, *ut evidens eſt*. Sed his ſuperſedeo: quia hoc loco non ago Legiſtam, neque Juris conſultum; ſed Summuliſtam, ac Grammaticum.

42. *Hoc tamen hic addendum puto*: nimirum iſta Jura decidentia actualem verborum ſignificationem non poſſe eſſe magis extenſam, neque plura comprehendentem, quam comprehenderit mens ac intentio loquentis, debere intelligi de extenſione ac comprehenſione juris, non facti. De quæſtionibus namque, ac difficultatibus facti nihil reſpondet, neque diſponit Imperator. Ut ſit hic ſenſus: ſignificatio actualis Verborum de jure non debet, neque poteſt eſſe extenſior, quam fuerit mens loquentis; neque ex eis naſci poteſt, aut debet alia obligatio, quam ex eis naſci voluerit loquens. De facto namque ſæpè ſignificatio verborum excedit & egreditur mentem ac intentionem loquentis: ſæpe extenſior, ac plura comprehendens eſt, quam comprehenderit mens loquentis. *Quod probo:* quia tunc actualis verborum ſignificatio extenſior eſt quam mens loquentis, quando audiens plura concipit ex verbis, quam conceperit, & ab audiente concipi voluerit loquens; atqui ſæpè id fit; ſæpe enim hæres, aut legatarius ſibi per verba teſtantis aut legantis plura teſtamento vel legato relicta credit, quam verè reliquerit, ac relinquere voluerit teſtans, aut legans: ſæpe emptor ſibi per verba contractus plura deberi credit, quam deberi intellexit, atque voluerit venditor: ſæpè ſubditi per verba legum ad plura vel pauciora ſe obligatos credunt, quam voluerit legiſlator; ergo de facto ſæpè actualis verborum ſignificatio eſt extenſior, aut etiam ſtrictior, eſt plura vel pauciora comprehendens, quam comprehenderit mens loquentis. Ergo cum dicunt Jura actualem ſignificationem eſſe præciſe æqualem cum mente ac intentione agentis, loquuntur de jure, non de facto: de facto enim ſæpè fit contrarium. *De quibus omnibus plura Juris conſultus*.

43. *Objicies ſecundo:* cauſſa ſive ſit phyſica, ſive moralis, non poteſt agere niſi juxta menſuram ſuæ ad agendum, & ad paſſum ſuum applicationis; unde non poteſt habere perfectiorem actionem, quam habeat ad agendum applicationem; ergo voces, aliaque ſigna arbitraria non poſſunt habere perfectiorem ſignificationem, quam habeant ad ſignificandum

appli-

Digitized by Google

applicationem : atqui applicatio vocis ad ſignificandum eſt ejus ſuppoſitio ; ergo voces non poſſunt habere perfectiorem ſignificationem, quam habeant ſuppoſitionem : atqui vocis ſuppoſitio eſt mens, ac intentio loquentis ; ergò voces non poſſunt habere perfectiorem ſignificationem, quam fuerit conceptus, mens, ac intentio loquentis. *Reſp. neg. primum antecedens*, agentia enim phyſica licet in paſſis pariformis ubique per omnia diſpoſitionis, actionem ac effectum ſuum ſemper proportionent, ac menſurent juxta proportionem ac menſuram ſuæ ad paſſum applicationis; agendo nimirum fortius in propinquum, remiſſius in remotum, æqualiter in æque vicinum : hoc tamen nullatenus faciunt in paſſis difformis ac inæqualis hinc inde diſpoſitionis. Notum namque omni philoſopho eſt : agens in paſſa ſibi æquè vicina, ſed ad effectum ejus recipiendum inæqualiter diſpoſita, inæqualiter agere : fortius ſcilicet & perfectius in unum, quam in aliud : immo ratione inæqualis hujus diſpoſitionis fortius quandoque agere in remotum, quam in propinquum. Similiter ergo agentia moralia, qualia ſunt ſigna arbitraria reſpectu ſuæ ſignificationis, *ut dicam diſp. ſequenti*, poſſunt in paſſa, quibus ſunt æqualiter applicata (*modo iſta ſint inæqualiter diſpoſita*) inæqualiter agere : poſſunt potentiis cognoſcitivis, quibus ſunt ad ſignificandum æqualiter applicata & ſuppoſita, inæqualiter ſignificari : uni ſcilicet perfectius quam alteri ; modo iſtæ potentiæ ad ſignificationem ſigni recipiendam, vel potius in ſe producendam inæqualiter valeant, ac ſint diſpoſitæ. At verò contingit quandoque voces ad ſignificandum applicari potentiis inæqualis diſpoſitionis ac perfectionis: potentiæ namque cognoſcitivæ, quibus voces ſignificant, ſunt intellectivæ potentiæ hominum voces audientium ; inter quas una ſæpiſſimè eſt perfectior alia : immò ſæpe omnes vel aliquæ earum ſunt perfectiores potentia intellectiva loquentis. Et hinc voces apud diverſos audientes ſæpè inæqualibus ſignificant ſignificationibus ; ſæpè habent ſignificationem perfectiorem apud audientes, quam fuerit conceptus, mens ac intentio loquentis.

44. *Et confirmantur hæc omnia :* quia voces, aliaque ſimilia ſigna arbitraria non producunt effective phyſicè actualem ſuam ſignificationem, ſignificatio enim actualis eorum ſpiritualis quidam actus intellectus eſt, qui non poteſt phyſicè produci à materiali voce per aëra ſonante : ſunt ergò ſignificationis ſuæ ad ſummum cauſſæ morales ; quatenus nimirum ſunt quædam conditiones ac occaſiones potentias intellectivas audientium excitantes ad eliciendam in ſe cognitionem rei ſignificatæ : At verò contingit non rarò voces audiri ab hominibus inæquales intellectus habentibus ; ab hominibus habentibus intellectum intellectu loquentis perfectiorem : hinc ergo contingit voces ſæpè inæqualibus ſignificare ſignificationibus ; habere ſignificationem perfectiorem in uno audiente quam in alio ; habere ſignificationem perfectiorem in audientibus, quam fuerit conceptus ac ſuppoſitio in loquentibus.

Chriſt. Lupi Opera Tom. XII.

DISPUTATIO IV.

De ſigno formali ac inſtrumentali, aliiſque quibuſdam ſigni diviſionibus.

D U B I U M I.

Quid ſit ſignum formale, quid inſtrumentale?

1. CArdinalis *Ægidius Romanus in 1. diſp. 3. q. 2. art. 3.* quem plerique alii omnes Philoſophi ſequuntur, hoc modo definit, ac diſtinguit inter ſe ſignum formale & inſtrumentale: *ſignum inſtrumentale vocat id, quod ſignificat cognitione ſui mediante*. Ut fumus, hedera appenſa foribus, voces, ſcripturæ, &c. *Signum formale vocat omne id, quod ſignificat cognitione ſui non mediante*; Ut intellectio, viſio, auditio, imaginatio, &c. Species viſibilis, ſpecies audibilis, intelligibilis, imaginabilis, &c. Fateor, modus hic explicandi hæc ſigna, præterquam quod ſit hactenus in ſcholis uſitatus, etiam eſt admodum facilis & clarus. Interim tamen mihi non placet. Puto enim aliter hic eſſe philoſophandum ; aliter hæc ſigna eſſe definienda, & aliqua adſcribenda eſſe in catalogum ſignorum inſtrumentalium, quæ à Cardinali *Ægidio* habentur in catalogo formalium. Nam licet ſignificare cognitione ſui non mediante omnibus ſignis formalibus conveniat ; non credo tamen convenire ſolis. Pro reſolutione ergò

2. *Adverte duo. Primum eſt :* inter ſigna eſſe quædam, quæ potentiam, cui ſignificant, informant. Ut ſpecies intelligibilis impreſſa & expreſſa informat intellectum, cui ſignificat. Species viſibilis impreſſa & expreſſa viſum, &c. quædam verò potentiam, cui ſignificant, non informant. Ut fumus, hedera, voces, &c. non informant potentiam intellectivam, cui ſignificant. *Secundum eſt* : inter ſigna potentiam, cui ſignificant, informantia, quædam eſſe talia, ut poſſint potentiam informare, & tamen actu nihil ſignificare. Talia ſunt ſpecies omnes impreſſæ, tam ſenſibiles, quam intelligibiles. *Ratio eſt*, quia actualis ſigni ſignificatio eſt ſignificati à potentia cognoſcitiva perceptio, & cognitio ; adeoque ſignum actu ſignificare eſt potentiam cognoſcitivam actu ſignificatum ex ſigno cognoſcere : *ut dictum eſt ſupra diſp. 2. dub. 2.* Atqui ſpecies impreſſæ tam ſenſibiles, quam intelligibiles eſſe poſſunt in potentiis ſuis cognoſcitivis ; & tamen per illas, ac ex illis potentiæ cognoſcitivæ nihil cognoſcere, v. g. poteſt ſpecies viſibilis eſſe in potentia viſiva, audibilis in potentia auditiva, intelligibilis in potentia intellectiva & tamen potentia viſiva, auditiva, intellective nihil videre, audire, intelligere; ergo poſſunt hæc ſigna potentiis, cui ſignificant, informare ; &

tamen actu nihil ſignificare. Quædam vero ſigna potentiam, cui ſignificant informantia ſunt talia; ut implicet contradictionem illa potentiam informare, & tamen actu non ſignificare. Talia ſunt omnes ſpecies expreſsæ, ſive omnes cognitiones: ſcilicet intellectio, viſio, auditio, imaginatio, guſtatio, aliæque omnes. *Ratio eſt*: quia ſignum actu ſignificare eſt ex illo, aut per illud potentiam cognoſcitivam actu cognoſcere ejus ſignificatum: atqui impoſſibile ac contradictionem implicans eſt, ut cognitio potentiam informet, & potentia nihil cognoſcat: impoſſibile eſt, ut viſio informet viſum, aut auditio informet auditum, aut intellectio informet intellectum; & tamen viſus, auditus, ac intellectus nihil videat, audiat, ac intelligat: ſicut impoſſibile eſt parietem informari ab albedine & tamen non albere, ſive non eſſe album: ergo omnes cognitiones ſunt talia ſigna, ut impoſſibile ſit ab illis potentiam cognoſcitivam informari, & tamen illa nihil actu ſignificare.

3. *Hoc ſecundum notabile ſoleo etiam proponere ſub aliis terminis, ac forſan ad hanc rem noſtram explicandam longè aptioribus*: inter ſigna potentiam, cui ſignificant, informantia, quædam in genere cauſsæ efficientis, quædam in genere cauſsæ formalis ſignificant. In genere cauſsæ efficientia ſignificant omnes ſpecies impreſsæ, tam ſenſibiles, quam intelligibiles. *Ratio eſt*: quia ſignificare in genere cauſsæ efficientis eſt ſignificare non per potentiæ cognoſcitivæ informationem, aut ſui in potentia inhæſionem; ſed per ſignificationem à ſe in potentia cognoſcitiva productam, vel potius cum potentia à ſe unitam: ſicuti calefacere, aut dealbare in genere efficientis cauſsæ eſt ſubjectum reddere calidum, vel album, non per illius informationem, aut ſui in illo inhæſionem; ſed per calorem, vel albedinem à ſe in illo productam, vel potius cum illo unitam; *ut loquuntur ſubtiliores phyſici*: atqui omnes ſpecies impreſsæ ſignificant, non per potentiæ cognoſcitivæ informationem, aut ſui in illa inhæſionem; poſsunt enim illi inhærere & illam informare, & tamen nihil actu ſignificare: ſed per ſignificationem ſive cognitionem à ſe in illa productam, aut unitam. Ergo ſignificant in genere cauſsæ efficientis. At vero omnes ſpecies expreſsæ, ſive cognitiones in genere formalis cauſsæ ſignificant. *Ratio eſt*: quia ſignificare in genere formalis cauſsæ eſt ſignificare per potentiæ cognoſcitivæ informationem, aut ſui in illa inhæſionem; cauſsa enim formalis eſt illa, cujus cauſsalitas eſt unio ſeu informatio ſubjecti, atqui omnes cognitiones ſignificant per potentiæ cognoſcitivæ informationem, ac ſui in illa inhæſionem: ergo ſignificant in genere cauſsæ formalis. *Patet minor*: quia actu ſignificare eſt potentiam cognoſcitivam facere actu cognoſcentem; atqui cognitiones faciunt potentias cognoſcitivas actu cognoſcentes in genere cauſsæ formalis: ſicut enim albedo album, ſtatio ſtantem, locutio loquentem, & ambulatio in genere cauſsæ formalis facit ambulantem; ita etiam cognitio in genere formalis cauſſæ facere debet cognoſcentem: ergo etiam in genere formalis cauſſæ ſignificare debet. His poſitis

4. *Reſp. & dico primò*: omiſſis definitionibus Cardinalis *Ægydii*, Ego hæc ſigna, de quibus hic ſermo eſt, ſic definire ſoleo: *ſignum formale eſt illud, quod ſignificat in genere cauſſæ formalis. Et ſignum inſtrumentale eſt illud, quod ſignificat in genere cauſſæ efficientis*. Et ſpero profectò, quod neque ineptè, neque incongruè. *Probatur*: quia oportet philoſophari de ſigno formali, ac inſtrumentali, eo modo, quo philoſophamur de cauſſa formali, ac inſtrumentali: ſicuti enim omnes philoſophi explicant ſignum, & ſignificationem per metaphoram & proportionem ad cauſſam, & cauſſalitatem; ita etiam ſignum formale, ac inſtrumentale explicare oportet per metaphoram ac proportionem ad cauſſam formalem, ac inſtrumentalem. Atqui cauſſa formalis eſt illa, quæ cauſſat per informationem; inſtrumentalis vero, quæ cauſſat per actionem, ac in genere cauſſæ efficientis; ergò ſimiliter ſignum formale rectiſſimè dicetur eſſe illud, quod per informationem ſignificat in genere cauſſæ formalis, & inſtrumentale rectiſſimè eſſe illud, quod per actionem ſignificat in genere cauſſæ efficientis, ac inſtrumentalis. *Et confirmatur*: quia beatitudo formalis, cauſſa formalis, conceptus formalis, ſimilitudo formalis, & generaliter omnia illa, quibus additur hic terminus, *formale*, beatificat, cauſſat; concipit ſeu repræſentat, aſſimilat, ac officium ſuum faciunt in genere cauſsæ formalis: ergò etiam ſignum formale eſſe debet illud, quod ſignificat in genere cauſsæ formalis.

5. *Ex quo ſequitur*: ſolas & omnes cognitiones tam materiales quam ſpirituales: ſcilicet viſiones, auditiones, guſtationes, tactiones, imaginationes, intellectiones, &c. eſſe ſigna formalia. Omnia verò alia, etiam ſpecies omnes impreſſas eſse ſigna inſtrumentalia: *Ratio eſt*: quia ſolum & omne illud eſt ſignum formale, quod ſignificat in genere cauſsæ formalis; & omne illud eſt ſignum inſtrumentale, quod ſignificat in genere cauſſæ inſtrumentalis, ſive efficientis: atqui ſolæ & omnes cognitiones ſignificant in genere cauſſæ formalis; fumus verò, hedera appenſa foribus, voces, ſcripturæ, imagines ac ſtatuæ humanæ, item omnes ſpecies impreſſæ in genere cauſsæ efficientis ſignificant; *uti ſupra oſtenſum eſt*; ergo ſolæ & omnes cognitiones ſunt ſigna formalia, alia verò omnia ſigna, etiam omnes ſpecies impreſſæ ſunt ſigna inſtrumentalia. *Neque video quid huic concluſioni meæ poſſit opponi*; Cardinalis enim *Ægydius*, omneſque alii philoſophi definitiones ſuas nulla ratione probant, aut confirmant; adeoque concluſionem meam nulla etiam ratione oppugnant.

6. *Dico ſecundò*: inſtrumentale rectè dividitur in illud, quod ſignificat in genere cauſſæ efficientia phyſicæ: & in illud, quod ſignificant in genere cauſſæ moralis, ſive intentionalis. Ad prius membrum pertinent omnes & ſolæ ſpecies impreſſæ, tam ſenſibiles, quam intelligibiles; illæ enim omnes & ſolæ ſignificant in genere cauſſæ efficientis phyſicæ. *Probatur*: quia ſignificare in genere cauſſæ efficientis phyſi-

cæ

Digitized by Google

cæ eſt efficienter per phyſicum influxum cauſſare ſuam ſignificationem: ſicut dealbare, aut calefacere in genere cauſſæ efficientis phyſicæ eſt efficienter per phyſicum influxum cauſſare calefactionem, aut dealbationem. Atqui omnes & ſolæ ſpecies impreſſæ per phyſicum influxum efficienter attingunt, & cauſſant ſuam ſignificationem. Ergo illæ omnes & ſolæ in genere cauſſæ efficientis phyſicæ ſignificant. *Probatur minor*: quia ſpecierum actualis ſignificatio eſt cognitio objecti procedens à ſpecie; atqui ſpecies cognitionem à ſe procedentem phyſicè effectivè cauſſant: ut habet communis omnium philoſophorum ſententia (*licet ego quam maximè de illo dogmate formidem, immò dubitem & hæſitem.*) Ergò etiam, juxta communem illam omnium ſententiam, omnes ſpecies impreſſæ per phyſicum influxum inſtitutum attingunt, ac efficienter cauſſant ſuam ſignificationem.

7. Ad ſecundum membrum pertinent omnia alia ſigna inſtrumentalia præter ſpecies impreſſas; quæ ſignificant cognitione ſui mediante: qualia ſunt fumus, hedera appenſa foribus, ſonus campanæ, omnes voces, omnes ſcripturæ, aliaque omnia ſimilia. Hæc omnia, inquam, ſigna inſtrumentalia ſignificant ſolummodò in genere cauſſæ moralis, ſive intentionalis. *Probatur*: quia ſignificare in genere cauſſæ moralis, ſive intentionalis eſt ſuam ſignificationem actualem cauſſare non phyſicè, ſed ſolummodò moraliter, ſive intentionaliter: atqui omnia illa ſigna inſtrumentalia, quæ ſignificant cognitione ſui mediante, actualem ſuam ſignificationem cauſſant ſolummodò moraliter ac intentionaliter: ergò etiam ſignificant ſolummodò in genere cauſſæ moralis, ſive intentionalis. *Probatur minor:* quia cauſſa intentionalis eſt illa, quæ effectum ſuum principiat ſine phyſico influxu, mediante ſui cognitione: ſive mediante alicujus potentiæ cognoſcitivæ in ſe tentione, ſive tendentia; quales ſunt cauſſa finalis, exemplaris, meritoria, impulſiva, &c. Adeoque cauſſare in genere cauſſæ intentionalis eſt cauſſare effectum ſuum mediante ſui cognitione: de quo videre potes eximium ac clariſſimum virum, Magiſtrum meum *Michaelem Paludanum* 1. 2. *q.* 1. *diſp.* 1 *part.* 1. *n* 4. Atqui ſigna omnia iſta præfata cauſſant ſuam actualem ſignificationem mediante ſui cognitione; tamen ſine phyſico influxu: ergò cauſſant ſuam ſignificationem in genere cauſſæ intentionalis. *Quod mediante cognitione ſui ſignificationem ſuam cauſſent, evidens eſt*: ſunt quippe ſigna ſignificantia mediante ſui cognitione. *Quod ſine phyſico influxu cauſſent; evidens etiam eſt, & probatur*: quia iſtorum ſignorum actualis ſignificatio eſt intellectiva & ſpiritualis ſignificati cognitio ab illis procedens; *ut ſtatim infra dicam*: atqui iſta ſigna nequeunt exercere phyſicum influxum in ſpiritualem, ac intellectivam cognitionem; cum paſſim ac ut plurimum materialia ſint, ac ab intellectu loco diſſita: ergo etiam nequeunt exercere phyſicum influxum in ſuam actualem ſignificationem.

8 *Et confirmatur adhuc magis id, quod dixi*: quia intentionales cauſſæ ſunt illæ, quæ cum effectuum, ad quos comparantur, cauſſæ phyſicæ non ſint: tamen mediante ſui cognitione excitant, movent, impellunt, aut dirigunt cauſſam phyſicam ad effectus iſtos producendos: & ratione illius excitationis, motionis, impulſionis, aut directionis dicuntur iſtorum effectuum cauſſæ: iſta enim eſt earum in iſtos effectus cauſſalitas. Sicut enim agentis calefactivi, frigefactivi, & dealbativi Cauſſalitas ſunt calefactio, frigefactio, ac dealbatio: ita etiam cauſſæ finalis, meritoriæ, ac impulſivæ cauſſalitas eſt efficientis ad effectum ſuum efficiendum motio, attractio, ac impulſio. Atqui omnia illa ſigna inſtrumentalia præfata, quæ cognitione ſui mediante ſignificant, actualem ſuam ſignificationem phyſicè non attingunt, neque efficiunt: ſed ſunt quædam occaſiones, atque conditiones, quæ mediante ſui cognitione excitant, movent, ac impellunt potentiam intellectivam ad ſuam actualem ſignificationem efficiendam. Ergò actualem ſignificationem ſuam non phyſicè ſed ſolum moraliter ſive intentionaliter cauſſant: & ſic ſignificant ſolummodò in genere cauſſæ moralis, ſive intentionalis. *Patet min.* quia fumus mediante ſui viſione: voces, ſonus tympani, tubæ, campanæ, &c. mediante ſui auditione: pulſus arteriæ mediante ſui tactione intellectum movent atque determinant ad eliciendam intellectionem & actualem ſignificationem ſuorum ſignificatorum: ergò omnia iſta præfata ſigna ſunt quædam conditiones ac occaſiones moventes ac excitantes intellectum ad eliciendam ſuam actualem ſignificationem.

9. Cum hac præfata diviſione planè coincidit alia ſigni inſtrumentalis diviſio qua dividi poteſt in ſignum inſtrumentale ſignificans cognitione ſui mediante; & in ſignum inſtrumentale ſignificans cognitione ſui non mediante. Cognitione ſui non mediante ſignificat omnes & ſolæ ſpecies impreſſæ, tam materiales, quam ſpirituales. *Probatur*: quia ſignificare cognitione ſui non mediante eſt in potentia cognoſcitiva, cauſſare cognitionem alicujus à ſe diſtincti, abſque cognitione ſui; atqui ſpecies omnes impreſſæ cauſſant in potentia cognoſcitiva cognitionem ſui objecti, abſque eo quod cauſſent cognitionem ſui: ſpecies enim viſibilis, audibilis, imaginabilis, intelligibilis, & ſi quæ ſit alia, cauſſat objecti ſui viſionem, auditionem, imaginationem, ac intellectionem, abque eo quod cauſſet ſui viſionem, auditionem, &c. Neque enim ſpecies viſibilis, aut audibilis videri aut audiri poteſt. Ergo omnes ſpecies impreſſæ ſignificant cognitione ſui non mediante. At verò omnia alia inſtrumentalia ſigna præter ſpecies impreſſas, qualia ſunt fumus, hedera appenſa, & alia ſimilia ſignificant cognitione ſui mediante. *Probatur*; quia ſignificare cognitione ſui mediante eſt in potentia cognoſcitiva cauſſare cognitionis alicujus à ſe diſtincti, primò cauſſata cognitione ſui: atqui omnia iſta ſigna præfata primo cauſſāt ſui viſionem, auditionem, aut intellectionem, & tum mediante hac ſui cognitione cauſſant etiam cognitionem

ſui ſignificati : *uti conſideranti, & per omnia iſta ſigna diſcurrenti facile patebit*. Ergò omnia iſta ſigna ſignificant cognitione ſui mediante. Ex quo habes omnia ſigna inſtrumentalia ſignificantia cognitione ſui mediante, ſignificare ſolum in genere cauſſæ moralis, ſeu intentionalis; at verò illa, quæ ſignificant cognitione ſui non mediante, ſignificare in genere cauſſæ efficientis phyſicæ,

10. *Dico tertiò* : idem ſignum reſpectu ejuſdem ſignificati, ac etiam reſpectu ejuſdem potentiæ cognoſcitivæ poteſt eſſe ſimul ſignum formale, ac inſtrumentale. *Probatur* : quia ſignum formale eſt, quod ſignificat in genere cauſſæ formalis: inſtrumentale eſt, quod in genere efficientis cauſſæ ſignificat. Atqui poteſt idem ſignum eodem tempore, eidem intellectui, idem ſignificatum ſignificare in genere efficientis cauſſæ, ſimul ac formalis; ergo poteſt idem ſignum reſpectu ejuſdem ſignificati, ejuſdemque potentiæ eſſe ſimul formale ac inſtrumentale. *Prob. min.* quia v. g. conceptus, quem ego formo de equo, aut bove, eſt mihi in genere cauſſæ formalis bovem aut equum ſignificans; ſi verò me ſupra illum meum conceptum reflectam, eumque reflexè cognoſcam; tunc mihi ſignificabit bovem aut equum in genere efficientis cauſſæ: ergo idem ſignum eodem tempore, eidem intellectui poteſt idem ſignificatum ſignificare in genere cauſſæ efficientis, ſimul & formalis. *Quod autem conceptus ille meus à me reflexe cognitus ſignificet mihi bovem in genere cauſſæ efficientis*; *clarum eſt*, quia ſignificare in genere efficientis cauſſæ eſt ſignificare per ſignificationem, ſeu cognitionem à ſe phyſicè vel moraliter productam: atque conceptus bovis reflexè cognitus mediante illa cognitione ſui deducit, & excitat intellectum ad cognitionem ſui objecti; adeoque ſui objecti cognitionem ac ſignificationem in intellectu moraliter cauſsat: ergo ſignificat objectum ſuum in genere cauſſæ efficientis.

11. *Adverte tamen* : idem ſignum non poſse ſignificare in genere cauſsæ formalis, ac efficientis per eandem numero actualem ſignificationem; ſed ſignificationem, qua in genere cauſsæ efficientis ſignificat, eſse neceſsariò realiter diſtinctam ab illa, qua in genere cauſsæ formalis ſignificat. *Ratio eſt clara* ; quia ſignificatio actualis in genere cauſſæ formalis eſt ipſa entitas ſigni formalis; *ut dixi ſupra diſp. 2. dub. 2.* Significatio verò actualis in genere cauſsæ efficientis eſt cognitio ſignificati procedens, & diſtincta realiter à ſigno; *uti dixi ibidem* : atqui impoſſibile eſt eandem cognitionem cum ſigno identificari, & ab eo ſimul realiter diſtingui: à ſigno procedere, & ab illo ſimul non procedere; ergo dum idem ſignum ſimul in genere formalis ac efficientis cauſſæ ſignificat, id non fit per eandem, ſed per realiter diverſas ſignificationes actuales; v. g. conceptus meus, quem formo de bove, dum in genere cauſsæ formalis ſignificat; ſignificatio ejus actualis eſt ipſiſſima ejus entitas; at vero dum reflexè cognitus ſignificat in genere cauſsæ efficientis; ſignificatio actualis ejus non eſt ipſius entitas, ſed eſt alius quidam conceptus bovis, quem in me moraliter cauſsat mediante ſui reflexa cognitione.

12. *Dico quartò* : poteſt etiam idem ſignum eſſe ſignum inſtrumentale ſignificans eidem potentiæ idem ſignificatum cognitione ſui mediante, & cognitione ſui non mediante: non tamen per eandem, ſed per diverſas ſignificationes actuales. *Probatur* : quia v. g. ſpecies intelligibilis bovis, aut lapidis, quatenus in me cauſsat phyſicè cognitionem lapidis, ſignificat mihi lapidem in genere cauſsæ efficientis phyſicè cognitione ſui non mediante: quatenùs vero eadem illa ſpecies à me reflexè cognita mediante cognitione ſui hac reflexa me deducit in cognitionem lapidis; ſignificat mihi lapidem in genere cauſsæ intentionalis cognitione ſui mediante: ergo poteſt idem ſignum inſtrumentale idem ſignificatum eidem potentiæ ſignificare phyſicè cognitione ſui non mediante, & ſimul ſignificare in cognitione intentionaliter ſui mediante. *Quod autem hoc per diverſas actuales ſignificationes fieri debeat, etiam probatur facilè*; eadem actualis ſignificatio nequit ab eodem ſigno ſimul cauſsari phyſicè & phyſicè non cauſsari: atq; ſignificatio, qua ſpecies ſignificat cognitione ſui non mediante, ab ipſa cauſsatur phyſicè; qua verò ſignificat cognitione ſui mediante, ab ipſa non phyſicè, ſed ſolummodo moraliter cauſsatur; ergo hæ ſignificationes non poſsunt eſse una & eadem.

DUBIUM II.

An cognitiones, quas reſpectu objectorum ſuorum vocamus ſigna formalia, ſint verè ſigna?

13. ADverte primò : ſignum formale ſive cognitionem non ſolum eſse ſignum, ſed eſse ſignificationem actualem: *ut ſupra diſp. 2. dub. 2. latè dictum eſt*. Eſt ſignum, ſi ſumatur nudè ſecundum ſe: ſi verò ſumatur quatenus dependens & procedens ab aliquo alio ſigno, ex cujus occaſione formatur, tunc eſt actualis ſignificatio v. g. conceptus meus, quem in me formo de natura humana ex occaſione vocis *homo* à me auditæ, ſi ſumatur nudè ſecundùm ſe, ſine reſpectu, & ordine ad iſtam vocem; eſt ſignum; ſi vero ſumatur quatenus procedens, & dependens ab illa voce; ſic eſt iſtius vocis actualis ſignificatio. *Ratio eſt*; quia ſignum eſt id, quod ſignificat; ſignificatio verò eſt id, per quod ſignum ſignificat. Atqui cognitio, dum ſumitur nudè ſecundum ſe independenter ab aliquo alio ſigno inſtrumentali, eſt id, quod ſignificat; dum verò ſumitur quatenus dependens, & procedens ab aliquo alio inſtrumentali ſigno, tunc eſt id, per quod illum ſignum ſignificat: ergò cognitiones ſimul ſunt ſigna & actuales ſignificationes.

14. *Advertè ſecundò* : ſignum & actualem ſignificationem non debere comparari cum cauſſa & cauſſalitate; cum agente & actione; *uti paſſim fit*: ſed cum cauſsa & effectu; cum agente & termino ejus. *Ratio eſt* : quia cauſsalitas & actio eſsentialiter ſunt via, tranſitus & influxus cauſsæ in aliud cauſsatum, & effectum: neque ullatenus eſse poſsunt ultimus activitatis limes ac terminus. Atqui actualis ſignifi-

catio

catio non eſt via, tranſitus, neque influxus ſigni in aliud cauſſatum; ſed eſt ultimum ſigni cauſſatum; eſt cauſſalitatis ſignificativæ ultimus limes, ac terminus: ergo ſignificatio non poteſt comparari cum agentis actione; ſed cum agentis termino comparari debet. *Probatur minor:* quia ſi ſignificatio actualis foret tranſitus, & via ſigni in aliud cauſſatum; illud deberet aſſe ſignificatum: ſignificatio enim eſt via ſigni ad ſignificatum. Atqui ſignificatum non plus cauſſatur à ſigno, quam intellectum ab intellectu; aut viſum à viſu; aut calefactum cauſetur à calefactivo. Ergo actualis ſignificatio quidem eſt via ſigni in aliud; non eſt tamen via & influxus ſigni in aliud cauſatum. Oportet ergo ſignum non comparare, cum calefactione, aut actione; ſed cum intellectione, viſione, aut auditione, quæ potentiarum ſuarum non actiones; ſed termini, effectus, ſive operationes ſunt: *de quibus alibi. Et ratio à priori eſt:* quia effectus & terminus agentis eſt id, quod agens agit ac producit; actio vero eſt id, quo agens agit & producit: atqui ſignificatio non eſt id, quo, ſed quod ſignum in potentia cognoſcitiva ultimare agit & producit: ergo eſt ſigni terminus, non vero ejus actio.

15. *Dices primò:* ſignum non dicitur ſignificare ſuam ſignificationem: ſed ſignificare ſua ſignificatione: ſicut ignis non dicitur calefacere ſuam calefactionem; ſed calefacere ſua calefactione: ergo ſignificatio non cum agentis termino; ſed cum agentis actione, ac calefactione comparari debet. *Probatur conſeq.* quia id, quod cum verbo activo conſtruitur in caſu ablativo, non eſt agentis terminus; ſed actio: terminus enim in caſu accuſativo conſtrui debet. Atqui verbum; *ſignifico*, eſt verbum activum, & *ſignificatio* conſtruitur cum illo non in accuſativo; ſed in ablativo: ergo ſignificatio non eſt ſigni terminus; ſed actio. *Patet major:* quia rectè dicimus: *Deus creat creatione mundum. Pater generat generatione filium. Agens agit actione ſuum terminum, &c.* Ubi ſemper cum verbo activo actio in caſu ablativo; terminus verò conſtruitur in caſu accuſativo. Pro reſolutione hujus argumenti

16. *Adverte:* verba activa eſſe duplicis ſignificationis. Quædam enim ſignificant ſolum egreſſum termini à ſuo agente. Talia ſunt hæc: *ago, creo, produco, genero, ſpiro, &c.* Et in his verum eſt, quod actio in caſu ablativo; terminus verò ſemper in caſu accuſativo debeat cum illis conſtrui. Malè enim diceres: *Deus creat creatura. Pater generat ſuo filio, &c.* ſed oportet dicere: *Deus creat creaturam, Pater generat filium.* Quædam verò verba activa præter egreſſum termini à ſuo agente (*ſi tamen hunc egreſſum ſignificent*) etiam ſignificant termini ſui tendentiam in aliquod ſubjectum, vel objectum, cui effectum ſuum formalem tribuit. Talia ſunt: *calefacio, frigefacio, dealbo, intelligo, video, audio, ſignifico*, aliaque quam plurima. *Calefacio* enim non ſignificat nudum egreſſum caloris ab igne; ſed inſuper ſignificat tendentiam ac receptionem caloris in paſſum, quod in genere cauſſæ formalis calidum reddat: calefacere enim eſt idem, quod facere calidum. *Id eſt*, in ſubjecto ponere calorem, qui ipſum reddat calidum. Similiter, *intelligo*, non ſignificat nudum egreſſum intellectionis ab intellectu; ſed præter hunc egreſſum ſignificat etiam directionem, ſive tendentiam, aut verſationem (*voca prout lubet*) intellectionis circa objectum aliquod, quod reddat eſſe intellectum, ſive intelligi: intelligere quippe eſt vel producere, vel habere in ſe intellectionem, per quam aliquod objectum intelligatur. Item verbum *ſignifico* non importat ſolum egreſſum ſignificationis à ſigno; ſed inſuper tendentiam, aut verſationem ſignificationis circa aliquam rem, quæ per illam ſignificetur. Ergò hæc præfata, aliaque ſimilia verba præter egreſſum termini ab agente, etiam ſignificant termini tendentiam aut directionem in aliquod ſubjectum vel objectum, cui effectum ſuum formalem communicet. Et in his verbis falſum eſt, quod illud ſemper ſit agentis actio, quod cum tali verbo conſtruitur in ablativo. Horum quippe verborum quædam regunt in caſu ablativo tam actionem, quam terminum ſuum: quædam verò ſolum ſuum terminum, v. g. in verbis *frigefacio, calefacio, dealbo, &c.* actio & terminus ſunt frigefactio & frigus, calefactio & calor, dealbatio & albedo. Tam rectè autem dicimus: *aqua, ignis, faber murarius, frigefacit, calefacit, dealbat parietem frigore, calore, albedine; quam frigefactione, calefactione, & dealbatione.* Ergo hæc & alia verba ſimilia in caſu ablativo regunt tam ſuum terminum, quam actionem. At vero hæc verba, *intelligo, amo, audio, video*, & ſimilia, in caſu ablativo ſolum terminum, non vero actionem ſui termini productivam regunt. Nam in his verbis actio & terminus ſunt dictio & intellectio, amor & ſpiratio, viſio & productio auditionis, &c. *Uti viſum eſt non ſolum mihi; ſed etiam omnibus Scotiſtis, aliiſque ſubtilioribus philoſophis.* Atqui quidem rectè dicimus: *homo intelligit, amat, audit, videt; intellectione, amore, viſione.* Non recte tamen dicimus: *intelligit dictione: amat Spiratione: audit, aut videt auditionis aut viſionis productione.* Sicut non recte dicimus: *arbor frondet frondificatione, aut paries albet dealbatione, &c.* Ergo hæc & ſimilia verba in caſu ablativo regunt ſolum ſuum terminum; non vero actionem termini productivam. *Et ratio eſt:* quia iſta verba non ſunt activa ex parte rei ſignificatæ, ſed ſolummodo ex parte modi ſignificandi. De quo fortè alibi latius. Interim vide plura apud doctiſſimum virum *Joannem Rada Tom. 1. controv. 17. §. ad primi argumenti ſolutionem.* Hoc poſito.

17. *Facilis eſt ſolutio præfati argumenti: neganda enim eſt conſeq. & diſtinguenda major probationis:* id, quod cum verbo activo ſignificante ſolum egreſſum termini à ſuo agente, conſtruitur in caſu ablativo, non eſt agentis terminus; ſed actio: *ſic concedo.* Quod cum verbo activo importante egreſſum termini ab agente, ac ſimul tendẽtiam termini in aliquod objectum vel ſubjectum, cui effectum ſuum formalem communicat, conſtruitur in caſu ablativo, non eſt agẽtis terminus; ſed actio: *ſic nego majorem.* Agentis terminus

enim cum hoc verbo non poteſt conſtrui in accuſarivo, ſed neceſſario conſtruitur in caſu ablativo, Quod namque cum hoc verbo in caſu accuſativo conſtruitur, non eſt agentis terminus; ſed objectum vel ſubjectum, cui terminus effectum ſuum formalem tribuit. Dicimus enim: *ſignum ſua ſignificatione ſignificat ſuum ſignificatum; ignis ſuo calore calefacit hominem: aqua ſuo frigore frigefacit manum.* Ubi iſti acuſativi *manum*, *hominem*, & *ſignificatum* non termini agentium; ſed maniſeſtè ſunt ſubjecta vel objecta, quibus termini agentium in ablativo conſtructi effectus ſuos formales tribuunt. Unde id, quod cum hujuſmodi verbis in ablativo conſtruitur, ineptiſſime dicis non eſſe agentis terminum. At verò verbum *ſignifico* eſſe tale verbum, *oſtenſum eſt ſupra.* Unde ex eo, quod *ſignificatio* cum illo conſtruatur in ablativo, malè infers illam eſſe actionem, & non terminum: cum hujuſmodi namque verbis conſtruuntur inſtruuntur in ablativo tam actiones, quam termini. Quod verò ſignificatio non ſigni actio, ſed terminus ſit: *prob. eſt ſupra.* His poſitis

18. *Reſp. & dico*: ſigna formalia ſive cognitiones ſunt verè ſigna. *Probatur:* quia ſignum eſt id, quod potentiam cognoſcitivam deducit in cognitionem alicujus à ſe diſtincti: ſive quod potentiam cognoſcitivam facit cognoſcere aliquid à ſe diſtinctum. Atqui cognitiones faciunt potentias ſuas cognoſcitivas cognoſcere aliquid à ſe diſtinctum; ergo cognitiones ſunt verè ſigna. *Probatur min.* quia effectus formalis cognitionum eſt facere ſubjectum ſuum cognoſcere; ſicut effectus formalis caloris eſt facere ſubjectum ſuum calere: & effectus formalis. albedinis eſt facere ſubjectum ſuum albere. Atqui ſubjectum cognitionis eſt potentia cognoſcitiva; ergo cognitio faciunt potentiam cognoſcitivam ad quid cognoſcere: non ſeipſum; ergo aliquid à ſe diſtinctum, ſuum ſcilicet objectum. *Probatur 2. magis à priori*: quia ſignum formale ſive cognitio eſt ſignificatio actualis, & terminus ſigni inſtrumentalis: *uti jam oſtenſum eſt*. Atqui terminus ſigni inſtrumentalia debet eſſe verè ſignificativus, & verè ſignum. Ergo ſignum formale debet eſſe verè ſignum. *Probatur minor*; quia ſignum inſtrumentale eſt ſignum ſignificans in genere cauſſæ efficientis; *ut dixi dub.* 1. Atqui terminus ſigni in genere cauſſæ effectivæ ſignificantis debet eſſe verè ſignificativus; ergo terminus ſigni inſtrumentalis debet eſſe verè ſignificativus. *Probatur minor*: quia ita ſe habet terminus ſignificantis ad ſuum ſignificans; ſicut ſe habet terminus dealbantis, calefacientis ad ſuum dealbans, calefaciens aut ſrigefaciens: atqui terminus dealbantis, calefacientis, aut ſrigefacientis ſemper eſt, & eſſe debet dealbativus, calefactivus, aut ſrigefactivus; ergo ſimiliter terminus ſigni in genere cauſſæ effectivæ ſignificantis eſt, & eſſe debet ſignificativus. *Pat. min.* quia terminus dealbantis, calefacientis, ac ſrigefacientis eſt albedo, calor, ac frigus; atqui albedo, calor, ac frigus eſt in genere cauſſæ formalis dealbativa, calefactivus, ac ſrigefactivum; ergo terminus in genere cauſſæ effectivæ dealbantis, calefacientis, ac ſrigefacientis eſt in genere formalis cauſſæ dealbativus, calefactivus, ac ſrigefactivus; ergo ſimiliter ſignum formale, quod eſt terminus ſigni in genere cauſſæ effectivæ ſignificantis, debet eſſe in genere cauſſæ formalis verè ſignificativum, vereque ſignum.

19. *Objicies:* Implicat idem eſſe ſignum & actualem ſignificationem; atqui cognitio, quam ſignum formale eſſe dicunt, eſt actualis ſignificatio; ergo non poteſt eſſe ſignum. *Probatur major*: quia ſignum & ſignificatio actualis habent ſe ſicut cauſſa & cauſſalitas; ſicut agens & actio; atqui implicat idem eſſe ſimul cauſſam & cauſſalitatem: eſſe ſimul agens & actionem; *uti in phyſica clarum* eſt. Ergo etiam implicat idem eſſe ſignum & ſignificationem. *Reſp. negando majorem utriuſque argumenti*. Nam, *uti dixi*, ſignum & ſignificatio habent ſe non ſicut agens & actio; ſed ſicut agens & terminus ejus. At verò non ſolum non implicat, immò plane neceſſarium eſt, ut terminus id præſtet in genere cauſſæ formalis, quod præſtat agens in genere cauſſæ efficientis: ut terminus ſit talis in genere cauſſæ formalis, quale eſt agens in genere cauſſæ efficientis. Unde ſicut ſignum inſtrumentale ſignificat in genere cauſſæ efficientis; ita etiam ſignum formale, quod illius actualis ſignificatio eſt, ſignificare debet in genere cauſſæ formalis. Item ſicut ſignum inſtrumentale eſt ſignificativum in genere cauſſæ efficientis; ita etiam ſignum formale debet eſſe ſignificativum in genere cauſſæ formalis. Atqui eſſe ſignificativum in genere cauſſæ formalis eſt eſſe verè ſignificativum: neque enim terminus ille, *in genere cauſſæ formalis*, alienat vel diminuit: ergo ſignum formale eſt verè ſignificativum, vereque ſignum.

20. *Petes ergo*: ſi ſignificatio actualis non ſit cauſſalitas ſigni, quæ ergo eſt ejus cauſſalitas? *Reſp. primo*: cauſſalitas ſigni formalis eſt illius informatio, ſive unio cum potentia cognoſcitiva, v. g. viſio, auditio, imaginatio, intellectio, &c. ſunt ſigna formalia; adeoque eorum cauſſalitas eſt eorum unio cum potentia viſiva, auditiva, imaginativa, intellectiva, &c. *Probatur*: quia cauſſalitas ſigni eſt illa forma, per quam ſignum ex ſignificativo fit actu ſignificans; atqui ſignum formale fit actu ſignificans per unionem ſui cum potentia cognoſcitiva; ergo illa unio eſt illius cauſſalitas. *Probatur minor*; quia ſignum formale actu ſignificare eſt potentiam cognoſcitivam ab illo actu deduci in cognitionem alicujus alterius: ſive eſt potentiam cognoſcitivam ab illo fieri actu cognoſcentem aliud: ſicut albedinem actu dealbare eſt parietem ab illa actu albere, & eſſe album. Atqui ſicut albedo facit parietem actu albentem per ſui cum illo unionem; ita etiam ſigna formalia, ſive cognitiones faciunt potentias actu cognoſcentes per ſui cum illis unionem; ergo hæc unio eſt forma, qua ſignum fit actu ſignificans. *Et ratio ulterior, ac à priori eſt*: quia ſignum formale eſt illud, quod ſignificat in genere cauſſæ formalis; ergo cauſſalitas ſigni formalis debet eſſe cauſſalitas formalis cauſſæ: atqui cauſſalitas cauſſæ formalis eſt unio formæ cum ſubjecto; *uti ex phyſica ſuppono*: ergo ſimiliter cauſ-

ſalitas

Digitized by Google

ſalitas ſigni formalis, ſive cognitionis eſt illius cum potentia cognoſcitiva unio.

21. *Reſp. ſecundò*: cauſſalitas ſigni inſtumentalis ſignificantis in genete cauſſæ effectivæ phyſicæ eſt actio unitiva ſignificationis actualis cum potentia, cui ſignificat; verb. gr. tale ſignum eſt ſpecies viſibilis, audibilis, & intelligibilis; ſignificatio eorum actualis eſt viſio, auditio, intellectio. Dico etgo eorum cauſſalitatem eſſe actionem unitivam viſionis, auditionis, & intellectionis cum viſo, auditu, & intellectu. *Ratio eſt*: quia cauſſalitas ſigni eſt forma iſta, qua ſignum ex ſignificativo fit actu ſignificans; atqui ſigna ioſtrumentalia effectivè phyſicè ſignificantia fiunt ſignificantia actu per actionem unitivam cognitionis, quæ actualis ſua ſignificatio eſt, cum potentia, cui ſignificant: ergo hæc actio eſt eorum cauſſalitas. *Probat. min.* quia ſignum hoc actu ſignificare eſt illud ſuam actualem ſignificationem ponere in ſubjecto ſuo; io potentia oimirum cognoſcitiva: ſicut agens calefaciens effectivè phyſicè actu calefacere eſt illud ſuum calotem ponere io ſubjecto: atqui hoc præſatum ſignum ponit ſuam actualem ſignificationem in ſuo ſubjecto per actionem ſuæ ſignificationis cum ſubjecto unitivam; ergo etiam per hanc actionem fit illud præſatum ſignum ex ſignificativo actu ſignificans.

22. *Reſp. tertiò*: caoſſalitas ſigni inſtrumentalis in genere cauſſæ moralis ſive intentionalis ſignificantis, eſt illa iotentionalis motio, aut metaphotica impulſio, qua movet potentiam cognoſcitivam ad eliciendam in ſe actualem ſignificationem ſive cognitionem ſignificati, v.g. vox *homo* reſpectu oaturæ humanæ hujuſmodi ſignum eſt: dico etgo illius cauſſalitatem, qua actualem ſignificarionem ſuam cauſſat, eſſe metaphoricam ac intentioaalem illam motionem, qua mediante ſua auditione movet, excitat, ac impellit potentiam intellectivam ad in ſe fotmandam cognitionem naturæ humanæ. *Ratio eſt*: quia hoc præſatum ſignum ſuæ ſignificationis eſt ſolummodò cauſſa moralis; ergo etiam illius in ſuam ſignificationem influxus, ac cauſſalitas eſſe debet ſolummodo cauſſalitas moralis: atqui cauſſalitas moralis eſt illa metaphoſica motio, qua cauſſa moralis mediante ſua cognitione excitat cauſſam phyſicam ad producendum ſuum effectum; ergo ſimilitet cauſſalitas bujus præſati ſigni eſt illa metaphorica motio, qua mediante ſua cogoitione movet ac excitat cauſſam phyſicam, potentiam ſcilicet intellectivam, ad produceodam ac eliciendam cognitionem ſui ſignificati, ſive ſuam actualem ſignificationem. *Sed de his omnibus latiſſimè in phyſica*.

DUBIUM III.

An ſigna formalia eſſentialiter ſignificent actu?

23. Quæro ao eſſentialiter ſignificent actu; ſive an ſignificare actu ſit de eorum eſſentia? quia clarum eſt, quod ſignificare potentia ſive aptitudine ſit de eſſentia eorum: quia *ſignificare aptitudine* eſt *eſſe ſignificativum, & eſſe ſignum*: atqui ſigna formalia ſunt eſſentialiter ſigna, ac eſſentialitet ſignificativa; *ut clarum eſt*; omne enim ſignum, ſive formale, ſive inſtrumentale, ſive arbitrarium, ſive naturale, eſt eſſenrialiter ſignificativum, ac ſignum; ergo ſignificare aptitudine eſt de eſſeotia ſigni formalis. *Controverſia ergo eſt*: an etiam ſignificare actu ſit de eſſentia illius? Audivi qui affirmarent decepti ex eo, quod audirent ſignificationem actualem eſſe de eſſentia hujus ſigni; *uti dictum eſt diſp.2. dub.6.*

24. *Reſp. breviter & dico*: actu ſignificare non eſt de eſſentia illius ſigni, neque formalis, neque inſtrumeotalis. *Probatur*: quia prædicatum realiter ſeparabile oequit eſſe de eſſentia iſtius ſubjecti, à quo realiter ſeparabile eſt; atqui ſignificare actu eſt à quocumque ſigno, tam formali, quam inſtrumentali realiter ſeparabile: ergo non poteſt eſſe de eorum eſſentia. *Patet major*: quia nulla res eſſe poteſt ſine ſua eſſentia; eſſentia quippe rei idem eſt, quod ipſa res: unde ſicut res eſſe nequit ſine ſeipſa, ſic etiam eſſe oequit ſine ſua eſſeotia. Atqui res eſſe poteſt abſque eo, quod ab ipſa ſaparabile eſt; ergo nibil realiter ſeparabile eſſe poteſt de eſſentia illius, à quo realiter eſt ſeparabile. *Minor verò probatur*: quia actu ſignificare habet ſe ad ſignum formale, ſive ad cognitionem; ſicut actu dealbare habet ſe ad albedinem: aut actu animare habet ſe ad aoimam: ac generaliter ſicut actu communicare effectum ſuum formalem habet ſe ad quamlibet formam. Nam ſicut anima & albedo in genere cauſſæ formalis animat, & dealbat, ita etiam cognitio, ſive ſignum formale in genere cauſæ formalis ſignificat. Atqui actu animare, & dealbare ab anima, & albedine realiter ſeparabile eſt: anima enim & albedo ſeparata ab omni ſubjecto non animat, neque dealbat; ergo ſimilitet cognitio ab omni potentia ſepatata (*quod per Deum fieri poteſt*) nihil actu ſignificat: adeoque actu ſignificare à ſigno formali eſt realitet ſepatabile. *Et confirmatur*: quia actu ſignificate eſt potentiam cognoſcitivam actu deducere in cognitionem alicujus; ſive eſt potentiam facere actu cognoſcentem: unde tuoc cognitio ſive ſignum formale actu ſignificat, quando potentiam cognoſcitivam facit actu cognoſcentem ſuum ſignificatum. Atqui cognitio ſeparata, & extra omne ſubjectum poſita potentiam cognoſcitivam non facit cognoſceotem: ſicut albedo ab omni ſubjecto ſeparata non facit parietem albeotem. Ergo actu ſignificate eſt à ſigno formali realiter diſtinctum, realiterque ſeparabile. Superaddit quippe ſupra ſignum formale informationem potentiæ cognoſcitivæ; ſive unionem ſigni cum potentia: ſicut actu dealbate aut animare ſupra albedinem, aot animam ſuperaddit unionem cum ſubjecto; quæ eſt formæ formalis cauſſalitas. *De quo in phyſica*.

25. *Objicies primò*; omne ſigoum habeos actualem ſignificationem, actu ſignificat; ergo omne ſignum babens in ſe eſſentialiter actualem ſignificationem, eſſentialitet actu ſignificat: atqui ſignum formale io ſe habet eſſentialiter actualem

lem ſignificationem; ergo eſsentialiter actu ſignificat. *Patet antecedens*: quia actualis ſignificatio & actu ſignificare babent ſe ſicut actualis dealbatio, & actu dealbare, atqui omne habens actualem dealbationem, actu dealbat; ergo ſimiliter omne ſignum babens actualem ſignificationem, actu ſignificat. *Reſolutioni præmitto*: ſignum poſse babere actualem ſignificationem duobus modis; ſicutl aliqua res poteſt duobus, & pluribus modis (*duo tamen ad propoſitum meum ſufficiunt*) habere colorem, aut aliam qualitatem. *Primo*: poteſt res aliqua babere colorem tamquam terminum à ſe productum. Ita qui eductivè, val creativè produceret albedinem, diceretur habere colorem. Et hoc modo ſigna instrumentalia, v. g. voces, aut ſpecies impreſsæ, dum actu ſignificant, habent actualem ſignificationem, tamquam terminum ſuum à ſe productum. *Secundo*: poteſt aliqua res habere colorem, ſicut ſubjectum eſsentiale habet ſuum prædicatum eſsentiale: ſicut ſuum ſcilicet genus, vel differentiam. Ita albedo & nigredo habent in ſe colorem in communi. Et hoc modo ſignum formale habet ſignificationem actualem: nam *uti dixi diſp 2. dub. 6.* ſignificatio actualis eſt differentia ſignum formale in ſuo eſse conſtituens, & ab inſtrumentali diſtinguens. Hoc poſito

26. *Ad argumentum in forma reſpondeo diſtinguendo antecedens*: omne ſignum habens actualem ſignificationem eo modo, quo agens babet ſuum terminum, actu ſignificat: *ita tranſeat, quamvis tamen falſiſſimum*. Nam ſicut non omne agens habens à ſe productam albedinem, frigus, aut calorem, dealbat, frigefacit, aut calefacit; ſed ſolum illud, quod habet albedinem, frigus, aut calorem à ſe productum, aut poſitum in ſubjecto; ſic etiam non omne illud ſignum, quod habet à ſe productam actualem ſignificationem, actu ſignificat; ſed ſolum illud actu ſignificat, quod actualem ſignificationem à ſe in potentia cognoſcitiva productam, aut poſitum habet. Si namque ſpecies intelligibilis, aut viſibilis producere intellectionem, aut viſionam extra omne ſubjectum (*quod ſupernaturaliter fieri poſſe, facilis ſum ut credam*) certè haberent à ſe productam actualem ſignificationem; non tamen actu ſignificarent: cum nullam potentiam cognoſcitivam deducerent in cognitionem ſui objecti. *Pergamus jam ad ſecundum diſtinctionis membrum*: omne ſignum habens actualem ſignificationem eo modo, quo ſpecies habent ſuum genus, aut differentiam, actu ſignificat: *ſic neg.* Nam omnis albedo, etiam à ſubjecto ſeparata, habet hoc modo colorem, & qualitatem; non tamen actu colorificat, aut qualificat: *uti evidens eſt*. *Eodemque modo diſtinguo minorem*: atqui omne ſignum formale habet actualem ſignificationem eo modo, quo agens habet terminum à ſe productum. *Sic nego*. Eo modo, quo ſpecies habet ſuam differentiam conſtitutivam: *ſic concedo*. Quo poſito tota corruit conſequentia.

27. *Ad antecedentis probationem neganda eſt major*; *Dicendumque*: quod actualis ſignificatio & actu ſignificare ſeſe habesnt ſicut albedo, & actu dealbare, ſicut actualis viſio, & facere actu videns: *juxta dicta dub. 2.* Atqui non omnis albedo ſemper actu in genere cauſſæ formalis dealbat: non omnis viſio ſemper in genere cauſſæ formalis facit videns: ergo ſimiliter non omnis actualis ſignificatio ſemper actu ſignificare debet. Undu cum dixi *ſupra dub. 1.* ſignum formale eſt id, quod in genere cauſſæ formalis ſignificat: intelligendus ſui de ſignificare aptitudinali, non de actuali. Ut fòret hic ſenſus: ſignum formale eſt id, quod in genere cauſſæ formalis eſt ſignificativum.

28. *Objicies ſecundò*: actu ſignificare eſt actu repræſentare, & actualis ſignificatio eſt actualis repræſentatio; *uti dictum eſt diſp. 2. dub. 2.* Atqui actualis repræſentatio eſſentialiter actu repræſentat; ergo etiam actualis ſignificatio eſſentialiter actu ſignificat. *Reſp. breviter negando minorem*: nam actu repræſentare eſt objectum aliquod potentiæ cognoſcitivæ facere præſens; atqui cognitio ſive actualis repræſentatio objectum ſuum potentiæ cognoſcitivæ non facit ſemper præſens; ſed ſolum tunc, cum potentiam informat, illique unita eſt; ergo actualis repræſentatio non ſemper repræſentat. *Probatur minor*: quia objectum aliquod potentiæ cognoſcitivæ facere actu præſens eſt facere objectum à potentia actu percipi & cognoſci; atqui cognitio, dum à potentia ſeparata eſt, non facit objectum ſuum à potentia actu cognoſci: neque enim potentia cognoſcere poteſt per cognitionem à ſe ſeparatam; ergo cognitio ſeparata non facit objectum ſuum actu eſſe præſens potentiæ cognoſcitivæ.

DUBIUM IV.

An ſpecies impreſſæ ſint vera ſigna?

29. AUdivi qui negarent: ſed puto eſſe affirmandum. *Aliqui probant hoc modo*: quidquid actu ſignificat, hoc eſt verè ſignum, & verè ſignificativum: ſicut quidquid actu calefacit, aut frigefacit, hoc eſt verè calefactivum, ac frigefactivum. Atqui ſpecies impreſſæ actu ſignificant: ergo ſunt verè ſigna. *Probatur minor*: quia actu ſignificare eſt in potentia cognoſcitiva cauſſare actualem ſignificationem; ergo quidquid in potentia actualem ſignificationem cauſſat, hoc actu ſignificat: atqui ſpecies impreſsæ in potentia cognoſcitiva cauſſant actualem ſignificationem; cauſſant enim in potentiis actuales cognitiones, quæ ſunt ſuæ actuales ſignificationes; ergo actu ſignificationes; ergo actu ſignificant. *Ant. videtur eſſe evidens*: nam oportet philoſophari, & hactenus pbiloſophati ſumus de ſignificare, ſicut ſaniores Pbyſici pbiloſophantur de dealbare, calefacere, frigefacere, &c. Atqui dealbare, calefacere, & frigefacere eſt albedinem, calorem, & frigus cauſsare in ſubjecto: ergo ſimiliter actu ſignificare eſt actualem ſignificationem cauſſare in ſuo ſubjecto. Atqui actualis ſignificationis ſubjectum eſt potentia cognoſcitiva; cum actualis ſignificatio ſit cognitio: ergo actu ſignificare formaliſſimè eſt actualem ſignificationem cauſsare in potentia cognoſcitiva.

30. Diſcurſus hic mihi arridet; illumque approbarem quam lubentiſſimè: aſt non poſſum: eſt

Digitized by Google

eſt enim quod me fortiſſimè remoratur. *Negari namque omnino debet antecedens ſecundi argumenti.* Scilicet hoc: actu ſignificare eſt actualem ſignificationem in potentia cognoſcitiva cauſſare. *Ratio eſt:* quia aliqua actualem ſignificationem in potentia cauſſant, quæ tamen actu non ſignificant, neque ſigna ſunt; ergo actu ſignificare non eſt planè idem, quod actualem ſignificationem in potentia cauſſare. *Probatur antecedens:* quia potentia intellectiva, viſiva, imaginativa, &c. cauſſat in ſeipſa objectorum ſuorum intellectiones, viſiones, imaginationes, &c. quæ ſunt actuales ſignificationes; atqui, *prout mihi ſaltem videtur*, intellectus, viſus, & imaginativa non poſſunt dici ſigna ſuorum objectorum; ſic enim intellectus foret ſignum omnis omnino rei: quandoquidem potentia univerſalis ſit; & omnis res tam in genere, & ſpecie, quam individuo ejus objectum. Quis autem dicat intellectum eſſe ſignum lapidis, equi, muris, plantæ, aquæ, ignis, &c. Ego ſanè, ſi hoc aſſererem, timerem ne è ſcholis cum cachinno exploderer. Similiter quis dicat potentiam viſivam omnium colorum, aut imaginativam eſſe ſignum omnium imaginabilium, Ergo aliqua actualem ſignificationem in potentia cauſſant, quæ tamen ſigna non ſunt, neque per conſequens actu ſignificant.

31. *Neque hoc cuiquam videri debet mirum:* ſunt quippe aliqua verba activa, quæ non important ſolam termini, ſeu formæ in ſubjecto poſitionem, ſeu productionem; ſeu inſuper important ſive connotant aliquam qualitatem aut conditionem in iſtius formæ activo principio. unde talia verba non denominant iſta omnia agentia, quæ formam in ſubjecto ponunt; ſed ſolummodò illa, quæ & formam in ſubjecto ponunt, ac ſimul habent illam qualitatem, aut conditionem à ſe connotatam; v. g. tale verbum eſt *peccare:* peccare enim non dicitur omnis is, qui peccatum in homine producit: alioqui etiam Deus: item ſpecies intelligibiles: (*hæ quippe in homine producunt peccatum hæreſis;*) *Ac habitus voluntatis* (*qui peccaminoſos ejus actus producunt*) peccare dicerentur. Item talia verba ſunt *comedo, bibo, floriſco, frondiſico, fructifico, ſplendeo, luceo, fulgeo, &c.* (*hæc tria ultima enim licet grammaticis neutra ſint; à philoſophis tamen activata ſunt, ut dicam infra agens de verbo.*) Non enim quidquid comeſtionem, bibitionem, fructificationem, lumen, ac ſplendorem in ſubjecto producit, hoc comedit, bibit, fructificat, lucet, ſplendet, &c. Sic enim etiam Deus comederet, biberet, ac luceret. Simile ergo verbum dico eſſe verbum *ſignifico:* quod ſcilicet non importet ſolam actualis ſignificationis productionem in potentia; ſed inſuper quod connotet certam aliquam qualitatem, habitudinem, ac proportionem in illo, quod actualem ſignificationem producit: ratione cujus habitudinis, ac proportionis dicitur eſſe ſui ſignificati ſignum. Adeoque licet quævis potentia objectorum ſuorum actualem ſignificationem producat: quia tamen cum unoquoque ſuo objecto ſpecialem illam habitudinem ac proportionem requiſitam ad rationem ſigni non habet, non dicitur cujuſcumque objecti ſui eſſe ſignum, neque illud actu ſignificare. Maneat ergo: quod actualem ſignificationem in potentia ponere, non ſit planè adæquatè & convertibiliter idem, quod actu ſignificare,

32. *Hac ergo ratione prætermiſſa probo concluſionem meam hoc diſcurſu:* omnis formalis imago ac ſimilitudo eſt prototypi, ſeu objecti ſui ſignum; atqui ſpecies impreſſæ ſunt objectorum ſuorum ſimilitudines, ac imagines non ſolummodo virtuales: ut vult *Agulonius lib. 1. optic. propoſ. 45.* ſed etiam ſunt ſimilitudines ac imagines verè formales; ut poſt alios tradit nobiliſſimus hujus temporis philoſophus, mihique in opinionibus, ac ſententiis amiciſſimus *Fortunatus Plempius, lib. 2. ophtalmographiæ, cap. 14.* ergo ſpecies impreſſæ ſunt ſuorum objectorum vera ſigna. Minorem hic non probabo: neque enim hoc Summuliſtæ; aut Logici; ſed Phyſici vel Optici officium eſt. Quos ſuper hac re conſulere poteris.

DUBIUM V.

Qualis debeat eſſe potentia, cui ſignum inſtrumentale ſignificat?

33. IN hac quæſtione duo ſunt certa: tertium eſt incertum & controverſum. *Certum eſt primò:* ſigna formalia ſignificare poſſe omnibus omnino potentiis cognoſcitivis, tam ſpiritualibus, quam materialibus, tam communibus, quam particularibus. *Ratio eſt:* quia ſigna formalia ſunt omnes & ſolæ cognitiones: ſcilicet intellectiones, imaginationes, viſiones, auditiones, odorationes, tactiones, &c. Atqui intellectiones intellectui, imaginationes imaginativæ, viſiones viſui, auditiones ſignificant auditui, &c. Ergo ſigna formalia ſignificare poſſunt omnibus omnino potentiis cognoſcitivis. *Certum eſt ſecundò:* ſigna inſtrumentalia, quæ ſignificant cognitione ſui non mediante, poſſe etiam ſignificare intellectui, ſenſui communi, potentiæ viſivæ, ac auditivæ: actui verò, guſtui, ac odoratui non poſſe. *Ratio eſt:* quia talia ſigna inſtrumentalia ſunt omnes & ſolæ ſpecies impreſſæ; atqui ſpecies impreſſæ dantur & ſignificant in intellectu, in ſenſu communi, in viſu, ac in auditu, non verò in tactu, neque in guſtu, neque odoratu: *ut mihi quidem viſum fuit hactenus.* Ergo hæc ſigna inſtrumentalia ſignificant omnibus illis potentiis præfatis.

34. Controverſia ergo eſt de ſignis inſtrumentalibus cognitione ſui mediante ſignificantibus: an poſſint ſignificare potentiis cognoſcitivis materialibus, ac præſertim phantaſiæ, ſive imaginativæ brutorum? An verò ſolis potentiis intellectivis? Significare poſſe etiam phantaſiæ brutorum, videtur docuiſſe S. P. *Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſt. c. 2.* Ubi hæc habet: *habent etiam beſtiæ quædam inter ſe ſigna, quibus produnt appetitum animi ſui, nam & gallus gallinaceus reperto cibo dat ſignum vocis gallinæ ut accurrat; & columbus gemitu columbam vocat, & ab ea viciſſim vocatur: & multa hujuſmodi animadverti ſolent. Quæ utrum ſicut vultus, aut clamor dolentis ſine ſignificandi voluntate ſequantur motum animi, an verò ad*

ſigni-

ſignificandum dentur, alia quæſtio eſt, & ad rem quæ nunc agitur non pertinet.

35. *Nihilominus tamen reſpondeo & dico:* ſigna hæc poſse ſignificare ſoli potentiæ intellectivæ. Ita inſinuat idem Pater noſter *lib 2. de Doct. Chr. cap.* 1. Ubi definit hoc ſignum eſse *id, quod præter ſpeciem quam ſenſibus ingerit, aliquid aliud ex ſe facit in cogitationem venire.* Ubi nomen verbale *cogitatio* notandum eſt, quod ſolam operationem potentiæ intellectivæ ſignificat. Et *lib* 1. *de princip. dial. cap* 5. Ubi definit hoc ſignum *eſſe id, quod ſeipſum ſenſui, & aliquid aliud animo repræſentat.* Ubi notanda eſt antitheſis nominum *ſenſui* & *animo*. Vult ergo *Auguſtinus* potentiam, cui hoc ſignum ſignificat, eſse ſolam intellectivam. *Et ratio eſt:* quia potentia, cui ſignum hoc ſignificat, debet eſse diſcurſiva; atqui potentia diſcurſiva eſt ſola potentia intellectiva; ergo potentia, cui hoc ſignum ſignificat, debet eſse potentia intellectiva. *Probatur maj.* quia potentia, cui hoc ſignum ſignificat, debet eſse potentia ex cognitione ſigni colligens cognitionem ſignificati: ſive ſe impellens ac determinans ad cognitionem ſignificati? atqui potentia ex cognitione unius rei colligens, ſive ſe determinans ac impellens ad cognitionem alterius rei, eſt potentia diſcurſiva: *uti clarum eſt*. Ergo potentia, cui ſignum hoc ſignificat, debet eſse potentia diſcurſiva. *Patet major:* quia ſignum, de quo nobis hic eſt ſermo, eſt ſignum ſignificans cognitione ſui mediante; eſt ſignum mediante cognitione ſui deducens potentiam in cognitionem ſui ſignificati; ergo potentia, cui ſignum hoc ſignificat, eſse debet talis, ut à ſigno mediante cognitione ejus deducatur in cognitionem ſignificati ejus. Atqui à ſigno mediante cognitione ejus deduci in cognitionem ſignificati ejus, quid quæſo eſt aliud, quam à cognitione ſigni impelli, excitari, ac determinari ad cognitionem ſignificati? Sicut à præmiſſis objectivis deduci in cognitionem concluſionis objectivæ, quid eſt aliud, quam à cognitione præmiſsarum impelli ac moveri & excitari ad cognitionem & aſsenſum concluſionis? Ergo manifeſtè potentia, cui hoc ſignum ſignificat, eſse debet talis, quæ ex cognitione ſigni colligat cognitionem ſignificati, quæque à cognitione ſigni impelli & excitari poſſit ad cognitionem ſignificati. Hoc autem eſt eſse potentiam argumentativam ac diſcurſivam: *uti clarum eſt*.

36. *Et confirmatur:* quia potentia, cui ſignum hoc ſignificat, debet eſſe potentia cognoſcens habitudinem & proportionem ſigni cum ſuo ſignificato; *ut dixi diſp.* 3. *dub* 5. Atqui hæc habitudo ac proportio cognoſci non poteſt niſi per potentiam intellectivam: ergo potentia, cui ſignum hoc ſignificat, debet eſſe potentia intellectiva. *Probatur minor:* quia cognoſcere rerum habitudines ac proportiones inter ſe eſt proprium potentiæ collativæ ac comparativæ: *uti clarum eſt:* Atqui ſola potentia intellectiva eſt rerum inter ſe collativa ac comparativa: *uti etiam in phyſica notum eſt*. Ergo potentia cognoſcens porportionem, ac habitudinem ſigni cum ſignificato eſt ſola potentia intellectiva. *Præterea:* proportio ac habitodo ſigni arbitrarii cum ſuo ſignificato eſt illius ad ſignificandum impoſitio ac deputatio; atqui impoſitio & deputatio hæc, cum ſpiritualis actus voluntatis ſit, cognoſci non poteſt niſi à potentia intellectiva; ergo proportio & habitudo ſigni inſtrumentalis cum ſuo ſignificato cognoſci nequit, niſi à potentia intellectiva. Vide quæ dixi *ſupra diſp.* 3. *dub* 5.

37. *Objicies:* dantur hujuſmodi ſigna inſtrumentalia reſpectu brutorum; ergo potentia, cui ſigna hæc ſignificant, non debet eſſe intellectiva. *Antecedens, præterquam quod ſupra allegata auctoritate Sancti Auguſtini probetur; etiam experientia patet:* quia canes, aliaque ſimilia expeditioris phantaſiæ animalia ex certis hominum, præſertim magiſtrorum ſuorum vocibus, cognoſcunt illorum mentem; hinc enim vocata accurrunt, pedem porrigunt, &c. *Reſp. negando antecedens, ad probationem ejus dico:* in brutis eſſe quidem quamdam ſignificationis umbram, non tamen veram ſignificationem: adeoque licet humanæ voces videantur non minus brutis, quam hominibus ſignificare; tamen videtur tantum: non enim verè ſignificant. *Ratio eſt clara:* quia vocem, aut aliud ſimile inſtrumentale ſignum alicui ſignificare eſt aliquem ex cognitione ſigni elicere cognitionem ſignificati; atqui, *ut jam ſupra dixi*, bruta id facere nullatenus poſſunt; ergo voces brutis nullatenus ſignificant. *Probatur minor:* quia ex cognitione ſigni elicere cognitionem ſignificati eſt ex uno cognoſcere aliud; atqui bruta quidem cognoſcunt ad unum, ſive poſt unum aliud, non tamen ex uno aliud; v. gr. canis quidem cognoſcit vocem loquentis, item & rem per vocem loquentis ſignificatam; non tamen cognoſcit rem ex voce: quia ad hoc deberet comparare rem cum voce, & vocem cum re, & mutuam earum habitudinem cognoſcere: quæ omnia ſunt tota facultate bruti cognoſcitiva longè ſuperiora. Ergo licet in brutis ſit quædam ſignificationis umbra (*de qua capi & intelligi debent illa præfata verba ſancti Auguſtini*) non tamen eſt vera ſignificatio. Sed de hoc vide *Gerardum Senenſem in* 1. *diſt.* 1. *qu.* 1. *art.* 1. *concluſ.* 3. Et Clariſſimum virum Magiſtrum meum *Mich. Paludanum* t. 2. *q.* 1. *diſp.* 3. *part.* 5. *& ſeqq.*

38. *Petes:* an ſignum hujuſmodi inſtrumentale debeat neceſſariò cognoſci à potentia intellectiva, cui ſignificat? Negat *Laurentius Ghiſſene tract.* 1. *ſect.* 2. *art.* 5. *Si enim vox homo*, inquit, *perciperetur tantum auditu, & ex illa cognitione auditiva intellectus determinaretur ad cognitionem naturæ humanæ (quod fieri poſſet per Deum) eſſet ſignum inſtrumentale naturæ humanæ.* Sed meo judicio deceptus eſt: non enim poteſt, ne quidem per Deum, intellectus ex cognitione auditiva vocis *homo* determinari ad cognitionem intellectivam naturæ humanæ, niſi primo intermediet cognitio intellectiva vocis *homo*. Poſſet quidem intellectus poſt cognitionem auditivam vocis *homo*, accipere immediatè ſibi à Deo infuſam, aut elevari ad in ſe immediatè producendam cognitionem intellectivam naturæ humanæ, abſque eo quod intermediaret cognitio intellectiva vocis: ſed dico non poſſe ab illa cognitione auditiva vocis hominem determinari ad immediatè eliciendam cognitionem intellectivam naturæ ſignificatæ: adeoque

non

Digitized by Google

non poſſe vocem *homo*, ſignificare naturam humanam, niſi & ipſa ab intellectu cognoſcatur. *Ratio eſt*: quia vocem *homo* ſignificare naturam humanam eſt intellectum audientis determinari, impelli, ac excitari à cognitione vocis *homo* ad cognitionem naturæ humanæ; atqui intellectus ad cognitionem naturæ humanæ immediate impelli non poteſt ab auditione; ſed ſolummodo ab intellectione vocis *homo*; ergo ad hoc, ut vox *homo* intellectui ſignificet, neceſſario debet ab intellectu cognoſci. *Probatur minor*: quia potentiæ inferiores non poſſunt potentias ſuperiores impellere & determinare, niſi ad actus ſimiles ſuis: id eſt niſi ad actus verſantes circa idem objectum: *ut communiter traditur in lib. de anima*. Ergo auditio, vel etiam imaginatio vocis *homo* non poteſt intellectum immediatè determinare ad cognitionem naturæ humanæ; ſed determinat illum immediatè ad cognitionem vocis *homo*, & tum hæc cognitio intellectiva vocis, intercedente & adjuvante judicio de impoſitione vocis (*de quo dixi ſupra diſp. 3. dub. 5.*) Determinat intellectum ad cognitionem naturæ ſignificatæ. *Sed de his alibi latius*.

DUBIUM VI.

De aliis quibuſdam ſigni diviſionibus.

39. Dividitur præterea ſignum in ſignum ſpeculativum & practicum. Signum ſpeculativum vocatur illud, quod ſuum ſignificatum tantum ſignificat, non verò cauſſat. Tale v. g. eſt fumus reſpectu ignis, vox *homo* reſpectu naturæ humanæ, pulſus arteriæ reſpectu bonæ vel malæ valetudinis, &c. Nam fumus ignem, vox *homo* naturam humanam, pulſus arteriæ valetudinem quidem ſignificat, non tamen cauſſat; *uti clarum eſt*. Signum practicum eſt illud, quod ſignificatum ſuum & ſignificat, ac ſimul cauſſat. Talia ſunt Sacramenta Novæ legis reſpectu gratiæ Sanctificantis, aliorumque ſuorum effectuum. Talia ſunt verba effectiva ſacramenti Euchariſtiæ reſpectu Corporis & ſanguinis Domini noſtri, &c. *Ratio diviſionis ita explicata eſt*: quia, *uti dixi ſupra diſp. 2. dub 6.* Signum comparatur ad ſuum ſignificatum, ſicut actus comparatur ad ſuum objectum: atqui actus practicus vocatur is, qui objectum ſuum non ſolum cognoſcit, ſed inſuper cauſſat & efficit: actus verò ſpeculativus vocatur is, qui objectum ſuum non cauſſat, nec efficit. Ergo ſimiliter hic ſigna ſignificatum ſuum cauſſantia, debent dici practica; & ſigna, ſignificatum ſuum non cauſſantia, dici debent ſpeculativa.

40. Hinc ſigna practica tam poſſunt eſſe formalia, quam inſtrumentalia. *De inſtrumentalibus, patet*: nam Sacramenta gratiæ juſtificantia, ac characteris à ſe impreſſi ſunt ſigna inſtrumentalia: atqui eorundem ſignificatorum ſunt ſigna practica; ergo ſigna practica poſſunt eſſe ſigna inſtrumentalia. *De formalibus etiam probatur*: quia omnes cognitiones ſunt ſigna formalia: atqui aliquæ cognitiones intellectivæ ſunt ſigna practica; ergo ſigna practica etiam eſſe poſſunt ſigna formalia. *Probatur minor*: quia ſignum practicum eſt ſignum cauſſans ſuum ſignificatum: atqui aliquæ intellectiones cauſſant ſuum ſignificatum; ergo aliquæ intellectiones ſunt ſigna practica. *Probatur minor*: quia ſignificatum intellectionis eſt intellectionis objectum: atqui aliquæ intellectiones, omnes nimirum intellectiones practicæ, cauſſant ſuum objectum, ergo aliquæ intellectiones cauſſant ſuum ſignificatum: *Sed de hoc alibi*.

41. Dividitur præterea ſignum in ſignum manifeſtativum tantum, & in ſignum manifeſtativum, ac ſuppoſitivum ſimul. Signum ſuppoſitivum & manifeſtativum ſimul eſt illud, quod & ſignificatum ſuum ſignificat, ac ſimul pro illo in contextu orationis ſupponi poteſt. Talia ſigna ſunt voces & ſcripturæ reſpectu rerum, quas ſignificant: illas quippe non ſolummodo ſignificant; ſed etiam pro illis in contextu orationis vocalis & ſcriptæ ſupponi poſſunt. Signum manifeſtativum tantum eſt illud, quod ſignificatum ſuum quidem ſignificat, non tamen pro illo in contextu orationis ſupponi poteſt. Talia itidem ſigna ſunt voces & ſcripturæ reſpectu conceptus loquentis & ſcribentis: illum quippe quidem ſignificant; non tamen pro illo in contextu orationis poſſunt ſupponi: uti patet in hac oratione: *homo eſt animal*. Voces *homo* & *animal* quidem ſignificant humanitatem ac animalitatem; itemque conceptum humanitatis, & conceptum animalitatis: non tamen pro conceptibus ſupponuntur. Sic enim facerent hunc ſenſum: *conceptus humanitatis eſt conceptus animalitatis*. Quod eſt manifeſtè falſum. Supponuntur ergo pro ſolis rebus; faciuntque hunc ſenſum: *res ſignificata per vocem homo eſt res ſignificata per vocem animal*: ſive, *eſt eadem cum re ſignificata per vocem animal*. Copula *eſt* quippe in propoſitione affirmativa ſignificat identitatem extremorum. Unde idem ſignum reſpectu unius ſui ſignificati eſt ſolummodo manifeſtativum: reſpectu alterius verò eſt ſimul manifeſtativum, ac ſuppoſitivum.

42. *Objicies*: omne ſignum eſt ſuppoſitivum, ſimul & manifeſtativum; & nullum datur ſignum, quod non ſit ſuppoſitivum; ergo in iſta diviſione alterum membrum dividens cum diviſo convertitur; alterum ſub diviſo non continetur: adeoque iſta diviſio non valet. *Probatur anteced.* quia ſignum ſuppoſitivum eſt ſignum potens habere ſuppoſitionem ſui ad ſignificandum ſuum ſignificatum: atqui omne ſignum ſive naturale, ſive arbitrarium, ſive formale, ſive inſtrumentale, eſt potens habere ſui ſuppoſitionem ad ſignificandum ſuum ſignificatum; quomodo enim ſine ſuppoſitione ſignificare poſſet? Ergo omne ſignum eſt ſuppoſitivum. *Reſp. neg. ant. & probationis majorem*: oportet enim bene diſtinguere ſuppoſitionem ſigni ad ſignificandum ſuum ſignificatum, & ſuppoſitionem ſigni pro ſuo ſignificato: hæc enim duo planè diverſa ſunt: *de quorum diverſitate ex profeſſo loquemur infra*. Dico ergo ſignum ſuppoſitivum eſſe illud, quod in contextu orationis habere poteſt ſuppoſitionem pro ſuo ſignificato: adeoque non omne ſignum eſſe ſuppoſitivum. Quamtumvis enim omne ſignum ſit capax ſuppoſitionis ad ſignificandum ſuum ſignificatum; non tamen omne eſt capax ſuppoſitionis pro ſuo ſignificato ſignificando.

43. Di-

Digitized by Google

43. Dividitur ulterius ſignum in demonſtrativum, prognoſticum, & rememorativum. Signum demonſtrativum eſt, quod ſignificat rem præſentem. Prognoſticum, quod rem futuram ſignificat. Rememorativum eſt, quod rem præteritam ſignificat, ac in memoriam reducit, v. g. Sacramentum Euchariſtiæ eſt ſignum ſimul demonſtrativum, prognoſticum, & rememorativum reſpectu diverſorum ſuorum ſignificatorum. Eſt demonſtrativum reſpectu Gratiæ Sanctificantis, & Chriſti Domini ibi realiter ac ſubſtantialiter præſentis: juxta illud: *ò ſacrum convivium in quo Chriſtus ſumitur*. Eſt rememorativum reſpectu paſſionis ejuſdem Chriſti Domini noſtri; juxta illud; *recolitur memoria paſſionis ejus*. Eſt prognoſticum ſignum reſpectu futuræ Gloriæ cœleſtis; juxta illud: *& futuræ Gloriæ nobis pignus datur*.

44. Dividitur ulterius ſignum in ſignum doctrinale, & non doctrinale. Signum doctrinale vocatur, quo ordinarie utimur in tradendis, ac addiſcendis ſcientiis. Hoc triplex eſt: ſcilicet vox, ſcriptura, & conceptus. Circa quæ occurrunt ſpeciales difficultates particularibus diſputationibus diſcutiendæ, ac enodandæ. De conceptu quidem agendum eſt in libris de anima; de voce verò & ſcriptura, earumque ſignificatione ac varietate agendum eſt hic. Signum non-doctrinale eſt illud, quo in docendis ac diſcendis ſcientiis ordinariè non utimur. Dico *quo ordinariè non utimur*: quia non omnia illa ſigna, quibus ſemel tantum, vel aliquoties, at ſatis rarò, aut quibus in una ſolummodo ſcientia tradenda utimur: qualia v. gr. ſunt figuræ mathematicæ, ſphæra cœleſtis & terreſtris artificialis, aliaque ſimilia, vocari poſſunt ſigna doctrinalia; ſed illa ſolum, quibus in tradendis omnibus omnino ſcientiis utimur ordinariè.

DISPUTATIO V.

De ſigno vocali, ſive de voce ſignificativa in genere.

DUBIUM I.

Quid ſit vox in communi?

VOcem in communi prout abſtrahit à ſignificativa & non ſignificativa paſſim definiunt Philoſophi hoc modo: *vox eſt ſonus, qui certis à natura datis inſtrumentis animalis ore profertur cum cognitione*. In qua definitione definitum eſt vox in communi. Genus definiti eſt ſonus. Hic enim latius patet, eſtque magis communis quam vox. Nam ſonus campanæ, ſonus tympani, &c. Item ſonus alia animalis parte, quam ore cauſſatus; ut ille, quem aves alis, piſces ſquammis, jumenta pedibus ſuis edunt, ſunt ſoni; non tamen ſunt voces. Debet ergo vox eſſe ſonus animalis ore prolatus cum imaginatione ſive cognitione. Unde ſi aliquod animal ſupernaturaliter (*naturaliter enim id fieri non poteſt*) ore ſuo ederet aliquem ſonum, ſine cognitione: ſonus iſte nullatenus foret vox.

2. *Ratio eſt*: quia vox debet eſſe non ſolummodo ſonus ab animali editus; ſed eſſe debet ſonus editus ab animali more animali ac vitali operante: atqui tunc animal edit ſonum more vitali & animali, quando illum per inſtrumenta à natura ordinata edit ex directione cognitionis, & imperio appetitus: ſicut enim proprium hominis eſt operari per directionem cognitionis intellectivæ, & imperium voluntatis, ſive appetitus rationalis; ita etiam animalis proprium eſt operari per directionem phantaſiæ, & imperium appetitus ſenſitivi. Illum verò, quem ederet animal ore ſuo ſine hac directione cognitionis, & appetitionis imperio (*deo ſupernaturaliter animal elevante & adjuvante, ut poſſet operari per potentiam oris & linguæ ſuæ, aliorumque vocalium inſtrumentorum loco motivam, præviè non operando per potentiam ſuam imaginativam & appetitivam: naturaliter namque id fieri non poſſet. Sicut enim potentia appetitiva naturaliter operari non poteſt, niſi directa & illuminata, ac quaſi manu ducta per operationem præviam potentiæ cognitivæ; ita etiam potentia loco motiva naturaliter operari non poteſt, niſi juſſa & applicata per operationem potentiæ appetitivæ.*) Non ederet operans more animalis; ſed more naturæ; ederet quippe illum ſonum per motum labiorum, eo modo quo arbor edit ſonum per motum ſuorum foliorum; ergo talis ſonus non poteſt eſſe vox; ergo vox debet eſſe ſonus animalis ore prolatus cum cognitione, quæ os, oriſque inſtrumenta in hac prolatione dirigat, ac manuducat.

3. Hinc illa cognitio directiva potentiæ locomotivæ in formatione vocis, quam dicunt Philoſophi eſſe de eſſentia vocis, non debet eſſe intellectiva; ſed poteſt eſſe ſenſitiva: debet tamen eſſe cognitio phantaſiæ, ſive ſenſus communis: neque ſufficit cognitio alicujus ſenſus particularis: ac tandem hæc cognitio pro objecto ſuo habet non vocis proferendæ ſignificatum; ſed ipſammet vocem proferendam. *Ratio primi & tertii eſt*: quia hæc cognitio, quæ eſt de eſſentia vocis, etiam reperitur in brutis: bruta enim etiam voces formant, & edunt: atqui bruta non poſſunt habere cognitiones intellectivas: Item bruta non poſſunt cognitione ſua attingere vocis ſignificatum: hoc quippe ſæpe ſpirituale eſt. Ergo cognitio hæc non debet eſſe intellectiva; neque pro objecto ſuo habere debet vocis ſignificatum; ſed eſſe poteſt cognitio ſenſitiva habens pro objecto ſuo ipſam vocem proferendam. *Ratio ſecundi eſt*: quia cognitio hæc debet eſſe cognitio dirigens potentiam loco-motivam; atqui potentia locomotiva dirigi non poteſt per ſenſus externos; ſed ſolummodo per ſenſum internum, ac communem: *uti in libris de anima dicendum eſt*. Ergo hæc cognitio non poteſt eſſe cognitio ſenſus externi. *Quibus tandem adde quartum*: ſcilicet vocem eſſe aggregatum per accidens: eſt enim aggregatum ex ſono prolato, & ex cognitione ſuæ prolationis directiva.

4. *Objicies primò*: homines à dæmone obſeſſi edunt diverſos ſonos ſine eorum imaginatione & cognitione; edunt quippe ſonos latinos, græcos, hebræos, barbaros, quos nunquam noverunt, neque audierunt: edunt, inquam, illos non

per

per potentiam ſuam loco-motivam naturalis vocis inſtrumenta ex directione cognitionis, ac imperio appetitionis moventem; ſed per naturalia ſua inſtrumenta à diabolo, tamquam inanime quoddam inſtrumentum purè paſſivè ſe habens ſine ulla cognitione ac appetitione mota. Atqui tamen iſti ſoni ſunt voces: ergo vox non debet eſſe ſonus animalis ore prolatus cum cognitione. *Probatur minor:* quia iſti ſoni ſunt voces, per quos quis dicitur clamare & vociferari: atqui obſeſſi per clamores ac ſonos à ſe modo editos dicuntur clamare & vociferari: ergo iſti ſoni ſunt voces. *Reſp. negando minorem, ad probationem dico:* homines obſeſſos per tales ſonos dici clamare & vociferari impropriè & alienativè. Similium enim ſonorum prolatio dicitur clamor & vociferatio eo modo, quo homo pictus aut mortuus dicitur homo: ſcilicet non ſecundum rei veritatem; ſed ſecundum externam apparentiam. Licet namque homines per tales ſonos verè non vociferentur; tamen in externa facie & apparentia vociferari videntur. Vociferari namque eſt edere ſonos animales, *id eſt*: eſt edere ſonos eo modo, quo ſolent illos edere animalia per inſtrumenta à natura ad id deſtinata, & ordinata: atqui homines obſeſſi iſtos præfatos ſonos non edunt juxta naturam & morem animalium; ſed juxta morem ac naturam campanarum, tympanorum, organorum, &c. Ergò per iſtos ſonos homines obſeſſi propriè & verè non vociferantur. *Patet minor:* quia ſicut campana, tympanum, & organum edunt ſonum ſuum ſine cognitione & appetitione purè paſſivè ſe habendo ad motum hominis pulſantis; ita etiam labia, dentes, lingua, aliaque vocis inſtrumenta hominis obſeſſi ſine cognitione dirigente & appetitione imperante edunt iſtos ſonos ad ſolum motum diaboli obſidentis. Ergo homines obſeſſi edunt iſtos præfatos ſonos non more animalis; ſed more tympani, organi, ac campanæ, &c.

5. Dicuntur ergò homines obſeſſi per iſtos ſonos clamare & vociferari eo modo, quo dicuntur per illos loqui: atqui obſeſſi per iſtos ſonos non verè loquuntur: ergo neque vere clamant, & vociferantur. *Probatur min.* quia loqui idem eſt quod proferre verbum: loqui mentaliter eſt proferre verbum mentis: & loqui corporaliter eſt proferre verbum oris. Atqui obſeſſi, dum proferunt præfatos ſonos, non proferunt verbum oris: ergo non loquuntur. *Probatur* quia proferre verbum oris eſt proferre vocem internunciam verbi mentis, *id eſt*: eſt proferre vocem ad ſignificandum verbum internum mentis: verbum oris quippe eſt vox à proferente ordinata & dicta ad ſignificandum internum verbum mentis. Atqui, *uti clarum eſt*, obſeſſi iſtos ſonos non ordinant ad ſignificanda interna verba ſuæ mentis: neque in illis iſti ſoni ſunt internuncii verborum mentis: ergo obſeſſi, dum iſtos præfatos ſonos edunt, non proferunt verbum oris. *Et confirmatur:* quia loqui ore eſt manifeſtare aliis, quæ loquimur mente; & locutio oris eſt manifeſtatio locutionis mentis; atqui obſeſſi per iſtos ſuos ſonos non manifeſtant, neque manifeſtare volunt internam locutionem mentis: ergo proferendo iſtos ſonos non loquuntur. *Ex quo etiam conſ. eſt*: quod homines dormientes ordinariè item pſittaci, aliæque ſimiles garrulantes, licet voces dearticulatas proferant, nunquam tamen loquantur: quia iſta vocum prolatio non eſt in ipſis internæ locutionis manifeſtatio. De quo vide *Ludovicum Molin. tom. 2. in 1. par. q. 27. art. 1. diſp. 6.* Dico pſittacos nunquam loqui: homines verò dormientes ordinariè non loqui: quia mihi per propriam in me experientiam ferè certum eſt nocturnarum vocum in ſomno prolationem eſſe quandoque veram locutionem. Putare enim intellectum homini dormienti ſemper condormire, à recta philoſophia planè eſt alienum: nam intellectus ad ſuam vigiliam non prærequirit vigiliam ſenſuum externorum; ſed ſolius phantaſiæ, aut ſenſus interni: atqui homini dormienti licet ſemper condormiant ſenſus externi; vigilat tamen ſæpiſſimè ſenſus internus: ergo tunc etiam poterit vigilare intellectus. *De quo ſemel alias.*

6. *Obiicies ſecundò:* vox non debet eſſe ſonus animalis ore prolatus: ergò ſupra poſita definitio non valet. *Probatur antec.* quia ſonus tubæ, fiſtulæ, avenæ, aliique ſimilium inſtrumentorum ſoni ſunt verè voces: atqui ſunt ſoni non animalis ore, ſed inſtrumento muſico prolati: Item ſoni illi articulati, quos Angeli in corporibus aſſumptis cum hominibus loquentes in aere formant: quales fuerunt illi, qui formati & auditi fuerunt ſupra caput *Chriſti* Domini à *Joanne* in Jordane baptizati, ſunt & fuerunt veræ voces: juxta illud: *venit vox de cælo dicens, vox patris intonuit, paterna vox audita eſt, &c.* Atqui iſti ſoni non fuerunt animalis ore prolati: ergo vox non debet eſſe ſonus animalis ore prolatus. *Reſp. neg. antec. ad 1. prob. concedo:* ſonos tubæ, fiſtulæ, avenæ, &c. eſſe veras voces: ſed numquid illi animalis ore cum cognitione inflantur & formantur? *Ad 2. prob. dico:* ſimiles ſonos non eſſe verè voces; ſed dici voces impropriè & alienatè ob magnam, quam cum veris vocibus habent, ſimilitudinem: eo modo, quo ſonum cytharæ vocare ſolemus vocem.

DUBIUM II.

An vox legitimè dividatur in ſignificativam & non ſignificativam?

7. Diviſio hæc nonnullis videtur mala ac illegitima: quia in hac diviſione alterum membrum dividens cum diviſo convertitur; alterum verò ſub diviſo non continetur: ergò diviſio iſta nequit eſſe bona. *Prob. antec.* quia diviſum eſt vox; membra dividentia ſunt vox ſignificativa, & vox non-ſignificativa: atqui omnis vox eſt ſignificativa, & nulla vox eſt non-ſignificativa: ergo alterum hujus diviſionis membrum cum diviſo convertitur; alterum vero ſub diviſo non continetur. *Prob. mi. oſtendendo & enumerando omnia ſignificata vocis*: in primis ergo omnis vox ſignificatione naturali ſignificat ſuum prolatorem: conceptum animalis vocem proferentis, quem format de ipſa voce proferenda, & quo in prolatione vocis dirigitur potentia prolativa vocis: imperium appetitus, quo appeti-

tus prolationem vocis potentiæ prolativæ imperat, eamque ad prolationem vocis faciendam applicat. Item ſignificat concuſſionem & violentam motionem aeris, ſpeciem audibilem, quam emittit, &c. *Ratio eſt clara*: quia omnis res ſignificatione naturali ſignificat cauſſam ordinariè ſe cauſſantem: conditionem ordinariè ſe concomitantem: effectum ordinariè à ſe promanantem, &c. Atqui omnia iſta præfata ad vocem comparantur vel tamquam cauſſa vocem ordinariè cauſſans, vel tamquam conditio vocem ordinariè concomitans, vel tamquam effectus ordinariè à voce promanans; *uti conſideranti facilè patebit*. Ergo omnia iſta præfata per quamcumque vocem naturali ſignificatione ſignificantur: adeoque omnis vox omnium iſtorum eſt naturaliter ſignificativa.

8. Prætereà omnis etiam vox ſignificatione arbitraria ſignificat ſuam ſpeciem, vel potius ſuum genus, ſub quo proximè continetur: *Pro quo ſcire debes*: ſicut ens in communi dividitur in diverſa genera, ſpecies, ac individua; ita etiam vox in communi diſtribui ac dividi poteſt. Dividi namque poteſt in vocem prolatam ab homine, & vocem prolatam à bruto: in vocem Græcam, vocem Latinam, Hebræam, &c. Dividi poteſt in vocem *homo*, in vocem *lapis*, vocem *Deus*, vocem *animal*, vocem *nomen*, &c. Dico ergo quamcumque ſingularem vocem *homo*, ſignificare ſignificatione arbitraria vocem *homo* in communi: ſive interim ſit genus ſive ſpecies. Quamcumque vocem ſingularem *animal* ſignificare vocem *animal* in communi. Quamcumque vocem ſingularem *Deus* ſignificare vocem *Deus* in communi. Et ſic alterius de aliis. Hanc arbitrariam ſignificationem è tenebris eruit *Laurentius Gyſſens tract.* 1. *ſect.* 3. *art.* 3. Quam quia alius inventum eſt, paucis perſtringam, ne alienis me plumis exornem. Dixi autem ſupra *ſive interim ſit genus, ſive ſpecies*; quia voces *homo*, *animal*; *deus lapis*, *blictri*, *ſyndapſis*, *&c.* in communi ſumptas aliqui volunt eſſe ſpecies infimas: aliqui genera eſſe volunt: *Et hi ſanè longè melius*. Nam omnem omnino vocem *homo*, omnem vocem *animal*, omnem vocem *Deus*, *&c.* levem & aſperam, tenuem & craſſam, altam & demiſſam, &c. quid ſolo numero & non potius ſpecie differre credat? *De quo dicam aliquid infra, dum de voce æquivoca, & univoca agam*. His poſitis.

10. *Probatur, quod dixi*; quia vox illa ſignificat, pro quo ſignificando in contextu orationis ſupponitur; atqui in contextu orationis quælibet vox *homo*, *animal*, *Deus*, *blictri*, ſupponitur ad ſignificandum vocem *homo*, *animal*, *Deus*, *blictri*, &c. in communi: ergo quælibet vox *homo* in ſingulari vocem *homo* in communi; quælibet ſingularis vox *blictri* vocem *blictri* in communi ſignificat; & idem eſt de qualibet alia voce. *Major eſt clara*: quia ſuppoſitio vocis eſt poſitio vocis in contextu orationis pro ſuo ſignificato; ergo quælibet vox ſignificat illud, pro quo ſignificando in oratione ſupponitur. *Minor verò probatur*; quia hæ prædicationes: *hoc blictri eſt blictri*. *Hæc vox homo eſt homo*, ubique habentur pro veris; atqui iſtæ prædicationes eſſe nequeunt veræ, niſi *homo* in prædicato ſupponatur pro voce *homo* in communi: ergo quælibet ſingularis vox *homo* in orationis contextu ſupponi poteſt pro voce *homo* in communi. *Prob. min.* quia ad veritatem iſtius, & cujuſq; alterius propoſitionis affirmativæ requiritur realis identificatio extremorum, *ut pluribus dicam infrà de propoſitione & prædicatione agens*. Atqui, ſi vox *homo* in iſtius propoſitionis prædicato ſupponatur pro ſeipſa, non identificabitur prædicatum iſtius propoſitionis cum ſuo ſubjecto: ſi verò ſupponatur pro ſua ſpecie, vel potius pro ſuo genere, nimirum pro voce *homo* in communi; tum prædicatum identificabitur cum ſuo ſubjecto: ſubjectum quippe eſt hæc ſingularis vox *homo*: prædicatum verò eſt vox *homo* in communi; quæ cum hac ſingulari voce *homo* identificatur: ſicut identificari ſolet quodcumque ſuperius ſive univerſale cum ſuis inferioribus, ſive ſingularibus. Ergo iſta propoſitio præfata nequit eſſe vera, niſi vox *homo* in prædicato ſupponatur pro voce *homo* in communi. *Patet minor*; quia illa ſingularis vox *homo*; quæ profertur in prædicato non identificatur; ſed diſtinguitur realiter ab illa quæ profertur in ſubjecto eo modo, quo Petrus differt à Paulo, ac generaliter eo modo quo differre ſolent duo individua ſub eadem ſpecie, aut eodem genere contenta. Ergo, ſi in prædicato iſtius præfatæ propoſitionis vox *homo* accipiatur pro ſeipſa, iſta propoſitio non habebit extrema ſibi mutuo realiter identificata.

11. *Petes*, quare una quæque vox ſingularis impoſita ſit ad ſignificandum ſuum ſuperius, potius quam unumquodque ens ſingulare impoſitum ſit ad ſignificandum ſuum ſuperius? Quicumque homo ſingularis non ſignificat ſignificatione arbitraria hominem in communi: neque quodcumque animal ſingulare ſignificat animal in communi: cur ergo quæcumque vox ſingularis *homo* ac *animal* ſignificat vocem *homo* aut *animal* in communi? *Reſp. rationem eſſe hanc*: quia homines habuerunt opus agere, tractare, ac ſermocinari inter ſe de vocibus tam in individuo, quam in communi ſpectatis; ſicut ſermocinantur de rebus & entibus; voces etenim etiam vera entia, veræque res ſunt de prædicamento qualitatis. Ergo debuerunt invenire ac inſtituere voces, per quas ſignificarent voces in communi; ſicut impoſuerunt voces, ad ſignificandas res in communi. Atqui ad ſignificandas voces non potuerunt inſtituere alias voces diverſæ ſyllabationis: ſic enim in infinitum procedere, vel certè aliquam vocem ſine voce ſui ſignificativa, ac inſignificabilem relinquere debuiſſent. Ergò commodiſſimè ipſo id comprobante uſu inſtituerunt ſingulas voces ſingulares ad ſignificandas ſuas ſpecies, vel ſua genera. *Patet minor*: quia ſi v. g. vocem *homo* in communi, voluiſſent ſignificare per aliquam aliam vocem diverſæ ſyllabationis; tum illa vox debuiſſet ſignificari per aliam; & tunc iſta alia rurſus per aliam; & ſic in infinitum: vel debuiſſent aliquam vocem relinquere inſignificabilem, & ſermoni humano incommunicabilem; aut certè debuiſſent illam ſignificare per ſua inferiora, & ſua ſingularia. Quod ergo debuiſſent facere in iſta voce, ipſo id comprobante omnium gentium uſu, fecerunt in omnibus vocibus.

12. His tamen omnibus non obſtantibus, dico

vocem

Digitized by Google

vocem in communi rectè ac legitimè dividi in vocem ſignificativam, ac non ſignificativam. Vox ſignificativa vocatur, quæ ultra omnia ſignificata hactenus enumerata adhuc impoſita eſt ad ſignificandam aliquam aliam rem à ſe diſtinctam. Tales v. g. ſunt voces *homo*, *animal*, *Deus*, *albus*; *ſto*, *ſedeo*, *&c.* Hæ quippe voces præter omnia ſignificata hactenus enumerata adhuc impoſitæ ſunt ad ſignificandam naturam humanam, animalitatem, deitatem, albedinem, ſtationem, ſeſſionem, &c. Et iſta res per antonomaſiam vocatur vocis ſignificatum. Dico *adhuc impoſita eſt ad ſignificandum*, *&c.* quia voces iſtæ rem iſtam non naturaliter, ſed ex arbitrio & impoſitione hominum ſignificant. Quod enim vox *homo* naturam potius hominis, quam equi aut bovis ſignificet; hoc non ex natura vocis iſtius: vox quippe iſta ex ſe non magis ad hoc, quam ad illud; neque magis ad illud quam ad hoc ſignificandum apta eſt; ſed ex voluntate ac arbitrio hominum inſtituentium deſumi debet. Vox non ſignificativa vocatur iſta, quæ præter præfata iſta ſignificata nullum habet aliud, ſive quæ non eſt impoſita ad aliquam aliam rem à ſe diſtinctam ſignificandam. Tales ſunt hæ voces, *blictri*, *ſindapſus*, aliæque ſimiles; quæ in nullo idiomate alicujus rei ſignificativæ ſunt.

13. *Obiicies*: ſigna, quorum ſignificatio eſt immutabilis, ſunt ſigna naturalia; atqui vocum ſignificantium res ſignificatio eſt immutabilis; vocum vero ſignificantium homines ſignificatio eſt mutabilis: ergo hæ voces ſunt arbitraria; illæ vero ſunt ſigna naturalia: ergo falſum eſt omnium omninò vocum ſignificativarum ſignificationem eſſe arbitrariam. *Patet major*; quia ſigna naturalia ſunt illa, quorum ſignificatio eſt naturalis orta ex natura ipſius ſigni ac ſignificati, atqui ſignificatio immutabilis eſt ſignificatio naturalis orta ex natura ipſius ſigni: ſignificatio quippe orta ex mutabili humano arbitrio nequit eſſe immutabilis. Ergo ſigna, quorum ſignificatio immutabilis eſt, ſunt ſigna naturalia. *Minor verò habetur decisa in textu l. 4. ſi quis in fundi, de legat. & fide comm.* 1. ubi dicitur: *rerum vocabula immutabilia ſunt, hominum mutabilia*. Huic concluſioni aſſenſum præbet *Accurſius*: hominum vocabula ea eſſe putans, quæ ab hominibus impoſita ſunt; rerum vero eſſe iſta, quæ naturaliter ſignificant. *Sed errat, neque ſenſum ac mentem textus aſſequitur*. Nulla namque ſunt vocabula, quæ ſignificationem ſuam ex hominum placito ac impoſitione non ſortiantur. Senſus ergo textus eſt hic: vocabula hominum vocat nomina hominum propria: ut *Cornelii*, *Sempronii*, *Titii*, *&c.* Et quæ ab his derivantur: ut *Cornelianum*, *Sempronianum*, *Titianum*, *&c.* Vocabula verò rerum vocat nomina ſignificantia res: ut *aurum*, *argentum*, *homo*, *equus*, *&c.* Et ſic hominum nomina facile mutantur; fundus enim, qui hodie eſt *Sempronii*, & vocatur *Sempronianus*: cras fit *Titii*, & vocatur *Titianus*. At rerum nomina non ſic mutantur, homo enim, equus, aurum, argentum, &c. heri, hodie, & cras vocantur *homo equus*, *aurum*, *& argentum*. *In forma ergo ad argumentum reſpondeo negando minorem*, *& dico*: vocabula rerum eſſe etiam variabilia, ac mutabilia, ſicut hominum: res quippe, quæ hodie vocatur *aurum*; ſi homines unanimiter vellent, cras poſſet vocari *argentum*: & paries, qui hodie eſt, & vocatur niger, cras eſt & vocatur albus: homo, qui hodie eſt & vocatur ſimplex presbyter, cras eſt, & vocatur Epiſcopus. Sunt ergo rerum vocabula etiam mutabilia; ſed non ita facilè.

31. *Petes*: qualis ſit hæc diviſio vocis in ſignificativam & non-ſignificativam? *Reſpondeo*: eſſe diviſionem ſubjecti in accidentia. *Probatur*: quia illa eſt diviſio ſubjecti in accidentia, in qua diviſum contrahitur ad membra dividentia, non per differentias eſſentiales eſſentialiter diverſas; ſed ſolummodò per diverſa diviſi accidentia. Atqui in hac diviſione vox diviſa ad vocem ſignificativam & non-ſignificativam contrahitur per diverſa ſolummodo ſua accidentia: ergo hæc diviſio non eſt generis in ſpecies; ſed ſubjecti in accidentia. *Probatur minor*: quia vox contrahitur ad vocem ſignificativam & non-ſignificativam per deputationem ac non deputationem ad ſignificandum; etenim vox ſignificativa eſt illa, quæ eſt ad ſignificandum deputata; vox verò non-ſignificativa eſt illa, quæ ad ſignificandum non eſt deputata. Atqui deputatio & non deputatio ad ſignificandum, non ſunt differentiæ eſſentiales vocem ſpecificantes; ſed ſunt pura quædam extrinſeca accidentia voci advenientia: *uti eſt clarum*. Ergò in hac diviſione vox diviſa ad vocem ſignificativam & non ſignificativam non contrahitur per differentias vocem ſpecificantes; ſed per ſola accidentia voci advenientia.

14. Eodem jure philoſophandum eſt de diviſione ſoni in vocem & ſimplicem ſonum. *Ratio eſt eadem*: quia etiam ſonus ad vocem, & ſimplicem ſonum contrahitur, non per differentias ſpecificantes; ſed per accidentia ſono advenientia: ergo iſta diviſio eſt etiam ſubjecti in accidentia. *Patet antecedens*: quia ſonus ad vocem & ſimplicem ſonum contrahitur per ſui prolationem ſeu productionem factam vel non factam ab ore animalis cum cognitione: etenim, *ut dixi dubio* 1. vox eſt ſonus ab ore animalis productus cum cognitione: ſimplex ſonus verò eſt ſonus ab ore animalis non productus cum cognitione. Atqui hujuſmodi prolatio ſeu productio non differentia ſonum ſpecificans; ſed quoddam accidens eſt ſono adveniens: *at notum eſt capienti terminos*. Ergò ſonus ad vocem & ſimplicem ſonum contrahitur non per differentias ſpecificantes; ſed per accidentia advenientia.

15. *Ex quibus omnibus ſequitur*: vocem per ſonum definiri non tamquam per verum genus: ſed tamquam per ſubjectum poſitum loco generis. *Probatur*: quia tunc aliquod definitum definitur per ſubjectum, quando prædicatum loco generis poſitum non eſt genus per differentiam definiti contractum; ſed ſubjectum à differentia definiti, vel potius à forma principaliter definita informatum: atqui ſonus non eſt genus per differentiam vocis definitæ contractum; ſed eſt ſubjectum ab illa informatum: ergo vox definitur per ſonum non tamquam per genus; ſed tamquam per

ſubjectum. *Probatur min.* quia differentia conſtitutiva vocis eſt eſſe prolatum animalis ore cum cognitione; ſive *in abſtracto* eſt prolatio facta ab animalis ore cum cognitione: atqui hæc prolatio oon eſt differentia metaphyſica ſooi; ſed eſt actio productiva ſoni, quæ ſonum, utpote ſuum terminum, tamquam adhæſionis ſuæ ſubjectum informat: ergo differentia vocis definitæ ſonum oon tamquam genus contrahit; ſed tamquam ſubjectum phyſicæ ſuæ adhæſionis informat, & perficit.

Hi duo ultimi paragraphi debebantur Dubio præcedenti: ſed quid? Qui à mala ſorte dejectus eſt è loco proprio, nonne jure occupat alienum?

DUBIUM III.

Quæ ſint ſignificata propria vocis ſignificativæ?

14. DIctum jam eſt, vocem ſignificativam eſſe illam, quæ præter ordinaria, & commonia cujuſcumque vocis ſignificata, habet aliquod aliud, vel aliqua alia ſibi ſpecialia: ad quæ ſignificanda ſpecialiter impoſita, & deputata eſt, & à quorum ſignificatione vocatur ſignificativa, quæquè per antonomaſiam dicuntur eſſe ſignificata vocis. Quæritur ergò nunc, quæ ſint hæc propria & ſpecialia ſignificata, à quibus vox dicitur eſſe ſignificativa? Aliqui volunt eſſe ſolam rem à loquente conceptam: aliqui ſolum conceptum quo loqueos rem concipit: alii verò eſſe voluot tam rem, quam loquens concipit; quam conceptum, quo illam concipit. Prò facili autem quæſtioois reſolutione diſtinguere debes inter ſigoificatiooem actualem, & aptitudioalem, ſive inter vocem ſignificare actu, & ſignificare poteoria.

Reſp. & dico primò: voces ſignificativæ aptitudinaliter ſignificant tam rem à loquente conceptam, quam conceptum, quo loquens rem coocipit. *Probatur*: qoia ſignificare aptitudinaliter eſt poſſe ſigoificare; atqui voces ſignificativæ audientibus ſignificare poſſunt cum rem à loquente conceptam, tum ipſum conceptum, quo loquens rem concipit: ergo voces ſignificativæ otrumque hoc aptitudinaliter ſignificant. Er hæc ſunt ſignificata illa ſpecialia, à qnibus voces dicuntur eſſe ſignificativæ, & per quæ voces ſignificativæ diſcernuntur à non-ſignificativis. *Probatur minor*: qnia voces ſignificare poſſunt illud, ad quod ſignificandum inſtitutæ, & ab hominibus deputatæ ſuot, atqui voces ab homioibus deputatæ ſuot ad ſignificaodam tum rem, qnam loquens concipit, tum conceptum quo illam concipit: ergo voces utrumque hoc ſignificare poſſunt. *Quod voces impoſitæ ac deputatæ ſint ad ſignificandas res, patet*: nam vox *Jeſus* ad ſignificandum Salvatorem noſtrum: vox *Maria* ad ſignificandam matrem ejus: voces *Joſeph*, *Joachim*, & *Anna* ad ſignificandum patrem, avum, & aviam ejus; voces denique tum ab Adamo ad ſignificaoda animalia *Geneſ.* 4. tum à Deo in confuſione Babylonica ad diverſas res diverſimode ſignificandas, *Geneſ.* 11. impoſitæ ac deputatæ ſuot. *Quod etiam impoſitæ ſint ad conceptum, quem format & habet in ſe loquens de re ſignificanda probatur* (dico *de re ſignificanda*: quia conceptum loquentis aut proferentis de ipſa voce ſignificatura ac proferenda ſignificat vox non ex impoſitiooe ſignificatiooe arbitraria; ſed ſignificatione naturali, *ut dixi dub.* 2.) Quia voces ſunt ioſtrumenta oaturæ communicatioois humanæ, quibus homioes mutuos ſibi mutuo cooceptus ultrò citroque communicaot; homines qoippe in civitate ac ſocietate viventes ſibi mutuo loqui, mutuaque animorum ſuorum ſeuſa ſibi communicare debuerunt; uode cum oon potuerint immediatè loqui per meorem, inveuerunt ac deputaront voces articulatas, per quas tamquàm per inſtrumenta ac vehicula mutuas ſuas mentales locutiones mutuis intellectibus ſignificarent, ac iovehereot. *Hinc S. Aug. lib.* 5. *de Trinit. cap.* 11. docet verbum, quod foris ſooat, eſſe ſignum verbi, quod intus latet. *Et ſerm.* 2. *de Joanne Baptiſta*: vocem eſſe vehiculum verbi interioris. *Et Damaſc. lib.* 1. *fidei cap.* 17. vocem Angelum intelligentiæ vocat, *id eſt*: internunciam conceptuum interiorum: Vide S. Aug. *lib.* 2. *de ordine*, *cap.* 12.

16. *Obiicies primò*: voces *chymera*, *hippotaurus*, aliæque ſimiles entia rationis ficta ſignificantes, ſignificant ſolum loquentis conceptum; non verò à loquente conceptam: homo enim tales voces proferens nullam rem concipit. Ergò falſum eſt omnem vocem eſſe ſignificativam rei à loquente conceptæ. Hoc argumento permotus Cardinalis *Ægydius in* 2. *diſt.* 2. *q* 3. *art.* 1 putavit concluſionem noſtram noo eſſe univerſaliter veram. *Reſp. tamen negando antecedens*, & *dico*: hominem ſimiles voces proferentem verè rem aliquam concipere; adeoque illas verè alicujus rei eſſe ſignificativas: alicujus, inquam, rei non quidem veræ & realis; ſed fictitiæ & rationis. Hoc autem ad meæ concluſionis veritatem planè ſufficiens eſt. Nam quando dico voces eſſe ſignificativas rei à loqueote conceptæ: per rem intelligo omoe illud, quod loqueos coocipit; ſive ſit res vera, ſive ficta, ſive materialis, ſive ſpiritualis, ſive conceptus, ſive non conceptus: conceptus quippe à loquente per alios conceptus reflexos etiam coocipi, ac per voces ſignificari poſſunt. Per rem ergo iotellige omne illud, quod loquens concipit: & per conceptum iotellige illum, quo concipit.

17. *Obiicies ſecundò*: ſi voces forent ſignificativæ rei & conceptus, omnes voces forent æquivocæ, conſequens abſurdum eſt: ergo & id unde ſequitur. *Probatur ſequela majoris*: quia vox æquivoca eſt illa, quæ ſignificat plura in ſuo principali ſignificato planè diſſimilia; atqui, ſi voces ſignificarent & rem & conceptum loquentis, tunc omnes voces ſignificarent plura in ſuo principali ſignificato diſſimilia: res enim concepta & cooceptus, quo concipitur, planè diverſa ac diſſimilia ſunt: *uti patet*: Ergo, ſi voces ſignificarent & rem, & conceptum loquentis, omnes voces forent æquivocæ. *Reſp neg. ſequel. maj. ad probationis probationem ejus diſtinguo maj.* vo æquivoca eſt vox ſignificans plura ſignificata planè diverſa & diſſimilia ejuſdē ordinis & generis;

Digitized by Google

tis; *ſic concedo* Eſt illa, quæ ſignificat plura ſignificata diſſimilia diverſi ordinis & generis: *ſic nego*. Adeoque dico omnem vocem, quamtumvis ſignificet rem cum conceptu loquentis, quæ ſunt duo ſignificata planè diſſimilia, non eſſe æquivocam: quia illa ſunt ſignificata diverſi ordinis & generis. Reſpectu rei namque vox eſt ſignum manifeſtativum ſimul ac ſuppoſitivum: at vero reſpectu conceptus, quo à loquente res concipitur, eſt ſolummodo ſignum manifeſtativum. Sic ergo omnis vox non eſt æquivoca: quia vox æquivoca eſt illa, quæ ſignificat duas res diſſimiles; quæ ſunt plura ejus ſignificata ejuſdem ordinis & generis. *De quo pluribus infra.*

18. *Objicies tertiò:* voces dormientium, comædorum aut aliorum hominum utentium & agentium aliquo idiomate ſibi ignoto. Item voces pſittacorum, aliarumque ſimilium garrularum avium non ſunt ſignificativæ rei conceptæ, & conceptus loquentis; ergo falſum eſt: omnem vocem ſignificare rem & conceptum. *Probatur antecedens:* quia voces ſignificare debent conceptum ſibi in loquente correſpondentem; atqui iſti loquentes (*ſi tamen loquentes vocari poſſint, cum verè loquentes non ſint; ut patet ex dictis dub. 1. n. 5.*) non habent conceptum ſuis vocibus correſpondentem: ergo iſtæ voces non poſſunt conceptum, neque rem à loquente conceptam ſignificare; *Reſpondent aliqui:* voces dormientium, comædorum, & avium habere ſibi correſpondentem conceptum, non quidem de re ſignificanda; ſed de voce proferenda: eumque ſignificare: adeoque omnem omnino vocem eſſe ſignificativam conceptus. *Sed reſponſio ad rem non facit:* nam hic non quærimus an voces ſignificent conceptum de ipſa voce formatum: hoc enim quæſivimus, ac reſolvimus *dubio præcedenti*: ſed quæſtio eſt de conceptu formato à loquente de re per vocem ſignificanda. Unde ab uno ad alium currere eſt velle illudere, & à diſparato ad diſparatum diſcurrere. *Reſp. ergo negando antecedens; ad probationem dico:* iſtas voces actu quidem conceptum loquentis de re ſignificata formatum non poſſe ſignificare; eſſe tamen verè illius ſignificativas, & ad hoc eſſe aptas; ac habere potentiam. Quod enim hic & nunc actu ſignificare audientibus non poſſint: hoc non ex defectu potentiæ ad ſignificandum expeditæ: ſed ex defectu potentiæ ad ſignificandum non applicatæ, ſive ex defectu applicationis ortum habet. Sicut quod ignis nulli corpori calefactibili applicatus calefacere non poſſit: hoc non fit, quia calefactivus non eſt, ex defectu potentiæ ad calefaciendum non expeditæ; ſed ex defectu potentiæ non applicatæ. Præfatæ ergo iſtæ voces verè ſignificativæ ſunt; poſſuntque ſignificare loquentis conceptum, & rem à loquente conceptam, quando ad ſignificandum applicatæ ſunt. Quod verò ad ſignificandum non applicatæ ſignificare non poſſint, quid miri eſt, cum applicatio agentis ad agendum ſit actioni conditio neceſſariò prærequiſita? *Quod verò voces iſtæ præfatæ ad ſignificandum applicationem non habeant; evidens eſt:* quia vocum ad ſignificandum applicatio eſt volitio, qua volens vult per voces à ſe prolatas ſignificare ſuum conceptum, ac rem à ſe conceptam; *ut dicam infra de ſuppoſitione agens:* atqui iſtæ præfatæ voces in ſuo proferente non habent ſibi correſpondentem talem volitionem: ergò non habent ad ſignificandum applicationem.

19. *Quod autem iſtæ præfatæ voces verè ſignificativæ ſint rei conceptæ, ac conceptus loquentis; facile oſtendi, ac confirmari poteſt:* quia omnes illæ voces ſunt ſignificativæ, quæ ad ſignificandum ſunt deputatæ, ac inſtitutæ; atqui omnes illæ præfatæ voces; v. g. hæ, *homo eſt animal rationale*, prolatæ ab aliquo dormiente, aut comædo, aut bruto, ſunt ad ſignificandum deputatæ: ergo ſunt verè ſignificativæ: *Probatur minor:* quia omnes illæ voces ſunt ad ſignificandum deputatæ, quæ ſunt aptæ ſervire communioni, ac ſermocinationi humanæ: v. g. Omnes iſtæ voces ſunt deputatæ ad ſignificandum latinè, græcè, vel germanicè, quæ ſunt aptæ ſervire ſermocinationi latinè, græcè, vel germanicè: atqui voces prolatæ à dormientibus, comædis, ac avibus quamtumvis actu & de factò ſermocinationi humanæ non ſerviant; ſervire tamen aptæ ſunt, ergo omnes iſtæ voces ſunt ad ſignificandum deputatæ. *Patet minor:* quia iſtæ voces ſunt aptæ deſervire ſermocinationi humanæ; per quas homines inter ſe colloqui, ac ſermocinari poſſint; atqui quamtumvis per voces articulatas à dormientibus, comædis, aut avibus prolatas homines inter ſe actu non colloquantur; voces tamen iſtæ aptæ ſunt, ut per illas homines colloqui poſſint: ergo iſtæ voces, licet actu non ſerviant, tamen aptæ ſunt ſervire humanæ ſermocinationi: adeoque nihil ſignificent, neque ad ſignificandum applicatæ ſint; tamen applicari, ac ſignificare poſſunt.

20. *Eodem modo ſolvi debet vulgare argumentum, quod de vocibus mentientium fieri ſolet:* voces non ſignificant niſi conceptum ſibi in loquente correſpondentem; atqui voces mentientium non habent ſibi correſpondentem in loquente conceptum: ergo iſtæ voces non ſunt ſignificativæ conceptus. *Reſp. enim negand. conſequentiam.* Quod namque iſtæ voces conceptum loquentis actu non ſignificent; hoc non ex defectu potentiæ ſignificativæ ad ſignificandum promptæ, ac expeditæ; ſed ex defectu potentiæ ad ſignificandum non applicatæ ortum trahit. In hoc namque peccatum ac malitia mendacii ſita eſt, quod homo à legibus ſocietatis ac communionis humanæ ſe difformet: quod vocibus non utatur eo modo, quo per primam inſtituentium legem à communi omnium uſu, ac jure gentium acceptatam uti tenetur ac debet, quod voces ad aliud ſignificandum ſupponat, ac applicet, quam ſupponi, ac applicari deberent. Cum enim voces ſupponere deberet ad ſignificandum iſtum conceptum, iſtudque de re ſignificata judicium, quod in ſe verè habet; ſupponit eas ad decipiendum, ac ſignificandum judicium, quod in ſe non habet.

21. *Dico ſecundò:* non ſolum voces ſunt ſignificativæ rei conceptæ, & conceptus loquentis; ſed etiam quidam ſoni articulari, qui

voces non ſunt, ſunt ſignificativi rei conceptæ, & conceptuum ſui proferentis. *Probatur*: quia ſoni iſti, quos Deus, aut Angeli quandoque cum hominibus loquentes in aere formant, ac dearticulant, non ſunt voces, *ut dictum eſt dubio* 1. Atqui iſti ſoni ſunt ſignificativi conceptuum, rerumque à Deo, vel Angelo ſonos iſtos dearticulante conceptarum; ergo non ſolum voces; ſed etiam ſoni quidam articulati ſunt rerum & conceptuum proferentis ſignificativi. Sicut namque homines ſibi mutuo loquentes voces à ſe prolatas dirigunt, ac ordinant ad manifeſtandos conceptus in mente ſua latentes; ita etiam Deus, aut Angeli ordinant ac dirigunt iſtos à ſe formatos ſonos: adeoque iſti ſoni non ſunt minus ſignificativi, quam ſint voces.

22. *Dico tertiò*; cum dicimus voces aptitudinaliter ſignificare conceptum loquentis; per loquentem non debes intelligere illum, qui phyſicè loquitur, & voces profert; ſed illum, qui moraliter cenſetur loqui. *Id eſt*: illum, cujus nomine voces proferuntur. *Probatur* 1. *inductione*: v.g. voces prolatæ à Nuntiis, Procuratoribus, ac generaliter à quibuſcumque Mandatariis non ſignificant conceptum, ac mentem Nuntii, Procuratoris, aut Mandatarii; ſed conceptum ac mentem Mandantis, aut alterius Principalis Nuntium, aut Procuratorem mittentis; ergo voces ſignificant non conceptum, ac rem conceptam ab illo, qui phyſicè loquitur, ac voces profert; ſed ejus, qui moraliter loquitur; ſeu illius, cujus nomine voces proferuntur. *Probatur antecedens*; quia Mandans, aut is, qui Procuratorem, aut Nuntium miſit, per verba ſui Mandatarii, Nuntii, aut Procuratoris contrahit: is obligationem incurrit; is Jus acquirit: ergo illius, & non iſtorum mens, ac conceptus per verba iſta ſignificantur. *Antecedens in Jure per totum Titulum de Procurat. obvium & clarum eſt. Conſequentia verò probatur*: quia nullus poteſt contrahere, obligationem incurrere, aut Jus acquirere, aliumve ſimilem effectum juris operari, aut in ſe recipere, niſi per conceptum, ac conſenſum ſuum exterius manifeſtatum, ac ſignificatum; atqui per voces à Procuratore, Nuntio, aut Mandatario prolatas, Mandans Procuratorem aut Nuntium mittens contrahit, obligatur, jus acquirit, &c. Ergo illius conſenſus, ac conceptus per voces iſtas ſignificatur.

23. *Noſtram hanc concluſionem multum etiam confirmat conſtitutio Bonifacii Octavi in cap. unico de deſp. impub. in* 6 in hæc verba: *Porrò ex ſponſalibus, quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipſi filii, ſi expreſſe vel tacitè conſenſerint, ut ſi præſentes fuerint nec contradixerint, obligantur.* Hinc infero ergo per iſta parentum verba non mens ac conceptus parentum; ſed mens & conſenſus filiorum explicatur, ac ſignificatur. Illius quippe conſenſus ac conceptus per verba ſignificatur, qui per verba obligatur; atqui hic per verba parentum obligantur non parentes loquentes; ſed filii tacentes; ergo per eadem iſta verba non conceptus parentum loquentium; ſed filiorum tacentium explicatur, ac ſignificatur. Ergo cum dicuntur voces ſignificare conceptum loquentis & rem ab illo conceptam: per loquentem non eum, qui voces profert; ſed eum, cujus nomine proferuntur, intelligere debes. Ex quo patet voces legati non conceptum legati; ſed legantis: item voces comædi non conceptum comædi; ſed illius ſignificare conceptum, cujus perſonam agit, & gerit.

24. *Et confirmatur adhuc*: quia ſic ſe habent voces ad conceptum, & rem conceptam à loquente; ſicut ſe habent ſcripturæ ad conceptum, & rem conceptam à ſcribente; ſicut namque voces impoſitæ & deputatæ ſunt ad ſignificandos conceptus loquentium; ita etiam deputatæ ſunt ſcripturæ ad ſignificandos conceptus ſcribentium; *ut dicam diſp. ſequenti*. Atqui ſcriptura non eſt ſignificativa, neque deputata ad ſignificandos conceptus illius, qui characteres format; uti patet in Amanuenſibus, ac Typographis, quorum ſcripturæ non ſignificant eorum conceptus; ſed deputatæ ſunt ad ſignificandos conceptus illius, cujus nomine ſcripturæ formantur; *ut dicam infra*. Ergo ſimiliter voces deputatæ ſunt ad ſignificandos conceptus non ejus, qui voces profert; ſed cujus nomine proferuntur. Idem videre eſt in ſonis iſtis ſignificativis, *de quibus concluſione præcedente dixi*: illi enim non mentem ejus, à quo proferuntur; ſed cujus nomine proferuntur ſignificant; v.g. ſoni ab Archangelo Gabriele legatione Dei ad Mariam Virginem fungente prolati, non mentem Gabrielis legati; ſed Dei legantis ſignificabant.

25. *Dico quartò*; actu voces quandoque ſignificant & rem à loquente conceptam, ac etiam ejus conceptum, quo rem concipit; aliquando verò ſignificant rem conceptam, non vero loquentis conceptum. *Prob.* quia vocum actualis ſignificatio eſt conceptus, quem format audiens vocem de re ſignificata ex occaſione vocis auditæ: unde vocem actu ſignificare eſt audientem ex occaſione vocis concipere illius ſignificatum: atqui audiens ex occaſione vocis auditæ aliquando concipit ſolam rem à loquente conceptam, non concipiendo loquentis conceptum; aliquando verò concipit & rem conceptam à loquente, & ſimul conceptum, quo res à loquente concipitur: nam, uti quiſque per propriam experientiam facilè noviſſe poteſt, aliquando audientes alterum loqui reflectimus nos, aliquando non reflectimus ſupra illius conceptum, internam mentem, ac diſpoſitionem. Ergo voces actu ſignificant interdum rem ſimul cum loquentis conceptu; aliquando verò ſolam rem ſine conceptu. Nunquam tamen ſolum conceptum ſine re. Quia actu ſignificari eſt ab audiente concipi; atqui ſolus conceptus loquentis ſine re concepta concipi nullatenus poteſt; res enim concepta conceptus objectum eſt, ad quod dicit eſſentialem ordinem ac reſpectum: adeoque ſine illa neque concipi, neque actu ſignificari poteſt.

DU.

DUBIUM IV.

Aliæ quædam quæſtiunculæ circa ſignificationem vocis.

26. PEtes primò: an vox eadem ſignificatione actuali ſignificet rem & conceptum loquentis? *Reſp. ordinariè quod non*. Ratio eſt: quia actualis ſignificatio vocis eſt cognitio intellectiva audientis vocem, qua intelligit ex voce vocis ſignificatum: atqui audiens ordinariè alia intellectione rem, alia conceptum loquentis intelligit; ergo vox ordinariè alia actuali ſignificatione rem, alia conceptum loquentis ſignificat. Dico *ordinariè*: quia non video quare quis veloci ac bene defæcata phantaſia intellectum illuminatum habens non poſſit quandoque unico actu intelligere & rem & conceptum iſtius rei; adeoque cur vox iſta duo non poſſit una actuali ſignificatione ſignificere. Nam intellectus, qui nequit unico actu attingere duo objecta, etiam diſpatata, mihi admodum limitatus, ac materialibus fæcibus, plusquam ſatis eſt, videtur immerſus. *De qua alibi*.

27. *Petes ſecundò*: an inter has actuales ſignificationes ſit aliquis ordo, & aliqua prioritas? *Reſp. affirmativè*; nam actualis ſignificatio conceptus eſt prior in ordine intentionis, ſignificatio verò rei conceptæ eſt prior ordine executionis. Etenim ordo executionis & ordo intentionis ſunt ordinariè duo ordines ſibi mutuo oppoſiti: ita ut illud, quod eſt primum, vel prius in ordine intentionis, ſit poſtremum vel poſterius in ordine executionis: & è contra: de quo videre potes Magiſtrum meum *Michaelem Paludanum*, *1. 2. q. 1. diſp. 1. part. 3. num. 26.* *Prima pars mei reſponſi probatur*: quia iſtius ſignificati actualis ſignificatio eſt prior in ordine intentionis, quæ ab hominibus voces ad ſignificandum deputantibus primo fuit intenta, ac deſiderata: atqui homines primo intenderunt ſignificationem mutuorum conceptuum; deinde ſignificationem rerum conceptarum; ergo ſignificatio conceptus eſt in intentione hominum voces ad ſignificandum deputantium prior, quam ſignificatio rei. *Probatur minor*: quia finis eſt primum in intentione agentis: atqui ſignificatio mutuorum conceptuum eſt finis vocum; voces quippe ab hominibus inventæ ac ad ſignificandum deputatæ ſunt tamquam inſtrumenta communionis ac ſocietatis, & ſermocinationis humanæ, quæ in mutuorum conceptuum communicatione ſita eſt: de qua pulchrè *Auguſtinus lib 2. de ordine*, *cap.* 12. Ergo ſignificatio actualis conceptuum fuit primum ab hominibus voces invenientibus, ac ad ſignificandum deputantibus intentum.

28. *Probatur etiam ſecunda reſponſi pars*: quia iſtius ſignificati actualis ſignificatio eſt prior ordine executionis, quæ prior obtinetur, ac prior fit: atqui per voces res concepta prius ſignificatur, quam conceptus: adeoquè ſignificatio rei prior obtinetur & fit, quam ſignificatio conceptus; ergo ſignificatio rei eſt prior in ordine executionis, quam ſignificatio conceptus: *Probatur minor*: quia per vocem actualiter ſignificari eſt ab audiente actualiter concipi: atqui audiens prius concipit rem conceptam, quam loquentis de illa conceptum; ergo per voces prius ſignificatur res, quam conceptus. *Probatur minor*: quia conceptus non poteſt cognoſci niſi primò cognoſcatur res per illum concepta, ſive objectum ejus; objectum verò poteſt cognoſci abſque conceptu ſuo; ergo audiens neceſſariò primò rem, & deinde conceptum cognoſcit. *Antecedens eſt clarum*: nam conceptus & objectum illius ſunt de grege iſtorum, quæ vulgus relativa non-mutua vocat; ut ſunt ſcientia & ſcibile: viſio & viſibile: menſura & menſurabile, &c. Atqui inter hæc trivialia relativa ſemper primum in ſua cognitione dependet, ac præſupponit cognitionem ſecundi; *uti clarum eſt*; ergo etiam conceptus ſemper cognitioni ſui prærequirit cognitionem rei à ſe conceptæ, ſive ſui objecti. Hæc tamen prioritas non eſt prioritas temporis; ſed ſolummodo naturæ, aut potius naturalis præſuppoſitionis.

29. *Petes tertiò*: an voces etiam diverſa ſignificatione aptitudinali rem & conceptum loquentis ſignificent? *Reſp. negativè*, *& dico*: ſignificare ſignificatione aptitudinali eadem. *Probatur*: quia ſignificatio aptitudinalis vocum eſt ipſa entitas vocum; *ut dictum eſt ſupra diſp.2.* Atqui entitas vocis eſt planè eadem dum ſignificat rem, & dum ſignificat conceptum. Ergo vox eadem aptitudinali ſignificatione ſignificat rem & conceptum. Neque enim opus eſt, ut ad multiplicationem ſignificationum actualium multiplicentur ſignificationes aptitudinales; ſicut opus non eſt, ut ad multiplicationem viſionum, aut intellectionum multiplicentur potentiæ viſivæ aut intellectivæ: ſicut enim viſiones & intellectiones ſunt effectus & operationes potentiæ viſivæ ac intellectivæ; ſic etiam actuales ſignificationes ſunt effectus & operationes ſignificationis aptitudinalis, ſive potentiæ ſignificativæ. *Uti dixi ſupra diſp 4. dub.2.*

30. *Petes quartò*: an voces eadem impoſitione impoſitæ ſint ad ſignificandum loquentis conceptum, & rem conceptam? *Reſpondeo*: impoſitiones has fuiſſe diverſas. *Quod probatur oſtendendo modum, quo primi parentes noſtri, aut primi alicujus idiomatis auctores voces inſtituerunt*. Primò ergo homines naturali inſtinctu & congenito ſibi mutuæ ſocietatis amore voluere ſibi mutuo colloqui, ac mutuos inter ſe communicare conceptus, alioſque animi ſui affectus: hoc autem ſine ſigni ſenſibilis interventu facere non poterant: articulatas ergo voces elegerunt, eaſque deputaverunt, ut mutuæ ſermocinationis ac communionis ordinaria forent inſtrumenta. Uno ergo generali decreto ac impoſitione deputaverunt & inſtituerunt voces articulatas ad ſignificandos mutuos ſibi mutuo conceptus. Ab hoc decreto generali ad conſultationem & inquiſitionem modi, quo decretum hoc executioni mandarent, progreſſum fuit: inquiſiere ergo methodum, qua aptiſſimè ad humanam communionem, & ſermocinationem voces ſignificarent mutuos hominum conceptus. Et hanc huic fini methodum

Digitized by Google

dum judicavere maximè conſentaneam: ut unaquæque vox certam aliquam rem, & mediante hac re iſtius rei conceptum à loquente formatum ſignificaret. Et ea tunc varias voces ad varias res, iſtarumque rerum conceptus ſignificandos deputarunt. In quo progreſſu duas impoſitiones ſeu deputationes interveniſſe manifeſtum eſt: quarum prima, quæ fuit ad ſignificandos conceptus, fuit plane generalis pro omni omnino voce articulata: per illam namque omnis omnino articulata vox in ordinarium ſermocinationis humanæ inſtrumentum fuit ordinata. Secunda verò fuit ſpecialis, qua certæ quædam ſpecies vocum ad certas ſpecies rerum, earumque formatos à loquente conceptus ſignificandos fuerunt deputatæ, verb. gr. qua vox *homo*, vox *brutum*, *animal*, *cittadino*, *uccello*, *teſtimonianza*, &c. fuere deputatæ ad ſignificandas iſtas res, iſtarumque rerum conceptus, quos modo ſignificant.

31. *Ex quo ſequuntur tria notatu non indigna*. *Primum eſt*: quod ſi hoc tempore vellent homines aliquam vocem non ſignificativam, v. g. *blictri* inſtituere ad ſignificandum, duas impoſitiones has illi impendere non deberent: primam etenim habuit in prima iſta deputatione generali: oporteret ergo illi ſolummodo dare ſecundam. *Alterum eſt*: quod omnes omninò voces articulatæ, etiam illæ, quas nos modò dicimus eſſe non ſignificativas, & ad ſignificandum non deputatas, ſint prima illa generali deputatione deputatæ: dicuntur ergo paſſim non eſſe deputatæ, quia non ſunt ſpecialiter ultima ac ſpeciali iſta deputatione ad certam aliquam rem, certæque alicujus rei ſpecialem conceptum ſignificandum deputatæ. *Tertium eſt*: ſolutio hujus argumenti, in quo aliquando laboravi: vox nihil arbitrariè ſignificat, niſi ad quod ſignificandum deputata eſt: atqui multæ voces ſunt deputatæ ad ſignificandam aliquam rem, non tamen ad iſtius rei conceptum; ergo falſum eſt omnem vocem eſſe ſignificativam rei & conceptus. *Probatur minor*: quia Parochi voces iſtas, quas pueris à ſe baptizatis imponunt, quidem deputant ad ſignificandum iſtum puerum; non tamen ad ſignificandum conceptum de iſto puero à loquente formandum: aut de iſto conceptu ſæpè ne per umbram quidem cogitent. Similiter nos dum animalibus domeſticis nomen imponimus, cogitamus quidem de ſignificando per vocem iſtam animali noſtro; de animalis verò noſtri conceptu, nihil omnino: ergo ſunt multæ voces deputatæ ad ſignificandam rem, quæ non ſunt deputatæ ad ſignificandum conceptum. *Solutio inquam hujus argumenti facilis eſt*: neganda eſt enim minor, & ad probationem dicendum: quod iſtæ voces habent utramque deputationem: poſtremam quidem à parochis, vel à nobis; priorem verò à primis parentibus.

32. *Et confirmo meum reſponſum adhuc hoc diſcurſu*: in nobis hominibus intentio finis ſemper aut maximè ordinariè eſt diverſa ab electione mediorum ad iſtum finem: atqui deputatio vocis ad ſignificandum conceptum eſt intentio finis; illius verò deputatio ad rem eſt electio medii ad iſtum finem; ergo hæ duæ deputationes debent eſſe diverſæ. (*Majorem ex Ethica, ant. 1. 2. ſuppono. Minorem probo*: quia ſignificatio conceptuum eſt vocum finis; ſignificatio verò rerum eſt medium ad iſtum finem, per quod iſtum finem aſſequimur; *ut dicebam hoc dubio circa petitionem 2.* Ergo deputatio vocis ad ſignificationem conceptus eſt voluntas ac intentio finis; deputatio verò vocis ad ſignificationem rei eſt voluntas ac electio medii ad iſtum finem.

33. *Objicies*: per illam impoſitionem, qua vox imponitur ad ſignificandum conceptum, etiam imponitur ad ſignificandam rem; ergo fruſtra finguntur duæ impoſitiones, cum unica ſufficiat. *Probatur antecedens*: quia eo ipſo, quo vox eſt ſignificativa conceptus, eſt etiam ſignificativa rei conceptæ: atqui per impoſitionem, qua imponitur ad ſignificandum conceptum, fit vox ſignificativa conceptus; ergo per illam impoſitionem fit etiam ſignificativa rei conceptæ; adeoque imponitur ad ſignificandam rem conceptam. *Probatur major*: quia quidquid eſt ſignum ſigni eſt etiam ſignum ſignificati; adeoque eo ipſo, quo quid fit ſignum ſigni, fit etiam ſignum ſignificati: atqui eo ipſo, quo vox fit ſignificativa conceptus, fit ſignum ſigni; conceptus enim rei conceptæ ſignum formale eſt; ergo eo ipſo fit etiam ſignum rei conceptæ, quæ eſt conceptus ſignificatum. *Reſp. breviter diſtinguendo antecedens*: per illam impoſitionem, qua aliqua ſpecialis vox imponitur ad ſignificandum alicujus rei ſpecialis conceptum, etiam imponitur ad ſignificandam rem à tali conceptu conceptam: verb. gr. per illam impoſitionem, qua vox *homo* imponitur ad ſignificandum conceptum naturæ humanæ, etiam imponitur ad ſignificandam naturam humanam: *ſic concedo*. Hoc quippe eleganter probat diſcurſus argumenti jam factus. Per illam impoſitionem, qua vox in generali imponitur in inſtrumentum commercii humani, ad ſignificandos mutuos conceptus, etiam imponitur ad ſignificandam certam aliquam ſpecialem rem: *ſic nego*. Neque enim ea deputatione, qua deputo per voces articulatas meos ſignificare conceptus, deputo vocem *homo* ad ſignificandam naturam humanam; *uti eſt evidentiſſimum*. *Quo poſito tota corruit conſequentia*; neque enim ego ad vocem rei & conceptus ſignificativam requiro duas deputationes ſpeciales; ſed unam generalem, alteram ſpecialem; quarum neutra ſuperfluit. *Uti probatum eſt*.

34. *Petes quintò*: an voces potuiſſent imponi ad ſignificandas res, & non ad ſignificandos conceptus; adeoque an hæ duæ impoſitiones ſint ſeparabiles? *Reſp* 1. abſolutè voces poſſe deputari ad ſignificationem rerum, ſine ſignificatione conceptuum. *Probatur*: quia iſtæ impoſitiones ſunt realiter ſeparabiles, quarum objecta ſunt realiter ſeparabilia: atqui objecta iſtarum duarum impoſitionum ſunt realiter ſeparabilia, & aliquando actu ſeparata; ergo etiam iſtæ impoſitiones à ſeſe mutuo ſeparari poſſunt; adeoque poteſt vox imponi impoſitione una, & non alia. *Probatur minor*: quia objectum impoſi-

poſitionis ad conceptum eſt actualis ſignificatio conceptus; objectum impoſitionis ad rem eſt actualis ſignificatio rei: atqui hæ duæ actuales ſignificationes aliquando actu ſeparantur: nam, *uti dixi dubio præcedenti in fine*, voces aliquando actu ſignificant rem, non ſignificando conceptum; ergo objecta iſtarum duarum impoſitionum aliquando actu ſeparantur.

35. *Reſp. ſecundò*: voces non potuiſſe conſentaneè & congruè ad naturam ſuam inſtitui ad ſignificandam rem ſine conceptu loquentis. *Probatur*: quia voces articulatæ ex natura ſua ſunt accommodiſſimum, ac maximè proportionatum inſtrumentum ſocietatis ac ſermocinationis humanæ: atqui ſi inſtituerentur ad ſignificandas res ſine conceptibus, non forent tum inſtrumentum communionis, ac ſermocinationis humanæ; ergo non poſſunt inſtitui ad ſolas res congruè & conſentaneè ſuæ naturæ. *Patet minor*: quia voces eſſe inſtrumentum communionis humanæ eſt voces eſſe aptas, quibus homines inter ſe communicent, colloquantur, ac ſermocinentur: atqui ſi voces ad ſolas res impoſitæ forent, tunc ineptæ forent collocutioni ac ſermocinationi humanæ; per voces namque colloqui ac ſermocinari eſt per voces mutuos ſignificare conceptus: quod fieri non poſſet, ſi ad conceptus ſignificandos non forent impoſitæ; tunc quippe conceptuum non forent ſignificativæ. Ergo ſi voces ad ſolas res impoſitæ forent, non forent inſtrumentum communionis humanæ, quod tamen ut ſint, ex natura rei petunt, ac aptiſſimæ ſunt.

36. *Petes ſextò*: an voces etiam quandoque ſint ſignificativæ ſcripturarum? *Reſp. affirmativè*. *Probatur*: quia actu ſignificare præſupponit ſignificationem aptitudinalem, præſupponit eſſe ſignificativum: ſicut generaliter quilibet actus præſupponit potentiam ſui activam. Atqui aliquæ voces, ſcilicet voces legentium, actu audientibus ſignificant ſcripturas lectas; ergo voces legentium ſunt ſignificativæ ſcripturarum lectarum. *Patet minor*: quia voces omne illud actu ſignificant, in cujus cognitionem deducunt audientem; atqui voces à legentibus prolatæ deducunt audientes in cognitionem ſcripturæ lectæ; ergo voces à legentibus prolatæ audientibus actu ſignificant ſcripturas lectas; ergo voces legentium ſunt ſignificativæ ſcripturarum lectarum.

DISPUTATIO VI.

De ſcriptura, ſive de ſigno ſcripto.

DUBIUM I.

Quid ſit ſcriptura, & quotuplex?

1. Scriptura propriè dicta eſſe debet calamo formata: differtque ab impreſſura, quæ formatur prælio & typo. Hic capitur latè tam pro illa, quæ calamo, ſtylo ferreo, aqua forti, digito, vel baculo, &c. quam pro illa, quæ formatur typo & prælo: tam pro illa, quæ in charta aut membrana; quam pro illa, quæ in lapide, ferro, terra, niva, &c. formatur: tam pro illa, quæ atramento, aut alio colorato humore; quam pro illa, quæ ex terra, ex luto, ex ligno, ex lapide, &c. formatur. Capitur ergo hic pro omni illo, quod legere dicimur, & quod dicitur à nobis legi. Scripturamque ita ſumptam variè varii deſcribunt; quorum tamen omnes deſcriptiones in idem recidunt. Primò ergo aliqui definiunt hoc modo: *ſcriptura eſt vox literis expreſſa*. In qua definitione difficultatem facit, quomodo ſcriptura dicatur eſſe vox? Dico ergo illam vocari vocem literis expreſſam, eo modo quo dicere ſolemus: pictura eſt homo ſuis coloribus delineatus: ſtatua eſt homo in lapide exciſus. Debent namque iſtæ definitiones intranſitivæ capi ac exponi tranſitivè. Hoc modo: ſcriptura eſt expreſſio vocis facta per literas: pictura eſt delineatio hominis facta per colores: ſtatua eſt figura hominis in lapide exciſa. Pictura ergo vocatur vox in ſenſu tranſlato ac alienato, eo modo quo ſæpè alias ſignum intitulari ſolet nomine ſui ſignificati.

2. Alij definiunt hoc modo: *ſcriptura eſt figura ſenſibilis ordinata ad ſignificandam vocem*. Alii adhuc brevius definiunt: *ſcriptura eſt pictura, ſeu imago vocis*. Dicitur *imago vocis*. Item *ordinata ad ſignificandam vocem*: ut ſcriptura diſtinguatur à veris aliarum rerum, v. g. hominis, equi, leonis, &c. picturis, ſtatuis, & imaginibus: item à figuris mathematicis, quæ quidem figuræ & imagines ſunt: ſed non ad vocem, aſt ad rem ipſam immediatè ſignificandam formatæ, & ordinatæ. Omnes hæ definitiones bonæ, ac elegantes ſunt; ego tamen ſcripturam etiam hoc modo definiri poſſe credo: *ſcriptura eſt figura quædam viſibilis in ſignificando vicaria & delegata vocis*. Sicut namque voces inventæ ac deputatæ ſunt ad ſignificandum rem & conceptum loquentis; ita etiam ſcripturæ inventæ ac deputatæ ſunt, ut in defectum vocum ſignificarent rem & conceptum ſcribentis: ut ſcilicet homines id facerent per ſcripturas, quod facere nequeunt vel nolunt per voces. *De quo plura ſtatim infra.*

3. Scriptura variis diviſionibus dividi poteſt: primò in latinam, græcam, germanicam, &c. Secundò in rubram, viridem, nigram, &c. tertiò in ſcripturam calami, ſcripturam ſtyli, ſcripturam præli, digiti, baculi, &c. Quartò & magis ad rem noſtram, in ſignificativam & non-ſignificativam. Contra hanc tamen diviſionem formari poteſt idem argumentum, quod ſupra formavi contra diviſionem vocis in ſignificativam, & non-ſignificativam. *Hoc modo*: in iſta diviſione alterum membrum dividens cum diviſo convertitur; alterum verò ſub diviſo non continetur; ergo diviſio iſta valere nequit. *Probatur antecedens*: quia diviſum in iſta diviſione eſt ſcriptura: atqui omnis omnino ſcriptura eſt ſignificativa, nullaque eſt non ſignificativa: ſcriptura enim in communi eſt forma viſibilis ſignificativa vocis. Ergo in iſta diviſione alterum membrum dividens cum diviſo convertitur: alterum verò ſub diviſo non continetur. *Minor*,

præ-

Digitized by Google

præterquam quod ex definitione ſcripturæ manifeſta ſit; adhuc probari poteſt inducendo ſignificata tam naturalia, quam etiam arbitraria, quæ à quavis ſcriptura ſignificantur. Primò enim ſignificatione naturali omnis ſcriptura ſignificat ſuum ſcribentem: inſtrumentum, quo ſcripta eſt: ſpeciem ſuam viſibilem: conceptum à ſcribente formatum de ipſa ſcriptura ſcribenda, &c. *Ut ſupra dixi diſp. 2. de voce.* Sicut namque homo non poteſt proferre vocem niſi primò vocem proferendam concipiendo; ita etiam nequit formare ſcripturam, niſi illam concipiendo.

4. At vero ſignificatione arbitraria quævis ſcriptura ſignificat ſuum ſuperius: *ut ſupra loco citato etiam dixi de voce*: v. g. ſicut quælibet ſingularis vox *homo* ſignificat vocem *homo* in communi, & quælibet ſingularis vox *animal* vocem *animal* in communi; ſic etiam quævis ſingularis ſcriptura *homo*, quælibet ſingularis ſcriptura *animal*, *lapis*, *Deus*, *curro*, *&c.* ſignificat ſcripturam *homo*, *animal*, *lapis*, *Deus*, *curro*, *&c* in communi. *Quod probo:* quia ſcriptura omne illud ſignificat, pro quo in ſcriptæ orationis contextu ſupponitur: atqui quævis ſcriptura ſingularis ſupponitur in orationis ſcriptæ contextu pro ſuo ſuperiori; ergo quævis ſcriptura ſingularis eſt illius ſignificativa. *Probatur minor*; quia v.g. hæc propoſitio ſcripta, *ſcriptura homo eſt ſcriptura homo*, aliæque ſimiles ſunt, & ab omnibus habentur pro veris: atqui iſta propoſitio nequit eſſe vera, niſi iſta ſingularis ſcriptura, *homo*, poſita in prædicato ſupponatur non pro ſeipſa; ſed pro ſcriptura *homo* in communi; ergo quælibet ſingularis ſcriptura *homo* ſupponi poteſt in contextu orationis ſcripto pro ſcriptura *homo* in communi. *Minorem probabis per illud argumentum, quo ſupra dubio 2. citato, num. 10. probavi aliam minorem huic per omnia ſimilem.*

5. Præterea ſignificatione arbitraria quævis ſcriptura ſignificat vocem ſibi correſpondentem. *Quod quævis ſcriptura vocem ſignificet, clarum eſt ex præallatis ſcripturæ definitionibus. Quod illam ſignificatione arbitraria ſignificet, facilè probatur*: quia ſignum arbitrarium vocatur illud, quod cum ſuo ſignificato nullam naturalem proportionem ac connexionem habet; ſed cujus tota cum ſignificato connexio ac proportio oritur ex voluntate, ac deputatione humana: atqui ſcriptura reſpectu vocis ſibi correſpondentis eſt tale ſignum; ergo eſt ſignum arbitrarium. *Probatur minor*: quia eadem vox per diverſas, ac diſſimiles ſcripturas, v. g. per Germanicam, Italicam, Græcam, ac Hebraicam, &c. Item diſſimiles voces per eandem ſcripturam poſſunt ſignificari; ergo proportio ſcripturæ ſignificantis cum voce ſignificata non ex mutua natura; ſed ex ſola hominum voluntate ortum habet. *Patet minor:* quia hæ diſſimiles ſcripturæ, *animal*, ἄνιμαλ, animal, &c. ſignificant eandem vocem. Hæc verò eadem ſcriptura *Poma*, ſi ſemel Græcè, ſemel verò legatur Latinè, ſignificat diſſimiles voces: ſcilicet vocem *Roma*, & vocem *poma*.

6. Dico ſcripturam eſſe ſignificativam vocis ſibi correſpondentis. Hoc namque diligenter notandum eſt. Non enim ſcriptura quælibet quamlibet vocem ejuſdem rei ſignificativam ſignificat; ſed ſolam illam, quæ ſibi correſpondet: aliarum verò, quantumvis ejuſdem planè rei ſignificativæ ſint, ſcriptura nullatenus eſt ſignificativa; v. g. hæc ſcriptura *homo* non ſignificat quamliber vocem ſignificativam naturæ humanæ; ſed ſolam vocem *homo* ſibi correſpondentem: alias verò voces naturæ humanæ ſignificativas, quales v. g. ſunt vox, *animal rationale*, vox ἄνθρωπος, aliæque ſimiles, quantumvis planè ſynonimæ ſint, ſcriptura iſta *homo* nullatenus ſignificat. *Ratio eſt manifeſta*: quia ſcriptura iſtam ſolummodo vocem ſignificat, ad cujus cognitionem ac prolationem legentem deducit, movet, ac excitat: atqui ſcriptura excitat legentem non ad prolationem cujuſcumque vocis; ſed ſolummodò ad prolationem vocis ſibi correſpondentis: ſi quis namque ubi ſcriptum eſſet *homo*, legeret *animal rationale:* ſtatim corriperetur, ac rogaretur, quid legis? quid ſcripturam falſificas? cur non legis ita ut habetur? Ergo etiam ſcriptura ſignificat ſolam vocem ſibi correſpondentem.

7. *Eſt tamen difficultas*: cujus vocem ſcriptura ſignificet, & ad cujus vocem repræſentandam formetur ac exprimatur? An ad ſignificandam vocem ſcribentis, an potius legentis? Omnes, quos ego legi ac audivi, Summuliſtæ volunt ſcripturam eſſe figuram formatam ad ſignificandam vocem ſcribentis, quam ſcribens vel protulit, vel proferre debuiſſet, ſi id, quod ſcripſit, eloqui voluiſſet. *Sed hæc mihi nullatenus placent; unde Reſp. & dico* 1. Scriptura non eſt ſignificativa vocum ſcribentis, neque eſt figura formata ad repræſentandam vocem, quam ſcribens vel protulit, vel protuliſſet, ſi id, quod ſcribit, elocutus fuiſſet. *Probatur*: quia, ſi ſcriptura ſignificaret vocem ſcribentis, ſignificare utique deberet vocem illius ſcribentis, cujus ſignificat mentem & conceptum: neque enim ſcriptura deputata ac inventa eſt ad ſignificandam vocem unius & conceptum alterius; ſed neceſſariò impoſita eſſe deberet ad ſignificandam vocem illius ſcribentis, cujus ſignificat mentem & conceptum. Atqui ſcriptura nequit iſtius ſignificare vocem; ergo ſcriptura deputata non eſt ad ſignificandam vocem ſcribentis. *Probatur minor*: quia ſcribens, cujus ſcriptura conceptum ſignificat, non eſt ille, qui ſcripturam phyſicè format; ſed is, cujus nomine formatur: *ut dicam dubio ſequenti*. Atqui ſcriptura nequit ſignificare voces illius, cujus nomine & in cujus perſonam formata eſt; ergo ſcriptura nequit ſignificare vocem ſcribentis. *Probatur minor*: quia ſcripturæ ſolummodo ſignificant voces ſibi correſpondentes, *ut jam dixi*: atqui ſæpè ab illo, cujus nomine ſcripturæ formantur, neque prolatæ fuerunt, neque proferri potuerunt voces iſtis ſcripturis correſpondentes: ſcripturæ namque eſſe poſſunt latinæ, aut alicujus alterius idiomatis, quod neſcivit is, cujus nomine ſcripturæ formatæ ſunt. Ergo ſcripturæ ſignificare nequeunt voces illius, cujus nomine ſunt formatæ.

8. *Et ratio hujus à priori mihi videtur eſſe hæc*: quia ſcriptura inventa ac deputata eſt, ut ſit vocis vicaria: eo modo, quo nutus oculi, aut digi-

Digitized by Google

digiti motus, vel alia corporis geſticulatio aſſumitur ab homina, ut ſit vicaria vocis. Nam ſicut homo non volens vel non potena mentem ſuam ſignificare voce, voci ſubſtituir nutum, aliumva corporis geſtum, quo facit id, quod faceret voce: ſic etiam homo nolens aut impotens mentem ſuam ſignificare voce, ſignificat illam ſcriptura ſcripturam in officium ac munus vocis ſubſtituens, eamque vocis quaſi vicariam, ac delegatam faciens. Atqui ut ſcriptura voci ſcribentis tamquam vicaria ac delegata ſubſerviat, non debet eſſe illius ſignificativa; ſed ſolum debet id præſtare homini ſcribenti, quod præſtaret vox illi loquenti. Nam neque nutus, aliique corporis geſtus ſignificant geſtientis voces; ſed ſolum illius conceptum, ac rem conceptam. Ergo ſimiliter ſcriptura non voces ſcribentis, ſed ſolummodo rem & conceptum ejus ſignificare debet.

9. *Reſp. ſecundò*: ſcriptura tamen eſt ſignificativa vocum legentis; adeoquè rectè definitur eſſe figura viſibilis expreſſa ad ſignificandam vocem; vocem, inquam, non ſcribentis; ſed legentis; iſtam nimirum, quam legens profert, ac loquitur aliquando ſola mente, aliquando mente ſimul & ore. *Probatur*; quia ſcriptura, quæ eſt forma viſibilis, ſignificare debet legentibus; ſicut vox, quæ eſt forma audibilis, ſignificat audientibus; ſcriptura ergo legenti omne illud ſignificat, in cujus cognitionem legentem deducit. Atqui deducit legentem in cognitionem iſtarum vocum, quas ex occaſione ſcripturæ viſæ profert ac loquitur ore vel mente; ergo ſcriptura legenti iſtas voces ſignificat. *Probatur minor*: quia deducere in cognitionem eſt movere, & excitare ad eliciendam cognitionem: atqui ſicut voces mediante ſui auditione excitant audientem ad eliciendam cognitionem ſui ſignificati; ita etiam ſcripturæ mediante ſui viſione excitant videntem ad concipiendas, ac ore vel mente proferendas voces ſibi correſpondentes; ergo ſcripturæ deducunt videntem in cognitionem ſuarum vocum, quas legendo profert. Maneat ergo omnem omninò ſcripturam eſſe ſignificativam vocis ſibi correſpondentis..

10. Quo tamen non obſtante dico ſcripturam rectè dividi in ſignificativam, & non-ſignificativam. Scriptura ſignificativa etenim vocatur illa, quæ præter ordinaria, ac jam enumerata ſignificata cuicumquè ſcripturæ communia, etiam impoſita eſt ad ſignificandam rem & conceptum ſcribentis. Sive eſt illa, quæ eſt ſignificativa alicujus vocis ſignificativæ. Quales v. g. ſunt ſcripturæ, *homo*, *animal*, *lapis*, *ſto*, *ſedeo*, *curro*, aliæque ſimiles. Scriptura non ſignificativa vocatur illa, quæ non ſignificat rem & conceptum ſcribentis; ſed ſola ſignificata ordinaria & communia. Sive eſt illa, quæ eſt ſignificativa vocis alicujus non-ſignificativæ. Quales v. g. ſunt ſcripturæ *bliſtri*, *ſyndapſus*, & aliæ ſimiles.

DUBIUM II.

Quæſtiones quædam circa ſcripturam ſignificativam.

11. **P***Etes primò*: quænam ſint iſta ſpecialia ſignificata ſcripturæ ſignificativæ, per quæ diſtinguitur à non-ſignificativa, & ratione quorum eſt & dicitur ſignificativa? *Reſp. primo*: ſcriptura ſignificativa præter ordinaria cujuſcumque ſcripturæ ſignificata, aptitudinaliter adhuc ſignificat rem & conceptum ſcribentis. *Probatur*: quia ſicut ſeſe habent voces ad loquentem; ita ſeſe habet ſcriptura ad ſcribentem: atqui voces ſunt inſtrumenta & ſigna deputata ad ſignificandum rem & conceptum loquentis; ergo ſimiliter ſcriptura eſſe debet inſtrumentum, ac ſignum deputatum ad ſignificandum rem cum conceptu ſcribentis. *Præterea*; ſcripturæ ſunt vicariæ vocum: ſunt namque inventæ ſcripturæ, ac deputatæ in ſubſidium, ac ſupplendum defectum vocum: ut ſcilicet abſentes, qui non poſſunt vocibus, colloquerentur ac communicarent inter ſe ſcripturis. Ergo id, quod faciunt loquentes per voces, facere debent & poſſunt ſcribentes per ſcripturas. Atqui loquentes per voces ſuas rem, & ſuum de illa conceptum manifeſtum faciunt; ergo ſcribentes id ipſum facere poſſunt per ſcripturas. Sunt quippe ſcriptura, nutus, oculi, aut digiti motus, aliuſve ſimilis corporis geſtus, inſtrumenta communionis atque ſocietatis humanæ, non minus quam voces: atqui talia inſtrumenta eſſe non poſſunt, niſi ſint ſignificativa rei, ac conceptus hominum ſibi mutuo communicantium; ergo omnia iſta præfata ſunt iſtorum duorum ſignificativa.

12. *Reſp. ſecundo*; per ſcribentem hic non debes intelligere eum, qui phyſicè; ſed qui moraliter cenſetur ſcribere. *Id eſt*: eum, cujus nomine & in cujus perſonam ſcriptura formatur: hujus enim, & non iſtius ſignificat ſcriptura conceptum. *Ratio eſt*: quia verb. gr. ſcripturæ formatæ à Tabellione ſive Notario, à Secretario, Amanuenſi, Typographo, & à quocumque tandem alio nomine alieno, ac in alienam perſonam ſcribente, non ſignificant mentem ac conceptum Tabellionis ſcribentis, aut Typographi imprimentis; ſed illius, in cujus perſonam, ac cujus nomine id agit; ergo cum ſcripturæ dicuntur ſignificare mentem ſcribentis, nomine ſcribentis intelligi debet non is, qui phyſicè characteres format; ſed is, cujus nomine characteres formantur, quique moraliter ſcribere cenſetur. *Probatur antecedens*: quia ſcriptura eſt ſignificativa iſtius, ad quod ſignificandum ſupponitur: atqui Typographus & Tabellio ſcripturas à ſe formatas non ordinant, neque ſupponunt, aut emittunt ad ſignificandum conceptum ſuum; ſed ad ſignificandum conceptum ejus, cujus nomine ſcripturas formant; ergo ſcripturæ Tabellionis, ac Typographi non mentem Tabellionis, & Typographi; ſed mentem principalis ſignificant. *Deinde ut ſupra diſp. præcedenti dub. 3. dicebam*: voces & ſcripturæ iſtius mentem & conceptum ſignificant, in quo obliga-

Digitized by Google

obligationem aut Jus, aut alium ſimilem effectum Juris pariunt: atqui ſcripturæ Tabellionis, Secretarii, ac Amanuenſis effectum juris non pariunt in Tabellione, Secretario, aut Amanuenſi; ſed in eo, cujus nomine illi ſcribunt, & characteres iſtos formant: ergo, &c. Similiter ſcripturæ, ſeu inſtrumenta ſcripta, Teſtamentum, legatum, Codicillum, fideicommiſſum, aliamve ultimam voluntatem continentia, non ſignificant mentem ejus, qui inſtrumenta iſta confecit; ſed illius cujus nomine confecit; ergo ſcripturæ non mentem characteres ſuos formantis; ſed iſtius, cujus nomine formati ſunt, ſignificant. *Patet antecedens*: quia inſtrumenta iſta illam ſignificant mentem, illumque conceptum, quæ poſtea ab hæredibus dicuntur obſervari, violari, alterari, mutari, &c. Atqui hæredes non violant, neque ſervant, neque alterant mentem illius; qui inſtrumenta iſta confecit; ſed mentem Teſtatoris, cujus nomine confecta ſunt; ergo etiam hæc inſtrumenta hujus, & non iſtius mentem ſignificant.

13. Idem obſervare eſt in nutu, oculi vel digiti motu, omnique alio corporis geſtu, qui voci ſubdelegatur, ac in ejus officium & miniſterium ſubſtituitur. Hi, inquam, omnes geſtus non ſignificant rem & conceptum illius, à quo fiunt; ſed illius, cujus nomine fiunt. *Quod probo*: quia oportet philoſophari de geſtibus, ac nutibus Comædi agentis ſcænam (*uti vocant*) mutam; ſicut philoſophamur de illius vocibus dum agit ſcænam vocalem: atqui voces à Comœdo prolatæ non ſignificant rem & conceptum comœdi; ſed illius, cujus agit comœdum; ergo ſimiliter comœdi nutus non ſignificant conceptum comœdi; ſed illius, cujus agit comœdum; ergo nutus ſignificant rem, & conceptum non illius, à quo fiunt; ſed illius pro quo, ſive cujus nomine fiunt. Deinde ponamus, quod mutus mutum ſibi procuratorem conſtituat: hoc enim fieri, ſaltem ad negotia, quidquid ſit de procuratione ad lites, Jura non prohibent: tunc de nutibus hujus procuratoris muti argumentari debebis, ſicut *ſupra dub. 3. citato* argumentabar de vocibus procuratoris vocalis, ac dicere illius nutus ſignificare non mentem & conceptum ipſius procuratoris; ſed mentem ac conceptum principalis.

14. *Reſp. tertio*: ſcripturæ ſignificatione actuali ſignificant aliquando & vocem, & rem, & conceptum: aliquando ſolam vocem: aliquando ſolam rem: aliquando vocem & rem ſine conceptu: nunquam tamen ſolum conceptum ſine re, *ut dixi ſupra de vocibus*. *Probatur*: quia ſcripturæ id actu ſignificant, quod legens ex occaſione ſcripturæ lectæ actu concipit: atqui legens ex occaſione ſcripturæ lectæ concipit aliquando ſolam vocem; ut patet in illis, qui legunt ſcripturas idiomatis ſibi ignoti: aliquando vocem cum re ſignificata: aliquando concipit ſolam rem ſignificatam non concipiendo vocem, neque rei conceptum: aliquando verò & vocem, & rem, & conceptum: ut per propriam experientiam unuſquiſque facilè probare poteſt; ergo ſcripturæ actuali ſignificatione aliquando ſignificat hoc, aliquando illud, ut dictum eſt. Significat autem ſcriptura hæc omnia præfata eadem ſignificatione aptitudinali, & diverſis actualibus: *ut ſupra dixi de voce*.

15. *Petes ſecundò*: an ſcriptura eadem impoſitione impoſita ac deputata ſit ad ſignificandam vocem, & ad ſignificandam rem? *Reſp. negativè, & dico*: has impoſitiones eſſe diverſas. *Probatur*: quia aliquæ ſcripturæ habent impoſitionem ad ſignificandam vocem, quæ tamen carent impoſitione ad ſignificandam rem: ergo impoſitio ſcripturæ ad vocem eſt realiter ſeparabilis, realiterque diſtincta ab impoſitione illius ad rem. *Probatur antecedens*: quia verb. gr. ſcriptura *blictri* eſt impoſita ad ſignificandam vocem *blictri* ſibi correſpondentem; nam *ut dubio præcedenti dixi*: omnis omnino ſcriptura eſt impoſita ad ſignificandam vocem. Et tamen iſta ſcriptura *blictri*, nondum impoſita eſt ad ullam rem ſignificandam, eſt quippe ſcriptura non-ſignificativa. Ergo aliquæ ſcripturæ habent impoſitionem ad vocem ſine impoſitione ad rem. *Præterea*: poſſunt ſcripturæ perdere impoſitionem ad rem, retenta impoſitione ad vocem; ergo manifeſtè iſtæ duæ impoſitiones ſunt ſeparabiles, realiterque diſtinctæ. *Probatur antecedens*: quia ſi verb. gr. vox *homo* perderet impoſitionem ſuam, deſineretque fieri ſignificativa naturæ humanæ; etiam ſcriptura *homo* perderet iſtam impoſitionem, deſineretque eſſe ſignificativa naturæ humanæ: cum ſcriptura, utpote vocis vicaria, nihil ſignificare poſſit, quod non ſignificetur per vocem. Ergo poſſet ſcriptura perdere impoſitionem ad rem retenta tamen impoſitione ad vocem.

16. *Petes tertiò*: an vox & ſcriptura illi correſpondens eadem impoſitione imponantur ad ſignificandam rem; an vero intervenire duæ: altera, qua imponatur vox, altera, qua imponatur ſcriptura? *Antequam reſp. ſuppono*: ſcripturam ſpectari poſſe duobus modis. *Primò*: prout de facto inſtituta eſt ad ſignificandam vocem. *Secundò*: prout ad vocem ſignificandam necdum eſt inſtituta. *Reſp. primo*: ſuppoſita deputatione ſcripturæ ad ſignificandam vocem, eadem deputatione, qua deputatur vox ad ſignificandam rem, etiam deputatur ſcriptura iſtius vocis. *Probatur*: quia ſcriptura ad ſignificandam vocem deputata ſignificat omne illud, quod ſignificat vox; utpote vocis in ſignificando vicaria ac delegata: atqui vox per impoſitionem ad rem fit ſignificativa rei; ergo per illammet impoſitionem fit ſcriptura ſignificativa rei. *Probatur maj.* quia quidquid eſt ſignum ſigni eſt etiam ſignum ſignificati: atqui ſcriptura deputata ad vocem eſt ſignificativa vocis; ergo etiam eſt ſignificativa omnium eorum, quorum vox eſt ſignificativa: atqui vox per impoſitionem ad rem eſt, & fit ſignificativa rei; ergo per eandem illam impoſitionem etiam ſcriptura iſtius vocis fit ſignificativa rei; ergo per eandem impoſitionem imponuntur ad ſignificandam rem vox & ſcriptura ad vocem deputata. Attamen cum hac differentia: quod iſta impoſi-

tio

Digitized by Google

tio afficiat vocem immediate; ſcripturarum verò ſolummodò mediatè.

17. *Reſp. ſecundò* : ſi ſcriptura non foret impoſita ad ſignificandam vocem, tunc impoſitin vocis ad ſignificandam rem, non devolveretur ad ſcripturam. *Probatur* : quia ablata impoſitione ſcriptoræ ad vocem, tunc nulla eſt ratio hujus devolutionis: tunc enim ſcriptura non eſt vicaria, neque delegata, neqne ſignificativa vocis: adeoqne oon babet locum illa regula, in qua præcedens ſundatur reſponſum: quidquid eſt ſignum ſigni, eſt etiam ſignum ſignificati. Nam ſublata impoſitione ſcriptnræ ad vocem, vox & ſcriptura ſunt duo ſigna plane diſparata: quod enim modo ſcriptura voci in ſignificando ſubordinetur, illam ſignificet, illius vicaria, ac delegara ſit; boc non ex natura rei, ſed ex ſpeciali deputatione ac impoſitione ſcriptoræ ad vocem ortum habet: quia ſeriptura inventa, ac deputata eſt ad ſignificandnm vocem, illique in ſignificando ſub'erviendum. Atqui ſigna diſparata non imponnntur, etiam ad idem ſignificatum ſignificandum, eadem impoſitione; neque impoſitio nnius devolvi aut communicari poteſt alteri: ergo ſublata impoſitione ſcripturæ ad vocem, per impoſitionem vocis, non imponitur ſcriptura; neque impoſitio vocis devolvi aur participari poteſt à ſcriptura.

18. *Reſp. tertiò* : quomodocumque de voce & ſcriptura illi correſpondente philoſopheris, ſive ſoppoſita, ſive dempta impoſitione ſcripturæ ad vocem, abſolutè requiruntur duæ impoſitiones, ad hoc nt vòx & ſcriptura fiant ſignificativæ rei. *Probatur*: quia ſi impoſitionem ſcripturæ ad vocem ſupponas: tunc requiritur impoſitin illa ſcripturæ ad vocem, quam ſupponit: & præter hanc requiritur impoſitio vocis ad rem, quæ immediate afficiat vocem, & à voce devolvatur in ſcripturam vocis ſignificativam. Si vero impoſitionem ſcripturæ ad vocem tollas: tunc requiruntur vel duæ impoſitiones diſparatæ: altera qua vox, altera qua ſcriptura vocis non ſignificativa immediate ad rem imponatur. Vel reqoiritur primò impoſitio ſcripturæ ad vocem; & tunc impoſitio vocis ad rem.

DISPUTATIO VII.

De voce ſimplici, complexa, categorematica, mixta, &c.

OMnia, quæ hactenns dixi, Summularum ſive prodidagmatum ſuere præambula: jam ipſam rem, propriumqne noſtrnm objectum ingredimur. *Uti namque diſp. 1. dixi* officium ſummuliſtæ eſt explicare vocum ſignificationes, dirigere ſuppoſitiones, ampliationes, diſtractinnes, &c. Omnia ergò, quæ de ſigno in genere, ac de illius in ſuas ſnbalternas ſpecies diviſionibus dixi, eò reſpexerunt, ut oſtenderent quo & quale ſignum forent voces ſignificativæ. Illas ergo jam aggrediamur.

DUBIUM I.

Quid ſit vox ſimplex, quid vox complexa?

SECTIO I.

Senſus & reſolutio quæſtionis.

1. SUmmuliſtæ communiter diſtinguunt triplicem vocem ſimplicem, triplicemque vocem complexam. Alia eſt ſimplex in eſſendo tantum, ſive grammaticè tantum: alia eſt ſimplex in ſignificando tantum, ſive logicè tantum; alia eſt ſimplex in eſſendo, & ſignificando ſimul, ſive grammaticè & Logicè ſimul. Similiter alia eſt vox compoſita io eſſeodo tantum: alia eſt compoſita in ſignificando tantum: alia eſt compoſita io eſſendo & ſignificando ſimul. Vocem ergò ſimplicem vel compoſitam in eſſendo vocaot ſimplicem vel compoſitam grammaticè: eo quod autument entitatem vocis eſſe conſiderationis grammaticæ. Sicut vocem ſimplicem vel compoſitam in ſignificando vocant ſimplicem vel compoſitam logicè: qnia putant ſignificationem vocum eſſe conſiderationis logicæ. Us ergo communes, & ab utraque philoſophia tam nova qnam antiqua qnaſi canonixatas harum vocum definitiones iotelligas,

2. *Adverte primò* : in omnibus vocis ſignificativæ diviſionibus diviſum eſſe vocem unam. Eſt autem vox una, quæ vel eſt unica dictio: *ut homo*, *animal*, *curro*, &c. Et hæc dicitur nna unitate ſimplicitatis. Vel quæ ex pluribus dictionibus debito modo inter ſe unitis, ac cooſtructis compoſita eſt: quales ſunt hæ: *homo albus*, *animal rationale*, *ego curro*, & ſimiles. Et bæc vocatur nna unitate compoſitionis. Hæc autem debita unio, per quam plnres voces fiunt nna vox, ſita eſt in eo, quod plores iſtæ voces ab eodem homine, continuè, & conſentaneè ad regulas grammaticas proferantur. Unde ſi tu diceres *liber*, & ego dicerem *meus*; aut ſi ego hodie *liber*, & cras dicerem *meus*: aut ſi contrinoato ſermone dicerem *liber mea* : iſtæ voces plures non facerent vocem unam unitate compoſitionis, defectu debitæ ac legitimæ nnionis. *Ratio hujus eſt*: quia vocnm unio, per quam plures voces ſimplices tranſeunt ac coaleſcnnt in vocem unam compoſitam, eſt plana idem, quod legitima vocum inter ſe conſtructio, ac conſeoranea io orationis contextn ordinatio: atqui legitima vocnm in orationis contextu ordinatio nibil eſt aliud, qnam continua & non interpolata, ac regulis grammaticis congrua, ab eodem homine facta prolatio: ergo etiam bæc prolatio eſt legitima vocum ſimplicium unio, per quam coaleſcant in nnam vocem compoſitam. *Sed de bis omnibus plura inferius, cum de oratione agam*.

3. *Adverte ſecundò* : qnid ſit vox ſimplex & compoſita in eſſendo tantum: in ſignificando tantum: in eſſcodo & ſignificando ſimul. Vox

N ſim-

ſimplex in eſſendo tantum eſt ſimplex dictio non compoſita ex pluribus, habens tamen complexam ſignificationem. Ut vox *nemo*: ſignificat enim idem, quod vox *nullus homo*. Vox complexa in eſſendo tantum eſt vox compoſita ex pluribus dictionibus, habens tamen ſimplicem ſignificationem, ut vox *Marcus Tullius*, *Aurelius Auguſtinus*, & ſimiles. Vox ſimplex in ſignificando tantum coincidit cum voce complexa in eſſendo tantum: eſt quippe vox habens ſimplicem ſignificationem, cum compoſita entitate. Vox compoſita in ſignificando tantum coincidit cum voce ſimplici in eſſendo tantum; eſt quippe vox habens ſimplicem entitatem, & complexam ſignificationem: ut vox *nemo*. Vox ſimplex in eſſendo ac ſignificando ſimul eſt unica dictio habens ſimplicem ſignificationem: ut vox *homo*, *animal*, *Petrus*, *lapis*, *Deus*, & ſimiles. Vox compoſita in eſſendo ac ſignificando ſimul eſt vox compoſita ex pluribus dictionibus, habenſque complexam ſignificationem; *ut homo doctus*, *animal rationale*, *&c.*

4. *Adverte tertiò* vocem ſimplicem & complexam in ſignificando adhuc eſſe duplicem. Alia eſt, quæ ſignificat rem ſimplicem, aut rem complexam: alia eſt, quæ ſignificat conceptum ſimplicem, aut complexum. Quæ duo longè diverſa ſunt; poteſt enim res aliqua eſſe ſimplex, & tamen non concipi conceptu ſimplici, v. g. *ens à ſe* res ſimpliciſſima eſt, concipitur tamen conceptu complexo: & è contrà exercitus eſt res complexa, concipitur tamen unico & ſimplici conceptu, Ergo poteſt vox ſignificans conceptum ſimplicem eſſe ſignificans rem complexam; & è contra poteſt vox ſignificans conceptum complexum eſſe ſignificans rem ſimplicem: ergò longè aliud eſt ſignificare rem ſimplicem, aliud ſignificare conceptum ſimplicem. *His ita præſuppoſitis*

5. Summuliſtæ communiter aliter loquuntur de vocis ſimplicitate ac compoſitione, quam de illa loquantur Grammatici: Grammatici quippe vocis ſimplicitatem, & compoſitionem ex ſola entitate metiuntur, nullam habentes rationem aut reſpectum ſignificationis: Summuliſtæ verò ac Logici è contra illam ex ſola ſignificatione deſumunt, nihil ad vocis entitatem reſpicientes. Deſumunt, inquam, illam ex ſimplicitate & compoſitione non quidem rei ſignificatæ; ſed conceptus ſignificati. Unde vocem ſimplicem definiunt hoc modo: *vox ſimplex eſt illa, quæ ſignificat conceptum ſimplicem*. Sive interim rem compoſitam ſive ſimplicem ſignificet, ſive in eſſendo ſimplex ſive compoſita ſit, parum hæc referunt; modò conceptum ſimplicem ſignificet, habeatur apud logicos pro ſimplici: Vocem complexam definiunt hoc modo: *vox complexa eſt vox ſignificans conceptum complexum*. De re ſignificata, ac entitate vocis ſignificantis nihil curando an ſimplex ſit an compoſita: modò conceptus ſignificatus complexus ſit, vox apud Logicos habetur pro complexa. Et hinc eſt ortum fundamentum diſtinguendi voces logicè ſimplices, & grammaticè ſimplices complexas, ac grammaticè complexas.

6. *Neque huic communi Summuliſtarum aſſerto ſua deeſt ratio*. Vocis enim ſimplicitatem ac complexionem Summuliſtæ ex ſola ſignificatione deſumunt, negligentes vocis entitatem: quia Summuliſtæ, qui ſaltem inchoativè Philoſophi ſunt, vocis ſimplicitatem ac complexionem ex eo deſumere debent, quod in voce eſt eorum objectum: atqui Summuliſtæ pro objecto non habent vocis entitatem; hanc quippe inferioribus Grammaticis relinquunt: ſed vocis ſignificationem. Ergò vocis ſimplicitatem ac complexionem ex entitate debent metiri inferiores grammatici; Summuliſtæ verò ex ſola ſignificatione. Ex ſola ſignificatione, inquam, non rei; ſed conceptus. *Rationem allegant*: quia ſi ſimplicitas, & complexio vocis ex re ſignificata attenderetur, pauciſſimæ forent voces ſimplices, multæque voces forent complexæ, quæ in tota Philoſophia habentur pro ſimplicibus: ergo complexio ac ſimplicitas vocis non ex re, ſed ex conceptu ſignificato deſumi debet.

7. *Aſt hæc omnia mihi non placent*. Ego enim, qui Summuliſtas non Phyſicos, non Logicos, ſed Grammaticos eſſe probavi ſupra *diſp.* 1. illos hic eundem cum Grammaticis funem trahere puto; adeoque vocis ſimplicitatem & complexionem ex eodem cum Grammaticis principio ac fundamento deſumere debere. Dico ergo vocem ſimplicem eſſe illam, quæ eſt ſimplex dictio: *ut nemo*, *homo*, *Deus*, *animal*, *nullibi*, *ubique*, *&c.* Vocem vero complexam eſſe eam, quæ ex pluribus dictionibus compoſita eſt: ut *Aurelius Auguſtinus*, *Erneſtus Ferdinandus*, *Maximilianus Henricus*, *homo albus*, *animal rationale*, *&c.* Qualemcumque demum habeant ſignificationem. Hujus concluſionis ego non ſum inventor: illam enim inſinuat ſubtiliſſimus noſter Gregorius Ariminenſis *quæſt.* 1. *Prologi art.* 3. *§. ſed poteſt moveri dubium*. Et ſequitur *Mendezza in ſuis ſummulis diſp.* 3. *ſect.* 11. *§.* 99. *&* 100. *& Toletus lib.* 1. *cap.* 12.

8. *Poteſtque hoc probari & confirmari diverſis mediis*. *Primò ergo ſic*: hæ voces *animal rationale*, *animal irrationale*, *corpus ſenſitivum*, *corpus affectum albedine*, *&c.* Sunt indubitatè apud omnes logicos & Summuliſtas voces logicè complexæ: atqui voces iſtæ non ſunt complexæ in ſignificando, ſed ſolummodò in eſſendo: ſive iſtæ voces non ſignificant conceptum complexum; ergo complexionem vocis Logici & Summuliſtæ deſumere non poſſunt ex ſignificatione complexa, neque ex ſignificatione conceptus complexi; ſed ex ſola complexione vocis: ergo apud Logicos vox complexa eſt illa, quæ eſt complexa in eſſendo; & ita quoad hoc conveniunt Logici & Grammatici. *Probatur minor*: *de illa namque eſt difficultas*. Quia vox *homo*, vox *brutum*, *animal*, *album*, *&c.* apud omnes Logicos & Summuliſtas ſunt voces ſimplices, ſignificantque conceptum ſimplicem, non vero complexum: ergo ſimiliter voces *animal rationale*, *animal irrationale*, *&c.* ſignificant conceptum ſimplicem, non vero complexum. *Probatur conſequentia*: quia inter

duas

duas voces ſynonimas impoſſibile eſt unam ſignificare conceptum ſimplicem, aliam verò ſignificare conceptum complexum; nam voces ſynonimæ ſunt voces ejuſdem per omnia ſignificationis: debent enim idem ſignificare eodem modo: unde planè repugnans eſt ac contradictionem implicans, quod duæ aliquæ voces ſint ſynonimæ, & altera ſimplicem, altera vero complexum conceptum ſignificet. Atqui hæ duæ voces *homo* & *animal rationale*: item hæ duæ voces *brutum* & *animal irrationale*: & generaliter ſemper vox definitum, & vox definitionem ſignificans ſunt voces ſynonimæ: ergo plane impoſſibile eſt, ut una complexum, altera ſimplicem ſignificet conceptum: atqui apud omnes Logicos vox *homo* ſignificat conceptum ſimplicem: ergo ſimiliter vox *animal rationale* ſignificat conceptum ſimplicem, & non complexum: atqui apud omnes Logicos iſta vox *animal rationale* eſt vox logicè complexa: ergo voces logicè complexæ poſſunt ſignificare conceptum ſimplicem, & non complexum. Ineptiunt ergo, qui vocem complexam definiunt eſſe illam, quæ ſignificat conceptum complexum. *Prima hujus diſcurſus minor videbitur quibuſdam trivialibus Philoſophis mira*: eſt nihilominus S. Thomæ 1. *part. q.* 12. *art.* 10. *ac* 1. Et *quæſt.* 13. *art.* 1. *in corp.* & *quæſt.* 14. *art.* 6. Et *Gregorii Ariminenſis in* 1. *diſp.* 1. *quæſt. unica, art.* 1. non longe à fine. *Et probatur*: quia voces ſynonimæ vocantur illæ, quæ ſignificant idem eodem modo. Vel, *ut loquuntur Scotiſtæ*, ſunt illæ, quæ ſignificant eandem rem ſecundum eandem formalitatem. Vel potius, *ut loquuntur Nominales*, ſunt illæ, quæ ſignificant eandem rem ſecundum idem connotatum. Atqui vox *homo*, & vox *animal rationale* ſignificant eandem rem cum eodem connotato: ergo ſunt voces ſynonimæ. *Probatur minor*: quia vox *homo* ſignificat entitatem hominis connotando operationes ſenſitivas ſimul & rationales: homo quippe eſt ſuppoſitum habens in ſe principium ſenſandi, ſimul ac ratiocinandi. Atqui vox *animal rationale* ſignificat etiam entitatem hominis connotando operationes ſenſitivas ſimul ac rationales: animal enim rationale etiam nihil eſt aliud, quam ſuppoſitum habens in ſe principium ſenſandi & ratiocinandi. Ergo iſtæ voces ſignificant eandem rem cum eodem connotato, aut eiſdem connotatis. *Sed de his plura infra ſuo loco*.

9. *Probatur ſecundò*: quia voces *homo eſt animal*, *equus currit*, *homo ſtat*, &c. & generaliter omnia propoſitio vocalis eſt vox apud Logicos complexa: atqui tamen eſt complexa non in ſignificando; ſed ſolummodo in eſſendo; ſignificat enim conceptum ſimplicem, non complexum. Ergo Logici vocis complexionem, non ex ſignificare, ſed ex eſſe vocis attendere debent, uti attendunt Grammatici. *Probatur minor*: quia conceptus, quem ſignificant voces, eſt conceptus loquentis, quem de re per voces ſignificata format, quemque exterius per voces manifeſtat: unde conceptus, quem ſignificat propoſitio vocalis, eſt propoſitio mentalis formata à loquente. Atqui propoſitio mentalis eſt qualitas & conceptus ſimplex & incomplexus: neque enim in propoſitione mentali eſt diſtinguere prædicatum, copulam, & ſubjectum; quaſi verò foret quoddam compoſitum ex tribus conceptibus partialibus realiter diſtinctis, quorum unus foret ſubjectum, tertius prædicatum, & ſecundus copula: iſtam enim philoſophiam craſſam, ac materialem, ineptumque quorumdam Recentiorum de hac re loquendi modum, jam dudum ſubtilizavit, ac aptavit *Gregorius Ariminenſis quæſt.* 2. *prologi*, *art.* 3. Ergo propoſitio vocalis ſignificat conceptum ſimilem, & tamen eſt vox complexa: ergo voces complexæ ſignificant quandoque conceptum ſimplicem. Ineptiunt ergo, qui vocum complexionem ex complexi conceptus ſignificatione deſumendam eſſe contendunt.

SECTIO II.

Rejicitur ſolutio quorumdam, ac ſententia de conceptu virtualiter complexo.

10. R*Eſpondent paſſim*: per conceptum complexum, à cujus ſignificatione vox denominatur complexa, eſſe non ſolum illum, qui realiter compoſitus, & ex pluribus partialibus realiter diſtinctis complexus eſt; ſed illum, qui eſt compoſitus vel realiter vel virtualiter: atqui propoſitio mentalis, item definitio mentalis licet non eſt conceptus compoſiti realiter, ſunt tamen compoſiti virtualiter: ergo propoſitio vocalis & definitio vocalis ſignificant conceptum complexum; non verò ſimplicem. *Probant minorem*: quia conceptus virtualiter complexus eſt conceptus quidam, qui licet realiter in ſua entitate ſimplex ſit; virtute tamen ſuæ ſignificationis ſeu repræſentationis eſt complexus: faciendo id, quod faciunt plures conceptus realiter diſtincti: quia nimirum repræſentat æquè multa, & æquè diſtinctè, ac repræſentent plures alii conceptus realiter diſtincti. Unde ad conceptum virtualiter complexum duæ neceſſariæ ſunt conditiones. *Primo*: quod repræſentent æquè multa. *Secundo*: quod iſta multa repræſentent æquè diſtinctè. Defectu cujus conditionis, *inquiunt*, conceptus correſpondens voci *homo* non eſt virtualiter complexus: quia quamtumvis repræſentent æquè multa, ac repræſentent conceptus, quibus ſeparatim concipimus animal & rationale; non tamen iſta repræſentat æquè diſtinctè. Tollunt enim animalitatem & rationalitatem per conceptum correſpondentem voci *homo* ſolummodo repræſentari indiſtinctè & confuſè: ac generaliter volunt prædicata eſſentialia definitionis per conceptum correſpondentem voci ſignificanti definitum repræſentari ſolummodo confuſe. Atqui propoſitio mentalis, & definitio mentalis quamtumvis in ſua entitate fortaſſe ſint qualitates & conceptus ſimplices, ſunt tamen repræſentantes æque multa, ac æque diſtincte, ac repræſentant conceptus realiter diſtincti; illi nimirum, quibus ſeparatim apprehendimus prædica-

tum & ſubjectum: ergò propoſitio mentalis, & definitio mentalis ſunt conceptus quidam virtualiter complexi.

11. *Sed contra dico:* hæc non bene cohærere, neque conceptum illum, qui æquè multa, ac æquè diſtinctè repræſentat, quam alii conceptus plures realiter diſtincti, poſſe vocari virtualiter complexum: Nam hoc modo conceptus ſimpliciſſimus divinus, qui omnia illa, quæ omnes omnino conceptus creati repræſentant, non ſolum æquè diſtinctè; ſed etiam longè diſtinctiùs repræſentat; foret virtualiter complexus: quod licet aliqui Recentiores admittant; tamen admittendum nullatenus eſt: cum nulli antiqui Philoſophi aut Theologi taliter loquantur. Immo illi, qui judicium ſuum propoſitionem mentalem putant eſſe conceptum ex pluribus partialibus realiter compoſitum, dicunt conceptum Dei eſſe apprehenſivum, ſimul & judicativum, tamen ſine complexione aut compoſitione. *Prætereà:* conceptum repræſentantem æquè multa æquè diſtinctè ac repræſentant conceptus realiter diſtincti, non poſſe vocari complexum. *Probo hoc diſcurſu, firmo, ni fallor, & efficaci:* quia ſi omnis conceptus æquè diſtinctè repræſentans, ac repræſentant alii plures realiter diſtincti, foret conceptus complexus; tunc omnis omnino cujuſcumque prædicati, præterquam entis in genere, conceptus foret complexus: & ſolus conceptus entis foret ſimplex: conceptus vero ſubſtantiæ, accidentis, viventis, corporis, animalis, hominis, bruti, equi, &c. forent conceptus complexi. Conſequens abſurdum eſt, & planè repugnans principiis iſtorum Philoſophorum, contra quos nobis hic eſt diſſertatio; ergo & antecedens abſurdum eſt, ex quo tale infertur conſequens. *Probare hic oportet ſequelam majoris, cum minori; incipiamus à minori:* quia ſi conceptus ſubſtantiæ, accidentis, hominis, bruti, omniumque aliorum prædicatorum, præter unicum conceptum entis, ſorent conceptus complexi, tunc etiam voces *ſubſtantia*, *accidens*, *homo*, *brutum*, *equus*, omneſque aliæ voces, præter ſolam vocem ens, forent voces logicè complexæ: nam apud Adverſarios noſtros vox logicè complexa eſt illa, quæ ſignificat conceptum complexum; conſequens abſurdum eſt, & non ſolum contra adverſarios; ſed contra totam Philoſophiam: ergo & antecedens. Et ſanè quo fundamento, aut quo colore omnes omnium prædicatorum conceptus dici poſſint eſſe complexi, ego non video, neque credo à quopiam id ſore admittendum.

12. *Aggrediamur nunc ſequelam majoris;* quia omnes omnium prædicatorum conceptus, dempto conceptu entis repræſentant æquè multa, & æquè diſtinctè, quam plures alii conceptus realiter diſtincti: ergo ſi conceptus complexus ſit ille, qui æquè multa æquè diſtinctè repræſentat, ac plures alii realiter diſtincti, omnes omnino omnium prædicatorum entè inferiorum conceptus erunt complexi. *Probatur antecedens:* quia conceptus cujuſcumque prædicati inferioris diſtinctè repræſentat prædicatum ſuperius & differentiam, ſive modum contractivum, ac ſui conſtitutivum: atqui prædicatum ſuperius contractum & prædicatum contrahens, ſive ſit vera differentia, ſive ſolummodo modus, repræſentantur, vel certè repræſentari poſſunt per duos conceptus realiter diſtinctos; *uti evidens eſt, & inductione exemplorum facile oſtendi poteſt.* Ergò quivis conceptus cujuſcumque prædicati inferioris repræſentat æquè multa, ac æquè diſtinctè, quam repræſentent plures alii conceptus realiter diſtincti. *Probatur major:* quia conceptus prædicati inferioris repræſentat diſtinctè omnia illa, quæ ſunt de eſſentia iſtius prædicati; atqui de eſſentia prædicati inferioris eſt prædicatum ſuperius, ac ſimul differentia ſive modus contrahens ac conſtituens: ergo conceptus prædicati inferioris repræſentat diſtinctè & prædicatum ſuperius & ſimul differentiam, ſive modum contrahentem.

13. *Scio mihi reſpondendum:* conceptum prædicati inferioris eſſe conceptum prædicatum ſuperioris contracti, ac ſimul prædicati contrahentis; ſed tantummodo confuſum, nullatenus verò diſtinctum, v. g. conceptum hominis eſſe quidem conceptum animalitatis ac ſimul rationalitatis; ſed confuſum, non diſtinctum. Ita etenim paſſim hæc in Scholis modernis ventilantur, ut oſtendatur quomodo definitum ac definitio non ſint ſynonima. *Sed auctoritas Scholæ ſive veteris ſive modernæ parum me movet;* ego quippe homo ſum, cui ſi verba & fucos obtrudere cœperis; *plenus rimarum ſum, hac atque illac perfluo;* nihil tale capere aut continere valeo: proin quippiam à me capi aut contineri ſi velis, firma & ſolida dicito. *Oſtendo ergò;* conceptum prædicati inferioris eſſe non ſolummodo confuſum; ſed verè diſtinctum conceptum prædicati ſuperioris contracti, ac etiam prædicati contrahentis: quia, apud Thomiſtas, conceptus alicujus prædicati confuſus eſt is, qui quidem attingit prædicati realitatem, non tamen, ut ita loquar, virtualem formalitatem, quam principaliter importat. Apud Scotiſtas, conceptus confuſus eſt conceptus attingens prædicati realitatem, non tamen illius actualem formalitatem principaliter importatam. Secundum nos verò Nominales, conceptus confuſus vocatur conceptus attingens prædicati realitatem ac intrinſecam entitatem, non tamen illius principale connotatum; v. g. conceptus diſtinctus animalitatis eſt conceptus confuſus rationalitatis: & generaliter inter prædicata ſibi mutuo realiter identificata, & ſeſe mutuò ſub conceptu excludentia, ſemper conceptus diſtinctus unius eſt conceptus confuſus alterius: quia nimirum (*manendo in exemplo præallegato*) conceptus animalitatis quidem attingit intrinſecam realitatem rationalitatis: hæc etenim eadem planè eſt cum animalitate: non tamen attingit ejus connotatum, quod ſunt operationes intellectivæ. Nam quando concipio animalitatem, formo hunc conceptum: *principium eliciendi operationes ſenſitivas.* In quo non facio mentionem, neque attingo operationes intellectivas connotatas à prædi-

Digitized by Google

dicato *rationalitas*. Conceptus ergò alicujus prædicati diſtinctus eſt is, qui attingit non ſolam intrinſecam prædicati entitatem; ſed inſuper ejus extrinſecum connotatum. Atqui conceptus prædicati inferioris attingit prædicatum ſuperius contractum & prædicatum contrahens non ſolummodo quoad intrinſecam entitatem; ſed etiam quoad extrinſecum connotatum: ergò conceptus prædicati inferioris eſt non ſolummodò confuſus; ſed verè diſtinctus conceptus prædicati ſuperioris contracti, ac etiam prædicati contrahentis. *Probatur minor*: quia quodvis prædicatum non poteſt concipi, niſi concipiantur & attingantur omnia connotata per prædicatum iſtud importata; unde conceptus prædicati inferioris attingit omnia connotata per prædicatum inferius importata. Atqui prædicatum inferius importat & connotatum prædicati ſuperioris ad ſe contracti, ac ſimul prædicati contrahentis: ergo conceptus prædicati inferioris attingit non ſolam realitatem; ſed inſuper connotata prædicati ſuperioris contracti, ac prædicati contrahentis. *Probatur minor*: quia prædicatum inferius includit & importat connotata omnium iſtorum prædicatorum, quæ eſſentialiter includit: atqui prædicatum inferius in ſe eſſentialiter includit & prædicatum ſuperius contractum, ac ſimul prædicatum contrahens: ergo etiam includit ac importat connotatum tam prædicati ſuperioris contracti; quam prædicati contrahentis. *Probatur major*: quia prædicata eſſentialia ſuis ſubjectis communicant ſe adæquatè ſecundum quidlibet ſui: unde etiam ſubjecta includunt & participant adæquatè & ſecundum quidlibet ſui prædicata ſua eſſentialia: participare ergo illa debent etiam ſecundum eorum connotatum. Ergo prædicatum inferius, aut aliud quodcumque includit ac importat omnia connotata omnium iſtorum prædicatorum, quæ in ſe eſſentialiter includit. *Diſcurſum hunc puta eſſe ſolidum & firmum*: ſunt tamen in illo aliqua longiori ac accuratiori indagatione digna: quæ tibi reſervo in aliquem commodiorem locum.

14. *Sed age*: demus propoſitionem mentalem, alioſque conceptus, *de quibus hactenus*, eſſe virtualiter complexos: numquid de me triumphabunt? Ita: ſed ante victoriam. Dico ergo tunc adhuc nihil valituras ordinarias iſtas & communes vocis ſimplicis & complexæ definitiones. *Quod probo*: quia multæ voces, quæ apud omnes omnino Logicos habentur ſimplices, ſignificant conceptum complexum: ergo manifeſtè vox Logicè complexa malè definitur eſſe illa, quæ ſignificat conceptum complexum, & vox ſimplex eſſe illa, quæ ſignificat conceptum ſimplicem. *Probatur antecedens*: quia omnia verba tam perſonalia, quam imperſonalia, qualia ſunt: *pugno*, *pugnatur*, *ambulo*, *ambulatur*, *doceo*, *docetur*, *&c.* ſunt voces logicè ſimplices: Logici enim vocem ſimplicem paſſim dividunt in nomen & verbum. Atqui omnia verba, præſertim imperſonalia, ſecundum Adverſarios ſignificant ac ſignificare debent conceptum complexum: ergo ſecundum Adverſarios multæ voces logicè ſimplices ſignificant conceptum complexum: *Prob. min.* quia propoſitio mentalis ſecundum Adverſarios eſt conceptus complexus: atqui iſta verba imperſonalia, ac etiam perſonalia ſignificant propoſitionem mentalem: ergo iſta verba ſecundum adverſarios ſignificant conceptum complexum. *Patet minor*: quia iſta verba imperſonalia, v.g. *pugnatur*, *ambulatur*, ſignificant idem quod hæ orationes, *fit pugna*, *fit ambulatio*, illiſque in ſignificando æquivalentia, ac ſynonima ſunt; *uti evidens eſt*: Atqui iſtæ orationes ſignificant evidenter propoſitionem mentalem: ergo ſimiliter iſta verba imperſonalia, quæ ſunt voces logicè ſimplices, ſignificant propoſitionem mentalem, quæ ſecundum Adverſarios eſt conceptus complexus: adeoque multæ voces ſimplices ſignificant conceptum, ſecundum Adverſarios, complexum. Quomodo ergo ipſi definiunt vocem complexam eſſe illam, quæ ſignificat conceptum complexum; ſimplicem vero eſſe illam, quæ non ſignificat conceptum complexum?

SECTIO III.

Rejicitur alia aliorum ſententia, ac loquendi modus.

15. PER iſta, quæ hactenus dixi, & multa alia, quæ dicere hic poſſem, facile eſt expugnare alium quorumdam Summuliſtarum loquendi modum. Quidam enim vocem complexam & ſimplicem definiunt hoc modo: *vox logicè complexa eſt illa, quæ æquè multa ac æquè diſtinctè ſignificat ac plures aliæ voces*, v.g. talis eſt vox *nemo*, quæ ſignificat ſe ſola planè idem, quod ſignificant hæ duæ voces *nullus homo*. *Vox verò Logicè ſimplex eſt illa, quæ non ſignificat æquè multa æquè diſtinctè, quam ſignificent plures aliæ voces.* Ut vox *homo*, *brutum*, *lapis*, *Deus*, *equus*, *&c.* Aſt hic nihil verius, neque ſubtilius adferunt, quam alii. *Quod probo per eadem media*: quia inter voces ſynonimas neutra poteſt plura, aut magis diſtincte ſignificare, quam alia: voces quippe ſynonimæ in ſignificando per omnia pariformes, ac omnino ſimiles ſunt. Atqui, *uti ſupra dixi*, voces *homo & animal rationale*: *brutum & animal irrationale*: *pugnatur & fit pugna*, *ambulatur & fit ambulatio*, *&c.* ſunt voces ſynonymæ, adeoque in ſignificatione ſua planè pariformes ac ſimiles. Ergo neutra plus, quam alia: neutra magis diſtinctè, quam alia ſignificat. Ergo hæ voces, *homo*, *brutum*, *pugnatur*, *ambulatur*, *&c.* ſignificant æquè multa ac æquè diſtinctè, ac iſtæ aliæ voces plures, cum quibus ſynonimæ, ac in ſignificando pariformes ſunt. Atqui tamen iſtæ voces ſunt apud omnes, etiam apud Adverſarios, voces logicè ſimplices: ergo voces logicè ſimplices ſignificare poſſunt æquè multa, ac æquè diſtinctè, ac ſignificant aliæ plures voces: ergo vox complexa non rectè definitur eſſe illa, quæ ſignificat æquè multa, æquè diſtinctè, ac aliæ plures voces: & vox ſimplex non rectè eſſe illa, quæ æquè multa æquè

diſtinctæ, ac aliæ plures vores noo ſignifirant.

16. *Præterea:* æquè multa ſignifirare æquè diſtinctè eſt ſignificare eandem rem cum eiſdem connotatis: etenim ſicut aliquod prædicatum diſtinctè concipere eſt illud concipere cum ſuo proprio connotato; ita etiam prædicatum aliquod diſtinctè ſignificare vel ſignificari eſt illud ſignificare vel ſignificari cum ſuo proprio connotato. Atqui hæ voces *homo*, *brutum*, *animal*, *vivens*, *&c.* ſignificant eandem realitatem ſub iiſdem connotatis, ſub quibus illam ſignificant hæ voces: *animal rationale*, *animal irrationale*, *vivens ſenſitivum*, *corpus animatum*, *&c.* Ergò iſtæ voces ſignificant æquè multa æquè diſtincte ac ſignificant hæ voces; & tamen iſtæ voces ſunt voces logicè ſimplices: ergò voces logicè ſimplices poſſunt æquè multa ſignificate æquè diſtinctè ac ſignifirant aliæ voces plures. *Minor patet ex ſupradictis numero* 8 *&* 13. vox enim *homo*, & vox *animal rationale* ſignificant eandem hominis entitatem connotando operationes ſenſitivas, ſimul ac intellectivas: ergo ſignificant eandem realitatem ſub iiſdem præcisè connotatis.

17. *Præterea:* ſi vox complexa foret iſta, quæ ſignificat æquè multa æquè diſtinctè ac ſignificant aliæ vores plures, omnes omnino voces forent complexæ præter ſolam vocem *ens*: & ſola vox *ens* foret vox logicè ſimplex. Conſequens abſurdum eſt: ergo & id, unde ſequitur. *Probatur ſequela majoris:* quia vox *ſubſtantia* ſignificat idem & æquè diſtinctè, quod ſignifirant vox *ens* & vox *per-ſe*: ſubſtantia namque eſt ens per-ſe. Item vox *accidens* ſignificat idem æquè diſtinctè, quod ſignificant vox *ens*, & vox *in alio*, accidens enim eſt ens in alio. Similiter vox *Deus* ſignifirat æquè multum & æquè diſtinctè, ac vox *ens*; & vox *infinitum*: item vox *homo* ſignificat idem ac æquè diſtinctè, quod ſignificant vox *animal*, & vox *rationale*: & ſic deſcendendo ad omnes alias quaſcumque voces, idem facile oſtendi poterit. Ergo ſi vox logicè complexa ſit iſta quæ ſignificat æquè multa ac æquè diſtinctè, ac ſignificant plures aliæ voces, omnes voces præter ſolam vocem *ens* erunt logicè complexa. Immo & ipſa vox *ens* erit logicè complexa; ſignificat enim æquè multa ac æquè diſtinctè, ac ſignificant hæ voces *habens eſſentiam realem*. *Patet antecedens*: quia ſignificare æquè multa æquè diſtinctè, eſt ſignificare idem ſub iiſdem connotatis: atqui vox *ſubſtantia*, & voces *ens per ſe*; vox *accidens*, & vores *ens in-alio*; vox *Deus*, & voces *ens infinitum*, *&c.* ſignificant idem ſub iiſdem connotatis: ergo ſignifirant idem æquè diſtinctè.

18. *Finio ergo ac concludo*: Summuliſtas non debere ex alio principio aut fundamento metiri vocis ſimplicitatem ac complexionem, quam illam metiantur Grammatici. Debent, inquam, illam metiri non ex ſignificatione; non ex re vel conceptu ſignifirato; ſed ex qualitate ac entitate vocis ſignifirantis: adeoque apud Logicos & Summuliſtas vox ſimplex eſt illa, quæ eſt ſimplex dictio. Ut *homo*, *nemo*, *Deus*, *pugnatur*, *&c.* Vox vero complexa eſt illa, quæ eſt compoſita ex multis dictionibus inter ſe legitimè coordinatis ac conſtructis. Ut *homo albus*, *animal rationale*, *petrus currit*, *equus ſtat*, *&c.* Unde diviſio vocis in ſimplicem & complexam eſt planè eadem & ſynonima cum illa, qua dividitur in ſimplicem dictionem & orationem. Oratio namque cum voce complexa; dictio vero ſimplex cum ſimplici voce confundenda eſt. *Cujus concluſionis ratio à priori eſt*: quia Logicus dum Summuliſtam agit, Logicum exuit, & grammaticum induit, ac verè grammaticus eſt; *uti patet ex dictis diſp.* 1. Atqui dum ſimplicitatem ac complexionem vocis tractat; tum ſummuliſtam agit: ergo tunc exutus logicum, & Grammaticum indutus eſt: ergo tunc vocis ſimplicitatem ac complexionem non ex principiis ac fundamentis logicalibus; ſed grammaticalibus ſumere ac meti debet. Unde ab alio principio deſumunt voces denominationem ſimplicis vel complexæ, quam ſumant denominationem ſubſtantivæ vel adjectivæ, concretæ vel abſtractæ, univocæ vel æquivocæ, categorematicæ vel ſyncategorematicæ, &c. Denominationem namque ſimplicis vel complexæ ſortiuntur ex ſua entitate; aliàs vero omnes denominationes præfatas ex re ſignificata, vel ex modo ſignifirandi illam ſortiuntur: *ut ex decurſu patebit*. De ſpeciebus vocis ſimplicis agam per aliquot diſputationes ſequentes: de complexa vero, ac ſpeciebus ejus agam infra, cum de oratione erit ſermo. Oratio enim vocalis, & vox complexa, *uti dixi*, ſynonima ſunt.

DUBIUM II.

Quid ſit vox categoromatica, quid ſyncategorematica, quid vox mixta?

SECTIO I.

Senſus ac reſolutio quæſtionis.

19. HAS voces diverſi diverſimodè definiunt; aliqui dicunt vocem categorematicam eſſe illam, quæ ſignificat rem alicujus categoriæ ſeu prædicamenti: confundunt ergo vocem categorematicam cum voce prædicamentali. Alii putant omnes voces adjectivas ſyncategoremata eſſe, & ſolas voces ſubſtantivas eſſe categoremata. Ita *Petrus Mendozza diſp.* 3. *ſect.* 10. Alii vocem categorematicam definiunt eſſe illam, quæ per ſe ſol aliquid ſignificat: ſyncategorematiram, quæ per ſe nihil ſignificat, adjuncta tamen alteri, tribuit illi certum ſignificandi modum. Ita Magiſter meus *Michael Palludanus lib.* 1. *dialect. cap* 5. *Et Toletus lib.* 1. *cap.* 12. Alii denique definiunt categorema, quod ſe ſolo poteſt prædicatum propoſitionis; ſyncategorema vero, quod ſe ſolo prædicatum propoſitionis eſſe nequit, poteſt tamen eſſe cum alio. Ita *Villalpandus lib.* 1. 2. *part. cap.* 3. Inter quas ſententias duæ poſteriores ſunt probabiles,

& ſolis

Digitized by Google

& ſolis verbis differunt. Duæ verò priores apparentiam non habent; recedunt enim à communi via, nulla id cogente, aut ſuadente ratione. Prima namque ineptè confundit categorema cum voce prædicamentali; cum voces tranſcendentales non ſint prædicamentales, ſint tamen vera categoremata: *ut ſtatim patebit*. Secunda verò inconſentaneè, vocem categorematicam cum ſubſtantiva, & ſyncategorematicam cum adjectiva confundit; licet quippe omnis vox ſubſtantiva ſit categorematica, non tamen ſola: nam etiam multæ, immo omnes adjectivæ ſunt categorematicæ: quis enim dicat voces *rationale*, *ſenſitivum*, *viſibile*, *hinnibile*, aliaſque ſimiles non eſſe categorematicas?

20. *Reſp. ergo & dico primò*: vox categorematica rectè definitur eſſe illa, quæ ſignificativè ſumpta poteſt eſſe prædicatum propoſitionis vocalis. Ut vox *homo*, *equus*, *Petrus*, *Deus*, *nemo &c.* Ita *Cicero 4. Tuſc. Diſtinguitur*, inquit, *etiam illud, ut libido ſit earum, quæ dicuntur de quodam, aut de quibuſdam, quæ* κατηγορήματα *appellant dialectici, ut habere divitias, habere honores*, &c. ubi categoremata ſive voces categorematicas vocat illas, quæ de aliquo dicuntur; *Id eſt*: dici poſſunt: verba quippe in materia doctrinali & deciſiva potentiam, non actum ſonant. Atqui vocem de aliquo dici poſſe eſt vocem de aliquo prædicari poſſe: ſive poſſe eſſe prædicatum propoſitionis vocalis; ergo congruentiſſimè vox categorematica definitur eſſe illa, quæ poteſt eſſe prædicatum propoſitionis vocalis. *Et ratio ulterior eſt*: quia vox categorematica idem eſt, quod vox prædicabilis; *uti patet ex Ætymologia nominis*. *Categorematica* enim derivatur à verbo κατηγορέω; quod prædicare ſignificat. Atqui vox prædicabilis eſt vox potens prædicari, ac eſſe prædicatum propoſitionis vocalis; ergo, &c.

21. Dixi in definitione: *eſt vox, quæ ſignificativè ſumpta*, &c. Hoc enim planè debet addi: imprimis enim vox categorematica debet eſſe vox ſignificativa potens eſſe prædicatum propoſitionis. Et hinc vox *blictri*, vox *ſyndapſus*, aliæque ſimiles, quantumvis poſſint eſſe prædicatum propoſitionis dicentis *homo non eſt blictri*, *aliqua vox diſſillaba eſt blictri*, &c. quia tamen voces ſignificativæ non ſunt, non ſunt categorematicæ. Vox enim categorematica eſt illa, quæ poteſt eſſe propoſitionis prædicatum ratione ſui ſignificati. Et generaliter omnes hæ diviſiones vocum, *de quibus agimus*, pro diviſo habent vocem ſignificativam. Unde omnia membra dividentia, utpote totam diviſi ſui eſſentiam participantia, etiam eſſe debent voces ſignificativæ. *Præterea*: ad vocem categorematicam non ſatis eſt eſſe vocem ſignificativam; aſt inſuper debet poſſe eſſe prædicatum propoſitionis ſumpta ſignificativè: neque ſatis eſt poſſe eſſe prædicatum ſumptam non-ſignificativè. Alioqnin enim voces *nullus*, *omnis*, *quidam*, *ubique*, *ſemper*, aliæque ſimiles, quæ non categorematicæ, ſed ſyncategorematicæ ſunt, forent categorematicæ: ſunt namque voces ſignificativæ, poſſuntque non-ſignificativè ſumptæ eſſe prædicatum propoſitionis dicentis, *homo non eſt vox nullus*, *aliquod ſignum ſyncategorematicum eſt nullus*, &c. Debet ergo vox categorematica eſſe vox ſignificativa, quæ ſignificativè ſumpta poteſt eſſe prædicatum vocalis propoſitionis.

21. Quidam vocem categorematicam definit hoc modo: *eſt vox ſignificativa, quæ ſignificativè ſumpta poteſt eſſe aliqua principalis pars propoſitionis vocalis*: ſcilicet vel ſubjectum, vel prædicatum, vel copula. Putatque noſtram definitionem ex *Villalpando* deſumptam eſſe nimis curtam & brevem. *Motus hac ratione*: quia omnis vox, quæ ſignificativè ſumpta eſſe poteſt prædicatum, vel ſubjectum, vel copula propoſitionis vocalis, eſt vox categorematica: vel ſi aliqua non ſit, iſta aſſignetur. Atqui ſunt aliquæ voces, quæ ſignificativè ſumptæ poſſunt eſſe ſubjectum, vel copula; non tamen poſſunt eſſe prædicatum propoſitionis: verbum etenim eſſe poteſt propoſitionis copula; non tamen ſubjectum, aut prædicatum: item nomina ſingularia, ut ſunt *Petrus*, *Paulus*, *bucephalus*, *pegaſus*, &c. poſſunt eſſe propoſitionis ſubjectum; non tamen prædicatum, aut copula. Ergo noſtra definitio dicens vocem categorematicam eſſe illam, quæ ſignificativè ſumpta poteſt eſſe propoſitionis vocalis prædicatum, non comprehendit omnes voces categorematicas: non enim comprehendit illas, quæ poſſunt ſolummodo eſſe copula vel ſubjectum, & nullatenus prædicatum: Ergo eſt curta nimis & brevis: Ergo oportet definitionem formare hoc modo: *eſt vox, quæ ſignificativè ſumpta eſſe poteſt aliqua principalis pars propoſitionis vocalis*: hæc definitio enim comprehendit omnes. *Reſp. negando minorem, & dico*: Licet verbum quandoque ſit ſola propoſitionis copula; ſæpe tamen eſſe ſimul copulam & prædicatum: ac ſemper poſſe eſſe prædicatum: ut patet in his propoſitionibus: *Petrus amat*, *equus currit*, *Deus eſt*, *Antichriſtus nondum eſt*, &c. In his, inquam, vocalibus propoſitionibus verbum eſt ſimul copula & prædicatum. *Quod copula ſit, nemo negabit*: in propoſitione quippe eſſe copulam prædicati cum ſubjecto eſt de eſſentia verbi: *ut dicam infra*. *Quod etiam prædicatum ſit, probo*: quia prædicatum propoſitionis vocalis eſt illa vox, quæ ſignificat formam de propoſitionis ſubjecto affirmatam vel negatam: atqui in iſtis præfatis propoſitionibus verba *amat*, *currit*, & *eſt*, ſunt voces ſignificantes formam, ſcilicet amorem, curſum, & exiſtentiam de ſubjectis iſtarum propoſitionum affirmatam vel negatam; ergo iſta verba in iſtis vocalibus propoſitionibus ſunt prædicata. Similiter dico nomina ſingularia ac individua poſſe eſſe prædicatum propoſitionis vocalis; licet magis ordinariè ſint ſubjectum: nunquid enim individuum eſt illud, quod de uno ſolo prædicatur? vel, *ut ego definire ſoleo*, quod non prædicatur de multis? Ex quo patet definitionem meam eſſe bonam, & cum ſuo definito convertibilem: cum omnis omninò vox categorematica, ſive ſit nomen, ſive verbum, ſit vox ſignificatica, quæ ſignificativè ſumpta poteſt eſſe prædicatum propoſitionis vocalis.

23. *Objicies ſecundò*: hæ voces complexæ, *animal rationale*, *homo albus*, *animal hinnibile*, &c. ſunt voces ſignificativæ, quæ ſignificativè ſum-

ſumptæ poſſunt eſſe prædicatum propoſitionis vocalis: & tamen iſtæ voces non ſunt categorematicæ; ergo definitio à nobis aſſignata non eſt bona; comprehendit enim aliqua, ſub definito non comprehenſa. *Probatur minor*: quia vox categorematica apud omnes Summuliſtas debet eſſe vox ſimplex: atqui iſtæ præſatæ voces ſunt complexæ, & non ſimplices; ergo iſtæ voces non ſunt categorematicæ. *Reſp.* 1. *negando minorem, & majorem probationis*: non video enim, quid is in Philoſophia aut Grammatica diceret abſurdi, qui diceret vocem categorematicam poſſe eſſe tam complexam, quam ſimplicem. Nam *Cicero* pro vocibus categorematicis ſupra aſſignabat, *habens divitias*, *habens honores*, quæ ſunt voces complexæ. *Reſp. tamen ſecundo: negando conſeq. & probationem ejus*: nam iſtæ voces complexæ ſatis à definitione excluduntur per genus definiti, quod eſt vox ſignificativa ſimplex. Nam, *uti in fine dubii præcedentis dixi*, omnes hæ vocis diviſiones pro diviſo habent vocem ſimplicem: de oratione quippe, ſive de voce complexa, ac diviſionibus ejus, agemus infra. Iſtæ ergo voces complexæ, ſimileſque aliæ ſunt quidem voces categorematicæ: aſt non una, ſed plures ſibi mutuo conjunctæ: quæ ſunt propoſitionis vocalis prædicatum non ſimplex; ſed complexum.

24. *Dico ſecundò*: vox ſyncategorematica eſt illa, quæ ſignificativè ſumpta ſe ſola nequit eſſe prædicatum propoſitionis vocalis; ſed ſolummodo affectio quædam & modificatio prædicati. Sive eſt vox quædam, quæ ſignificativè ſumpta eſſe nequit prædicatum propoſitionis vocalis; ſed ſolummodo poteſt modificare ac qualificare ſignificationem vocis categorematicæ, quæ prædicatum propoſitionis eſſe poteſt. Unde ad vocem ſyncategorematicam duæ requiruntur conditiones. *Prima eſt*: quod ſignificativè ſumpta eſſe nequeat prædicatum propoſitionis. *Secunda eſt*: quod ſignificativè ſumpta qualificare & modificare poſſit ſignificationem vocis categorematicæ, cui adjungitur: verb. gr. vox *nullus*, *omnis*, *aliquis*, *doctè*, *celeriter*, *neceſſariò*, *contingenter*, *Petri*, *Pauli*, aliique omnes caſus obliqui ſunt ſyncategoremata; ſoli quippe caſus nominum recti ſunt categoremata. Quia imprimis nulla iſtarum vocum ſignificativè ſumpta eſſe poteſt ſe ſola prædicatum propoſitionis vocalis. Nam prædicatum vocale eſt vox ſignificans rem de alia re affirmatam aut negatam; atqui, *uti patet*, nulla iſtarum vocum ſignificat rem, quæ de ſubjecto propoſitionis affirmatur aut negatur; ergo nulla iſtarum vocum eſt prædicatum vocale. *Præterea*: omnes iſtæ voces poſſunt qualificare ac modicare ſignificationem vocis categorematicæ ſibi adjunctæ. Quia unam vocem modificare ac qualificare ſignificationem alterius vocis eſt unam vocem facere, ut alia vox, cui in orationis contextu adjungitur, aliter ſignificatum ſuum ſignificet, quam alioquin ſignificaſſet: atqui omnes iſtæ præſatæ voces faciunt, ut voces categorematicæ, quibus adjunguntur aliter ſignificata ſua ſignificent, quam alioquin ſignificaſſent; *uti clarum eſt*: *adeoque conſideranti facilè patebit*. Ergo omnes iſtæ præſatæ voces poſſunt modicare ac qualificare ſignificationem categorematis, cui adjunguntur.

25. *Et ratio concluſionis ac definitionis à priori, mihi videtur eſſe hæc*: quia vox ſyncategorematica, *uti patet ex nominis Ætymologia*, eſt vox conprædicabilis: συγκατηγορεῖν enim ſignificat idem, quod *con-prædico*: ergo vox ſyncategorematica eſt illa; quæ cum alia voce con-prædicatur: atqui cum alia voce coprædicari eſt eſſe illam vocem, quæ per ſe non prædicatur; ſed ſolum afficit ac adhæret voci, quæ per ſe prædicatur: ergo vox ſyncategorematica eſt illa vox, quæ voci prædicabili ac categorematicæ adhæret, illamque afficit: atqui afficere & adhærere voci categorematicæ eſt vocem categorematicam modificare ac qualificare: qualificare, inquam, non quoad entitatem; ſed quoad ſuam ſignificationem: ergo vox ſyncategorematica rectè definitur eſſe vox modificans ſignificationem vocis categorematicæ.

SECTIO II.

Explicatur ſententia Magiſtri Michaelis Paludani.

26. CUm hac definitione ſic explicata fermè quadrat & coincidit definitio eximii mei Magiſtri *Michaelis Paludani*, *loco ſupra citato*. Ille enim categorema dicit eſſe vocem per ſe alicujus ſignificativam; ſyncategorema verò eſſe vocem, quæ cum per ſe nullius ſignificativa ſit, alteri tamen voci, cui adjungitur, tribuit certum ſignificandi modum. Quod ego in meis terminis ſoleo exponere ſic: categorema eſt ſignificativum abſolutum; ſyncategorema verò eſt ſignificativum modale: ſive eſt modus ſignificativus. Eo enim modo, quo Phyſici explicant & diſtinguunt ens abſolutum & ens modale in eſſendo; ita ego hic explicare ſoleo ens modale, & abſolutum in ſignificando: ſive ſignificativum abſolutum & modale. Ens abſolutum vocant Phyſici, quod per ſe eſſe & exiſtere poteſt; ita & ego categorema, ſignificativum abſolutum voco: quia eſt vox, quæ per ſe ſignificare & prædicari poteſt. Modum ſive ens modale vocant Phyſici illud, quod per ſe exiſtere non poteſt; ſed ſolum adhærendo & modificando exiſtentiam alterius: ita & ego ſyncategorema, modum ſignificativum voco; quia eſt vox, quæ non poteſt prædicari & ſignificare ſe ſola; ſed ſolummodo modificando, & quaſi adhærendo ſignificationi alterius.

27. *Petes*: quomodo vox ſyncategorematica dicatur per ſe nihil ſignificare; & tamen voci ſibi adjunctæ certum ſignificandi modum tribuere? *Ratio dubitandi eſt*: quia iſta duo ſunt ſibi mutuò repugnantia; nam modum ſignificandi tribuere, hoc ipſum eſt ſignificare: ſi ergo vox ſyncategorematica nihil ſignificet, quomodo certum ſignificandi modum tribuet? *Reſp.* illam eximii Magiſtri mei definitionem facere poſſe duos ſenſus. *Primus eſt hic*: vox ſyncategorematica neque ſeparata, neque conjuncta alteri voci aliquid ſignificat; attamen dum alteri alicui voci adjungitur, quantumvis ipſa nihil ſignificet,

tamen

tamen alterius vocis ſignificationem modificat, illique certum ſignificandi modum tribuit. Et hic ſenſus eſt planè falſus: *Ut benè probat ratio dubitandi facta*. Adeoque ab Eximio Magiſtro meo non intentus. *Ratio eſt:* quia, *uti jam dicebam*, ſyncategorema habet ſe in ſignificando; uti ſe habet modus in eſſendo: ergo ſyncategorema debet categorematì tribuere certum modum ſignificandi, ſicut modus enti phyſico tribuit certum modum eſſendi: atqui modus tribuit certum modum eſſendi, etiam aliquid eſſendo: neque enim modi ſunt purum nihil; ſed entia verè realia. Ergo ſimiliter ſyncategorema debet categorematì tribuere certum modum ſignificandi, aliquid ſignificando.

28. *Alter ſenſus eſt hic:* vox ſyncategorematica ſeparata à conſortio alterius vocis nihil poteſt ſignificare; tamen dum in orationis contextu alteri voci adjungitur, tunc aliquid ſignificat, hancque ſuam ſignificationem ſignificationi vocis ſibi adjunctæ communicat. Et hoc nos vocamus, ſignificando tribuere certum modum ſignificandi. *Ratio eſt*; quia vocem ſignificare eſt audientem ex occaſione auditæ vocis concipere ſem ſignificatam: atqui audiens ſyncategorema in orationis contextu cum aliis vocibus conſtructum, ratione ſyncategorematis ita auditi aliquid concipit: concipit enim aliter & alio modo ſignificatum categorematis per ſyncategorema modificati, quam conciperet ſi tali modo modificatum non fuiſſet. Ergo ſyncategorema cum categoremata in orationis contextu conſtructum verè aliquid ſignificat. *Probatur minor:* quia quando audio dici *omnis homo eſt doctus*, aliter concipio ſignificatum vocis *homo*, quam quando audio dici *homo eſt doctus*, vel *aliquis homo eſt doctus*: ad primam enim propoſitionem, quæ univerſalis eſt, concipio ſignificata vocis *homo* enumeranda copulativè; at verò ad alteram propoſitionem, quæ indefinita, aut particularis eſt, concipio illa enumeranda disjunctivè. Ergo ſyncategorema cum categoremate conſtructum facit, ut audiens alio modo concipiat, ſignificatum categorematis à ſe modificati, quam conciperet ſua modificatione ſemota. Differunt ergo categorema & ſyncategorema, non quod unum ſit vox ſignificativa, alterum verò ſit vox non ſignificativa; ſed quod unum ſit vox ſignificativa per ſe; alterum verò ſit vox ſignificativa dependenter ab alia voce, cujus ſignificationem modificat: ſicut ens phyſicum & ens modale non differunt in eo, quod unum ſit, alterum non ſit ens reale; ſed in eo, quod unum ſit ens reale potens eſſe per ſe; alterum verò ſit ens reale potens ſolummodo eſſe per aliud, & in alio, tamquam modificationis ſuæ ſubjecto.

29. Dixi has definitiones Magiſtri mei Paludani fermè quadrare & coincidere cum meis *ſect.* 1. poſitis: non enim coincidunt planè & omnino, neque ſunt inter ſe convertibiles. Nam definitiones Magiſtri mei aliquibus vocibus quadrant, quibus non quadrant definitiones meæ: ergo definitiones magiſtri mei cum meis definitionibus non ſunt convertibiles, neque omninò coincidunt. *Probatur antecedens*: quia definitio categorematis data à me non convenit caſibus obliquis nominum; nam, *ut dixi ſect.* 1. omnes caſus obliqui apud me non categoremata; ſed ſyncategoremata ſunt; illis tamen convenit definitio data à Magiſtro meo: ergo aliquibus vocibus convenit definitio Magiſtri mei, quibus tamen non convenit definitio mea. *Probatur antecedens*: definitio categorematis data à Patre Magiſtro *Paludano* eſt, *eſſe vocem per ſe ſignificativam, quæ poteſt ſignificare aliquid ſe ſola abſque conſortio cujuſcumque alterius vocis, cujus ſignificationem in orationis contextu modificet & cui quaſi adhæreat*. Atqui caſus obliqui nominum ſunt voces per ſe ſignificativæ: ergo illis quadrat definitio ſyncategorematis tradita à Magiſtro meo Paludano. *Probatur minor*: quia inter voces habentes idem ſignificatum principale impoſſibile eſt unam per ſe ſignificativam eſſe, alteram non eſſe: atqui quorumcumque nominum caſus rectus & obliqui ſunt voces habentes idem omnino ſignificatum principale: *uti clarum eſt*. Ergo inter illas impoſſibile eſt unam eſſe per ſe ſignificativam, alteram verò non eſſe: atqui caſus recti nominum ſunt voces per ſe ſignificativæ: ergo & caſus obliqui ſunt. *In hoc diſcurſu omnia ſunt clara præter majorem. Illa ergo probatur*: quia illa vox eſt per ſe ſignificativa, quæ habet ſignificatum, quod per ſe poteſt ſignificari: ſive cujus ſignificatum eſt per ſe ſignificabile. Sicut enim ſignificativum & ſignificabile ſeſe mutuo ponunt & tollunt; ita etiam ſignificativum per ſe, & ſignificabile per ſe. Atqui inter duas voces habentes idem ſignificatum principale, impoſſibile eſt unam habere, alteram verò non habere ſignificatum per ſe ſignificabile: ergo ſimiliter impoſſibile eſt, ut inter duas voces habentes idem ſignificatum principale, ut ſit, altera non ſit per ſe ſignificativa. *Major licet clara ſit, adhuc tamen probatur*: quia vocem ſignificare eſt vocem in audiente ſignificati ſui conceptum cauſſare; ergo illa vox poteſt ſe ſola ſignificare, quæ poteſt ſe ſola in audiente ſignificati ſui conceptum cauſſare atqui omnis iſta vox poteſt ſe ſola ſignificati ſui conceptum in audiente cauſſare, quæ habet ſignificatum, cujus conceptus ſolus cauſſari poteſt: ergo omnis iſta vox eſt ſe ſola ſignificativa, quæ habet ſignificatum ſe ſolo ſignificabile.

30. *Præterea:* Pater Magiſter *Paludanus* confundit ſyncategorema cum modo ſignificativo. Atqui caſus obliqui nominum neque ſunt, neque ſecundum Magiſtrum meum eſſe poſſunt modi ſignificativi; ergo neque apud ipſum eſſe poſſunt ſyncategoremata; ſed eſſe debent categoremata: ergo definitiones noſtræ inter ſe non convertuntur. Nam juxta meas definitiones, caſus nominum obliqui non categoremata ſunt; quamvis tamen non ſint modi ſignificativi. *Probatur minor;* quia modus ſignificativus adjunctus alteri ſolummodò modo ſignificativo nihil poteſt ſignificare; ſed ut ſignificare poſſit, neceſſariò adjungi debet alicui ſignificativo abſoluto: atqui caſus nominum obliqui adjuncti ſolummodò alteri modo ſignificativo ſignificare poſſunt: ver. gr. cum dico *omni tem-*

tempore, in illo tempore, nullo modo, ſine ulla conſcientia, &c. iſti ablativi ibi ſignificare poſſunt; ergo caſus nominum obliqui non ſunt modi ſignificativi. *In hoc argumento probanda eſt major, ſimul & minor. Incipio ergo à majori:* quia philoſophandum eſt de modis ſignificativis quoad potentiam ſignificandi; ſicut philoſophamur de modis nniiiativis quoad potentiam exiſtendi: atqui modus antitativus nulla ratione exiſtere poteſt adhærendo ſolummodo alicui alteri modo; ſed ut exiſtat neceſſariò vel ipſe, vel modus, cui adhæret, adhærere vel inhærere debet alicui enti phyſico & ſolido; ergo ſimiliter modus ſignificativus adjunctus ſolummodò alteri modo ſignificare non poteſt; ſed ut ſignificet neceſſariò adjungi debet alicui ſignificativo abſoluto. *Jam etiam probo præfatam illam ſyllogiſmi præcedentis minorem:* quia vocem ſignificare eſt illam ſignificati ſui conceptum in audiente cauſare: atqui iſti præfati ablativi cauſant in audiente aliquem conceptum; *uti per experientiam patet.* Ergo ſignificare poſſunt, ac etiam quandoque ſignificant.

31. *Concludo ergo & dico:* haſce definitiones non eſſe inter ſe omninò convertibiles; ſed habere ſe ſicut magis & minus communia. Nam, *uti ex dictis facilè patere poteſt,* omnis quidem vox prædicabilis eſt vox per ſe ſignificativa; non tamen omnis vox per ſe ſignificativa eſt vox prædicabilis, *ut patet in obliquis nominum caſibus.* Item omnis vox per ſe non ſignificativa quidem eſt vox ſolummodo comprædicabilis; non tamen omnis vox ſolum comprædicabilis eſt per ſe non-ſignificativa: *uti etiam patet in obliquis nominum caſibus, & adverbiis.* Qualia ſunt: *celeriter, tardè, doctè, benè, malè, &c.* Hæc enim omnia per ſe ſignificativa ſunt; non tamen per ſe prædicabilia ſunt. *Si verò me roges:* Utra harum definitionum ſit melior ac verior? Dicam magis placere priorem *ſect.*1. datam ac explicatam; ob rationes ibi dictas. Interim utraque bona eſt: & parum intereſt utram ſequaris. Optio ergo tibi datur.

SECTIO III.

Solutio quarumdam objectionum militantium pro caſibus obliquis nominum.

32. OBjicies primò: vox categorematica eſt vox potens eſſe prædicatum propoſitionis vocalis: atqui caſus obliqui nominum poſſunt eſſe prædicatum prædicationis vocalis: ergo ſunt voces categorematicæ. *Probatur minor:* quia verb. gr. hic in his propoſitionibus: *Iſte ager eſt Titii; hoc prædium eſt Sempronii, iſte liber eſt S. Auguſtini, &c.* Iſti genitivi ſunt prædicata iſtarum propoſitionum; ergo caſus nominum obliqui poſſunt eſſe prædicatum in propoſitione vocali. *Probatur antecedens:* quia in his prædicationibus: *hic ager eſt Titianus. Hoc prædium eſt Sempronianum. Iſte liber eſt Auguſtinianus, &c.* Iſta adjectiva. *Titianus, Sempronianus, Auguſtinianus,* ſunt prædicata: atqui adjectiva iſta planè idem ſignificant, quod iſti genitivi; ſuntque cum illis planè ſynonima: ergo etiam iſti genitivi ſunt prædicata in iſtis præfatis propoſitionibus. *Reſp. negando minorem, & antecedens probationis;* quia (*ut omittam hic rationem ſect.*1. *allegatam*) *Probatur antecedens:* quia tam prædicatum, quam ſubjectum propoſitionis vocalis debet eſſe caſus rectus: atqui caſus rectus & caſus obliquus ſunt duo repugnantia & incompatibilia: ergo ſimiliter eſſe prædicatum, & eſſe caſum obliquum ſunt duo incompatibilia. *Probatur major:* quia iſtæ voces, quæ debent inter ſe neceſſario identificari in ſuis ſignificatis rectis, eſſe debent caſus recti: *ut evidens eſt.* Atqui ſubjectum & prædicatum propoſitionis vocalis eſſe debent voces identificatæ ſibi mutuò in ſuis ſignificatis rectis: ergo debent eſſe caſus recti. *Minorem hujus ſyllogiſmi tibi non probo: quia ex profeſſo tractaturus illam ſum inferiùs.*

33. *Inſtabis:* ſi iſti genitivi non ſint ibi iſtarum propoſitionum prædicata; quæ ergo ſunt ibi prædicata? Omnis enim propoſitio habere debet prædicatum. *Reſp.* prædicatum iſtarum propoſitionum eſſe participium incluſum in verbo *eſt.* Fsciunt namque iſtæ propoſitiones hunc ſenſum: *iſte ager eſt pertinens ad Titium. Hoc prædium eſt pertinens ad Sempronium. Iſte liber eſt compoſitus à S. Auguſtino, &c. Et ratio eſt:* quia in propoſitionibus concretis prædicatum eſt illa vox, quæ cum ſubjecto identificatur in ſuo ſignificato recto; & cujus ſignificatum formale inexiſtit ſignificato recto ſubjecti: atqui in iſtis præfatis propoſitionibus participia incluſa in verbo *eſt* ſunt voces identificatæ cum iſtis ſubjectis quoad ſignificatum rectum, & habentes ſignificatum formale inexiſtnns ſignificato recto ſubjecti: *uti bono ſummuliſtæ hoc examinanti facilè patebit.* Ergo iſta participia, non verò illi genitivi, ſunt iſtarum propoſitionum prædicata. *Et ratio ulterior eſt:* quia omnes iſtæ propoſitiones ſunt propoſitiones de *eſt ſecundo adjacente:* ſunt enim propoſitiones, in quibus verbum *eſt* nullum poſt ſe habet prædicatum. Atqui in propoſitionibus de *eſt ſecundo adjacente,* participium in verbo *eſt* incluſum ſemper eſt prædicatum; ergo in iſtis præfatis propoſitionibus prædicata ſunt participia incluſa in verbo eſt. *Sed de his omnibus plurima infra ſuo loco.*

34. *Unde ad tertium ſuperioris argumenti ſyllogiſmum, neganda eſt minor:* ſcilicet hæc. Nomina adjectiva, *Titianum, Sempronianum, Auguſtinianum, &c.* planè idem ſignificant, quod ſignificant genitivi iſti illis correſpondentes. Nam iſti genitivi de formali ſive de principali ſignificant ſignificatum formale aut principale ſui recti, à quo obliquè deſcendunt; iſta adjectiva verò de principali non important ſignificatum principale nominis primitivi, à quo derivantur; ſed ſignificant de principali aliquando imitationem, aliquando paſſivam poſſeſſionem, aliquando paſſivam originem, ſeu proceſſionem, aliquando paſſivam directionem à ſuo themate (*ita enim grammatici vocant ſignificatum principale vocis primitivæ, à qua ſimilia adjectiva derivantur*) ergo iſta adjectiva derivativa non ſignificant idem, quod caſus obliqui nominis primitivi à quo derivantur. *Probatur minor:* quia nomina iſta adje-

adjectiva derivativa, verb. gr. *Titianum*, *Sempronianum*, *Catonianum*, *Platonianum*, *Auguſtinianum*, & alia ſimilia, quandoque ſunt nomina poſſeſſiva: quando ſcilicet prædicantur de rebus à Titio, Sempronio, Catone, Platone, Auguſtino poſſeſſis. Aliquando verò ſunt imitativa: quando nimirum prædicantur de hominibus Titium, Sempronium, Platonem, Catonem, Auguſtinum imitantibus. Aliquando verò ſunt patronimica: quando ſcilicet prædicantur de hominibus à Titio, Sempronio, Platone, &c. tamquam à ſui effectivo principio deſcendentibus. Aliquando verò ſunt nomina regulativa: quando ſcilicet prædicantur de hominibus per regulam ac legem Auguſtini, Platonis, Catonis, &c. regulatis, ac directis. Atqui juxta omnes Grammaticos nomina derivativa, poſſeſſiva, imitativa, patronimica, & regulativa de formali ſignificant paſſivam poſſeſſionem, imitationem, paſſivam proceſſionem, & paſſivam directionem à ſuo themate; ergo iſta nomina derivativa de formali non ſignificant ſuum thema, ſive ſignificatum formale nominis primitivi, à quo derivantur; ſed ſignificant vel imitationem, vel proceſſionem, vel directionem, vel poſſeſſionem à ſuo themate; quæ duo ſunt valdè diverſa.

35. *Ex quo tandem patet ratio à priori*: cur in iſtis præfatis propoſitionibus iſta adjectiva derivativa, ſint ac eſſe poſſint potius prædicatum, quam caſus obliqui nominum ſuorum primitivorum. *Ratio, inquam, à priori eſt hæc*: quia vox, quæ eſt prædicatum, debet eſſe vox cum ſuo ſubjecto identificata quoad ſignificatum rectum, & habens ſignificatum formale inexiſtens ſignificato recto ſubjecti; *ut pluribus infra dicam ſuo loco*. Atqui iſta nomina derivativa ſunt talia; *ut bono Summuliſtæ facilè patere poteſt*. At verò caſus obliqui nominum primitivorum neque ſignificatum rectum habent, in quo cum ſubjecto identificentur: neque ſignificatum formale ſignificato recto ſubjecti inexiſtens habent. Cum namque dico: *Iſte ager eſt Sempronii*. *Iſte homo eſt totus Platonis*. *Hæc opinio eſt Ariſtotelis*, *&c.* Neque Semproneitas, neque Platoneitas, neque Ariſtoteleitas, quæ ſunt ſignificata formalia iſtorum genitivorum, inexiſtunt huic agro, huic homini, aut huic opinioni; ſed quod illis inexiſtit, eſt poſſeſſio à Sempronio, imitatio Platonis, ac traditio ab Ariſtotele; ergo clara ratio eſt, cur potius iſta nomina adjectiva derivativa, quam caſus obliqui nominum ſuorum primitivorum poſſint eſſe propoſitionis vocalis prædicatum.

36. *Objicies ſecundò*: inter voces ſynonimas impoſſibile eſt unam eſſe, alteram verò non eſſe prædicabilem aut categorematicam: atqui caſus rectus, & caſus obliqui ejuſdem nominis ſunt voces ſynonimæ: ergo vel uterque, vel neuter caſus eſt vox categorematica: atqui caſus rectus eſt vox categorematica: ergo etiam caſus obliqui ejuſdem nominis ſunt tales. *Probatur minor*: quia illæ voces ſunt ſynonimæ, quæ habent idem planè ſignificatum materiale, idemque planè ſignificatum formale: atqui caſus rectus, & caſus obliqui ejuſdem nominis ſunt tales voces: *uti evidens eſt*. Ergo ſunt voces ſynonimæ. *Audivi, qui reſponderet negando majorem: diceretque*: inter voces ſynonimas unam poſſe eſſe categorematicam, alteram eſſe ſyncategorematicam: ſicut inter illas una poteſt eſſe ſimplex, altera complexa: *juxta dicta dubio præcedenti*: *Sed reſponſum ineptum eſt; ac Philoſopho indignum*: nam voces aliundè ſimplices & complexæ; aliundè verò dicuntur eſſe categorematicæ & ſyncategorematicæ: dicuntur namque ſimplices & complexæ non à ſua ſignificatione, ſed à ſola ſua entitate; *ut dubio c. dixi*. At verò categorematicæ & ſyncategorematicæ dicuntur non à ſua entitate, ſed à ſola ſua ſignificatione: *uti patet ex dictis hoc toto dubio*. Unde vox ſimplex & complexa debent ſolummodo eſſe diverſæ entitatis, & poſſunt eſſe ejuſdem ſignificationis; at vox ſyncategorematica & categorematica eſſe debent diverſæ ſignificationis; poſſuntque fortaſſe eſſe ejuſdem entitatis: atqui vocibus diverſæ ſignificationis planè repugnat eſſe ſynonimas; cum eadem ſignificatio ſit de eſſentia ſynonimorum. Non tamen repugnat vocibus diverſæ entitatis; quoniam cum diverſitate entitatis ſtare poteſt identitas ſignificationis. Ergo clara ratio eſt, cur potius inter voces ſynonimas poſſit una eſſe ſimplex, altera complexa, quam una categorematica, altera ſyncategorematica.

37. *Reſp. ergo negando minorem, & majorem probationis*. *Ratio eſt*: quia ad voces ſynonimas non ſatis eſt ſignificare idem ſignificatum; ſed debent idem ſignificatum ſignificare eodem modo: atqui caſus rectus, & obliquus ejuſdem nominis ſignificant quidem idem ſignificatum; non tamen eodem modo: ergo non ſunt voces ſynonimæ. *Probatur minor*: quia ſignificare eodem modo eſt ſignificare eadem ſignificatione actuali: atqui caſus rectus & obliquus non ſignificant ſuum ſignificatum eadem, ac patiformi planè ſignificatione actuali: ergo non ſignificant eodem modo. *Probatur minor*; quia ſignificatio actualis vocum eſt conceptus, quem format audiens de illarum ſignificatis: atqui alium conceptum formamus audito nomine recto; alium verò ac diſſimilem audito nomine obliquo: *uti patet per experientiam*. Ergo nomen rectum & nomen obliquum ejuſdem thematis ac radicis non ſignificant ſuum ſignificatum ſimili ac patiformi ſignificatione actuali. *Præterea*: inter duas voces ſynonimas impoſſibile eſt unam habere, alteram non habere ſignificatum rectum: atqui caſus nominis rectus habet; caſus verò obliqui non habent ſignificatum rectum: *ut dicebam ſupra*. Ergo impoſſibile eſt illos caſus eſſe voces ſynonimas. *Patet major*: quia vox habens ſignificatum rectum nequit eſſe ejuſdem ſignificationis cum illa, quæ tale ſignificatum non habet: ergo neque cum illa eſſe poteſt ſynonima; quoniam voces ſynonimæ ejuſdem ſignificationis eſſe debent.

38. *Objicies tertiò*: inter voces habentes idem ſignificatum formale impoſſibile eſt unam eſſe, alteram non eſſe prædicabilem, ac categorematicam: atqui caſus recti & obliqui ejuſdem thematis

matis

matis & radicis, ſunt voces habentes idem ſignificatum formale : *ut ſupra dictum*. Ergo vel uterque, vel neuter caſus eſt vox prædicabilis, ac categorematica. *Reſp. negando majorem*: nam, *ut ſupra dicebam*, ad prædicabilitatem vocis non ſatis eſt qualitas ſignificati formalis; ſed inſuper requiritur ſignificatum rectum; unde optimè fieri poteſt; ut inter voces idem omnino formale ſignificatum habentes una ſit, altera non ſit prædicabilis ac categorematica. Quia ſcilicet altera habet, altera non habet ſignificatum rectum ad prædicabilitatem omninò neceſſarium. *Quod bene notandum eſt* : ex eo enim in decurſu hujus operis multa ad rem noſtram facientia inferemus. Ut quod inter voces habentes idem ſignificatum formale una poſſit latius patere, & de pluribus prædicari quam alia. Quod voces convertibiles ex parte ſignificati formalis non ſint ſemper etiam tales ex parte ſignificati materialis, &c.

39. *Objicies quartò*: Oportet philoſophari de caſibus obliquis nominum, ſicut philoſophamur de perſonis & temporibus obliquis verborum : atqui perſonæ & tempora obliqua verborum ſunt voces prædicabiles ac categorematicæ : *ut clarum eſt*. Ergo ſimiliter caſus obliqui nominum ſunt voces prædicabiles. *Antequam reſpondeam præmitto*, quid ſit nomen & verbum rectum; quid verò nomen & verbum obliquum : ſive quinam caſus in nomine ſint recti & obliqui ; & quænam perſonæ ac tempora in verbo ſint recta & obliqua. Neque enim in hac materia omnes Grammatici loquuntur eodem modo. Caſus vocis idem eſt, quod cadentia, ſive terminatio vocis. Hinc enim *Ariſtoteles* in ſuis Ante-prædicamentis dicit denominativa eſſe illa, quæ ab uno nominis appellationem habent ſolo differentia caſu. *Id eſt*: ſola finali terminatione vocis differentia. Hinc caſus rectus & obliquus vocis idem ſunt, quod terminatio vocis recta & obliqua. Terminationem rectam quidam dicunt eſſe terminationem primævam & originariam; omnes verò alias terminationes ab hac primæva obliquantes & declinantes, vocant terminationes obliquas. Juxta quem dicendi modum, in nominibus ſolus caſus nominativus numeri ſingularis, ſi nomen numerum ſingularem habeat; vel ſi illo careat, ſolus nominativus numeri pluralis erit terminatio recta : omnes verò alii caſus, etiam nominativus pluralis, dum nomen numerum ſingularem habet, erunt terminationes obliquæ. In verbis verò ſola prima perſona indicativi modi, temporis præſentis, numeri ſingularis, erit terminatio recta ; cum hæc ſola ſit terminatio originaria, & primæva : omnes verò aliæ perſonæ quorumcumque numerorum, temporum, & modorum, erunt terminationes obliquæ. Alii verò, & certè melius, in nominibus terminationem rectam vocant utrumque caſum nominativum ; tam ſcilicet pluralem quam ſingularem : in verbis verò terminationem rectam vocant omnes primas perſonas cujuſcumque numeri, temporis & modi; alios verò quoſcumque caſus, & perſonas vocant terminationes obliquas.

40. Et hic dicendi modus (*ſi mecum perum per grammatizare velis*) mihi magis placet. *Ratio eſt* : quia ſi terminatio recta foret terminatio vocis primæva ac originaria, concedendum foret, quod nomina hetroclyta deficientia in utroque ſuo nominativo haberent caſum rectum ; adeoque quod caſus genitivus, vel dativus, vel alius quivis foret ſimilium hetroclytorum caſus rectus: quandoquidem aliquis iſtorum caſuum ſit iſtorum hetroclytorum caſus primævus, & originarius. Item concedendum foret, quod verba impersonalia, ac verba anomala in prima perſona deficientia haberent perſonam rectam. Sed hæc in bona grammatica plane abſurda ſunt ; ergo & id, unde hæc ſequuntur. *Præterea :* terminatio recta nominis & verbi vocatur iſta, unde inchoari debet nominis declinatio, & verbi conjugatio : atqui nominis declinatio inchoatur ab utroque nominativo, & deſinit in utroque ablativo, ſingulari ſcilicet, & plurali: item verbi conjugatio inchoari debet ab utraque prima perſona, & deſinere in utraque tertia. Ergo in nomine uterque nominativus, & in verbo utraque prima perſona ſunt terminationes rectæ. *Sed de his inferiores grammaticos plura roga. His poſitis*

41. *Reſp. ad argumentum, negando majorem*. Nam omne & ſolum nomen rectum eſt vox categorematica, & omnia nomina obliqua ſunt ſyncategoremata *: ut ſatis patet ex hactenus dictis*. At verò inter verba, neque omnia recta ſunt categoremata, neque omnia obliqua ſunt ſyncategoremata; ſed utraque eſſe poſſunt tam categoremata, quam ſyncategoremata. Omnia quippe verba indicativi modi, omnium perſonarum & temporum, ſunt voces categorematicæ; omnia vero alia verba quorumcumque modorum, temporum & perſonarum ſunt voces ſyncategorematicæ. *Ratio eſt clara*: quia vox categorematica eſt vox potens eſſe prædicatum propoſitionis vocalis: atqui omnes verbi perſonæ per omnia tempora indicativi modi poſſunt eſſe prædicatum, & nulla perſona alterius modi cujuſcumque temporis eſſe poteſt prædicatum propoſitionis vocalis; *ut evidens eſt*. Nam per modum imperativum, optativum, conjunctivum, aut infinitivum non poſſumus affirmare, aut negare, aut propoſitionem facere ; ſed hoc ſoli indicativo modo proprium eſt. Ergo omnia & ſola verba modi indicativi, ſive ſint recta ſive obliqua, poſſunt eſſe voces categorematicæ.

42. *Inſtabis*. Vox categorematica debet habere ſignificatum rectum *: ut ſupra jam ſæpè dictum eſt*. Atque neque verbum, neque nomen obliquum poteſt habere ſignificatum rectum; ergo neque verbum, neque nomen obliquum eſſe poteſt vox categorematica. *Reſp. diſtinguendo majorem*: vox categorematica debet habere ſignificatum rectum verbi: *ſic nego*. Debet habere ſignificatum rectum nominis *: ſic concedo. Eodemque modo diſtinguo minorem*: atqui verba obliqua non habent ſignificatum rectum verbi: *ſic concedo*. Nam ſignificatum rectum verbi eſt prima perſona: verba autem obliqua non primam ; ſed ſecundam vel tertiam perſonam ſignificant. Non habent ſignificatum rectum nominis, *ſic nego*. Nam ſignificatum rectum nominis eſt caſus nominativus : ſive potius eſt ſignificatum caſus nomina-

minativi: at verò verba ſecundæ & tertiæ perſonæ indicativi modi eſſe ſignificant ſignificatum caſus nominativi participii ſui: nam *amas*, *amat*, *amatis*, *amant*, idem ſignificant, quod *eſt amans*, *es amans*, *ſunt amantes*, *eſtis amantes*. Quo poſito tuta corruit conſequentia.

SECTIO IV.

Solutio aliquarum aliarum objectionum.

43. OBiicies primò, *contra nomina adjectiva*: vox ſyncategorematica idem eſt, quod vox comprædicabilis, ſive quod vox modificativa vocis prædicabilis: atqui nomina omnia adjectiva ſunt voces modificantes ſignificationem vocis ſubſtantivæ, quæ per ſe prædicabilis eſt: ergo omnia adjectiva nomina ſunt ſyncategoremata. *Reſp. negando majorem*: ſed vox ſyncategorematica eſt vox, quæ per ſe prædicatum propoſitionis eſſe non poteſt: ſed ſolummodò modificare ſignificationem vocis prædicabilis: ſive eſt vox vocis prædicabilis tantum modificativa. Unde dico nomina adjectiva non eſſe ſyncategoremata: quia quantumvis ſint ſignificationem quarumdam vocum prædicabilium modificantia; non tamen ſunt modificantia tantum: poſſunt quippe & prædicatum modificare, ac etiam per ſe prædicatum eſſe: *uti conſideranti, ac exempla inducenti clarum & obvium eſt*. Adeoque non ſyncategoremata; ſed vera categoremata ſunt.

44. *Obiicies ſecundò, contra ſigna ſyncategorematica, nullus, omnis, quidam, non-nullus, aliquis, &c.* Vox categorematica idem eſt, quod vox potens eſſe prædicatum propoſitionis vocalis: atqui iſtæ præfatæ voces poſſunt eſſe per ſe propoſitionis vocalis prædicatum; ergo ſunt voces categorematicæ. *Prob. min.* in his prædicationibus; *ta es nullus, Deus eſt omnia, ego ſolummodo ſum unicus, &c. Et confirmari poteſt ratione*: quia omnis vox, quæ per ſe poteſt eſſe propoſitionis ſubjectum, poteſt etiam eſſe propoſitionis prædicatum: atqui omnes iſtæ præfatæ voces ſæpiſſimè ſunt propoſitionum vocalium ſubjecta: ordinatiſſimè enim dicimus: *nullus eſt domi, aliquis eſt ibi mortuus, &c.* Ergo etiam eſſe poſſunt propoſitionum prædicata. *Reſp. concedendo totum*: veriſſimum namque eſt iſtas voces, quando ſunt propoſitionum ſubjecta, aut prædicata, eſſe categoremata: licet ex vi ordinariæ ac ſibi debitæ ſignificationis ſint ſolummodo ſyncategoremata. *Neque eſt quod mireris hoc*: nam ſicut nomina adjectiva aliquando ſubſtantivantur, *ut pluribus oſtendit Deſpauterius*: item ſicut verba neutra aliquando activantur: ita etiam ſyncategoremata aliquando categorematizantur: mutuanturque ſignificationem categorematicam, ſupponunturque in orationis contextu, ac ſi vera forent categoremata: *uti patet in exemplis hujus argumenti. Et ratio eſt manifeſta*: quia ſicut nomen adjectivum ſubſtantivari eſt illud in contextu orationis ſupponi in ſignificatione & virtute alicujus nominis ſubſtantivi; ſic etiam ſyncategorema categorematizari eſt illud in contextu orationis ſupponi in ſignificatione alicujus vocis categorematicæ: atqui iſtæ præfatæ voces ſyncategorematicæ in iſtis præfatis propoſitionibus ſupponuntur in ſignificatione, ſive pro ſignificato alicujus vocis categorematicæ: ergo illic categorematizantur. *Patet min.* quia cum dico: *Deus eſt omnia, ego ſum nullus, nullus eſt ibi, aliquis eſt ibi, &c.* ſenſus eſt hic, *Deus eſt omne ens, ego ſum nullus homo, nullus homo eſt ibi, aliquis homo eſt ibi, &c.* Ergo manifeſtè iſtæ voces ſyncategorematicæ ibi ſupponuntur pro ſignificato alicujus vocis ſyncategorematicæ: adeoque categorematizantur.

45. *Obiicies tertiò*: pronomina demonſtrativa; ſcilicet, *hic, iſte, ille*, ſunt voces categorematicæ: ergo etiam voces, *nullus, omnis, quidam, aliquis, &c. Tenet conſequentia à pari*; quæ enim major ratio pro his, quam pro illis? *Antec. verò patet*: quia categorema eſt vox, quæ ſignificativè ſumpta eſſe poteſt propoſitionis prædicatum: atqui pronomina demonſtrativa ſunt frequentiſſimè propoſitionum prædicata, ac ſubjecta; dicimus enim ordinatiſſime; *Petrus eſt iſte, Joannes fuit ille, Paulus fuerat hic, ille fecit hoc; iſte fecit iſtud, &c.* Ergo iſta pronomina demonſtrativa ſunt categorematica. *Ita tenet Laurentius Gaffene tract. 2. ſect. 2. art. 4. Aſt reſpondeo negando antecedens, & dico*: iſta pronomina ex vi ſuæ ordinariæ ac ſibi debitæ ſignificationis eſſe ſyncategoremata. *Quod probo*: quia ſyncategorema eſt vox, quæ ſignificativè ſumpta nequit eſſe prædicatum vocale: atqui pronomina demonſtrativa nequeunt eſſe prædicatum vocale: ergo ſunt ſyncategoremata. *Probatur minor*: quia vox potens eſſe prædicatum vocale debet eſſe vox ſignificans aliquam formam de aliquo ſubjecto affirmabilem: atqui pronomina demonſtrativa ex vi ordinariæ & ſibi propriæ ſignificationis non ſignificant formam aliquam affirmabilem: ergo non ſunt voces, quæ ſignificative ſumptæ poſſint eſſe prædicatum propoſitionis. *Probatur minor*: quia iſta pronomina demonſtrativa ſolummodo ſignificant demonſtrationem formæ: ſicut ſigna ſyncategorematica non ſignificant aliquam formam; ſed ſolummodo vel diſtributivam, vel copulatam, vel disiunctam, vel diſiunctivam enumerationem formæ per vocem proximè ſequentem ſignificatæ: ab hac quippe demonſtrationis, ac enumerationis ſignificatione vocantur pronomina demonſtrative, & ſigna iſta vocantur diſtributiva vel diſiunctiva, univerſalia vel particularia. *Et patet inductione*: v. g. cum dico: *Petrus eſt hic homo, bucephalus eſt ille equus*, iſta pronomina *hic & ille* non ſignificant ullam formam de Petro aut Bucephalo affirmatam; ſed demonſtrant ſolummodo formam affirmatam; ſive ſolummodo ſignificant demonſtrationem affirmatæ. Sicut cum dico. *Petrus eſt aliquis homo. Bucephalus eſt aliquis equus*, iſtud ſignum *aliquis* non ſignificat formam affirmatam; ſed enumerationem, ſive modum enumerandi inferiora formæ affirmatæ. Atqui ſignificare demonſtrationem formæ non eſt plus ſignificare formam, quam ſignificare enumerationem formæ ſit ſignificare formam; ergo pronomina demonſtrativa nequeunt plus eſſe categoremata, quam ſint ſigna ſyncategorematica.

46. *Et ratio hæc ulterius deduci poteſt*: quia categorema debet eſſe vox potēs ſignificare ſe ſola; nam,

ut ſect. 2. dicebam, quamvis noo omnis vox ſe ſola ſignificans ſit eategorema; tamen omne categorema eſt, & eſſe debet vox ſeipſe ſignificate potens. Atqui pronomina demonſtrativa non ſunt voces, quæ poſſent ſignificare ſe ſolis: ergo non ſunt categoremata; ſed ſyncategoremata. *Prob. min.* quia illa vox ſe ſola ſignificare poteſt, quæ habet ſignificatum, quod ſe ſolo ſignificari, & ab audiente concipi poteſt: etqui pronomine demonſtrativa pro ſignificato ſuo non habent aliqnod ens, ant aliquam ſormam, quæ ſe ſola ſignificari ac concipi poſſit: ergo neque ſnnt voces, quæ ſe ſolis ſignificare poſſint. *Prob. min.* quia, *uti dicebam in diſcurſu numeri præcedentis*, ſicut ſigna ſyncategorematica non ſignificant aliquod ens, aut aliquam ſormam; ſed ſolummodo enumerationem, ac modum enumerandi inſeriora formæ per vocem immediatè ſequentem ſignificatæ, v. g. cum dico: *Petrus eſt aliqais bomo*, vox *aliquis* non ſignificat aliquam ſotmam de Petro affirmatam, ſed ſolummodo modum enumerandi inferiora humanitatis per vocem *bomo* ſignificatæ, & de Petro affirmatæ. Sic etiam pronomina demonſtrativa non ſignificant ens aut ſormam de ſubjecto affirmaram; ſed ſolum demonſtrant, ſive ſignificant ſolam demōſtrationem formæ per vocem ſequentem ſignificatæ. Ut eum dico: *Petrus eſt bic bomo*. Vox *bic* non ſignificat formam de Petro affirmatam; ſed ſolummodo demonſtrat humanitatem per vocem *bomo* ſignificatam, ac de Petro affirmatam. Atqui neque enumeratio, neque demonſtratio ſormæ concipi aut apprebendi poteſt ſe ſola ſine ſorma enumerata aut demonſtrate: ergo neque pronomina demonſtrativa, neqne ſigna ſyncategorematica habent ſignificatum, quod poſſit ſe ſolo concipi ac ſignificari: edeoque non poſſunt eſſe categoremata.

47. *Neque obeſt:* qnod pronomina demonſtrativa ex parte ſubjecti vel prædicati in vocali propoſitione ſolitariè poſita non tãtum ſignificent ſa ſolis, ſed etiam ſignificent formam, aut rem de qua alia affirmatur, aut quæ de alia affirmatur, ſintque ſubjectum ac prædicatum propoſitionir vocalis. Tunc enim de illis pbiloſopbandum eſt, eo modo quo ſnpra pbiloſophabamnr de ſignis ſyncategorematicis ex parte ſubjecti vel prædicati ſolitariè poſitis. Et dicendum: quod tunc non ſint empliùs ſyncategoremata: ſed categoremata: vel certè quod ſint ſyncategoremata categoramatizata. Tunc atenim non ſupponuntur in ſignificatione ſibi propria & ordinaria; ſed in ſignificatione, ſive pro ſignificato alicujus categorematis ſubintellecti. Cum enim dico: *ille eſt Petrus*, vel *Petrus eſt ille*. Senſus eſt *Petrus eſt ille bomo*, vel *ille bomo eſt Petrus*. Ubi clarum eſt, pronomen *ille* ſupponi pro ſignificato ſubintellectæ vocis homo; adeoque categorematizari.

48. *Inſtat tamen Laurentius*; pronomine iſta, ſive per ſe ponantur, ſive adjuncta aliis, ſemper ſignificant idem: nimirum id quod demonſtratur, v. g. quando dico: *bic bomo currit*, & quando dico, *bic currit*. Pronomen *bic* utrobique ſignificat Petrum, ſi Petrus utrobique demonſtretur. *Sed non ita eſt*: nam ſi pronomen *bic* utrobique idem ſignificaret, tunc vox *bomo*, in prima propoſitione poſita nibil ſignificaret, vel certè ſignificatio ejus ſenſui propoſitionis. ſuperflua, ac ipſa vox inutiliter ac ipſa vox nugatoriè ibi poſita foret: atqui conſequens hoc abſurdum eſt; vox *bomo* enim ibi neque ſuperflua eſt: neque ſignificatione caret. Ergò etiem abſurdum eſt dicere, pronomen *bic* utrobique idem ſignificere. *Præterea*: ſicut, *ex jam dictis patet*, oportet pbiloſophari de ſignificatione, vocnm *bic*, *iſte*, *ille*, ſicut philoſophamur de ſignificatione vocum *nullus*, *omnis*, *aliqui*, &c. Atqui cum dico; *nullus bomo eſt domi*. Vox iſta *nullus* utrobique non ſignificat idem: in prima enim propoſitione ſignificat ſignificatione propria; in ſecunde verò ſignificat ſignificatione aliena ac mutuata; *ut etiam tradit Laurentius art.* 1. Ergo ſimiliter in iſtis præallagatis propoſitionibus pronomen *bic* non ſignificat utrobique, idem. *Alia ad horum pronominum conſtructionem ſpectantia vide apud Grammaticos*.

DUBIUM III.

Alia quædam quæſtiunculæ ad categoremata, & ſyncategoremata ſpectantes.

49. PEtes primò; Quid ſit vox mixta? *Reſp.* voces mixtas à Summuliſtis paſſim vocari has; *nemo*, *ubique*, *nullibi*, *ſemper*, *nunquam*, *aliquando*, *alicubi*, eliaſqne ſimiles. Poteſt ergo definiri hoc modo; vox mixta eſt vox in ſignificatione ſua includens vel ſignificationem categorematis & ſyncategorematis; ut vox *nemo*, quæ involvit ſignificationem vocis *nullus* & ſignificationem vocis *bomo*; vel duorum ſyncategorematum; ut vox *nunquam*, *nuſquam*, *ubique*, *ſemper*, &c. Involvunt quippe ſignificetionem vocum *nullo tempore*, *nullo loco*, *omni loco*, *omni tempore*, &c. Unde inter voces mixtas vox *nemo*, & vox *nibil* ſunt categoremata, aliæ vero pleræque ſunt ſyncategoremata. Nulla namque ex omnibus, quæ paſſim circnmferuntur, eſſe poteſt prædicatnm propoſitionis vocalis, niſi vox *nemo*, & vox *nibil*, *ut conſideranti facilè patebit*. Si autem qnæras: quales voces mixtæ ſolum vocentur illæ, qnæ involvunt vel ſignificationem duorum ſyncategorematum, vel ſignificationem categorematis cum ſignificatione ſyncategorematis; non vero illæ, qnæ duornm categoromatum ſignificationem involvunt? Dicam bic pro ratione ſtare voluntatem communem omnium Summuliſtarum: aliam enim nullam ego ſcio. Niſi ſortaſſe ſoret bæc: qnia ſi voces involventes ſignificationem duornm categorematum ſorent voces mixtæ, omnes omnino voces ſorent mixtæ: cum omnes ſignificationem plurium categorematum involvant: *uti dixi dub.* 1. *ſect* 3.

50. *Obtities duo*. *Primum eſt*: categorema debet eſſe vox logicè ſimplex: atqui vox *nemo* non eſt logicè ſimplex; ſed eſt compoſita & mixta: ergo vox nemo nequit eſſe categorema. *Secundum eſt*: Vox *nullus*, *quidam*, *omnis*, &c. ſignificant etiam quãdoque idem, quod *nulles bomo*, *qeidam bomo* &c.

&c. Ergò involvunt etiam ſignificationem categorematis cum ſignificatione ſyncategorematis: ergò ſunt etiam voces mixtæ; & non ſimplices ſyncategorematicæ. *Ad primum reſpondeo negando minorem:* nam, *ut dubio primo dixi*, vox logicè ſimplex idem eſt, quod vox grammaticè ſimplex: atqui vox *nemo* eſt grammaticè ſimplex: ergò eſt etiam logicè ſimplex. *Ad ſecundum reſpondeo*: iſta ſigna ſyncategorematica in ſua ordinaria ac ſibi debita ſignificatione non includere ſignificationem vocis *homo*, neque cujuſcumque alterius categorematis: aliquando tamen ſupponi pro ſignificato vocis *homo*, aut alicujus alterius categorematis: non quia voces mixtæ ſunt; ſed quia in contextu orationis ex ſingulari privilegio ab hominibus vocum ac locutionis ſuæ brevitatem venantibus quandoque mixtizantur ac categorematizantur: *ut dixi dub. 2. ſect. 4.*

51. *Petes ſecundò*: Quotuplex ſit vox ſyncategorematica? *Reſpondeo*: vocem ſyncategorematicam eſſe illam, quæ eſt affectiva & modificativa ſignificationis vocis categorematicæ: adeoque varias poſſe aſſignari illius ſpecies. Alia eſt, quæ magis nata eſt modificare ſignificationem prædicati. Quales ſunt pleraque adverbia: v. g. *celeriter, doctè, bene, eleganter*, *&c.* Hujuſmodi enim ſyncategoremata vocantur à Grammaticis adverbia: eò quod modificent, & quaſi adjiciantur in contextu orationis ad ſignificationem verbi: vel potius ad ſignificationem participii vel expreſsè poſiti, vel in verbo incluſi. Dicimus enim: *equus eſt currens celeriter*, *Petrus eſt bene doctus, loquitur eleganter*, *&c.* Atqui participium ordinariè in contextu orationis eſt prædicatum: ergo adverbia ſunt ſyncategoremata magis nata modificare ſignificationem prædicati. Alia eſt, quæ magis nata eſt modificare ſignificationem ſubjecti. Tales ſunt omnia ſigna ſyncategorematica: hinc enim propoſitiones habentes prædicatum aliquo tali ſigno modificatum, v. g. hæ: *Petrus eſt nullus equus*, *omnis homo eſt omne riſibile*, vocari ſolent propoſitiones inuſitati ſermonis. *Ego tamen hoc limitarem ad ſigna univerſalia*: ſigna quippe particularia tam uſitatè poſſunt modificare ſignificationem prædicati, quam ſubjecti: uſitatiſſimè quippe dicimus: *Petrus eſt aliquis homo*, *eſt quoddam animal*, *eſt aliquod album*, *&c.* Alia eſt magis nata modificare ſignificationem copulæ. Tales ſunt hæc adverbia: *neceſſariò, contingenter*, *poſſibiliter*, *impoſſibiliter*, *eſſentialiter*, *&c.* quæ faciunt propoſitionem eſſe modalem. Alia eſt indifferens ad modificandam ſignificationem tam prædicati, quam ſubjecti. Tales ſunt omnes caſus obliqui nominum. Tam rectè enim dicimus: *liber Petri eſt aureus*, quam *Petrus eſt famulus Joannis*. Et apud me etiam talia ſunt omnia ſigna ſyncategorematica particularia.

52. *Ratio verò*, cur putem & aſſeram ſigna ſyncategorematica particularia tam ordinatè, ac uſitatè conſtrui cum prædicato, quam cum ſubjecto, *eſt hæc*: quia, ut habet famoſiſſima regula Juris, *tacitum idem operatur quod expreſſum*: unde omnis vox, quæ in contextu orationis ponitur tacitè, poteſt poni expreſsè, & omne ſyncategorema poteſt iſtius categorematis ſignificationem modificare expreſsè, cujus ſignificationem modificat tacitè. Atqui ſigna ſyncategorematica particularia modificant ſignificationem cujuſcumque prædicati communis tam negati, quam affirmati tacitè: ergo etiam cujuſcumque prædicati ſignificationem poſſunt modificare expreſsè: poſſunt, inquam, modificare uſitatè & ordinatè. *Probatur minor*: quia ſyncategorema ſignificationem prædicati, aut cujuſcumque alterius categorematis modificare tacitè eſt ſyncategorema ex parte prædicati ſubaudiri: ſive eſt ſignificationem ſyncategorematis expreſsè non poſiti in prædicato ſubintelligi, ac in ſignificatione prædicati includi. Atqui in ſignificatione cujuſcumque prædicati communis, tam negati quam affirmati, ſubintelligitur, ac includitur ſignificatio, vis, ac emphaſis ſigni ſyncategorematici particularis: ergo ſignum ſyncategorematicum particulare tacitè modificat ſignificationem cujuſcumque prædicati communis; *Probatur minor*: quia hæ prædicationes: *Petrus eſt homo*, *Petrus eſt aliquis homo*. Item hæ: *Petrus non eſt equus*, *Petrus non eſt aliquis equus*: ſunt planè ſynonimæ. Et generaliter omnis prædicatio conſtans prædicato communi ſolitariè ſumpto eſt omninò ſynonima cum prædicatione conſtante eodem prædicato communi per ſyncategorematicum ſignum particulare modificato. Atqui prædicationes ſynonimæ eſſe debent ejuſdem planè per omnia ſignificationis: neque una poteſt includere aliquid ſignificationis, quod non includatur in alia. Atqui ulterius prædicatio conſtans prædicato per ſyncategorema modificato includit in ſe ſyncategorematis iſtius ſignificationem: quælibet namque prædicatio includit ſignificationes omnium vocum in ſe expreſsè poſitarum. Ergo ſimiliter ejuſdem ſyncategorematis ſignificationem includit prædicatio conſtans eodem prædicato ſolitariè ſumpto. *Probatur major*: quia illæ prædicationes ſunt ſynonimæ, quæ conſtant eiſdem extremis eodem modo acceptis: hæ enim ſunt ejuſdem planè inter ſe ſignificationis. Atqui prædicationes, de quibus hic agimus, conſtant eiſdem extremis, *ut ſupponimus*: & iſta extrema eodem modo accipiuntur. Ergò iſtæ prædicationes ſunt ſynonimæ. *Prob. min.* quia ſi iſtæ prædicationes fuerint negativæ, prædicata capiuntur copulativè: ſi vero fuerint affirmativæ univerſales, prædicata capiuntur confusè: ſi vero fuerint affirmativæ ſingulares, vel indefinitæ, vel particulares, prædicata capiuntur determinatè: *uti patebit ex infra dicendis de ſpeciebus acceptionum.* Ergo iſtæ prædicationes, de quibus hic agitur, ſemper conſtant eiſdem extremis eodem modo acceptis. *Contra hunc diſcurſum fieri quidem poſſunt aliqua argumenta; ſed illa differo in alium locum, ubi regulas ſuppoſitionum exponam.*

53. *Petes tertiò*: An diviſio vocis ſignificativæ in categorema & ſyncategorema ſit adæquata? *Reſp. neg.* *Probatur*: quia diviſio adæquata eſt illa, in qua membra dividentia nullum habent medium negationis intra ſphæram & latitudinem ſui diviſi: atqui categorema & ſyncategorema

intra ſpheram ac latitudinem vocis ſignificativæ habent medium negationis: dantur quippe aliquæ voces ſignificativæ, quæ neque categoremata, neque ſyncategoremata ſunt, v. g. *euge*, *io*, *age*, *ergo*, *hui*, *hem*, aliæque ſimiles interiectiones. Ergo diviſio hæc non eſt adæquata. *Quod interiectiones iſtæ categoremata non ſint, eſt evidens*. *Quod neque ſint ſyncategoremata, probatur*: quia ſyncategorema debet eſſe vox ſua ſignificatione afficiens ac modificans ſignificationem vocis prædicabilis. *Id eſt*: vel ſubjecti, vel prædicati, vel copulæ in propoſitione vocali. Atqui interiectiones nihil horum modificare poſſunt: ergo ſyncategoremata eſſe non poſſunt. *Probatur minor*: quia voces ſua ſignificatione modificantes ſignificationem ſubjecti, copulæ, aut prædicati debent cum illis orationem continuare, ac in eodem orationis contexiu conſtrui: atqui interiectiones orationis contextum non continuant; ſed dividunt ac interpolant: vocantur namque interiectiones, eo quod inter diverſos orationum contextus intermiſceantur, ac interiiciantur. Ergo interiectiones non poſſunt modificare ſignificationem ſubjecti, copulæ, vel prædicati.

DISPUTATIO VIII.

De voce ſubſtantiali, eſſentiali, ſubſtantiva, &c.

DUBIUM I.

Quid ſit vox ſubſtantialis, eſſentialis, accidentalis?

1. RESP. *& dico primò*: Vox ſubſtantialis eſt vox, cujus principale ſignificatum eſt ſubſtantia. Ut vox *homo*, *humanitas*, *rationale*, *rationalitas*, *Deus*, *Deitas*, &c. Vox vero accidentalis eſt illa, cujus principale ſignificatum eſt accidens. Ut vox *album*, *albedo*, *ſtans*, *ſtatio*, *juſtus*, *juſtitia*, *intellectio*, *intelligens*, &c. Dicitur utrobique *cujus principale ſignificatum eſt ſubſtantia vel accidens*: quia qualitas ac ſpecificatio vocum deſumi debet non ex ſignificato ſecundario; ſed ex primario: ſicut ſpecificatio actuum, potentiarum, habituum, aliorumque ſimilium reſpectivorum, non ex objecto ſecundario; ſed ex primario deſumitur. Et ſanè ſi ſubſtantialitas vel accidentalitas vocis ex ſecundario ſignificato deberet attendi, quamplurimæ voces dici deberent ſubſtantiales, quæ à tota Schola habentur, & ſunt accidentales; & è contra. Nam hæ voces: *album*, *dulce*, *ſtans*, *ſedens*, *loquens*, &c. ſunt ſine dubio accidentales; & tamen earum ſignificatum rectum ac ſecundarium eſt verè ſubſtantia. Similiter hæ voces: *humanus*, *brutalis*, *equinus*, *leoninus*, &c. ſunt ſine dubio ſubſtantiales: earum tamen ſignificata ſecundaria, ac materialia poſſunt eſſe, ac ſæpè ſunt accidentia. Uti patet in hiſce orationibus: *juſtitia humana*, *feritas leonina*, *curſus equinus*, &c. Ergo pro invenienda vocis alicujus ſubſtantialitate vel accidentalitate negligere oportet ſignificatum ſecundarium, & attendendum eſt ſolummodo primarium.

2. *Ex quo patet*: quod omnia omnino verba, & participia: item omnia omnino nomina verbalia (exceptis tamen quibuſdam) ſint voces accidentales. *Probatur prima pars*, *de participiis, & verbis*, quia vox accidentalis eſt illa, cujus principale ſeu formale ſignificatum eſt accidens; atqui omnia omnino verba, omniumque verborum participia ſunt voces pro ſuo formali ſignificato habentes aliquod accidens: ergò omnia verba, omniumque verborum participia, ſive ſint activa, ſeu paſſiva, ſive perſonalia, ſive imperſonalia, ſive neutra, ſive deponentia &c. ſunt voces accidentales. *Probatur minor*: Quia omnia verba de formali ſignificant vel actionem, vel paſſionem, vel aliquam intentionalem operationem, vel aliquam qualitatem, aut ſimile quid: *uti facile cuique patebit per inductionem*. Atqui hæc omnia ſunt accidentia: ergo omnium verborum, ac participiorum ſignificatum formale ſemper ac ubique eſt accidens.

3. *Probatur etiam ſecunda pars de nominibus verbalibus*: quia vox accidentalis eſt illa, cujus principale ſignificatum eſt accidens: atqui omnia nomina verbalia, qualia ſunt, *amor*, *adium*, *ſpes*, *timor*, *calefactio*, *frigefactio*, *creatio*, *flatio*, *ſeſſio*, &c. pro ſignificato ſuo principali habent accidens: *uti patet*. Ergò omnia ſunt voces accidentales. *Et ratio ulterior eſt*: quia omnis vox abſtracta correſpondens voci concretæ accidentali, eſt etiam vox accidentalis: atqui omnia nomina verbalia ſunt voces abſtractæ correſpondentes ſuis verbis, quæ ſunt voces concretæ accidentales: *uti jam dictum eſt*, v. g. hæc nomina verbalia, *odium*, *amor*, *ſtatio*, *ſeſſio*, *creatio*, *paſſio*, *locutio*, &c. ſunt abſtracta correſpondentia his verbis concretis: *odi*, *amo*, *ſto*, *ſedeo*, *creo*, *patior*, *loquor*, &c. Et ſic de aliis. Ergò omnia nomina verbalia ſunt etiam voces accidentales. *Probatur major*: quia, *ut jam dixi*, voces dicuntur eſſe ſubſtantiales, vel accidentales à ſolo ſuo ſignificato formali, vel principali: unde impoſſibile eſt, ut inter duas voces habentes idem principale ſignificatum, una ſit accidentalis, altera ſubſtantialis; ſed neceſſariò vel utraque ſubſtantialis, vel utraque accidentalis eſt. Atqui vox concreta & abſtracta illi correſpondens ſemper habent idem ſignificatum principale: *ut dicam diſp. ſeq.* Ergò omnis vox abſtracta correſpondens voci concretæ accidentali, eſt etiam vox accidentalis.

4. Dixi, *exceptis tamen quibuſdam*; quia primò excipere oportet quædam verba neutra: qualia ſunt: *ſtandeo*, *floreo*, *flammo*, *gemmo*, & ſi qua ſint alia hujuſmodi. Hæc enim verba non accidentales; ſed ſunt voces verè ſubſtantiales: cum earum ſignificata formalia ſeu principalia, ſcilicet gemmæ, flamma, frons, flos, verè ſint ſubſtantiæ. Secundò debes excipere verba ſubſtantiva *ſum*, *exiſto*, *ſubſiſto*, & ſi qua ſint alia. Hæc enim verba neque accidentales, neque ſubſtantiales voces ſunt; ſed ſunt voces ſubſtantialem & accidentalem tranſcendentes. *Ratio eſt*; quia illa vox dicitur tranſcendere vocem ſubſtantialem & accidentalem, cujus ſignificatum principale tranſcendit ſignificatum vocis ſubſtantialis, & accidentalis, atqui iſtorum verborum ſubſtan-

Digitized by Google

ſtantivorum principale ſignificatum eſt quid tranſcedens ſubſtantiam & accidens, quæ ſunt ſignificata vocis ſubſtantialis & accidentalis: ergò etiam iſta ſubſtantiva verba ſunt voces tranſcendentes vocem ſubſtantialem, & accidentalem. *Probatur minor* : quia ſignificatum principale vocum, *ſum*, *exiſto*, *ſubſiſto* eſt eſſentia, exiſtentia, ſubſiſtentia: atqui hæc tria ſunt quid ſuperius tranſcendens ſubſtantiam, & accidens: ego enim in illa opinione ſum, ut putem tam eſſentiam, quam etiam exiſtentiam, & ſubſiſtentiam eſſe quandoque ſubſtantiam, quandoque accidens. Ergo iſtorum verborum ſubſtantivorum ſignificatum principale eſt quid tranſcendens ſubſtantiam & accidens quæ ſunt principalia ſignificata vocis ſubſtantialis & accidentalis.

5. *Dico ſecundò*: vox eſſentialis paſſim definitur hoc modo: *Eſt vox, cujus principale ſignificatum eſt de eſſentia ſubjecti, de quo prædicatur*. Item vox accidentalis eſſentiali oppoſita paſſim definitur hoc modo: *Eſt vox, cujus principale ſignificatum eſt de eſſentia ſubjecti, de quo prædicatur*. Sed ſalva magnorum Philoſophorum ita definientium reverentia definitiones hæ non valent. *Probatur*: quia poteſt aliqua vox habere ſignificatum formale ſeu principale alicui ſubjecto eſsentiale, & tamen iſti ſubjecto non eſſe vox eſſentialis; ſed accidentalis: ergo iſtæ definitiones non ſunt cum ſuis definitis convertibiles: adeoque non valent. *Probatur antecedens*: quia vox *animal* habet ſignificatum ſuum formale, nimirum animalitatem humanitati eſſentialem; non tamen *animal* reſpectu humanitatis eſt vox eſſentialis. Similiter vox *animal* habet ſignificatum formale eſſentiale irrationali, & irrationalitati: nam, *ut ego docui, & dicam in Anti Porphyrio*, irrationale non eſt vera differentia; ſed ſolummodo modus eſſentialiter involvens animalitatem à ſe contractam: neque tamen *animal* reſpectu irrationalis, aut irrationalitatis eſt vox eſſentialis. Aliaque ſimilia exempla poſsunt facilè adduci & excogitari. Ergo poteſt aliqua vox alicui ſubjecto non eſſe eſſentialis, & tamen habere ſignificatum ſuum principale illi ſubjecto eſſentiale. *Quod verò animal non ſit de eſſentia humanitatis, aut irrationalitatis, aut irrationalis, præterquam quod evidens mihi videatur, adhuc tamen probo hoc diſcurſu plane certo ac infallibili.*

6. Quia ſi animal foret de eſſentia humanitatis, aut irrationalitatis, etiam omnia prædicata eſſentialia animali, forent eſſentialia humanitati: nam juxta primam regulam Anteprædicamentalem, omninò infallibilem: omnia eſſentialia prædicata prædicati dicuntur de iſtius prædicati ſubjecto, eo modo quo prædicatum dicitur de illo. Atqui hoc conſequens abſurdum eſt: ergo & id, unde ſequitur. *Probatur minor*: quia animal eſſentialiter eſt ſuppoſitum; adeoque ſuppoſitum eſt animali prædicatum eſſentiale: atqui ſuppoſitum non eſt humanitati prædicatum eſſentiale; quin immò eſt humanitati prædicatum repugnans: *ut dicam diſp. ſeq. ac etiam alibi*. Ergò aliqua prædicata, quæ ſunt eſſentialia animali, non ſunt eſſentialia humanitati: adeoque neque animal eſt humanitati eſſentiale prædicatum.

7. *Dico tertiò*: vox eſsentialis eſt illa, cujus adæquatum ſignificatum, tam ſcilicet materiale, quam formale (*ſi ſit vox concreta utrumque hoc ſignificatum habens*) eſt de eſsentia ſubjecti, de quo prædicatur. Vox verò accidentalis eſt illa, cujus alterutrum, ſcilicet vel formale, vel materiale ſignificatum non eſt de eſsentia iſtius ſubjecti, ad quod comparatur, vel de quo prædicatur, v. g. vox *animal*, *homo*, *vivens*, *ſubſtantia*, *&c.* reſpectu Petri aut Joannis ſunt voces eſsentiales: quia earum adæquatum ſignificatum, quod eſt ſuppoſitum habens animalitatem, perſona habens humanitatem, res habens vitam, perſeitatem, &c. eſt de eſſentia Joannis. Nam de eſsentia Joannis eſt non ſola animalitas, & humanitas; ſed inſuper ſuppoſitalitas, & perſonalitas. At vero vox *album*, *ſtans*, *ſedens*, *animal*, *homo*, *&c.* reſpectu humanitatis, aut irrationalitatis, ſunt voces accidentales: quia vocum *album*, *ſtans*, *ſedens*, ſignificatum formale, & vocis *animal* ſignificatum materiale non eſt de eſsentia humanitatis. Eſt ergo differentia inter vocem ſubſtantialem & eſsentialem: nam vocis ſubſtantialitas & accidẽtalitas ex ſolo ſignificato primario & formali; at verò ejus eſsentialitas & accidẽtalitas tam ex materiali, quam formali ſignificato attenditur. *Sed de hoc forſan alibi latiùs.*

8. Hinc etiam vox accidentalis duplex eſt: altera, quæ ſubſtantiali; altera, quæ eſsentiali opponitur. Quæ inter ſe nullatenus ſunt confundendæ, aut convertendæ: cum non convertibiles; ſed excedentes & exceſsæ ſint. Nam licet multæ voces accidentales oppoſitæ ſubſtãtiali ſint etiam accidentales oppoſitæ eſsentiali, & è contra; multæ tamen etiam ſunt accidentales hoc modo; non tamen illo. Ergo hæ duæ voces accidentales poſſunt de ſeſe mutuo particulariter affirmari & negari: adeoque ſunt excedentes & exceſsæ. *Prob. antec.* quia v.g. hæ voces, *rationale*, *riſibile*, *diſcurſivum*, *&c.* reſpectu animalis ſunt voces accidentales oppoſitæ eſsentiali: cum earum formalia ſignificata non ſint de eſsentia animalis. Non tamen ſunt voces accidentales oppoſitæ ſubſtantiali: cum ſint voces ſubſtantiales, habentes ſignificatum formale, quod eſt ſubſtantia. Similiter hæ voces, *coloratum*, *quale*, *diſgregativum viſus*, ſunt accidentalitates oppoſitæ ſubſtantiali; non tamen ſunt accidentales oppoſitæ eſsentiali, ſi comparentur ad album; reſpectu albi enim ſunt voces eſsentiales. Ergo aliquæ voces ſunt accidentales utroque; aliquæ vero alterutro tantum modo. *Et ratio à priori eſt*: quia vox accidentalis oppoſita ſubſtantiali ſignificat accidens prædicamentale; vox vero accidentalis eſsentiali oppoſita ſignificat accidens prædicabile: atqui hæc duo accidentia inter ſe non convertibilia; ſed excedentia & exceſsa ſunt: *ut notum eſt intelligenti hoſce terminos*. Ergo etiam hæ duæ voces accidentales ſunt excedentes, & exceſsæ.

Suntque inter duas haſce diviſiones, præter dictas adhuc duæ aliæ differentiæ. *Prima eſt*: quod dentur aliquæ voces ſignificativæ, quæ neque ſint ſubſtantiales, neque accidentales; nulla autem eſt aſſignabilis vox ſignificativa, quin reſ-

reſpectu alicujus ſubjecti ſit vel eſſentialis, vel accidentalis: immò quin reſpectu alicujus ſubjecti ſit eſſentialis, & reſpectu alicujus etiam ſit accidentalis. *Primum patet*: quia hæ voces, *ens*, *unum*, *verum*, *bonum*, & aliæ ſimiles voces ſignificatione ſua ſubſtantiam & accidens tranſcendentes: item hæ voces, *intelligens*, *ſciens*, *ſapiens*, *juſtus*, *miſericors*, *intellectio*, *ſcientia*, *juſtitia*, *miſericordia*, aliæque ſimiles Deo, & creaturis communes voces, ſi capiantur in ſumma ſua latitudine, & communitate; item hæ voces *chymera*, *mons-ſine valle*, & aliæ ſimiles ens rationis fictum ſignificantes: neque ſunt ſubſtantiales, neque accidentales: cum earum formale ſignificatum neque ſit ſubſtantia, neque accidens; ſed vel aliquid fictum, vel aliquid tranſcendens.

10. *Patet etiam ſecundum inductione*: nullam enim mihi aſſignaveris vocem, quin ſtatim tibi aſſignavero aliquod ſubjectum, reſpectu cujus ſit vel eſſentialis, vel accidentalis. Dico, *nullam eſſe vocem aſſignabilem, quæ non ſit eſſentialis vel accidentalis reſpectu alicujus ſubjecti*: quia non quælibet vox reſpectu cujuſcumque ſubjecti eſſentialis, vel accidentalis eſt: plurimæ namque voces reſpectu aliquorum ſubjectorum neque eſsentiales, neque accidentales ſunt: verb. gr. vox *animal* reſpectu Dei, Angeli, aut lapidis, aliorumque ſimilium ſubjectorum, de quibus prædicari non poteſt, neque eſsentialis, neque accidentalis eſt: cum eſse vocem eſsentialem, vel accidentalem, ſupponat vocem de ſubiecto eſse prædicabilem. *Verum etiam eſt tertium*: quia etiam nullam mihi aſſignabis vocem, quin etiam ſtatim duo tibi aſſignavero ſubjecta, de quorum uno prædicetur eſsentialiter, de altero verò accidentaliter. Scio quoſdam ab hac regula excipere vocem *ens*, quam dicunt ratione ſuæ univerſaliſſimæ tranſcendentiæ de omnibus prædicari eſsentialiter, & de nullo accidentaliter, ſed revera excipi non debet. Nam vocem *ens* de multis etiam prædicari accidentaliter, oſtendam ſuo loco.

11. *Altera differentia eſt*: quod vox dicatur ſubſtantialis, vel accidentalis ex ſe, nullo habito reſpectu ad ſubjectum, de quo prædicatur, vel prædicari poteſt. Unde vox, quæ reſpectu unius eſt ſubſtantialis, reſpectu alterius nequit eſse accidentalis. *Et ratio eſt clara*: quia vox ſubſtantialis eſt illa, cujus ſignificatum principale eſt ſubſtantia; vox accidentalis eſt illa, cujus ſignificatum principale eſt accidens. Atqui eadem res, quæ reſpectu unius eſt ſubſtantia, nequit reſpectu alterius eſse accidens; ſed accidens ſemper accidens, & ſubſtantia ſemper ſubſtantia eſt. Ergo ſimiliter eadem vox nequit reſpectu unius ſubjecti eſse ſubſtantialis, & reſpectu alterius accidentalis. At verò vox dicitur eſsentialis, vel accidentalis non ſolummodo ex ſe; ſed ex reſpectu habito ad ſubjectum, de quo prædicatur. Et hinc eadem vox reſpectu unius ſubjecti eſsentialis; reſpectu alterius eſt accidentalis; v. g. voces *animal*, *ſenſitivum*, & aliæ ſimiles reſpectu hominis ſunt eſsentiales; reſpectu rationalis verò ſunt accidentales. Poſset hic inquiri: an eadem vox reſpectu ejuſdem ſubjecti eſse poſſit ſimul eſsentialis, & accidentalis: & alia quædam: *ſed differo illa in locum commodiorem*.

DUBIUM II.

Quid ſit vox ſubſtantiva, quid adjectiva?

12. HArum vocum cognitio Philoſopho valdè neceſsaria eſt, & ex earum ignoratione in turpes quandoque labimur errores. Earum autem cognitio à Grammaticis potiùs, quam à Philoſophis petenda eſt. Grammatici tamen in modo loquendi, & haſce voces definiendi non planè conveniunt. Quidam enim definitiones ſuas ita formant, ut ſoli nomini ſubſtantivo & adjectivo quadrent: aliorum verò definitiones omni voci ſubſtantivæ, tam nomini quam verbo quadrant. Et horum Grammaticorum loquendi modus ac ſtylus nobis eſt aſsumendus ac retinendus. Primò ergo *Værepeus lib. 1. grammaticæ*, non vocem, ſed nomen ſubſtantivum, hoc modo: *eſt nomen, quod cum verbo abſolvit orationem*: Nomen verò adjectivum, hoc modo definit: *nomen adjectivum eſt illud, quod cum verbo non abſolvit orationem*. *Deſpauterius* verò *lib. 8. gramm. cap. 1.* non nomen, ſed vocem adjectivam & ſubſtantivam in communi prout tam nomen, quam verbum comprehendit, definit hoc modo: *vox ſubſtantiva eſt illa, quæ in orationis contextu ſubſtat adjectivæ; adjectiva verò eſt, quæ perfectè ſignificare non poteſt, niſi adjiciatur alicui voci ſubſtantivæ*. Pro quarum definitionum intellectu ſciendum eſt, quid ſit unam vocem in orationis contextu alteri ſubſtare; quid alteri adjici.

13. Aliqui dicunt hoc nihil eſse aliud, quam ſignificari ſignificatum formale unius haberi à ſignificato recto alterius vocis, & ſignificari ſignificatum rectum unius vocis habere ſignificatum formale alterius vocis; ita ut vox, cujus ſignificatum rectum ſignificatur habere ſignificatum formale alterius, dicatur ſubſtare; illa verò, cujus ſignificatum formale ſignificatur haberi, dicatur adjici; v. gr. in his orationibus: *homo doctus*, *Deus æternus*, *equus currens*, &c. voces *homo*, *Deus*, *equus*, dicuntur ſubſtare vocibus *doctus*, *æternus*, *currens*: adeoque hæ voces dicuntur iſtis adjici, ſeu adjacere; quia harum ſignificata formalia ſignificantur haberi à ſignificatis rectis iſtarum aliarum vocum, quibuſcum conſtruuntur. Senſus enim iſtarum orationum eſt hic: homo habens doctrinam, Deus habens æternitatem, equus habens curſum. *Neque huic explicationi deeſt ratio*: nam oportet, inquiunt, philoſophari de *ſubſtare* & *adjacere* in ſignificando, quod vocibus competit; ſicuti philoſophamur de *ſubſtare* & *adjacere* in eſsendo, quod rebus competit: atqui unam rem ſubſtare, vel adjacere alteri, nihil eſt aliud, quam unam rem habere aut recipere in ſe aliam, & unam rem haberi vel recipi ab alia: ergo ſimiliter unam vocem alteri ſubſtare vel adjacere in ſignificando, nihil erit aliud, quam ſignificari ſignificatum unius vocis habere, vel haberi à ſignificato alterius vocis, modo jam dicto.

14. Ex-

Digitized by Google

14. Explicatio hæc pulchra apparet, ac elegans; eamque aliquando fui ſecutus: pro nunc tamen mihi non placet. *Sic enim contra illam argumentor:* poteſt alicujus vocis formale ſignificatum ſignificari haberi à ſignificato recto alterius vocis; & tamen illa vox in ſignificando iſti alteri non adjici; ergo unam vocem in orationis contextu alteri adjici, non eſt idem, quod ejus formale ſignificatum taliter ſignificari. *Probatur antecedens:* quia in his orationibus: *homo eſt animal*, *Petrus eſt homo*, *equus eſt brutum*, *&c.* aliiſque ſimilibus, prædicato ſubſtantivo conſtantibus, vox *animal* non adjicitur voci *homo*: & generaliter nullum iſtorum prædicatorum adjicitur in ſignificando ſuo ſubjecto. Atqui tamen ſignificatum formale vocis *animal*, ſcilicet animalitas, ſignificatur ibi haberi à ſignificato recto vocis *homo*: *uti clarum eſt*. Senſus enim iſtius prædicationis eſt hic: homo eſt ſuppoſitum habens animalitatem. Ergo poteſt alicujus vocis ſignificatum formale ſignificari haberi à ſignificato recto alterius vocis; & tamen illa vox in ſignificando non adjici huic. *Major vix indiget probatione*: nam vox ſubſtantiva nulli alteri voci poteſt adjici: cum *τι alteri adjici*, ſit differentia conſtitutiva, & diſtinctiva vocis adjectivæ à ſubſtantiva: ſaltem ſi de adjectione propriè dicta loquamur; ſicut hic loquimur, ac loqui debemus. Alioquin enim extendendo nomen adjectionis, poſſet omne prædicatum dici adjici ſuo ſubjecto; ſed, *uti dixi*, hæc extenſio hic fieri nequit. Atqui, *uti clarum eſt*, vox *animal* eſt vox ſubſtantiva; ergo in iſta præfata propoſitione non adjicitur voci *homo*.

15. *Reſp. ergo cum Deſpauterio*, *loco citato*: unam vocem in orationis contextu per ſe ſtare, alteri ſubſtare, aut alteri adjici, nihil eſſe aliud, quam unam vocem poſſe vel non poſſe ſeipſ. ſine adminiculo alterius vocis perficere ſenſum, ſive reddere perfectam ſignificationem: ita ut vox non potens ſine alia perfectè ſignificare, dicatur adjici alteri; vox verò ſine alterius adminiculo potens perfectè ſignificare, dicatur ſtare per ſe, & ſubſtare aliis; v. g. voces, *homo*, *Deus*, *equus*, *animal*, *albedo*, *gratia*, *dulcedo*, *rationalitas*, *&c.* ſunt voces ſubſtantivæ: quia ſunt voces, quæ ſe ſolis, abſque eo quod adjiciantur ſive conſtruantur cum alia aliqua voce, perfectam ſignificationem reddunt. At verò hæ voces: *humanus*, *divinus*, *epiſcopalis*, *conſularis*, *albus*; aliæque ſimiles, ſunt voces adjectivæ: quia ſe ſolis non perficiunt ſenſum, nequè perfectè ſignificant, adjici ſeu conſtrui debent cum aliqua alia voce ſubſtantiva. Si quippe dicas *equinus*, aut *humanus* aut *conſularis*, perfectum ſenſum non facis; ſed ſtatim rogaberis: quid equinum? lotum, ephippium, vel caput? Quid humanum? Actio, natura, vel corpus? Quid conſulare? Faſcis, domus, vel vinum?

16. Unde præfatarum definitionum hic eſt legitimus ſenſus: vox adjectiva eſt vox, quæ ſe ſola perfectè ſignificare non poteſt; ſed ut perfectè ſignificet, opus habet adminiculo alicujus alterius vocis, cui adjiciatur, & quacum conſtruatur. Vox verò ſubſtantiva eſt illa, quæ ſe ſola ſine alterius adminiculo perfectè ſignificare poteſt. *Ratio hujus eſt*: quia oportet philoſophari de ſubſtantivo & adjectivo in ſignificando, ſicut philoſophamur de adjectivo & ſubſtantivo in eſſendo: atqui res adjacens eſt illa, quæ ſe ſola ſtare non poteſt; ſed requirit fulcimentum, ac ſuſtentaculum alterius: res verò ſubſtans eſt, quæ ſe ſola ſine alterius adminiculo ſtare poteſt. Ergo ſimiliter vox adjectiva, ſeu adjectivum in ſignificando debet eſſe vox, quæ ad perfectè ſignificandum requirit adminiculum alterius vocis: vox verò ſubſtantiva, ſeu ſubſtantivum in ſignificando debet eſſe vox potens perfectè ſignificare ſe ſola.

17. *Objicies*: juxta hunc philoſophandi modum vox adjectiva planè coincidet, nulloque modo differet à voce ſyncategorematica: conſequens abſurdum eſt, ac contra dicta *diſp. præced.* Ergo & id unde ſequitur. *Probatur ſequela majoris*: quia ſecundum jam dicta, vox adjectiva eſt vox non potens ſignificare ſe ſola: atqui etiam vox ſyncategorematica eſt vox non potens ſignificare ſe ſola: *ut dictum eſt diſp. præced.* Ergo vox ſyncategorematica, & vox adjectiva planè coincident. *Reſp. neg. ſequelam maj.* Nam in mea ſententia vox ſyncategorematica eſt vox non potens ſe ſola eſſe prædicatum propoſitionis: atqui quamplurimæ voces adjectivæ poſſunt ſe ſolis eſſe prædicatum propoſitionis: *uti eſt manifeſtum*. Ergo vox adjectiva non poteſt coincidere cum ſyncategoremate. Sed neque coincidit in ſententia eximii Magiſtri mei *Paludani*. Nam licet ſyncategorema, & vox adjectiva conveniant in eo, quod ad ſignificandum indigeant adjumento ac fulcimento alterius vocis; indigent tamen modo longè diverſo. Nam ſyncategorema requirit adminiculum alterius vocis ad ſignificandum ſimpliciter: nam ſine tali adminiculo nullatenus ſignificare, nullumque facere ſenſum, neque perfectum, neque imperfectum poteſt. At verò vox adjectiva requirit adminiculum alterius vocis non ad ſignificandum ſimpliciter; ſed ſolummodo ad ſignificandum perfectè, & completè: vox quippe adjectiva ſe ſola quidem ſignificare, & ſenſum facere poteſt; ſed non poteſt facere ſenſum perfectum, & abſolutum. Adhuc ergo in ſententia Magiſtri *Paludani* manifeſta eſt differentia vocis adjectivæ à ſyncategoremate.

DUBIUM III.

Adhuc magis explicantur præfatæ definitiones.

18. Ex *quibus omnibus patet*: quod differentia vocis ſubſtantivæ ab adjectiva deſumenda non ſit ex rebus ſignificatis: ut voluere quidam. Quidam enim voces has definiunt hoc modo: *vox ſubſtantiva eſt illa*, *quæ ſignificat ad modum per ſe ſtantis*. *Vox adjectiva eſt illa*, *quæ ſignificat ad modum adjacentis*. Definitiones bonæ ſunt, ſed à ſuis Auctoribus malè intellectæ. Paſſim enim intelligunt eas ſic: vox ſubſtantiva eſt, quæ ſignificat formam per ſe ſtantem. Quales ſunt voces: *animal*, *homo*, *Deus*, *humanitas*, *deitas*, *&c.* Vox adjectiva eſt, quæ ſignificat formam adjacentem. Quales ſunt voces: *rationale*, *album*, *viſibile*, *ſtans*, *ſedens*, *&c.* Sed, uti

uti dixi, definitiones bonæ ſunt; ſed peſſimè intellectæ. *Quod probo:* quia tam vox ſubſtantiva, quam adjectiva indifferenter ſignificat modo formam per ſe ſtantem; modò formam adjacentem: ergo peſſimè dicitur vox ſubſtantiva eſſe illa, quæ ſignificat formam per ſe ſtantem; adjectiva verò eſſe illa, quæ formam adjacentem ſignificat: cum hanc vel iſtam formam ſignificare utrique voci commune ſit. *Probatur antecedens*: nam omnes hæc voces, *homo*, *animal*, *Deus*, *rhetor*, *conſul*, *creator*, *dealbator*, *ſtatio*, *ſeſſio*, *albedo*, *dulcedo*, &c. ſunt voces ſubſtantivæ: hæ verò voces, *animalis*, *humanus*, *equinus*, *brutalis*, *albus*, *niger*, *ſtans*, *ſedens*, &c. ſunt voces adjectivæ: *uti clarum eſt & evidens*. Et tamen aliquæ ex illis indifferenter ſignificant formam adjacentem, aliquæ formam per ſe ſtantem: *uti etiam patet*.

19. Differentia ergo harum vocum non ex rebus, ſive formis ſignificatis; ſed ex modo ſignificandi deſumi debet. Tenor enim præfatarum definitionum eſt hic: *vox ſubſtantiva eſt, quæ ad modum per ſe ſtantis: adjectiva eſt, quæ per modum adjacentis ſignificat*. Sed vide ne & hic erres. Aliqui enim Summuliſtæ, inter quos & ego aliquando fui, volunt diverſum hunc modum, penes quem diſtinguimus haſce voces, ſe tenere ex parte rei principaliter ſignificatæ. Hoc ſenſu: vox ſubſtantiva eſt, quæ ſignificat ſuum principale ſignificatum ad modum formæ per ſe ſtantis; vox verò adjectiva eſt, quæ ſignificat ſuum principale ſignificatum per modum formæ adjacentis; v. g. vox *album* vox adjectiva eſt: quia ſignificat albedinem tamquam ab alio habitam, & adjacentem ſuo ſubjecto. At verò vox *albedo* ſubſtantiva eſt: quia ſignificat albedinem non ſignificando adjacentiam ejus, ac ſi illam non haberet, & ac ſi eſſet res per ſe ſtans, nullique adjacens.

20. *Sed modus hic philoſophandi mihi amplius non placet*: Quia non video, quomodo voces ſubſtantivæ concretæ, præſertim accidentales, ſignificent ſuum principale ſignificatum ad modum per ſe ſtantis. Nam hæ voces ſubſtantivæ, *Rex*, *conſul*, *Epiſcopus*, *creator*, *cantor*, &c. pro formali ſuo ſignificato habent, regnum, conſulatum, Epiſcopatum: ſed quomodo hæc ad modum per ſe ſtantis ſignificent, ſæpe quidem ore dixi, mente tamen nunquam benè cepi. Quia ſignificare per modum habiti, & ſignificare ad modum per ſe ſtantis ſunt repugnantia, & oppoſita: atqui omnis omninò vox concreta ſignificat ſuum formale ſignificatum per modum habiti: quomodo ergo aliquæ illud ſignificant per modum per ſe ſtantis? *minor patebit diſp. ſequenti*. *Major verò probatur*: quia haberi ab aliquo, & haberi à nullo ſunt repugnantia: atqui per ſe ſtare eſt haberi à nullo: illa enim, quæ ab aliquo habentur, præſertim ſi habeantur tamquam forma à ſubjecto, aut natura à ſuppoſito, non dicuntur per ſe ſtare; ſed ab alio dependere, ſuſtentari, ac fulciri: alteri incumbere ac inniti: uti patet in humanitate Chriſti à verbo ſuppoſitata, & in albedine à pariete ſubjectata. Ergo ſignificare rem aliquam ad modum per ſe ſtantis, & ſignificare illam ad modum habiti: ad modum, inquam, quo forma à ſubjecto, vel natura habetur à ſuppoſito, ſunt etiam repugnantia: atqui multæ voces concretæ ſubſtantivæ ſignificant ſuum formale ſignificatum tamquam formam habitam à ſubjecto, vel ſuppoſito: *ut patebit diſp. ſequenti*. Quomodo ergo illæ voces ſignificant ſuum formale ſignificatum ad modum formæ per ſe ſtantis?

21. *Unde difficultatem reſolvo, ac dico*: differentiam harum vocum à ſeſe mutuo neque ex formis principaliter ſignificatis, neque ex modo, quo formæ ab illis ſignificantur; ſed ex modo, quo ipſæmet voces ſignificare poſſunt, eſſe deſumendam. Hujus ergo definitionis: *vox ſubſtantiva eſt quæ ſignificat ad modum per ſe ſtantis*, ſenſus legitimus eſt hic: vox ſubſtantiva eſt illa, quæ in ſignificando habet modum entis per ſe ſtantis, ſive quæ in ſignificando imitatur entia per ſe ſtantia. Nam ſicut entia per ſe ſtantia, ad hoc ut exiſtant, non requirunt adminiculum alterius entis, cui incumbant, & innitantur; ſic etiam voces ſubſtantivæ, ad hoc ut ſignificent, ſenſumque perficiant, ac perfectam ſignificationem expleant, non opus habent ſuccurſu alterius vocis. Similiter hujus definitionis: *vox adjectiva eſt vox ſignificans per modum adjacentis*, ſenſus legitimus eſt hic: vox adjectiva eſt illa, quæ in ſignificando habet modum entis adjacentis, ſive quæ in ſignificando imitatur entia adjacentia. Nam ſicut entia adjacentia exiſtere nequeunt ſine alio, cui incumbant, & à quo fulciantur; ſic etiam voces adjectivæ ſignificare perfectè, ac ſenſum explere non poſſunt ſine adminiculo alicujus vocis ſubſtantivæ.

22. *Objicies contra hæc omnia*: vox *turpe*, vox *continens*, *arida*, aliæque ſimiles ſunt voces adjectivæ: atqui illæ voces perfectè ſignificant per ſe, nulli alteri voci adjectæ: ergo malè definitur vox adjectiva, & ſubſtantiva modo jam explicato: nam definitio vocis ſubſtantivæ à nobis data totaliter quadrat vocibus iſtis adjectivis. *Probatur minor*: quia in his orationibus: *Ab Anglia ad continentem parum intercapedinis eſt*. *Et vocavit aridam terram*: *Geneſ 1*. *Turpe jacens mulier multa madefacta lyæo*. Ubi iſtæ præfatæ voces ſenſum perficiunt, nulli tamen alteri voci adjiciuntur. *Reſp.* illas præfatas voces, aliaſque illis ſimiles ex ſua primæva, & originaria inſtitutione eſſe quidem adjectivas: attamen in iſtarum orationum contextu eſſe ſubſtantivas, vel potius ſubſtantivatas. Nam voces adjectivas ſubſtantivari, & à ſua originaria ſignificatione tranſportari ad aliam, apud Grammaticos neque infrequens, neque inelegans eſt. Pro cujus pleno intellectu (*ſpero enim fore, ut hujus rei cognitio logico non ſit inutilis*) ſit

DUBIUM IV.

Quidnam ſit vocem adjectivam ſubſtantivari?

23. R*Eſp. cum Gregorio Ariminenſi in 1. diſt. 5. quæſt 1. art. unica ad ſecundum. Et Deſpauterio tum 1. tum 8. lib. Gramm.* Hoc nihil eſſe aliud, quam ſub nomine adjectivo in orationis contextu ſolitariè poſito ſubaudiri ſubſtantivum, cui deberet adjici: v. g. cum dicimus, *juſti in* per-

Digitized by Google

perpetuum vivent. Frigidiſſimum hominis eſt cerebrum. Obſervantiſſimus æqui, &c. Iſtæ voces adjectivæ, *juſti, frigidiſſimum, æqui*, ibi ſubſtantivantur: quia ſub illis ſubaudiuntur voces illæ ſubſtantivæ, quibus deberent adjici, ſive quibuſcum deberent conſtrui. Senſus enim iſtarum orationum eſt hic: juſti homines in perpetuum vivent. Frigidiſſima pars hominis eſt cerebrum. Obſervantiſſimus juris, vel actionis æquæ. Hæc autem adjectivarum vocum ſubſtantivatio fit duobus præſertim modis. *Primò*: ſubintelligendo aliquod nomen ſubſtantivum particulare, certum, ac determinatum. Ut cum dicimus: *juſti in perpetuum vivent*, ſubintelligendo nomen ſpecificum ſubſtantivum *homines*: Aut cum dicimus: *ego perdidi omnes meos molares*, ſubintelligendo *dentes*. Sic etiam dicimus: *album ovi, album prætoris, depoſitum, mutuum, precarium, &c.* Subintelligendo nomen ſubſtantivum *contractus*. *Secundò*: fit hæc ſubſtantivatio (& hic modus frequentiſſimus eſt) ſubintelligendo nomen ſubſtantivum generale *ens* vel *res*. Ut cum dicimus: *triſte lupus ſtabulis. Turpe jacens mulier, &c.* ſenſus enim eſt: eſt triſtis res, eſt turpis res, aut turpe ens.

24. *Objicies 1. hanc regulam grammaticorum: mobile pro fixo, tacitum ſi ſubſit, habetur: quod ſi non ſubſit tacitum, neutri generis ſit. Id eſt*: Si nomen adjectivum in contextu orationis ponatur ſe ſolo, ob ſubauditum nomen aliquod ſubſtantivum ſortitur genus iſtius ſubſtantivi; ſi verò ponatur ſe ſolo, nullo ſubſtantivo ſubintellecto, debet poni in genere neutro. Ergo adjectivum in orationis contextu aliquando ponitur ſubſtantivè, ac ſubſtantivatur, nullo ſubſtantivo ſubintellecto: ergo adjectivum ſubſtantivari non eſt ſub illo intelligi ſubſtantivum, cui deberet adjici. *Reſp.* Deſpauterium (cujus eſt iſta regula) alioſque Grammaticos nequaquam velle, nomen adjectivum aliquando poni in oratione ſubſtantivatum nullo ſubſtantivo ſubaudito. Si enim hoc vellent, ſibi contradicentia vellent. Volunt ergo ſubintelligi ſemper aliquod ſubſtantivum: aſt quandoque hoc nomen eſſe aliquod ſpecificum, ac particulare; quandoque verò eſſe nomen ſubſtantivum vagum, ac generaliſſimum *ens*, vel *res*: uti jam dixi. Et ſic clara eſt præfata regula. Senſus enim ejus eſt hic: ſi nomen adiectivum in oratione ſubſtantivetur ſubintellecto aliquo ſubſtantivo ſpecifico ac determinato, tunc adjectivum illud poni ac conſtrui debet in genere iſtius ſubſtantivi ſubintellecti; v.g. hæc nomina adiectiva *molaris*, & *continens*, quando in oratione ſubſtantivantur, primum poni debet in genere maſculino: quia ſubintelligitur ſubſtantivum determinatum *dens* vel *lapis*. Poſterius verò conſtrui debet in genere fœminino: quia ſubintelligitur nomen *terra*. At verò ſi adjectivum ſubſtantivetur non ſubintellecto aliquo ſubſtantivo determinato; ſed ſolummodò ſubintellecto ſubſtantivo vago, ac generaliſſimo *ens* vel *res*, tunc adjectivum illud conſtrui debet in genere neutro. Ergo ſub adjectivo ſubſtantivato ſemper ſubintelligitur nomen aliquod ſubſtantivum: ſed aliquando determinatum, aliquando vagum.

25. *Objicies ſecundò*: ſi toties nomen adjectivum ſubſtantivetur, quoties illi ſubſtantivum generale *ens* vel *res*, ſubintelligitur: ergo nomen adjectivum toties ſubſtantivatur, quoties prædicatur: conſequens hoc abſurdum eſt: ergo & id unde ſequitur. *Patet minor*; quia ſecundum omnes Grammaticos, ac etiam Logicos nomina adjectiva prædicantur ſępè adjectivè: adeoque non toties ſubſtantivantur, quoties prædicantur. *Major verò probatur*: quia quando nomen adjectivum prædicatur, ſemper illi ſubintelligitur nomen *ens* vel *res*: ergo ſi nomen adjectivum toties ſubſtantivatur, quoties illi nomen *ens* vel *res*, ſubintelligitur, toties ſubſtantivatur, quoties prædicatur. *Probatur antecedens*: in his prædicationibus: *homo eſt albus, homo eſt rationalis, homo eſt riſibilis, &c.* Prædicata iſta adjectiva prædicantur adjectivè: atqui ſub illis intelligitur nomen *ens* vel *res*. Faciunt enim hunc ſenſum: homo eſt res habens albedinem, homo eſt ens habens rationalitatem, &c. Ergo ſub prædicato adjectivo, etiam dum adjectivè prædicatur, ſemper ſubintelligitur nomen *ens*, vel *res*.

26. *Reſp. negando ſeq. mai. ad probationem nego antecedens: ad cujus probationem nego minorem, & dico*: eſſe planè falſum, quod hæ propoſitiones: *homo eſt albus, homo eſt rationalis*, aliæque ſimiles, reddant hunc ſenſum: homo aſt ens vel res habens albedinem, vel rationalitatem. *Quod probo*: quia ſi hæc propoſitio *homo eſt albus*, redderet hunc ſenſum: homo eſt ens habens albedinem; etiam hæc propoſitio: *aliquod ens eſt album*, faceret hunc ſenſum: aliquod ens eſt ens habens albedinem. Item hæc propoſitio, *homo eſt ens*, faceret hunc ſenſum: *homo eſt ens habens entitatem*. Atqui hi ſenſus planè abſurdi, & nugatorii ſunt: ut quivis Grammaticus ſtatim judicabit. Ergo etiam abſurdum eſt, unde id ſequitur. *Probatur ſequela majoris*: quia in prædicationibus conſtantibus eodem prædicato, eodem modo accepto, illud idem prædicatum facit ubique eundem ſenſum, ac ſupponit pro eodem: atqui hæ duæ prædicationes: *homo eſt albus*; & *aliquod ens eſt album*, conſtant prædicato eodem, eodem modo accepto: uti patet. Prædicatum enim utrobique accipitur diſiunctivè. Ergo illud prædicatum utrobique facit eundem ſenſum: ergo ſi in prima prædicatione faciat hunc ſenſum: homo eſt ens habens albedinem; in ſecunda faciet hunc: aliquod ens eſt ens habens albedinem.

27. Præfatæ ergo prædicationes faciunt hunc ſenſum: homo eſt habens albedinem, eſt habens rationalitatem: non ſubintellecto nomine *ens* aut *res*. *Quod oſtendo hoc adhuc diſcurſu*: quia prædicata adjectiva aliter ſignificant, aliumquè ſenſum faciunt, dum prædicantur ſubſtantivè: ſive dum in prædicatione ſubſtantivantur. Atqui dum prædicantur ſubſtantivè, eandem ſignificationem habent, idemque planè ſignificant, ac ſignificant, dum prædicantur adjectivè; niſi quod tum illis ſubaudiatur nomen ſubſtantivum, *ens* vel *res*. Ergo iſtud nomen illis ſubaudiri nequit, dum prædicantur adjectivè. *Major eſt clara, & evidens*: Si enim utrobique eandem ſignificationem, eundemque ſenſum facerent, quare potiùs ibi, quam hic ſubſtantivè prædicarentur? *Minor vero probatur*: quia *al-*

bum,

Digitized by Google

bum, *ſtans*, *currens*, *rationale*, *&c.* ſunt prædicata adjectiva, quæ in his prædicationibus, *homo eſt albus*, *homo eſt currens*, *eſt rationalis*, prædicantur adjectivè; in his verò, *homo eſt aliquod album*, *homo eſt quid currens*, *eſt quid rationale*, prædicantur ſubſtantivè. Atqui in iſtis prædicationibus iſta prædicata in nullo diverſam ſignificationem, aut diverſum ſenſum faciunt; niſi quod illis, dum prædicantur ſubſtantivè, ſubaudiatur nomen *ens* vel *res*, non ſubauditum dum prædicantur adjectivè. Nam ego ſaltem in iſtis prædicatis aliam differentiam videre non valeo: ſignificatum quippe eorum formale utrobique eſt idem: adeoque eorum differentia ex eo deſumi non poteſt. Deſumi ergo debet ex eo, quod illis ſubſtantivatis pro ſignificato rectè ſubaudiatur nomen *ens* vel *res*, non ſubauditum illis, dum adjectiva manent. Et ſic habetur intentum. Fateor tamen, quod has adjectivas prædicationes, *homo eſt albus*, *eſt ſtans*, *eſt rationalis*, *&c.* ſæpè in praxi ſcholaſtica exponamus hoc modo: homo eſt ens habens albedinem, eſt res habens ſtationem, &c. Sed cum ita exponimus, parum præciſi ſumus: propriam prædicati ſignificationem, ac ſuppoſitionem parum trituramus. Unde dum præcisè ac accuratè loqui volumus, loqui debemus, uti jam dixi.

28. Dictum jam eſt; nomina adjectiva adjectivè ſumpta poſſe eſſe propoſitionum prædicata. *Hujus ergo occaſione petes:* an nomina adjectiva adjectivè ſumpta etiam eſſe poſſint propoſitionum ſubjecta? *Reſp. cum Gregorio Ariminenſi, loco ſupra citato, negativè, & dico:* quod nomina adjectiva toties ſubſtantiventur, quoties in prædicatione ſubjiciuntur. *Et ratio eſt:* quia nomen adjectivum toties in orationis contextu ſubſtantivatur, quoties nulli alteri nomini adjicitur, aut incumbit: atqui toties nomen adjectivum nulli alteri nomini adjicitur, quoties in prædicatione ſubjicitur: prædicationis enim ſubjectum nulli alteri voci poteſt adjici. Poteſt quidem prædicatum adjici ſubjecto, ſubjectum tamen nullatenus poteſt adjici prædicato. Ergo toties nomen adjectivum ſubſtantivatur, quoties in prædicatione ſubjicitur: *Patet minor:* quia unam vocem in orationis contextu alteri adjici, eſt unam vocem ſine alia non poſſe perficere ac explere ſenſum: atqui quo ad expletionem ſenſus, quidem quandoque prædicatum à ſubjecto; nunquam tamen ſubjectum dependet à prædicato: *ut per indactionem facilè patere poterit*. Ergo licet quandoque poſſit prædicatum ſubjecto; nunquam tamen poteſt ſubjectum adjici prædicato.

29. *Circa quod etiam hoc adverte:* quod ſicut nomina adjectiva quandoque ſubſtantivantur; ita etiam è contra nomina ſubſtantiva quandoque adjectiventur. *Probatur:* quia nomen adjectivum eſt nomen impotens ſe ſolo perficere & explere ſenſum: ergo tunc nomina ſubſtantiva adjectivantur, quando ita ſumuntur, ut non poſſint reddere perfectum ſenſum: atqui nomina adjectiva quandoque ita ſumuntur: ergo quandoque adjectivantur. *Probatur:* ſubſumptum inductione: verb. gr. in illo Terentii in Eunucho: *Quin etiam inſuper ſcelus, poſtquam ludificatus eſt, Virgini veſtem omnem miſere diſcidit*. Ibi nomen ſubſtantivum & abſtractum *ſcelus* ponitur in ſignificatione adjectivi & concreti nominis *ſceleſtus*. Similesque loquendi formæ paſſim in Terentio ſunt obviæ. Ita quoque ſanctus P. meus Auguſtinus *lib. 3. de Civit. cap. 23.* dicit: *Ex quo intelligi poteſt, quantam malitudinem mortium habere potuerit turbidus conflictus armorum; quandò tantam habuit judiciorum velut examinata cognitio*. Dicit *mortium* pro *mortuorum*: adeoque vocem abſtractam ac ſubſtantivam *mortium* adjectivat, ac concretizat. Et *cap.* 19. dicit, *Servitia libertate donarent*. Dicit *ſervitia* pro *ſervos*: adeoque vocem *ſervitia* abſtractam cum quadam elegantia concretizat. De quo vide Doctiſſimum, & nunquam ſatis laudandum Commentarium Eximii Magiſtri noſtri Leonardi Coquæi, V. *ſervitia*. Poſſent hic adhuc quædam alia diſcuti, diſcuſſione non indigna. Qualia ſunt: quid propriè ſit illa ſubſtantia, qua una vox in oratione ſubſtat alteri? An ſit idem, quod regimen? An ſic ſpecies acceptionis? &c. Sed hæc omnia, ne longus ſim, hic omitto.

SECTIO V.

Corollaria quædam ex præcedentibus deducta.

30. Ex quibus tandem deduci poſſunt quædam notatu digna. *Primum eſt:* quod inter duas voces habentes planè idem ſignificatum formale, immò & inter voces habentes idem ſignificatum tam formale, quam materiale, una poſſit eſſe ſubſtantiva; altera verò eſſe adjectiva. *Prima pars probatur:* quia verb. gr. hæ voces, *brutum*, *bratale: homo*, *humanum*; *animal*, *animale*: *equus*, *equinum*, *&c.* habent ſemper idem formale ſignificatum: ſcilicet brutalitatem, humanitatem, animalitatem, &c. Earum tamen prima eſt ſubſtantiva; altera eſt adjectiva. *Probatur etiam ſecunda pars:* verb. gr. inter has voces, *amans*, *amator*: *creans*, *creator*: *regens*, *rector*: *dominans*, *dominator*, *&c.* Prima eſt adjectiva; ſecunda eſt ſubſtantiva: Atqui iſtæ voces (dummodo tamen iſta participia non in vi, & ſignificatione participii; ſed in ſignificatione nominis participalis ſumas: de qua diſtinctione dicam aliquid diſp. ſeq.) tam de formali, quam de materiali, idem planè ſignificant. Ergo inter duas voces, idem planè ſignificatum, tam formale, quàm materiale, habentes, una ſubſtantiva, altera adjectiva eſſe poteſt. *Cujus ratio à priori eſt:* quia, *uti ſupra dub. 3. dixi*, harum vocum diſtinctio & ſpecificatio non ex rebus ſignificatis; ſed ex modo ſignificandi deſumi debet. *Minor probatur:* quia vox *amator* de formali ſignificat vel amorem, vel potiùs propendentiam quamdam habitualem: quam etiam de formali ſignificat nomen participiale *amans*. Item vox *amator* de materiali ſignificat omnem illam rem, de qua poteſt prædicari: atqui omnem illam etiam ſignificat hoc participiale *amans*: nullum quippe aſſignaveris ſubjectum, de quo verè affirmatur *amator*, de quo

non

non poſſit ſimiliter verè affirmari *amans*. Ergo hæc duo nomina concreta *amator* & *amans*, ac idem eſt judicium de omnibus aliis ſupra poſitis, habent idem planè ſignificatum, tam materiale quam ſurmale.

31. *Secundò deducitur*: voces ſubſtantivas quandoque prædicari eſſentialiter, quandoque etiam accidentaliter: adeoqne eſſe quandoque eſſentiales, quandoque accidentales voces. *Quod ſæpe eſſentialiter prædicentur, nulli poteſt eſſe dubium*: nam omnes hæ voces ſubſtantivæ, *homo*, *animal*, *brutum*, *equus*, *corpus*, *ſubſtantia*, *&c.* manifeſtè prædicantur eſſentialiter. *Quod quandoque accidentaliter prædicentur, etiam probo*: quia hæ voces, *Deus* & *homo*, ſunt voces ſubſtantivæ: atqui hæ voces de ſeſe mutuo prædicantur accidentaliter: hæ namque prædicationes, *Deus eſt homo*, *homo eſt Deus*, ſunt prædicationes accidentales: cum neque Deus de eſſentia hominis, neque homo ſit de eſſentia Dei. Ergo nomina ſubſtantiva prædicari etiam poſſunt accidentaliter. Similiter hæ voces, *redemptor*, *creator*, *prædeſtinator*, *gubernator*, *pictor*, *profeſſor*, *cantor*, *detractor*, *calumniator*, *&c.* ſunt voces ſubſtantivæ: & tamen de multis ſubjectis prædicari poſſunt accidentaliter. *Et ratio à priori eſt*: quia prædicari eſſentialiter habet ſe ad voces ſubſtantivas; ſicut prædicari accidentaliter habet ſe ad voces adjectivas: atqui voces adjectivæ non ſemper accidentaliter; ſed quandoque accidentaliter, quandoque prædicantur eſſentialiter: *uti clarum eſt*. Ergo ſimiliter voces ſubſtantivæ non ſemper eſſentialiter; ſed quandoque eſſentialiter, quandoque etiam prædicari poſſunt accidentaliter. *De quo plura alias.*

32. *Tertiò deducitur*: voces ſubſtantivas & adjectivas indifferenter eſſe quandoque ſubſtantiales, quandoque accidentales. Ac proinde haſce voces ſe habere ſicut excedentia & exceſſa. *Probatur*: quia hæ voces ſubſtantivæ, *homo*, *brutum*, *equus*, *animal*, *lapis*, *planta*, *&c.* ſunt ſubſtantiales: cum earum formale ſignificatum ſit ſubſtantia. Hæ verò ſubſtantivæ voces, *cantor*, *equitator*, *creator*, *calumniator*, *detractor*, *&c.* ſunt accidentales: cum earum formale ſignificatum ſit accidens. Idem ſimiliter patet de vocibus adjectivis: nam hæ voces, *albus*, *niger*, *dulcis*, *ſtans*, *ſedens*, *&c.* ſunt adjectivæ, ac ſimul accidentales: hæ verò, *rationale*, *ſenſitivum*, *corporeum*, *riſibile*, *&c.* ſunt adjectivæ & ſimul ſubſtantiales: cum earum principale ſignificatum ſit ſubſtantia.

35. *Quartò deducitur*: quod omnis omninò vox abſtracta ſit ſubſtantiva, & nulla ſit adjectiva: item quod omne omninò verbum ſit vox adjectiva. *Primum patet*: quia vox ſubſtantiva eſt illa, quæ ſe ſola ſine adminiculo alterius poteſt perficere ſenſum: atqui omnis omninò vox abſtracta id poteſt: uti quivis per ſingularum inductionem facilè colliget. Ergo omnis omninò vox abſtracta eſt ſubſtantiva. *Patet etiam ſecundum*: quia vox adjectiva eſt vox, quæ ſine alia voce vel expreſſa. vel ſubaudita (quod addo ob voces adjectivas ſubſtantivatas) non poteſt reddere ſenſum. Atqui nullum verbum poteſt ſe ſolo reddere ſenſum, niſi aliquod nomen vel exprimatur, vel ſubaudiatur. Ergo omne verbum eſt vox adjectiva. Scio quidem inter verba quædam adjectiva, quædam ſubſtantiva vocari: ſed hoc non obeſt meo dicto: verba enim quædam vocantur ſubſtantiva, non quia voces ſubſtantivæ ſint; ſed ob rationem longè aliam: quam aſſignabo infra agens de verbo.

DISPUTATIO IX.

De voce concreta & abſtracta.

1. IN hiſce vocibus, præſertim in concreta, latet tota emphaſis & ſubtilitas non ſolum philoſophica, ſed cujuſcumque etiam alterius ſcientiæ. Hujus ſignificationem ac prædicandi modum ſi perfectè penetraveris, in omni materia ſubtilis & acutus eris: ſi verò ignoraveris, aut ſolummodò ſuperficie tenus cognoveris; ubique tenebras, ubique ſpinas & tribulos reperies. In modo loquendi circa Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, ac Divinæ incarnationis; ubi de idiomatum communicatione agitur, ac de prædicatorum eſſentialium, & notionalium mutua prædicatione, turpiſſimè errabis, ac inepties. Ac præterea, ad me quod attinet, totum meum Anti-porphyrium in voce concreta fundo: tibique promitto, ſi vocis concretæ ſignificationem ac prædicationem rectè intellexeris, ambobus pedibus ac manibus in Anti-porphyrii mei ſententias lubentiſſimus ibis.

DUBIUM I.

Quid ſit vox concreta, quid abſtracta?

2. RESP. & dico: Vox concreta eſt vox ſignificans formam cum ſubjecto. Vox abſtracta eſt vox ſignificans ſolam formam ſine ſubjecto; verb. gr. voces, *albus*, *Deus*, *homo*, *animal*, *ſenſitivum*, *rationale*, *riſibile*, aliæque ſimiles, ſunt voces concretæ: quia ſignificant formam albedinis, deitatis, humanitatis, animalitatis, rationalitatis, ſenſibilitatis, &c. ſimul ſignificando ſubjectum, ſuppoſitum, vel perſonam, in quibus formæ iſtæ ſubjectantur vel ſuppoſitantur. Album quippe idem eſt, quod ſubjectum, ſeu corpus habens albedinem: homo idem, quod perſona habens humanitatem: Deus idem, quod ſubſiſtens habens deitatem: animal idem, quod ſuppoſitum habens animalitatem: rationale & ſenſitivum idem, quod res habens rationalitatem, & ſenſibilitatem, &c. At verò voces *albedo*, *humanitas*, *deitas*, *rationalitas*, *animalitas*, *&c.* voces abſtractæ ſunt: quia ſignificant ſolam formam, non ſignificando ejus ſubjectum, vel ſuppoſitum, à quo habetur.

3. Et hinc vocem concretam & abſtractam ego ordinariè ſic definire ſoleo: vox concreta eſt vox ſignificans unum per modum habiti; alterum per modum habentis. Vox abſtracta verò eſt vox ſignificans ſolam formam habitam. Nam voces, *album*, *Deus*, *animal*, aliæquè ſimiles, idem planè ſignificant, quod ſubje-

ſubjectum habens albedinem, habens deitatem, habens animalitatem. Et generaliter omnis omnino vox concreta, ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis, ſive ſubſtantiva, ſive adjectiva, ſemper ſignificat duo: unum tamquam habitum ab alio; alterum tamquam babens aliud. Et binc in voce concreta orta eſt diſtinctio ſignificati in formale & materiale: item in rectum & obliquum. Res enim per vocem concretam ſignificata ad modum babentis, vocatur ſignificatum rectum & materiale; illa verò, quæ per modum habiti ſignificatur, dicitur ſignificatum obliquum & formale. Ut dixi latius ſuprà.

4. At verò vox abſtracta non ſignificat formam babitam cum ſubjecto habente, neque unum per modum habiti, & alterum per modum habentis; ſed ſignificat ſolummodò formam habitam; verb. gr. vox *albedo* non ſignificat ſubjectum babens albedinem: ſed ſolam albedinem, non conſignificando ſubjectum. Similiter vox *bumanitas* non ſignificat perſonam habentem bumanitatem; ſed ſolummodò bumanitatem, non conſignificando perſonam. Præciſa ergo differentia vocis abſtractæ à concreta, ſita eſt in hoc: quod vox concreta formam babitam cum ſubjecto habente, ac formam per modum babiti; ſubjectum verò per modum babentis ſignificet: at verò vox abſtracta ſolam formam habitam ſignificet. Diſcrimen ergo inter baſce voces eſt duplex: unum deſumitur ex parte ſignificati: vox concreta quippe habet duo ſignificata, formam ſcilicet cum ſubjecto: vox verò abſtracta unicum ſolummodò, ſolam ſcilicet formam. Alterum deſumitur ex parte modi ſignificandi formam, quæ eſt utrique voci commune ſignificatum: alio namque modo formam babitam ſignificat vox concreta; alio modo vox abſtracta. Vox concreta enim ſignificat illam per modum habiti; abſtracta verò minimè: ſignificat quidem formam ab aliquo ſubjecto babitam; non tamen per modum habiti.

5. *Ratio bujus eſt*: quia ſignificare formam per modum babiti, non eſt ſolummodò ſignificare formam, quæ babetur; ſed eſt ſignificare formam, quæ babetur, quatenus babetur. *Id eſt*: ſimul cum ſui babentia, ſeu babitione paſſiva. Atqui vox abſtracta non ſignificat habitionem formæ à ſe principaliter ſignificatæ: nam, *uti per experientiam patet*, dum aliquam vocem abſtractam audimus, quidem de forma cogitamus, illamque concipimus; de illius verò paſſiva habentia, aut in ſuo ſubjecto inexiſtentia planè & omninò nihil. Ergo voces abſtractæ quidem ſignificant formam habitam; non tamen per modum babiti. *Præter experientiam, adbuc pro minori facit ratio*: quia ſi vox abſtracta ſignificaret formæ babentiam, jam non abſtracta; ſed concreta foret: omnis quippe & ſola vox concreta ſignificat formæ habentiam. Conſequens abſurdum eſt: ergo & antecedens. *Probatur ſequela majoris*: quia vox concreta eſt vox ſignificans formam cum ſubjecto: atqui omnis vox ſignificans formæ paſſivam habentiam, ſignificat formam cum ſubjecto: ergo ſi vox abſtracta ſignificaret formæ habentiam, jam foret vox concreta. *Probatur minor*: quia formæ paſſiva à ſubjecto habentia eſt formæ cum ſuo ſubjecto unio, conjunctio, & concretio: atqui ſignificari non poteſt formæ cum ſubjecto unio, niſi conſignificetur ipſum ſubjectum, cui forma unitur: ergo ſimiliter ſignificari non poteſt formæ paſſiva à ſubjecto habentia, niſi ſignificetur, vel conſignificetur ipſum ſubjectum, à quo forma babetur: ergo omnis vox ſignificans formæ babentiam, etiam conſignificat formæ ſubjectum: adeoque ſignificat formam cum ſubjecto. Certum ergo ſit, à voce abſtracta quidem ſignificari formam babitam; non tamen per modum habiti.

6. *Ex quo patet*: quid in definitione vocis concretæ intelligi debeat nomine *formæ*, quid nomine *ſubjecti*. Dico enim, nomine *formæ* & *ſubjecti* non debere intelligi ſolam formam informantem, aut inhærentem cum ſuo ſubjecto informationis, aut inhæſionis; ſed intelligi debet forma cum ſubjecto ſuæ prædicationis: ita ut definitionis bic ſit legitimus ſenſus: vox concreta eſt illa, quæ ſignificat formam ſimul conſignificando ſubjectum, de quo prædicatur, vel prædicari poteſt. Quæ duæ ſignificationes *formæ* & *ſubjecti* non ſunt eædem, neque inter ſe convertuntur; ſed ſunt planè diſparatæ: ſuntque reſpectu ſui mutuò magis ac minus communes. Nam omnis forma & ſubjectum informationis eſt quidem forma & ſubjectum prædicationis; non tamen è contra: ut pulchrè oſtendit *Gregorius Ariminenſis in 2. diſt. 1. quæſt. 5. art. 2. ad 2. ex Commentatore ſuper 3. phyſ. comm. 18. 19. & 20. Et patet*: nam forma prædicata reſpectu ſubjecti, de quo prædicatur, babet ſe modò ſicut forma ad ſubjectum informationis: modò ſicut forma ad ſubjectum adhæſionis inhæſionis, aut ſuppoſitationis: modò ſicut veſtis ad veſtitum: modò ſicut locus ad locatum, modò ſicut actus ad objectum: modò ſicut ſubjectum ad formam informantem, adhærentem, inhærentem, vel ſuppoſitatam: modò ſicut veſtitum ad veſtem. Locatum ad locum, &c. Sicuti exempla inducere volenti facilè fiet obvium. Ergo forma & ſubjectum prædicationis nullatenus confundi, aut converti poſſunt cum forma, & ſubjecto informationis.

7. *Ac ratio bujus mei dicti eſt clara*: quia in definitione vocis concretæ nomine formæ & ſubjecti intelligitur omne habitum & omne habens: *ut dixi num. 3.* Vel potius intelligitur res ſignificata per modum habiti, & res ſignificata per modum babentis: atqui bæ res inter ſe quidem comparantur ſemper tamquam forma & ſubjectum prædicationis; non ſemper tamen ſeſe babent tamquam formæ & ſubjectum informationis: ſed habent ſe modò hoc, modò iſto modo: uti ſtatim dicebam. Ergo in bac definitione, nomine formæ & ſubjecti intelligi debet non forma & ſubjectum informationis; ſed forma cum ſubjecto prædicationis. Et ſanè ſi in definitione nomine *formæ* & *ſubjecti* intelligeremus formam cum ſubjecto informationis, quam plurimæ voces verè concretæ, dicendæ forent non eſſe concretæ:

cretæ:

cretæ: cum plurimæ ſint, quæ non ſignificant formam cum ſubjecto informationis.

8. *Sed petes*: quomodo omne ſignificatum per modum habiti & habentis ſemper vocetur forma & ſubjectum, ſi ſemper à parte rei forma & ſubjectum non ſunt? *Reſp.* iſtas res congruentiſſimè vocari formam & ſubjectum; ac dici inter ſe habere proportionem formæ & ſubjecti: non quidem informationis; ſed prædicationis: *uti jam dixi*. Nam prædicatum, ſive formam prædicatam reſpectu rei, de qua prædicatur, vocari formam, & illam rem reſpectu formæ de ſe prædicatæ vocari ſubjectum, in Philoſophia neque inuſitatum, neque novum eſt: nam Commentator Philoſophi diverſis in locis 12. *Met. comm.* 39. 8. *Met. comm.* 6. et alibi ſæpe, vocat ſubjectum *diſpoſitum*, ac prædicatum vocat *diſpoſitionem*. Atqui diſpoſitum & diſpoſitio idem eſt, quod ſubjectum & forma: ſive ſemper diſpoſitio eſt forma ſui diſpoſiti. Ergò etiam prædicatum, ſive forma prædicata reſpectu rei, de quà prædicatur, rectè vocatur forma. De quo vide *Gregorium Ariminenſem in 1. diſt.* 8. *quæſt.* 3 *art.* 2. *ad* 3. Et magis latè, ac eleganter *quæſt.* 2. *art.* 1. *ad* 2.

DUBIUM II.

De duplici ſignificato vocis concretæ.

8. PEtes 1. quodnam ſit ſignificatum principale vocis concretæ: an ſcilicet materiale, an verò formale? *Reſp.* ſignificatum ejus principale eſſe ſignificatum formale: adeoque ſignificatum materiale eſſe ſolummodò ſecundarium. *Probatur*: quia ſignificatum primarium eſt illud, quod à voce ſignificatur per ſe, ratione ſui; ſecundarium verò eſt illud, quod à voce ſignificatur ratione alterius: atqui vox concreta ſuum ſignificatum formale ſignificat ratione ſui; & materiale ſignificatum ſignificat ſolummodo ratione ſui ſignificati formalis. Vox quippe concreta eſt vox ſignificans formam conſignificando ſubjectum. Ergo in voce concreta ſignificatum formale eſt primarium, ac materiale eſt ſecundarium. *Et ratio ulterior eſt*: quia, *ut jam dixi aliquoties*, ſignificatum vocis eſt objectum vocis: atqui inter objecta formale eſt primarium, materiale eſt ſecundarium: ergo idem etiam dicendum eſt de ſignificatis.

10. *Circa quæ ſignificata adverte ulterius*: adhuc aliud latum diſcrimen eſſe inter vocis concretæ ſignificatum formale & materiale. Nam ſignificatum formale ſemper eſt aliqua res certa, & determinata: ſignificatum vero materiale ordinariè eſt quid vagum, indeterminatum, ac multiplex, v. g. vox *album* de formali importat determinatam formam albedinis: de materiali vero importat aliquid planè vagum, ac indeterminatum: importat enim quodcumque albedinis ſubjectum: nimirum hominem, cycnum, parietem, nivem, lanam, cretam, omnemque aliam rem, quæ in ſe albedinem habet. Sic etiam vox *viſum* de formali importat determinatam formam viſionis; at vero de materiali importat hominem, lapidem, parietem, equum, omnemquè aliam rem, quæ videtur. *Et ratio eſt*: quia vox concreta de formali ſignificat rem, quæ habetur; de materiali vero importat rem, quæ habet: atqui contingit eandem rem haberi à pluribus: *uti evidens eſt*. Ergo ſignificatum formale vocis concretæ poteſt eſſe unum, certum, & determinatum; licet ejus ſignificatum materiale ſit quid multiplex, vagum, ac indeterminatum; *Et ratio ulterior eſt*: quia ſignificatum materiale & formale habent ſe ſicut objectum formale & materiale: atqui idem objectum formale ſæpè reſpicit & ſpecificat plura ac diverſa objecta materialia: ergo ſimiliter idem ſignificatum formale poteſt reſpicere ac ſpecificare diverſa ſignificata materialia. Et ſic vox concreta poteſt cum unitate ſignificati formalis habere multiplicitatem ſignificati materialis.

11. Hoc tamen non ſic intellige, quaſi vox concreta de materiali ſemper plura ſignificet actu; hoc quippe falſum eſt: actu enim ordinariè de materiali ſolummodo ſignificat unum. *Quod probo*: quia vox actu ſolummodo ſignificat illud, de quo prædicatur: v. g. cum dico, *homo eſt albus*, vox *albus* ibi de materiali importat ſolum hominem. Cum dico, *paries eſt albus*, tunc de materiali importat ſolum parietem: Et ſic ulterius. Atqui vox concreta prædicatur ordinariè de unico ſubjecto: ergo etiam ordinariè de materiali unicam rem certam, ac determinatam actu ſignificat. Cum ergo dico, vocem concretam de materiali ſignificare plura: hoc intelligi debet, non de ſignificatione actuali; ſed de aptitudinali. Ut ſit hic ſenſus: vox concreta habet potentiam ſignificandi plura ſignificata materialia: quæ quidem actu non ſemper ſignificat; ſignificare tamen poteſt, quando ad ſignificandum debitè ſupponitur, ac applicatur. De quo plura forſan in alio loco.

12. *Ratio verò ſupra poſitæ majoris eſt*: quia vox concreta actu de materiali ſolummodo ſignificat illud, cui actu affirmatur inexiſtere ejus ſignificatum formale: atqui illius formale ſignificatum actu affirmatur inexiſtere ſoli iſti rei, de qua prædicatur: ergo vox concreta actu de materiali ſignificat ſolam iſtam rem, de qua prædicatur. *Probatur major*: quia vox concreta actu de materiali ſolummodo ſignificat illam rem, ad quam ſignificandam in orationis contextu ſupponitur & applicatur: nam ſicut ignis, aut aliud quodvis agens naturale non calefacit omne illud, quod ex natura ſua calefacere poteſt, ſed ſolummodo illud, ad quod hic & nunc applicatum eſt: ſic etiam vox in orationis contextu poſita non ſignificat actu omne illud: quod ſignificare poteſt; ſed illud ſolummodo, ad quod ſignificandum hic & nunc ſupponitur & applicatur. Atqui vox concreta in contextu orationis applicatur ad illam ſolummodo rem de materiali ſignificandam, cui affirmatur ineſſe ejus ſignificatum formale: *uti clarum eſt*. Ergò etiam vox concreta illam ſolummodo rem actu de materiali ſignificat.

13. *Petes* 2. quomodò diſtinguatur vocis concretæ ſignificatum materiale à formali? *Reſp.* aliquandò diſtingui realiter, aliquando ratione ſola, aliquando realiter inadæquatè, aliquandò realiter adæquatè, aliquando ramquam rem à re, aliquando tamquam rem à modò. Quæ omnia facilè patebunt inducendo ſingulorum exempla: v. g. in his vocibus, *album*, *dulce*, *ſtans*, *ſedens*, *intelligens*, *ambulans*, *&c.* ſignificata formalia ſunt albedo, dulcedo, ſtatio, ſeſſio, intellectio, ambulatio: ſignificata verò materialia ſunt iſtarum ſormarum ſubjecta, quæ à formis iſtis realiter differunr, quandoque tamquam res à re, quandoque tamqnam res à modo: *uti patebit facile conſideranti*: In his vocibus concretis, *Deus omnipotens*, *æternus*, *immenſus*, *&c.* ſignificata formalia ſunt deitas, omnipotentia, immenſitas: ſignificata verò materialia ſuut divinæ perſonæ: quas ab illis formis conſtat diſtingui ſola ratione. De quo vide pulcbram doctrinam *Commentatoris* apud *Ariminenſem in* 1. *diſt*. 8. *q*. 2. *art*. 1. *ad* 2. In his verò concretis vocibus, *homo*, *animal*, *equus*, *brutum*, *&c.* ſignificata materialia ſunt ſuppoſita; formalia verò ſunt naturæ ſuppoſitatæ: quas ab ipſis ſuppoſitis conſtat diſtingui realiter; ſed inadæquatè.

14. Et hinc ſunt quædam vocea concretæ, quæ habeur ſuum formale ſignificatum cum quibuſdam ſignificatis ſuis materialibus realiter identificatum; à quibuſdam verò realiter diſtinctum. Præter exempla jam adducta, adhuc ſunt alia. Talea enim etiam ſunt hæ voces: *juſtus*, *miſericors*, *benevolus*, *ſciens*, *volens*, *amans*, *&c.* Nam earum formalia ſignificata ſunr juſtitia, miſericordia, benevolentia, ſcientia, volitio, amor: ſignificata verò earum materialia ſunr homo, Angelus, Deus. Atqui iſtæ formæ ab homine, & Angelo diſtinguuntur realiter; cum Deo vero realiter idenrificantur. Ergò iſtæ voces habent ſuum formale ſignificatum cum quibuſdam ſuis materialibus ſignificaris realiter idenrificatum; à quibuſdam verò realiter diſtinctum.

15. *Petes* 3. an vox concreta & abſtracta illi correſpondens habeant idem ſignificatum formale, ſeu principale? *Reſp.* non habere ſignificatum principale planè adæquatè idem: differunt namque earum ſignificara principalia ſicut incluſum, & includens. Quia vox abſtracta pro ſuo ſignificato principali habet ſolam formam; vox concreta verò non ſolam formam, ſed formam ſimul cum ejus in ſubjecto inexiſtentia, ſive cum ejus à ſubjecto paſſiva habentia ſignificar, v. g. vox, *albedo*, de principali ſolam albedinem; ar verò vox *albus* non ſolam albedinem; ſed albedinem ſimul cum ejus inexiſtentia in ſubjecto ſignificat. *Et ratio eſt*: quia *ut ſupra dub.* 1. *dicebam*, vox abſtracta ſolummodo ſignificare debet formam habitam; vox concreta verò ſignificare debet formam per modum habiti, ſeu quatenus habitam. Arqui ſignificare formam per modum habiti, eſt ſignificare formam ſimul cum ſui habentia. Ergo, &c.

DUBIUM III.

An eadem vox eſſe poſſit ſimul abſtractæ, & concreta.

16. RESP. *& dico*: eſſe multas voces, quæ ſolummodò ſunt abſtractæ, & nullo modo, nulloque reſpectu ſunt concretæ. Qualea ſunt hæ: *albedo*, *dulcedo*, *humanitas*, *deitas*, *ſtatio*, *ſeſſio*, *&c.* Item eſſe multas, quæ ſunt ſolummodò concretæ, nulloque modo abſtractæ. Quales ſuut hæ: *album*, *dulce*, *humanum*, *deificatum*, *doctor*, *pictor*, *&c.* Eſſe tamen etiam aliquas, quæ ſunt ſimul concretæ & abſtractæ: reſpectu diverſorum tamen. Tales ſunr vocea; *aurum & lignum*, *plumbum*, *homo*, *brutum*, *animal*, *Deus*, *&c.* Voces enim *aurum & lignum* ſunt coucretæ reſpectu vocum *aureitas*, *& ligneitas*; reſpectu vero vocum *aureum & ligneum* ſunt voces abſtractæ. Similiter voces *Deus*, *homo*, *animal* reſpectu vocum *deitas*, *humanitas*, *animalitas*, ſunr voces concretæ; at verò reſpectu vocum *deificatus*, *humanatus*, *animalizatus*, ſunt voces abſtractæ. Er ſic eadem vox reſpectu diverſarum vocum ſimul eſt concreta, & abſtracta: abſtracta quidem reſpectu hujus; & coucrera reſpectu alterius.

17. *Ratio hujus eſt*: quia inter voces ejuſdem radicis, quarum una ſignificatum totale alterius ſignificat per modum habiri, una eſt concreta, altera eſt abſtracta illi correſpondens: atqui voces *Deus & deificatus*, *homo & humanatus*; *animal*, *& animalizatus*, ſunt voces ejuſdem radicis: *uti patet*: Item una ſignificatum totale alterius ſignificat per modum habiti. Nam voces *deificatum*, *animalizatum*, *humanatum* ſignificant per modum habitì ſignificatum totale vocum *Deus*, *homo*, *animal*. Ergo inrer iſtas voces una eſt abſtracta; altera vero eſt concreta illi correſpondens. Et ſic voces *animal*, *homo*, *Deus*; reſpectu iſtarum vocum *animalizatus*, *deificatus*, *humanatus*, ſunt abſtractæ. Illa quippe vox abſtracta eſſe debet, cujus totale ſignificatum ab alia voce ſignificarur ad modum habiti. *Major hujus argumenti eſt clara*: & patet inductione omnium vocum coucretarum & abſtractarum illis correſpondentium: ſemper enim reperitur ſignificatum totale vocia abſtractæ ſignificari per modum habiti à voce concreta.

18. *Minor verò probatur*: quia vox *deificatum*, idem ſignificat, quod habens Deum, ſive habens ſuppoſitũ deitatis: vox *humanatum* ſignificat, idem quod habens ſuppoſitum humanitatis: vox *animalizatum* ſignificat idem, quod habens ſuppoſitum animalitatis. Atqui ſuppoſita deitatis, humanitatis, animaliratis, ſunt ſignificata totalia & adæquara vocum *Deus*, *homo*, *animal*. Ergo voces, *deificatus*, *humanatus*, *animalizatus*, ſignificant per modum habiti ſignificata totalia vocum *Deus*, *homo*, *animal*. *Probatur minor*: quia iſtæ voces *deificatus*, *humanatus*, *animalizatus*, ſignificant illud per modum habiti, quod affirmatur inexiſtere ſubjectis, de quibus prædicantur: atqui illud, quod iſtis ſubjectis affirmatur inexiſtere, ſunt ſuppoſita deitatis, humanitatis,

tis, animalitatis. Ergo iſtæ voces iſta ſuppoſita ſignificant per modum habiti. *Probatur minor*: quia cum dico, *hic homo eſt deificatus*, vel potiùs *humanitas Chriſti eſt deificata*, ſenſus eſt hic: humanitas Chriſti eſt habens ſibi conjunctum ſuppoſitum deitatis. Item (pone hominem aſſumere, ac ſibi perſonaliter unire brutalitatem) tunc verum erit dicere: *brutalitas eſt humanata*. Eritque hic ſenſus: brutalitas eſt habens ſibi conjunctum ſuppoſitum humanitatis. Ergo illud, quod affirmatur ineſſe ſubjectis, de quibus iſtæ voces prædicantur, ſunt ſuppoſita deitatis, humanitatis, animalitatis, &c.

19. *Objicies*: voces *deificatus*, *humanatus*, *animalizatus*, per modum habiti ſignificant deificationem, humanationem, animalizationem. *Id eſt*: actionem unitivam ſuppoſiti aſſumentis cum natura aſſumpta. Atqui, *uti clarum eſt*, iſtæ actiones non ſunt ſignificata totalia; immò neque partialia vocum *Deus*, *homo*, *animal*, Ergo iſtæ voces per modum habiti non ſignificant ſignificata totalia harum vocum. *Major probatur*: quia voces *deificatus*, *humanatus*, *animalizatus*, ſunt voces ejuſdem ſignificationis cum vocibus *dealbatus*, *denigratus*, *generatus*, *creatus*, *&c.* Atqui hæ voces per modum habiti ſignificant dealbationem, denigrationem, generationem, creationem, &c Ergo ſimiliter voces *deificatus*, *humanatus*, *animalizatus*, per modum habiti ſignificare debent deificationem, humanationem, animalizationem.

20. *Reſp. cum Deſpauterio, aliiſque Grammaticis*: omnia participia, tam paſſiva, qualia ſunt omnia iſta in argumento adducta, quam etiam activa, qualia ſunt hæc, *amans*, *legens*, *dolens*, *ſtudens*, *dealbans*, *ambulans*, *&c.* ſumi duobus modis. Sumuntur enim quandoquè tamquam participalia: ſive (*ut loquuntur Metaphyſici*, *dum de ſignificatione vocis ens agunt*) ſumuntur quandoque participaliter; quandoquè verò nominaliter. Inter quas acceptiones maximæ interjacent differentiæ. *Omiſſis verò differentiis purè grammaticalibus*, *ad rem noſtram reſpondeo*: quando participia ſumuntur in vigore participii; quatenus participia: activa per modum habiti ſignificant formæ productionem, aut communicationem: paſſiva verò formæ paſſionem, ſeu receptionem: neutra vero ipſam formam per modum habiti ſignificant, v. g. hæc participia paſſiva, *dealbatus*, *humanatus*, *deificatus*, ſumpta in vigore participii per modum habiti neque albedinem, neque ſuppoſitum humanitatis, neque humanitatem, neque ſuppoſitum deitatis, neque deitatem; ſed ſignificant receptionem ſeu paſſionem iſtarum rerum: *Ut argumentum bene probat. Et ratio ulterior eſt*: quia participia, ſunt quid acceſſorium & appendix verbi. Hinc enim vocantur participia, quia ſcilicet ſunt voces participantes naturam, ſignificationem per tēpora conjugationem, regimen, aliaſque qualitates verbi. Acceſſorium enim ſequitur naturam & qualitates ſui principalis. Unde participia, ſumpta quatenus participia, pro ſignificato formali habere debent ſignificatum formale ſui verbi. Atqui verbum activum de formali per modum habiti actionem; paſſivum verò paſſionem ſignificat: ergo ſimiliter participia activa actionem & paſſiva paſſionem per modum habiti ſignificare debent.

21. At vero participia, ſumpta non quatenus participia, ſed quatenus participalia ſunt, per modum habiti non ſignificant actionem & paſſionem; ſed longè aliud quid. Activa enim per modum habiti ſignificant habitum, conſuetudinem, aut inclinationem, aut quid ſimile, v. g. cum dicimus. *Petrus eſt amans vini*, *Petrus eſt vir intelligens*, *Petrus eſt homo ſtans*, *eſt ambulans*, *&c.* Senſus eſt hic: Petrus eſt homo inclinatus ad potum vini, eſt vir perſpicax, eſt aſſuetus ſtare, ambulare, &c. Paſſiva verò per modum habiti non paſſionem, aut formæ receptionem; ſed ipſam futuram ſignificant, v. g. cum in vigore participialis dicimus, *paries eſt coloratus*, *eſt dealbatus*, *Petrus eſt doctus*, *aer eſt illuminatus*, *&c.* ſenſus eſt hic: paries eſt habens colorem, & albedinem, Petrus eſt habens doctrinam, aer eſt habens lumen, &c. Adeoque tunc iſta participia per modum habiti non colorationem, dealbationem, aut doctionem, aut paſſivam illuminationem; ſed colorem, albedinem, doctrinam, ac lumen receptum ſignificant. Similiter ergò hæ voces, *deificatus*, *humanatus*, *animalizatus*, ſumptæ in vi nominis participialis per modum habiti non paſſionem aut receptionem; ſed rem receptam, quæ ſunt ſuppoſita humanitatis, animalitatis, deitatis, ſignificant.

DUBIUM IV.

De vocis concretæ & abſtractæ diviſionibus.

22. Reſp. *& dico* 1. tam vox concreta, quam abſtracta dividi poſſunt in vocem ſubſtantialem & accidentalem. *Probatur*: quia tam inter abſtractas, quam concretas voces quædam ſunt ſubſtantiales; quædam ſunt accidentales: ergo hæc diviſio utrique huic voci applicari poteſt. *Probatur antecedens*: quia vox ſubſtantialis eſt vox pro ſignificato principali habens ſubſtantiam; vox accidentalis eſt vox pro ſignificato principali habens accidens: atqui tam inter abſtractas, quam concretas voces, quædam pro ſuo principali ſignificato accidens; quædam verò ſubſtantiam habent: *uti per inductionem unicuique facile poterit patere*. Ergo tam inter concretas, quam abſtractas voces; quædam ſunt ſubſtantiales; quædam verò ſunt accidentales.

23. *Dico* 2. tam vox abſtracta, quam concreta, etiam dividi poteſt in eſſentialem, & accidentalem. *Probatur*: quia vox eſſentialis vel accidentalis eſt illa, cujus adæquatum ſignificatum eſt, vel non eſt de eſſentia ſubjecti de quo prædicatur: *ut dixi diſp. præc. dub.* 1. Atqui tam inter abſtractas; quam concretas voces, aliquæ habent, aliquæ non habent ſuum adæquatum ſignificatum eſſentiale ſubjecto, de quo prædicantur: ergò tam inter has, quam inter illas aliquæ ſunt eſſentiales, aliquæ accidentales. Minor quoad illam ſui partem, quæ voces concretas concernit,

clarior eſt quam ut probetur: ſufficienterque patet ex exemplis *diſp* 8. *dub.* 1. allatis: ibi quippe tam eſſentiales quam accidentales voces concretæ ſunt in medium adductæ.

24. *Altera minoris pars*, quæ voces abſtractas tangit, *eſt contra Scotum in* 1. *diſp.* 45. *quæſt* 2. Ubi dicit: quod nulla vox abſtracta poſſit prædicari accidentaliter: adeoque quod nulla vox abſtracta eſſe poſſit accidentalis oppoſita eſſentiali. *Interim probo*, *quod dixi*, & oſtendo, quod inter voces abſtractas aliquæ eſſe poſſunt accidentales. Quia omnis vox, cujus principale ſignificatum non eſt de eſſentia ſubjecti, de quo poteſt verè prædicari, eſt vox iſti ſubjecto accidentalis; atqui ſunt aliquæ bujuſmodi voces abſtractæ, tales namque ſunt hæ: *riſibilitas*, *animalitas*, *humanitas*, *rationalitas*, *brutalitas*, *equinitas*, &c. Quin immò omnis omnino vox abſtracta eſt talis; ut habeat ſubjectum, de quo poſſit verè prædicari, & cui ſignificatum ejus principale non ſit eſſentiale. Ergo inter voces abſtractas, non ſolum aliquæ, ſed omnes omnino ſunt accidentales. *Probatur minor*: quia omnes hæ prædicationes, *humanitas eſt riſibilitas*, *rationalitas eſt animalitas*, *aliquod ens eſt deitas*, &c. ſunt veræ: *ut oſtendam infrà de prædicatione agens*. Et ſimul ſunt accidentales: *ut dicam ibidem*. Ergo iſtæ voces abſtractæ, quæ in præfatis prædicationibus ſunt prædicata, habent aliquod ſubjectum, de quo verè prædicari poſſunt, & cui earum ſignificatum principale non ſit eſſentiale. *Sed de his alibi latius*.

25. *Dico* 3. vox abſtracta dividi non poteſt in ſubſtantivam, & adjectivam: poteſt tamen ita dividi vox concreta. *Prima pars probatur*: quia inter abſtractas voces nulla adjectiva; ſed omnis omninò eſt ſubſtantiva. Quidem quandoque abſtractæ voces adjectivantur; nulla tamen eſt verè adjectiva: quin immò quando adjectivantur, non manent amplius abſtractæ; ſed ſicut adjectivantur ſic etiam concretizantur; *uti dixi diſputatione* 8. *dub.* 4. Ergo vox abſtracta dividi nequit in adjectivam & ſubſtantivam. *Secunda pars etiam facilè probatur*: nam inter voces concretas quædam ſunt adjectivæ; quædam ſunt ſubſtantivæ: *uti facilè patere poteſt per inductionem*. Ergo nihil deeſt, quo minus vox concrete in adjectivam, & ſubſtantivam poſſit dividi.

26. *Dico* 4. omnes hæ diviſiones etiam applicari poſſunt ſibi mutuo, mutuiſque ſuis membris dividentibus. Nam vox accidentalis & ſubſtantialis dividi poſſunt in eſſentialem, & accidentalem. Item vox eſſentialis & accidentalis dividi poſſunt in ſubſtantialem & accidentalem. Item omnes hæ voces dividi poſſunt in ſubſtantivam, & adjectivam. Item vox adjectiva & ſubſtantiva dividi poſſunt in eſſentialem & accidentalem: item in ſubſtantialem & accidentalem. Unde ſunt aliquæ voces, quæ ſunt ſimul ſubſtantivæ, ſubſtantiales, & eſſentiales: aliquæ ſimul adjectivæ, & utroque modo accidentales; aliquæ ſubſtantivæ accidentales, & eſſentiales, &c. Singulorum exempla adducere nolo: quia longum foret, & cum facile ſit, diligens lector id per ſe facile fecerit, manuductus ex antea dictis.

Ratio verò concluſionis eſt: quia omnes hæ voces ſunt genera inter ſe participantia & communicantia in ſpeciebus; ſicuti ſunt finitum & infinitum, completum & incompletum, materiale & ſpirituale, ſubſtantia & accidens, &c. Atqui talia genera etiam communicant in diviſionibus: nam ſicut ens finitum dividitur in completum & incompletum; ſic etiam ens completum in finitum & infinitum dividitur, &c. Ergo omnes hæ præfatæ diviſiones applicari poſſunt ſibi mutuò, mutuiſque ſuis membris dividentibus. *De qua materia alias plura*.

DUBIUM V.

Quid ſit vox concreta ſubſtantiva, quid adjectiva?

27. Difficultas hæc non modica eſt, inter non ſolos Summuliſtas; ſed etiam inter Logicos, ac ipſos Theologos controverſa; & ex qua pendet reſolutio omnium difficultatum, circa modum loquendi de Myſterio Sanctiſſimæ Incarnationis, ac Divinæ Trinitatis occurrentium. Quidam ergo vocem concretam ſubſtantivam dicunt eſse illam, quæ in recto ſignificat ſolum ſuppoſitum; adjectivam verò eſse illam, quæ in recto ſignificat tam ſuppoſitum, quam non-ſuppoſitum: ſignificat enim omne habens ſuum ſignificatum formale, ſive interim ſit, ſive non ſit ſuppoſitum, v. g. hæ voces, *Petrus*, *homo*, *animal*, *equus*, *brutum*, *corpus*, & ſimiles ſunt concretæ ſubſtantivæ: quia ſignificant ſuppoſitum habens animalitatem, petreitatem, humanitatem, equinitatem, &c. Undè non verè dicimus, *humanitas eſt animal*: quia humanitas non eſt ſuppoſitum; ſed ſolummodò natura habens animalitatem. At verò hæ voces *rationale*, *ſenſitivum*, *equinum*, *humanum*, *riſibile*, & ſimiles, ſunt voces concretæ adjectivæ: quia ſignificant omne habens rationalitatem, ſenſibilitatem, equinitatem, &c. ſive interim illud habens ſit, ſive non ſit ſuppoſitum. Et hinc tam rectè dicimus, *humanitas eſt rationalis*, vel *ſenſitiva*, quam dicamus, *homo eſt rationalis*, vel *ſenſitivus*. *Ratio eorum eſt*: quia vox ſubſtantiva debet eſſe ſignificans ad modum per ſe ſtantis: debet eſse vox ſignificans rem per ſe ſtantem. Atqui ſolum ſuppoſitum eſt res per ſe ſtans: ergo ſola vox concrete, quæ ſignificat in recto ſolum ſuppoſitum, eſse poteſt ſubſtantiva.

28. Modus hic loquendi aliquando placuit mihi: eumquè quandoquè bellè compſi, & coloravi. Pro nunc tamen mihi non placet. *Sic ergò contra eum argumentor*: quia dantur quamplurimæ voces concretæ ſubſtantivæ, quæ verè ſubſtantivæ ſunt, & tamen in recto non ſignificant ſolum ſuppoſitum; ſed ſignificant omne habens formam à ſe principaliter ſignificatam, ſive interim illud habens ſit ſuppoſitum, ſive non ſuppoſitum. Ergo vox concreta ſubſtantiva malè dicitur eſse illa, quæ in recto ſignificat ſolum ſuppoſitum. *Probatur antecedens*: quia hæ voces concretæ, *creator*, *gubernator*, *prædeſtinator*, *ſubſtantia*, *ens*, *accidens*, & ſimiles multæ, ſunt voces concretæ ſubſtantivæ: *uti patet*. Et

ta-

tamen in recto non ſignificant ſolum ſuppoſitum: ergo ſunt multæ voces concretæ ſubſtantivæ, quæ in recto non ſignificant ſolum ſuppoſitum. *Probatur minor*: quia vox concreta in recto ſignificat omnem illam rem, de qua verè poteſt prædicari: atqui iſtæ omnes præfatæ voces poſſunt verè affirmari, non ſolum de ſuppoſitis; ſed etiam de naturis ſuppoſitatis, ſignificatum earum formale habentibus; ergo iſtæ voces in recto non ſolum ſuppoſitum; ſed omne habens ſignificant. *Major eſt clara*; de qua multa dicam infra de prædicationibus agens. *Minor verò probatur*; quia ſicut verè dicimus, *Deus Pater eſt creator cæli & terræ*, *eſt univerſi gubernator*, *eſt prædeſtinator*, *&c.* Sic etiam verè ac catholicè dicimus, *Eſſentia divina eſt creatrix*, *eſt gubernatrix*, *prædeſtinatrix*, *&c.* Has enim propoſitiones invenit non ſolus Theologus in Conciliis & Sanctis patribus; ſed etiam ſimplex Sacerdos in miſſalibus & breviariis. Item ſicut verè dicimus, *homo eſt ens*, *homo eſt ſubſtantia*; ſic etiam verè dicimus, *humanitas*, *animalitas*, *rationalitas*, *&c. eſt ens*, *eſt ſubſtantia*. Ergo iſtæ voces verè affirmantur non de ſolis ſuppoſitis; ſed de quibuslibet earum formale ſignificatum habentibus.

29. *Neque ratio adducta, aliquid probat*: falſa quippe eſt major. Nam, *uti dixi diſp. 8. dub. 3.* voces non vocantur ſubſtantivæ, aut adjectivæ à re ſignificata, quæ ſint per ſe ſtans, vel adjacens; ſed à modo ſignificandi. Non nego pleraſque voces concretas ſubſtantivas, præſertim ſubſtantivas ſubſtantiales in recto ſignificare ſolum ſuppoſitum: tales enim ſunt omnes hæ: *homo*, *animal*, *Petrus*, *brutum*, *equus*, *aqua*, *ignis*, *&c.* Sed dico ſignificationem ſolius ſuppoſiti ad vocem concretam ſubſtantivam nullatenus requiri. *Unde difficultatem propoſitam reſolvo*, *& dico*: vocem concretam ſubſtantivam, & adjectivam definiendam eſſe conformiter ad dicta in *diſp.* 8. *dub.* 2. *&* 3. hoc modo: vox concreta ſubſtantiva eſt illa, quæ ſe ſola ſola apta eſt perficere ſenſum: vox adjectiva eſt illa, quæ, ut ſenſum perficiat, alicui alteri voci adiici debet. Sive hoc modo: vox concreta ſubſtantiva eſt illa, quæ in ſignificando imitatur entia per ſe ſtantia; vox verò concreta adjectiva eſt illa, quæ in ſignificando imitatur entia adjacentia.

DUBIUM VI.

Quodnam ſit ſignificatum rectum vocis concretæ ſubſtantivæ ſubſtantialis?

SECTIO I.

Senſus quæſtionis, ac variæ ſententiæ.

30. QUæro quodnam ſit ſignificatum rectum vocis concretæ ſubſtantivæ ſubſtantialis? Nam de vocibus concretis ſubſtantivis accidentalibus, quales ſunt hæ: *cantator*, *ſaltator*, *cantor*, *peccator*, *Epiſcopus*, *conſul*, aliæque ſimiles, nulla eſt difficultas. Hæ quippe voces pro ſignificato ſuo obliquo habent formam à ſe principaliter ſignificatam: pro ſignificato autem recto habent omnem illam rem, de qua poſſunt verè prædicari: ſive illa ſit ſuppoſitum, ſive non-ſuppoſitum; v. g. voces, *Epiſcopus*, *conſul*, *cantor*, *&c.* de formali & in obliquo ſignificant Epiſcopatum, conſulatum peritiam cantus, &c. de materiali verò, ac in recto ſignificant omne illud, de quo iſtæ formæ poſſunt verè affirmari, ac prædicari. *Ubi adverte obiter*: iſta nomina ſubſtantiva in or deſinentia pro ſuo formali ſignificato non importare actum, aut actionem: neque ſolam potentiam, aut habitualem peritiam faciendæ actionis; ſed ordinariè important potentiam, vel peritiam ſimul cum conſuetudine, munere, vel profeſſione talis actionis, v. g. voces *ſaltator*, *pictor*, *potator*, *&c.* de formali non cantionem, ſaltationem, pictionem, aut potationem: immò neque potentiam aut peritiam iſtarum actionum ſignificant: neque enim is vocatur potator, qui potare poteſt; ſed qui ordinariè potat, neque is vocatur pictor, cantor, ſaltator, aut equitator, qui iſta facere novit, ac poteſt; ſed qui iſta ex conſuetudine, vel profeſſione ac munere facit. Unde iſtæ voces de formali peritiam ſimul cum conſuetudine, vel profeſſione iſtarum actionum ſignificant. *De quo plura forſan alibi.*

31. Tota ergò difficultas vertitur de vocibus concretis ſubſtantivis ſubſtantialibus: quales ſunt voces, *homo*, *Deus*, *animal*, *equus*, *brutum*, *leo*, *lapis*, *planta*, *&c.* Difficultas tamen nulla fuiſſet unquam, niſi eam moviſſet Gabriel Vaſquez, ac jam ferè ſopitam excitaſſet Rodericus Arriaga. Eſt, inquam, difficultas hæc diſcuſſione digniſſima, & ex qua pendet reſolutio multarum difficultatum aliarum. Poteſtque moveri circa tria, quæ in ſignificato totali & adæquato ſimilium vocum involvuntur. Scilicet de toto ſuppoſito: de ſola natura: & de ſola ſuppoſitalitate. Hæc enim tria in iſtarum vocum adæquato ſignificato involvuntur. Prima ergo ſententia eſſe poteſt: quod ſimiles voces pro ſignificato recto habeant ſolam ſuppoſitalitatem, & pro ſignificato obliquo ſolam naturam ſuppoſitatam; ita ut hæ voces ſimplices, *homo*, *animal*, *equus*, *&c.* in ſignificando æquivaleant hiſce complexis: *ſuppoſitalitas habens humanitatem*, *animalitatem*, *equinitatem*, *&c.* Hæc tamen ſententia (ſaltem quod ego ſciam) à nullo, neque antiquo, neque recentiori Philoſopho aſſeritur: nullibi enim illam inveni, legi, aut audivi.

32. Et meritò quidem: nam ſi vera foret hæc opinio; vera quoque foret hæc prædicatio, *homo eſt ſuppoſitalitas*, *hæc ſuppoſitalitas* (demonſtrando meam, quam modo habeo) *eſt homo*. Atqui hæ propoſitiones ſunt falſiſſimæ: neque credo fore ut quis ſanus Philoſophus illas admittat; ac juſtificet. Ergo etiam falſa eſt iſta opinio. *Probatur ſequela majoris*: quia ad veritatem prædicationis affirmativæ conſtantis prædicato concreto, qualis eſt hæc; *hæc ſuppoſitalitas eſt homo*, ſolummodo requiritur identificatio extremorum quoád ſignificatum rectum, & ut ſignificatum formale prædicati inexiſtat ſignificato recto ſubjecti: *ut pluribus oſtendam*

infra de obligatione agens . Atqui ſi vox concreta *homo* in recto ſuppoſitalitatem, & in obliquo ſignificaret humanitatem; tunc iſtius prædicationis extrema identificarentur quoad ſignificatum rectum, ac ſignificatum formale prædicati ineſſet ſignificato recto ſubjecti: *uti manifeſtum eſt* . Ergo ſi vera foret iſta opinio, etiam vera foret iſta propoſitio; quod credo eſſe planè abſurdum.

33. *Prætereà*; ſi vera foret iſta opinio, darentur quædam voces concretæ, in quibus ſignificatum rectum ab obliquo ne quidem differret ratione; conſequens abſurdum eſt; ergo & id, unde ſequitur. *Patet minor*; quia iſta duo vocis concretæ ſignificata licet non debeant ſemper differre realiter; ſemper tamen debent differre ratione, in modo concipiendi, & ſignificandi, alioquin in eadem voce committeretur inutilis nugacitas; idem enim his ſignificaretur, ſemel quidem in recto, ac ſemel in obliquo. *Major verò probatur*; quia hæ voces *perſona & ſuppoſitum* ſunt duæ voces concretæ; atqui ſi vera foret iſta opinio, iſtæ duæ voces haberent ſignificatum rectum, etiam ſecundum rationem, identificatum cum obliquo; tam enim in recto, quam in obliquo ſignificarent perſonalitatem, & ſuppoſitalitatem; redderentque hunc ſenſum maniſeſtè nugatoriam; perſonalitas habens perſonalitatem, ſuppoſitalitas habens ſuppoſitalitatem. Ergo ſi iſta opinio foret vera, forent aliquæ voces concretæ habentes ſignificationem nugatoriam; utpotè tam in recto quam in obliquo ſignificantes planè idem.

34. *Dices*: quod juxta hanc opinionem voces *perſona & ſuppoſitum* ſignificent quidem perſonalitatem, ac ſuppoſitalitatem in obliquo; non tamen in recto: ſed in recto ſignificabunt naturam: reddentque hunc ſenſum, natura habens perſonalitatem, ac ſuppoſitalitatem: adeoque non habebunt ſignificationem nugatoriam. *Sed hæc non cohærent*: dico ergo, quod etiam in hac opinione deberent perſonalitatem, ac ſuppoſitalitatem ſignificare in recto. *Et probo*: quia voces *ſuppoſitum & perſona* debent, juxta hanc opinionem, in recto ſignificare illud, quod in recto ſignificant voces, *homo*, *equus*, *brutum*, *animal*, *&c.* Atqui juxta hanc opinionem, hæ voces in recto non naturam; ſed ſuppoſitalitatem, aut perſonalitatem ſignificant: ergo ſimiliter voces *perſona & ſuppoſitum* in recto non naturam; ſed ſuppoſitalitatem ſignificare deberent. *Probatur major*: quia omnis vox in recto ſignificare debet illud, quod in recto ſignificat alia vox, vel aliæ voces, de quibus verè prædicatur: prædicatum quippe & ſubjectum ſemper identificari debent in ſuo ſignificato recto. Atqui hæ voces *perſona* ac *ſuppoſitum* verè prædicantur ut de vocibus *homo*, *equus*, *brutum*, *animal*, *&c.* Ergo in recto ſignificare debent illud, quod in recto ſignificant iſtæ jam allegatæ voces.

35. Secunda ergo ſententia eſt Gabrielis Vaſquez *tomo* 2. *in* 1. *quæſt*. 39. *art*. 4. *diſp*. 157. *cap*. 4. *Et tomo* 1. *in* 3. *part*. *diſp*. 63. *cap*. 4. Quem ſequitur Rodericus Arriaga *in ſuis ſummulis diſp*. 1. *ſect*. 9. Qui volunt voces concretas ſubſtantivas ſubſtantiales in recto ſignificare naturam, & in obliquo perſonalitatem: ſeu ſuppoſitalitatem: ita ut hæ voces, *homo*, *animal*, *equus*, *brutum*, & ſimiles, reddant hunc ſenſum, humanitas, animalitas, equinitas, &c. habens ſuppoſitalitatem, vel perſonalitatem. Arriaga tamen ſuam ſententiam limitat; vult enim illa ſolummodo procedere, quando iſtæ voces ſupponunt pro aliquo homine, aut ſuppoſito purè creato; at verò quando ſupponuntur pro Chriſto, aut alio ſuppoſito divino, tunc ſententiam ſuam deſerit, meumque philoſophandi modum aſſumit. Sed de hoc *ſectione ſequenti*: ibi enim hanc ejus limitationem diſcutiam.

36. Tertia ſententia vult ſimilia nomina in recto totum ſuppoſitum; in obliquo verò ſignificare naturam ſuppoſitatam: ita ut hæ voces, *homo*, *animal*, *brutum*, *&c.* reddant hunc ſenſum: ſuppoſitum habens humanitatem, animalitatem, brutalitatem, &c. Ita S. Joannes Damaſc. *lib*. 3. *cap*. 11. Gregorius Ariminenſis *in* 1. *diſt*. 4. *quæſt*. *unica*. Sanctus Thomas ferè ubique, ita ut nullus Thomiſta huic ſententiæ poſſit contradicere 1. *part*. *quæſt*. 39. *art*. 4. *&* 5. *Et* 3. *part*. *quæſt*. 16. per omnes omnino articulos Gabriel *in* 3. *diſp*. 1. *quæſt* 2. *art*. 3. *dub*. 4. *ad* 2. *rationem*. Marſilius *ibidem quæſt*. 2. *art*. 3. *dub*. 2. Quos ſequitur Suarez *tom*. 1. *in* 3. *partem ad quæſt*. 16. *diverſis in locis*.

SECTIO II.

Reſolutio propoſitæ quæſtionis.

37. RESp. *& dico*: voces concretæ ſubſtantivæ ſubſtantiales in recto ſignificant ſuppoſitum; in obliquo verò naturam ſuppoſitam. *Probatur*: quia hæ prædicationes ſunt veræ ſecundum fidem catholicam, *homo eſt Deus*, *Deus eſt homo*, *Deus eſt animal*, *animal eſt Deus*, *&c.* Atqui veræ eſſe non poſſent, niſi voces *homo*, *& animal*, aliæque ſimiles concretæ ſubſtantivæ ſubſtantiales, in recto ſuppoſitum, & in obliquo ſignificarent naturam: ergò iſtæ, aliæque ſimiles voces taliter ſignificare debent. *Probatur minor*: quia ad veritatem prædicationis affirmativæ ſemper requiritur identificatio extremorum in ſignificatis rectis: *ut dicam latius infra*. *Id eſt*: requiritur, ut prædicatum in recto ſignificet illud ipſum, quod in recto ſignificat ſubjectum. Atqui ſi voces *homo & animal* in recto non ſuppoſitum, ſed naturam ſignificarent; tunc illæ prædicationes non haberent extrema identificata in ſignificatis ſuis rectis: ergo etiam iſtæ prædicationes non forent veræ. *Probatur minor*: quia vox *verbum* in recto ſignificat ſuppoſitum: ut nullus Catholicus negabit. Ergo, ſi voces *homo & animal* in recto ſignificarent humanitatem, ac animalitatem: iſtæ voces cum voce *verbum* non identificarentur in ſuis ſignificatis rectis. Oportet ergo dicere: quod in recto ſignificent humanitatis, ac animalitatis ſuppoſitum: tunc enim cum voce *verbum* identificantur in ſignificatis rectis: & ſic habetur veritas iſtarum propoſitionum.

38. *Arg. hoc præſenſit Arriaga*, *reſpondet ergo ad*

illud:

illud: quod voces *homo* & *animal*, aliæque ſimiles aliter ſignificent, dum prædicantur de Chriſto, aut Verbo, quam ſignificent, dum prædicantur de Joanne, & Petro, aut alio homine puro. De Chriſto enim prædicatæ, aut Verbo, inquit, ſignificant in recto quandoque naturam, quandoque ſuppoſitum; at verò prædicatæ de aliquo homine puro, ſignificant in recto ſolam naturam. *Aſt hæc evaſio, non ſolutio eſt*: neque enim ego video, quomodo, aut quare voces *homo* & *animal* aliter ſignificent prædicatæ de Chriſto, aut Verbo, quam prædicatæ de Petro, aut Joanne, aliovè ſubjecto purè creato. Nam ſignificare eodem modo, eſt utrobique audienti ingerere eundem conceptum: atqui in omnibus hiſce prædicationibus, *petrus eſt homo, petrus eſt animal, verbum eſt homo, verbum eſt animal, Chriſtus eſt homo, Chriſtus eſt animal, homo eſt animal, &c.* iſtæ voces *homo* & *animal* ubique eundem ſenſum, ac conceptum audienti ingerunt: ut quiſque ex propria experientia facilè noviſſe poteſt. Ergo etiam iſtæ voces ubique eodem modo ſignificant. Atqui ex mente Arriagæ iſtæ voces prædicatæ de Chriſto & Verbo in recto ſignificant ſuppoſitum: ergo ſimiliter id ipſum ſignificare debent, quandò prædicantur de aliquo ſubjecto purè creato.

39. *Præterea*: in omnibus hujus ſyllogiſmi propoſitionibus: *Omnis homo eſt animal: atqui verbum eſt homo: ergo verbum eſt animal*. Vox *homo* & vox *animal* ſignificant eodem modo: neque enim ullum variandæ ſignificationis hic ſe offert fundamentum. Atqui, *ut concedit Arriaga*, iſtæ voces in minori, & in concluſione pro ſuo ſignificato recto habent ſuppoſitum: ergo id ipſum etiam habent in majori: atqui in majori iſtæ voces ſupponuntur pro hominibus, & animalibus purè creatis: ergo iſtæ voces important ſuppoſitum in recto, etiam tunc cum pro rebus purè creatis ſupponuntur: *Et ratio à priori eſt*: quia nomina ſubſtantiva ſubſtantialia cum ſupponuntur pro verbo aut Chriſto, eo modo ſignificant, quo ex ſua primæva, ac originaria impoſitione ſignificare nata, & apta ſunt: ut enim rectè advertit Vaſquez *tomo 2. in 1. part. diſp.* 115. *cap.* 1. *num.* 4. nomina concreta ſubſtantiva non aliter ſignificant poſt revelationem myſterii, quam ſignificabant ante illius revelationem; ſed in ſua antiqua ac originaria ſignificatione permanentia, ad ſignificandum hoc myſterium fuere applicata. Atqui in hac applicatione & ſuppoſitione in recto ſignificant ſuppoſitum: ergo in recto ſignificant ſuppoſitum ex ſua primæva & originaria ſignificatione.

40. *Probatur concluſio ſecundò*: quia ſi homo aliquis ad unitatem perſonæ ſuæ aſſumeret aliquam brutalitatem (quod per Deum fieri poteſt) tunc inter naturam humanam & brutalem fieret communicatio idiomatum: veræque forent hæ prædicationes: *homo eſt brutum, brutum eſt homo, homo eſt equus, equus eſt homo, &c.* Atqui iſtæ prædicationes non poſſunt eſſe veræ, niſi voces *homo, equus, brutum*, in recto important ſuppoſitum; ergo ſimiles voces concretæ ſubſtantivæ ſubſtantiales in recto debent ſignificare ſuppoſitum. *Probatur minor*: quia iſtæ prædicationes non poſſunt eſſe veræ, niſi earum extrema identificentur in ſignificatis rectis: atqui, ſi iſtæ voces *homo, brutum, equus* in recto ſignificarent non ſuppoſitum, ſed humanitatem, brutalitatem, & equinitatem: tunc iſtarum prædicationum extrema non forent identificata in ſuis ſignificatis rectis: *uti eſt manifeſtum*. Ergo etiam iſtæ prædicationes non poſſent eſſe veræ; quæ tamen deberent eſſe veræ.

41. *Probatur tertiò*: quia ſi tales voces in recto naturam, & in obliquo ſignificarent ſubſiſtentiam ſeu ſuppoſitalitatem; veræ forent omnes hæ prædicationes: *humanitas eſt animal, equinitas eſt brutum, aliqua animalitas eſt homo*, & aliæ ſimiles. Atqui hoc abſurdum eſt: ut ſupponunt Suarez *tomo* 1. *metaph. diſp.* 6. *ſect.* 10. *num.* 3. Hurtado *diſp.* 3. *logica*, *ſect.* 3. Et antiqui Scholaſtici paſſim. Ergo etiam abſurdum eſſe debet, unde hoc ſequitur. *Sequelam majoris concedit Arriaga diſp.* 6. *logica*, *ſect.* 10. *ſubject.* 2. *nu.* 62. Eſt quippe clara & manifeſta: nam ad veritatem prædicationis affirmativæ conſtantis prædicato concreto, qualis eſt hæc, *humanitas eſt animal*, ſolùm requiritur, ut extrema identificentur in ſignificatis rectis, & ut ſignificatum obliquum prædicati inexiſtat ſignificato recto ſubjecti: atqui, ſi vox *animal* in recto *animalitatem*, & in obliquo ſignificaret ſuppoſitalitatem; tunc hujus prædicationis, *humanitas eſt animal*, extrema identificarentur in ſignificatis rectis: item & ſignificatum obliquum prædicati ineſſet ſignificato recto ſubjecti. Ergo iſtæ, aliæque ſimiles prædicationes, forent veræ.

42. Quod autem hujuſmodi prædicationum verificatio abſurdiſſima ſit, ut omittam omnium antiquorum ac recentiorum Philoſophorum auctoritatem, *adhuc oſtendo hac ratione*: quia ſi foret vera hæc prædicatio, *homo eſt animalitas*, etiam vera foret hæc: *verbum eſt animalitas, Deus eſt animalitas, eſt humanitas*, aliæque ſimiles. Atqui hoc abſurdum, ac contra fidem catholicam eſt; ergo & id, unde hoc ſequitur. *Probatur ſequela majoris*: quia ſi vera ſit hæc prædicatio *homo eſt animalitas*, ſtatim argumentabor: *omnis homo eſt animalitas: atqui verbum eſt homo: ergo verbum eſt animalitas*. Hic ſyllogiſmus eſt formaliter bonus: eſt enim in prima figura in modo *Darii*. Et ſecundum Arriagam, ambæ præmiſſæ ſunt veræ: atqui in ſyllogiſmo formaliter bono, ſi veræ ſint ambæ præmiſſæ, etiam vera debet eſſe concluſio: ex veris enim non ſequitur, niſi verum. Ergo, ſi vera foret hæc prædicatio, *homo eſt animalitas*, vera quoque foret hæc: *verbum eſt animalitas*. Quam conſtat apud omnes eſſe falſam ac hæreticam.

43. *Ac ratio tandem concluſionis à priori eſt*: quia, *ut ſupra dub.* 1. *dicebam*, omnis omninò vox concreta debet in obliquo ſignificare ſignificatum principale, quod in definitione vocis concretæ intelligitur nomine *forma*; & in recto ſubjecta iſta, de quibus forma prædicatur. Atqui forma principaliter ſignificata per vocem concretam ſubſtantivam ſubſtantialem, eſt natura: ſubjecta verò, de quibus forma iſta prædicatur, ſunt ſuppoſita naturæ. Ergo vox concreta ſubſtantiva ſubſtantialis in recto ſuppoſitum; & in obliquo

quo

quo debet ſignificate naturam. Deceptus eſt ergo Gabriel Vaſquez in hac argumentatione, qua ſæpè utitur: *voces concretæ ſubſtantivæ ſubſtantiales ſignificant naturam directè; ſuppoſitum verò ſolummodò connotant, ſeu conſignificant: atqui ſignificatum directum debet eſſe ſignificatam rectum: ergo iſtæ voces roncretæ in recto ſignificare debent naturam*. Falſiſſima enim eſt minor: licet enim ſignificatum directum (ita enim Vaſquez vocat ſignificatum principale) & rectum coincidant in vocibus abſtractis; in concretis tamen nunquam eoincidunt: ſed ibi ſignificatum directum ſemper eſt obliqnum, & ſignificatum rectum eſt ſolummodò conſignificatum, ſive in pbraſi Vaſquez, connotatum: *uti dixi dubio* 1.

44. Et ſanè, ſi in voce concreta ſubſtantiva ſubſtantiali ſignificatum directum deberet coincidete cum ſignificato recto; vel hoc ipſi competeret ex ratione generali vocis concretæ. Et hoc non: cum ſint multæ voces concretæ ſuum ſignificatum directum ſignificantes in obliquo: quales ſunt hæ, *album*, *dulce*, *ſtans*, *ſedens*, &c. Vel hoc ipſi competeret ex ratione vocis ſubſtantivæ. Et hoc etiam non: quia ſunt etiam multæ voces ſubſtantivæ ſuum ſignificatum directum ſignificantes in obliquo: quales ſunt hæ; *creator*, *cantor*, *Epiſcopus*, *conſul*, &c. De quibus dixi *ſect*. 1. Vel hoc competeret illi ex ratione vocis ſubſtantialis. Et hoc etiam non: cum ſint etiam multæ voces ſubſtantiales ſuum ſignificatum directum ſignificantes in obliquo. Quales ſunt hæ: *rationale*, *viſibile*, *ſenſitivum*, aliæque ſimiles voces ſubſtantiales adjectivæ. Ergo in voce concreta ſubſtantiva ſubſtantiali nulla eſt ratio, cur deviet à ſignificatione ordinaria vocis concretæ: cur in illa coincidant ſignificatum rectum & directum.

SECTIO III.

Solvuntur argumenta facta contra concluſionem.

45 OBjicies primò, *ex Vaſquez* 3. *part. quæſt.* 16. *art.* 5. *diſp.* 63. *cap* 4 *num.* 23 Si tres divinæ perſonæ aſſumerent eandem humanitatem, tunc verum eſſet dicere, *tres divinæ perſonæ ſunt unus homo*, & *unus homo ſunt tres divinæ perſonæ:* ſicut nunc eſt verum dicere, *tres perſonæ ſunt unus Deus*, & *unus Deus ſunt tres perſonæ*. Atqui ſi vox *homo*, aliæque ſimiles concretæ ſubſtantivæ ſubſtantiales in recto importarent ſuppoſitum, tunc illæ prædicationes forent falſæ: deberent enim tunc tres perſonę dici non unus homo; ſed tres homines: forent quippe tria ſuppoſita humanitatis. Ergo vox *homo* nequit in recto ſignificare ſuppoſitum. *Reſp. cum Gabriele*, & *Marſilio*, *locis ſupra citatis*, *negando majorem*: in iſto enim caſu tres divinæ perſonæ non forent unus homo; ſed tres homines; eo modo quo tres parietes, ſi haberent eandem numero albedinem, non forent unum album; ſed tria alba. Sed de hoc hic calamum cobibeo, laxaturus illum infra, cum de appellatione logica erit ſermo. Ubi etiam aſſignabo efficacem rationem, cur tres perſonæ potiùs modò dici debeant unus Deus, quam in iſto caſu diceretur unus homo.

46. *Objicies ſecundò*: eadem res per eandem vocem non poteſt ſignificari bis; ſemel in recto, & ſemel in obliquo: atqui ſi voces concretæ ſubſtantivæ ſubſtantiales in recto ſuppoſitum, & in obliquo ſignificarent naturam; tunc eadem res in eadem voce foret ſimul ſignificatum rectum & obliquum: ergo iſtæ voces non poſſunt in recto ſignificate ſuppoſitum. *Probatur minor*: quia ſecundum nos, per tales voces natura ſignificatur in obliquo: atqui eadem etiam natura ſignificatur in recto: ergo eadem res in eadem voce eſt ſimul ſignificatum rectum & obliquum. *Probatur minor*: quia tales voces in recto ſignificant ſuppoſitum: atqui natura eſt pars ſuppoſiti: *uti patet*. Ergo per tales voces natura ſignificata in obliquo, etiam ſignificatur in recto. *Reſp. diſtinguendo majorem*: eadem res realiter non poteſt per eandem vocem ſignificari bis: *ſic nego*. Nam, *ut dixi ſupra dub*. 2. in voce concreta ſignificatum rectum & obliquum ſæpè non differunt realiter. Eadem res re & ratione non poteſt per eandem vocem ſignificari bis: *Sic concedo*. Nam, *ut ſupra ſect*. 1. *dixi*, ſignificatum rectum & obliquum vocis concretæ diſtingui debent ad minus ratione: alioquin committeretur inutilis nugacitas. *Quo poſito nego minorem, ac ad probationem dico*: licet natura per iſtas voces ſignificetur & in recto, & in obliquo; ſignificatur tamen ſub diverſa ratione: nam in recto ſignificatur ſecundùm rationem univerſalem, ac planè communem; at verò in obliquo ſignificatur ſecundùm rationem ſibi propriam, ac ultimò ſui conſtitutivam: verb. gr. vox *homo*, vox *animal*, vox *equus*, &c. ſignificant in recto ſuppoſitum humanitatis, animalitatis, equinitatis: adeoque cum humanitas, animalitas, equinitas ſint pars ſui ſuppoſiti, per iſtas voces etiam ſignificantur in recto; ſed ſignificantur in recto non ſecundum illam rationem, aut formalitatem, ſecundùm quam ſignificantur in obliquo: in obliquo quippè ſignificantur ſecundùm rationes ſuas ultimas, quatenus humanitas, animalitas, equinitas ſunt. In recto verò ſignificantur ſecundùm generalem rationem naturæ ſubſtantialis in communi: quæ duæ rationes ſive formalitates licet non differant in re; differunt tamen in modo concipiendi.

47. Ne putes tamen à me hic aſſeri, quod in iſtis vocibus concretis ſignificatum rectum non differat realiter à ſignificato obliquo. Si quippe hoc dicerem, falſum dicerem: differunt enim hæc duo ſignificata realiter inadæquatè, ſicut includens & incluſum. Nam ſignificatum rectum eſt totum ſuppoſitum, obliquum verò eſt ſola natura: inter quæ eſt diſtinctio realis inadæquata. Quod dixi ergo, eſt hoc: in iſtis concretis vocibus ſignificatum obliquum non diſtingui realiter à ſignificato recto inadæquato, ſive ab altera parte adæquati ſignificati recti. Et hoc veriſſimum eſt: nam ſignificatum obliquum eſt natura; ſignificatum rectum eſt ſuppoſitum: & partes ſuppoſiti ſunt natura & ſuppoſitalitas: ergo in iſtis vocibus ſignificatum obliquum non diſtinguitur realiter ab altera parte ſignificati recti; & totum ſignificatum rectum à ſignificato obliquo realiter inadæquatè differt.

48. *Objicies tertiò*: voces *homo*, *animal*, *brutum*, *equus* in recto ſignificant idem, quod ſignificant voces *ſuppoſitum* & *perſona*: hæ enim omnes voces de ſeſe mutuo verè prædicantur: *ut dixi ſect.* 1. Atqui hæ voces in recto non ſignificant ſuppoſitum: ergo neque iſtæ illud ſignificare poſſunt. *Probatur minor*: quia nihil per eandem vocem poteſt ſignificari bis: atqui ſi hæ voces *ſuppoſitum* & *perſona* in recto ſignificarent ſuppoſitum, ac in obliquo ſuppoſitalitatem, ac perſonalitatem; tunc eadem res, eademque formalitas, eadem nimirum ſuppoſitalitas, per eandem vocem ſignificaretur bis: ſemel ex parte ſignificati recti, & ſemel ex parte ſignificati obliqui. Ergo iſtæ duæ voces non poſſunt in recto ſignificare ſuppoſitum. *Reſp. eo modo quo reſpondi ad argumentum præcedens*: in voce concreta ſignificatum rectum & obliquum debere diſtingui quandoque realiter, quandoque ratione: quandoque adæquatè, quandoque inadæquatè. Et ita dico fieri in hiſce vocibus, *perſona* & *ſuppoſitum*: nam hæ voces hunc reddunt ſenſum: ſuppoſitum habens perſonalitatem, ſuppoſitum habens ſuppoſitalitatem. Unde earum ſignificatum rectum eſt ſuppoſitum; obliquum verò eſt ſuppoſitalitas & perſonalitas: quæ differunt non ſolum ex parte modi concipiendi & ſignificandi; ſed etiam ex parte rei: non quidem adæquatè; ſed inadæquatè.

SECTIO IV.

De ſignificatione vocis Deus, *& vocis* homo.

49. PRo coronide hujus dubii abſolvendæ ſunt adhuc duæ difficultates. Prima concernit vocem *Deus*: & quærit, an hæc vox concreta ſubſtantiva ſubſtantialis *Deus* ſignificet eo modo, quo ſignificant aliæ tales voces, ſcilicet in obliquo naturam divinam, & in recto ſuppoſita naturam iſtam ſuppoſitantia? *Et ratio dubitandi eſt*: quia in ſignificatis & ſignificatione vocis *Deus* Sancti Patres, ac Theologi Scholaſtici cum tota Eccleſia Catholica ſemper adverterunt eſſe aliquid particulare: unde etiam ſemper de hujus vocis ſignificatione, ac ſignificatis aliter philoſophati ſuere, quam de ſignificatis, ac ſignificandi modo aliarum vocum concretarum ſubſtantivarum ſubſtantialium. Quæritur ergo hic, quodnam ſit ſignificatum, tam rectum, quam obliquum, vocis *Deus*?

50. *Durandus in* 1. *diſt.*26. *quæſt.*1. *num.*6. cui etiam adhærent quidam recentiores Thomiſtæ, vult non debere diſtingui inter ſignificata vocis *Deus*, & aliarum ſimilium vocum: adeoque dicit vocem *Deus* in obliquo divinitatem, ac in recto ſignificare ſuppoſita; ſicut vox *homo* in obliquo humanitatem, ac in recto ejus ſignificat ſuppoſitum. Et profectò Durando favere videtur S. Damaſcenus *lib.*3. *fidei cap.*11. per hæc verba: *Deitas quidem naturam manifeſtat, Pater autem hypoſtaſim, Deus autem & in commune naturæ ſignificat, & in unaquæque hypoſtaſeon ordinatur denominativè. Quemadmodum & homo: Deus enim eſt, qui divinam naturam, & homo qui humanam habet.*

51. Cardinalis verò Cajetanus 1. *part. qu.*39. *art.*4. Item 3. *part. quæſt.*2. *art.*2. Et *quæſt.*3. *art.*2. & 3. Quem ſequitur doctiſſimus vir Joannes Rada *tomo* 1. *cont.*12. *art.*1. dicit vocem *Deus* in recto non ſignificare immediatè perſonas; ſed ſubſiſtens abſolutum commune tribus divinis perſonis. Vult enim Cajetanus, & benè, in Sanctiſſima Trinitate præter tres ſubſiſtentias relativas, notionales, ac incommunicabiles, quas vocare ſolemus ſuppoſitalitates, hypoſtaſes, ac perſonalitates, quarum officium, ac effectus, vel quaſi effectus formalis eſt, perſonas divinas facere eſſe ſubſiſtentes incommunicabiliter & relativè, eſſe adhuc aliam quandam ſubſiſtentiam abſolutam, eſſentialem, ac communicabilem omnibus tribus divinis perſonis: cujuſque officium, ac quaſi formalis effectus eſt, non perſonas, ſed communem eſſentiam facere eſſe ſubſiſtentem. Hoc ergo ſuppoſito vult Cajetanus vocem *Deus* in obliquo divinam naturam, & in recto immediatè ſignificare conſtitutum ex natura divina & hac communicabili ſubſiſtentia: quod conſtitutum ordinariè vocare ſolemus ſubſiſtens abſolutum, & communicabile.

52. Dixi, *vocem Deus habere hoc conſtitutum pro ſuo ſignificato recto immediato*: quia diſtinguit Cajetanus in voce *Deus* duo ſignificata recta; immediatum ſcilicet, & mediatum: ſive proximum ac remotum. Significatum ejus in recto immediatum eſt ſubſiſtens abſolutum: *Ut jam dixi*. Mediatum verò ſignificatum in recto ſunt ſubſiſtentes relativi, ſive perſonæ. In quo differt vox *Deus* à vocibus, *homo*, *animal*, *brutum*, *equus*, aliiſque ſimilibus. In his quippe vocibus non eſt diſtinguere duplex hoc ſignificatum in recto: habent enim unicum ſolummodò ſignificatum rectum; quod eſt ſuppoſitum, ſive perſona. Unde quamtumvis eadem humanitas, aut animalitas aſſumeretur & ſuppoſitaretur à tribus perſonis, ſive creatis, ſive divinis; necdum vox *homo* aut *animal* pro ſuo ſignificato recto immediato haberet aliquod ſubſiſtens in humanitate aut animalitate abſolutum; ſed immediatè in recto ſignificaret perſonas: cum tale ſubſiſtens inter perſonas & humanitatem perſonatam, nullum intermediaret.

53. Sententia hæc mihi per omnia placet. Ac etiam (licet non per omnia tamen) placuit Gabrieli Vaſquez *tomo* 2. *in* 1. *part. diſp* 156 *cap.*2. Et Ludovico Molinæ *tomo* 2. *in* 1. *part. quæſt.*39. *art.*4. *diſp.*2. Licet *quæſt.* 36. *art.*4. *diſp.* 4. aliter videatur loqui. *Reſp ergo & dico*: iſtam vocem *Deus* in obliquo divinitatem; in recto verò ſignificare immediatè ſubſiſtens abſolutum: mediatè autem divina ſuppoſita. *Prima pars probatur*: quia omnis vox concreta ſubſtantiva ſubſtantialis in recto ſignificat immediatè illud ſubſiſtens, per quod ſignificatum ejus formale ſubſiſtit; *uti facilè patere poteſt inductione omnium hujuſmodi vocum*. Atqui ſignificatum formale vocis *Deus* eſt deitas: ergo vox *Deus* in recto ſignificat illud ſubſiſtens immediatè, per quod deitas ſubſiſtit: atqui deitas non ſubſiſtit per divinas ſuppoſitalitates, aut divina ſuppoſita; ſed per ſubſiſten-

Digitized by Google

ſtentiam abſolutam, ac per ſubſiſtens abſolutum: ſuppoſitalitates enim ſunt ſubſiſtentiæ, non divinæ naturæ; ſed divinarum perſonarum: ut elegantiſſimè tradit idem Joannes Rada *tomo* 3. *controverſ.* 2. *art.* 2. Ergo vox *Deus* in recto immediatè ſignificare debet non divina ſuppoſita; ſed hoc ſubſiſtens abſolutum.

54. Et hæc eſt ratio, inquit, idem Rada *tomo* 1. *ſupra citato*, cur ſi tres Divinæ Perſonæ ad unitatem ſuppoſiti ſui aſſumerent eandem humanitatem, vox *homo* ſignificaret immediatè in recto non aliquod ſubſiſtens abſolutum & communicabile, ſed immediatè ipſa divina ſuppoſita. *Ratio*, inquam, *eſt hæc*: quia vox concreta ſubſtantiva ſubſtantialis in recto immediatè ſignificat illud ſubſiſtens, illamque ſubſiſtentiam, per quam ſubſiſtit ſignificatum ejus formale: atqui in caſu, quo eadem humanitas aſſumeretur à tribus perſonis divinis, tunc humanitas non ſubſiſteret per ſubſiſtentiam abſolutam; ſed per ſubſiſtentias relativas: ſubſiſteret, inquam, per divinas ſuppoſitalitates, ſeu perſonalitates. Ergo etiam iſto caſu vox *homo* in recto immediatè ſignificaret non aliquod abſolutum ſubſiſtens; ſed divina ſuppoſita, ſive perſonas. *Patet minor*: quia iſto caſu humanitas ſubſiſteret per ſubſiſtentiam iſtius ſubſiſtentis, à quo ad unitatem ſubſiſtentiæ aſſumeretur: atqui in iſto caſu aſſumeretur non à ſubſiſtente abſoluto; ſed à ſuppoſitis ſeu perſonis: ergo etiam ſubſiſteret non per ſubſiſtentiam abſolutam; ſed per ſuppoſitalitates ſive perſonalitates.

55. *Et hinc ulterius patet*: dabilem eſſe caſum, in quo voces, *homo* & *animal*, aliæque ſimiles, in ſignificando æquiparentur per omnia voci *Deus*. Pone enim, aliquam humanitatem uniri non alicui divinæ ſuppoſitalitati; ſed ſubſiſtentiæ eſſentiali abſolutæ (quem caſum poſſibilem eſſe docent quamplurimi Theologi non infimæ notæ) tunc vox *homo*, & vox *animal* in recto immediatè ſignificabunt ſubſiſtens abſolutum & ſuppoſita ſolummodo mediatè: ſicut jam dixi de voce *Deus*. *Et probatur eodem argumento*: quia vox concreta ſubſtantiva ſubſtantialis in recto immediatè ſignificat illud ſubſiſtens, per cujus ſubſiſtentiam ſubſiſtit immediatè ſignificatum ejus formale: atqui iſto caſu humanitas & animalitas immediatè non per ſuppoſitalitates; ſed per ſubſiſtentiam abſolutam ſubſiſterent; ergo etiam vox *homo*, & vox *animal* in recto non divina ſuppoſita; ſed ſignificarent immediatè ſubſiſtens abſolutum.

56. *Probatur etiam ſecunda concluſionis pars, ſcilicet quod hoc nomen* Deus *divina ſuppoſita in recto ſignificet mediatè*. Quia vox *Deus* in recto ſignificat divina ſuppoſita: atqui, *ut oſtenſum eſt*, non ſignificat illa immediatè: ergo ſignificat illa mediatè. *Probatur major*: quia omnis vox in recto ſignificat illam rem, de qua prædicatur: *uti quippè jam dixi aliquoties*, in prædicatione affirmativa prædicatum, & ſubjectum ſemper idem ſignificatum rectum habere debent. Atqui vox *Deus* affirmativè prædicatur de divinis ſuppoſitis: ergo in recto ſignificat ſuppoſita. *Præterea*: vox *Deus* in modo ſuo ſignificandi reſpicit divina ſuppoſita; ſicut vox *homo*, aut alia quævis vox communis reſpicit ſua individua; ut tradunt ſcholaſtici communiter omnes: Sanctus Thomas 1. *part. quæſt.* 39. *art.* 4. Gregorius Arim. *in* 1. *diſt.* 4. *quæſt. unica*. Gabriel *quæſt.* 2. *art.* 2. *concluſione* 2. Et expreſſiſſimè in terminis Ludovicus Molina *tomo* 2. *in* 1. *part. quæſt.* 23. *art.* 4. *diſp.* 2. Atqui vox communis ſua individua non ſignificat immediatè; ſed ſolummodò mediatè: ergo ſimiliter iſta vox *Deus* divina ſuppoſita ſignificabit ſolummodò mediatè.

57. *Et ratio à priori eſt*: quia voces concretæ ſubſtantivæ ſubſtantiales ſicut in recto ſignificant immediatè illud ſubſiſtens, in quo earum formale ſignificatum ſubſiſtit immediatè; ita in recto ſignificant mediatè illud ſubſiſtens, in quo earum formale ſignificatum ſubſiſtit mediatè: atqui Deitas principale ac formale ſignificatum vocis *Deus* licet non ſubſiſtat per divinas ſuppoſitalitates; ſubſiſtit tamen in divinis ſuppoſitis: ut eleganter tradit Rada *tomo* 3. *citato*. Ergo vox *Deus* debet in recto ſignificare divina ſuppoſita ſaltem mediatè. Hic calamum ſiſto & multa adducenda non adduco: quia negotium hoc non planè ſummuliſticum; ſed etiam Theologicum eſt. Diſputari hic etiam poſſet de ſuppoſitione vocis *Deus*: quomodò ſcilicet pro divinis ſuppoſitis ſupponatur? Sed alibi forſan erit locus magis opportunus.

58. Alteram difficultatem, quæ tangit vocem *homo*, monet nobis Petrus VVadingus, Summuliſta hinc inde non inconditus; *in ſuo tract. de divina Incarnat. diſp.* 13. *dub.* 3. Ubi vult, quod vox *homo* olim fuerit ſynonima cum voce *humanitas*, vel certè quod habuerit duas ſignificationes, ſeu impoſitiones: unam, qua ſignificabat ſuppoſitum humanitatis; alteram, qua ſolam humanitatem ſignificabat. *Fundamentum, quo movetur, eſt hoc*: vocum impoſitionem ac ſignificationem noviſſe oportet ex communi uſu virorum doctorum: atqui omnes Sancti Patres paſſim uſurpant vocem *homo*, ut ſit ſynonima voci *humanitas*: ergo vel olim fuit ſynonima, vel habuit duas impoſitiones modo jam dicto. *Major eſt clara*. *Minorem probat*: quia apud omnes Sanctos Patres vulgatiſſima eſt hæc propoſitio, *Deus aſſumpſit hominem*. Quæ falſa an hæretica eſt, niſi in ea vox *hominem* ſit ſynonima cum voce *humanitatem*. Additque aliqua Patrum teſtimonia, dicentium vocem *homo* aliquandò pro natura, aliquandò pro perſona uſurpari; aliquandò ſignificare hanc, aliquandò illam.

59. Modum hunc loquendi non damno, non arguo: attamen magis crediderim vocem *homo* iſtas duas impoſitiones, ſeu ſignificationes non habuiſſe; ſed ſemper ex ſua originaria impoſitione ſignificaſſe ſuppoſitum humanitatis: ſuppoſitum quidem in recto; humanitatem verò in obliquo. Cui nihil officit, quod Sancti Patres eam quandoque pro ſola humanitate uſurparint: ex hoc enim duæ impoſitiones illi nullatenus debent aſſignari. Alioquin enim oporteret non ſolum voci *homo*; ſed etiam cuicumque alteri voci concretæ, tam ſubſtantiali, quam accidentali, tam ſubſtantivæ, quam adjectivæ, aſſignare duas diverſas impoſitiones: alteram, qua ſubie-

Digitized by Google

biectum aut ſuppoſitum; alteram, qua ſignificarent formam. Quam tamen impoſitionum dualitatem non credo à VVadingo fore admittendam. *Quod tamen admittenda foret, eſt evidens:* quia omnis omninò vox concreta ſupponitur, ac uſurpatur quandoque pro ſolo ſuo ſignificato materiali; quandoque pro ſolo formali; quandoque pro utroque ſimul. Exempla non adduco: quia longum foret, ac paſſim obvia ſunt. Ergo ex diverſitate ſuppoſitionis ſeu uſurpationis colligi non poteſt diverſitas impoſitionis.

60. *Et ratio à priori eſt*; quia, *ut ſupra aliquoties dixi, & infra adhuc magis dicam*, uſurpatio ſeu ſuppoſitio vocis habet ſe ad vocem, ſicut approximatio, ſeu applicatio habet ſe ad cauſſam: atqui cauſſa, dum applicatur ad cauſſandum, non ſemper applicatur ad cauſſandos omnes effectus, quos cauſſare poteſt: neque ſemper omnes iſtos effectus actu cauſſat. Ergo ſimiliter vox non ſemper uſurpari, ac ſupponi debet ad ſignificanda omnia ſignificata, quæ ſignificare poteſt: neque ſemper omnia iſta actu ſignificat. Et ſic voces concretæ ex vi ſuæ impoſitionis potentes ſignificare duo ſignificata, materiale ſcilicet & formale, aliquando ad tantummodò hoc; aliquandò ad tantummodò illud ſignificandum ſupponuntur: & aliquandò hoc; aliquandò ſolummodò iſtud actu ſignificant. *De quo alias forſan plura.*

DUBIUM VII.

De quadam vocis abſtractæ diviſione.

61. VOx abſtracta paſſim dividitur à Summuliſtis in vocem abſtractam prima abſtractione, & in vocem abſtractam abſtractione ultima. *Pro cujus diviſionis intellectu breviter ſciendum eſt*: quod quælibet vox concreta habeat ſignificata ſecundaria duplicis generis. Aliqua ſe tenent ex parte ſignificati materialis, ſeu recti: qualia ſunt ipſum ſignificatum materiale, omniaque ipſius ſuperiora, ac inferiora. Aliqua verò ſe tenent ex parte ſignificati formalis: qualia ſunt omnia ſignificati formalis inferiora, ac ſuperiora; item omnia ejus connotata: non tamen ipſum ſignificatum formale Hoc enim cum ſit vocis concretæ ſignificatum primarium, nequit eſſe ſecundarium; verb. gr. in voce concreta *album*, albedo eſt ſignificatum formale & principale; at verò paries, homo, nix, cycnus, equus, cæteraque albedinis ſubjecta ſunt vocis *album* ſignificata ſecundaria ſe tenentia ex parte ſignificati recti: item hæc & iſta albedo, item color, qualitas, omniaque alia albedinis ſuperiora, ac inferiora ſunt iſtius vocis ſignificata ſecundaria tenentia ſe ex parte ſignificati formalis. Similiter in voce *rationale* rationalitas ſignificatum obliquum, ac primarium eſt; at verò homo, animal, Petrus, aliaque omnia ſubjecta, de quibus *rationale* prædicari poteſt: item hæc & iſta rationalitas, item operationes rationales, quæ rationalitatis connotatum ſunt, ſunt iſtius vocis ſignificata ſecundaria.

62. *Ubi etiam obiter notare poteris:* quid vocetur vocis alicujus connotatum. Nihil ergo apud Nominales (*connotatum quippe horum inventum eſt*) eſt aliud, quam alicujus vocis ſignificatum obliquum ſimul & ſecundarium; verb. gr. reſpectu vocis *rationale* aut *rationalitas*, ratiocinatio vel operatio rationalis eſt connotatum: quia eſt ejus obliquum, ac ſimul ſecundarium ſignificatum. Rationalitas enim eſt potentia elicitiva ratiocinationis: uti vides ratiocinationem ſignificari in obliquo, ac ſimul ſecundariò: id enim, quod primariò ſignificatur, eſt ipſa ratiocinandi potentia. Similiter in voce *animal*, aut *animalitas*, ſenſatio, ſeu operatio ſenſitiva eſt connotatum: quia animalitas nihil eſt aliud, quam potentia elicitiva ſenſationis: ubi ſenſationem etiam in obliquo, ac ſecundariò importari vides. Debet ergo connotatum eſſe ſignificatum obliquum ſimul & ſecundarium. Neque enim ſatis eſt, quod ſolummodò obliquum ſit quia ſignificatum obliquum eſt ſæpiſſimè ſignificatum primarium; quod non poteſt eſſe connotatum. Item non ſatis eſt, quod ſit ſolummodò ſignificatum ſecundarium: quia ſignificatum ſecundarium ſæpiſſimè eſt ſignificatum vocis rectum; quod nunquam conſuevere Nominales vocare connotatum.

63. *His poſitis*, moderni Summuliſtæ præfatam vocis abſtractæ diviſionem explicant hoc modo: vocem abſtractam prima abſtractione vocant illam, quæ quidem abſtracta eſt, ac ſeparata à ſignificatione ſignificatorum ſecundariorum, ſe tenentium ex parte ſignificati recti vocis concretæ ſibi correſpondentis; non tamen à ſignificatione eorum, quæ ſe tenent ex parte ſignificati formalis. Vocem ſecunda, ac ultima abſtractione abſtractam vocant illam, quæ ab omnis omninò ſecundarii ſignificati ſignificatione eſt abſtracta, ac diviſa; verb. gr. vox *albedo* vox primæ abſtractionis eſt: quia licet neque hominem, neque nivem, neque parietem, neque ullum albedinis ſubjectum ſignificet, quæ ſunt ſignificata ſecundaria vocis *album* in recto; ſignificat tamen adhuc hanc & iſtam albedinem, colorem, qualitatem, &c. Quæ ſunt ſignificata ſecundaria vocis *album* in obliquo. At verò vox *albedinitas* vox ultimæ abſtractionis eſt: quia nullum omninò ſignificatum ſecundarium vocis *album* ſignificat; ſed ſolummodò albedinitatem purè, ac nudè ſecundùm ſe. Ita hanc diviſionem noviſſimè nobis explicat Laurentius Gyſſeus *in ſuis ſumm. tract. 2. ſect. 7. art. 2.* Et alii Lovanienſes ipſum paſſim ſequuntur.

64. *Reſp. tamen & dico 1.* hæc diviſio ſic explicata nihil valet: non enim dantur, neque dari poſſunt voces abſtractæ tali ultima abſtractione. *Probatur:* quia vox abſtracta hac ultima abſtractione eſt vox abſtracta nullum omninò habens ſignificatum ſecundarium: atqui nulla omninò abſtracta eſt, aut eſſe poteſt, quæ omni omninò ſecundario ſignificato careat: vox quippè *albedinitas* revera talis non eſt. Ergo nulla datur vox abſtracta hac ultima abſtractione. *Probatur minor:* quia omnis omninò vox,

ſive

Digitized by Google

ſive concreta, ſive abſtracta ſit, pro ſuo principali ſignificato habere debet vel rem aliquam ſingularem, vel univerſalem: inter hæc duo enim nullum datur medium. Atqui vox principaliter ſignificans rem univerſalem, pro ſignificatis ſecundariis habet iſtius rei inferiora; vox verò principaliter ſignificans rem ſingularem, pro ſignificatis ſecundariis habet iſtius rei ſuperiora: ergo nulla omninò vox abſtracta dari poteſt omni omninò ſecundario ſignificato carens.

65. *Minor hujus argumenti pro utraque ſui parte probatur:* quia voces ſingulares etiam ſignificant formæ ſingularis à ſe primariò ſignificatæ ſuperiora: item voces univerſales etiam formæ univerſalis à ſe primariò ſignificatæ ſignificant inferiora. Atqui, *ut manifeſtum eſt*, non ſignificant illa primariò: ergo illa ſignificare debent ſecundariò: ergo voces ſingulares pro ſuis ſecundariis ſignificatis habent ſui ſignificati primarii ſuperiora; & voces univerſales ſui primarii ſignificati inferiora. Hinc enim vocum univerſalium ſuppoſitio perſonalis pro inferioribus, vocari ac definiri ſolet ſuppoſitio pro ſignificatis ſecundariis. *Probatur major*: quia omnis omninò vox ſignificat omnem illam rem, de qua verè prædicatur, aut cui verè ſubjicitur: nam, *uti jam dixi aliquoties*, prædicatum ac ſubjectum ſemper identificari debent in ſignificato recto. Atqui voces ſingulares ſubjiciuntur verè ſuis ſuperioribus; & voces univerſales verè prædicantur de ſuis inferioribus: ergo vox ſingularis ſua ſuperiora, & univerſalis etiam ſignificat ſua inferiora.

66. *En quo etiam in particulari oſtendi poteſt*: quod vox *albedinitas* (hæc quippe ordinarium vocis ultimò abſtractæ exemplum eſt) habeat aliqua ſignificata ſecundaria. Nam ſicut vox *albedo* principaliter albedinem in communi, & ſecundariò hanc & iſtam albedinem ſignificat; ita etiam vox *albedinitas* principaliter albedinitatem in communi, ac ſecundariò hanc & iſtam ſignificat albedinitatem: licet tamen id gratis neget Laurentius, ubi ſupra. Unde non video in quo ſignificatio vocis *albedinitas* differat à ſignificatione vocis *albedo*: credo ergo illa eſſe planè ſynonimas. *Quod ergo ita ſit, probo:* quia omnis vox ſignificat illas res, de quibus prædicatur: atqui ſicut vox *albedo* de hac & iſta albedine; ita vox *albedinitas* de hac & iſta prædicatur albedinitate: ergo ſicut vox *albedo* hanc & iſtam albedinem; ita vox *albedinitas* hanc & iſtam ſecundariò ſignificat albedinitatem: duæ ergo hæ voces in nullo planè differunt.

67. *Objicies*: voces ſignificant id, quod homines per illas ſignificare volunt: ſignificant quippe id ad quod ſignificandum ſunt impoſitæ, ac ab hominibus deputatæ. Atqui poſſunt homines deputare aliquam vocem ad ſignificandum ſolummodò aliquid ſingulare, vel univerſale: hoc ſine ſuis inferioribus; iſtud ſine ſuis ſuperioribus. Hoc quippe quin fiat, quid implicat? Nam uti intellectus poteſt concipere ſingulare ſine univerſali, & è contra; ita voluntas poteſt deputare vocem ad ſignificandum univerſale ſine ſuis ſingularibus. Ergo dari poteſt vox nullum habens ſignificatum ſecundarium. *Reſp.* *negando minorem*: nam, *uti jam ſatis dixi*, impoſſibile eſt, ut vox ſignificet formam prædicabilem, aut ſubjicibilem, & non ſignificet ſaltem ſecundariò omnia ſubjecta, de quibus poteſt prædicari, omniaque prædicata, quibus poteſt ſubjici.

68. *Et ratio à priori eſt:* quia velle per vocem aliquam ſignificare inferius, ac nolle ſignificare ſuperius, aut è contra: verb.gr. per vocem *homo* velle ſignificare humanitatem, & nolle ſignificare animalitatem, ſunt voluntates incompoſſibiles, ac repugnantes: ſicut ſunt velle producere hominem, & nolle producere animal: velle in domo ſua habere equum aut canem, & nolle habere brutum. Ergo impoſſibile eſt, ut quis per aliquam vocem velit ſignificare inferius, & nolit ſaltem ſecundariò ſignificare ſuperius, aut è contra. Illud, quod tangitur de intellectu, alterius fori eſt: dico tamen eſſe etiam planè impoſſibile, ut intellectus ſingulare ſine ſuperioribus, & univerſale concipiat ſine ſuis inferioribus. De quo in logica, ubi de intellectus abſtractionibus, ac præciſionibus inſtituemus diſputationem.

69. *Dico ſecundò*: diviſio tamen vocis abſtractæ in vocem primæ & ultimæ abſtractionis facilè juſtificari, ac in ſano ſenſu admitti poteſt: ſi nempè per vocem prima abſtractione abſtractam intellexeris eam vocem, quæ quamvis abſtracta ſit; tamen etiam ſimul eſt concreta: & per abſtractam ultima abſtractione intellexeris eam, quæ tantum abſtracta eſt, nequaquam verò concreta. *De quibus dixi ſupra dub.3. Et hunc intellectum, ac diviſionis explicationem eſſe legitimam, ac ſanam, probo:* nam illæ voces, quæ ſimul concretæ & abſtractæ ſunt, non habent omnimodam abſtractionem; ſed habent ſolummodò abſtractionem adhuc immerſam & conjunctam alicui concretioni; illæ verò, quæ ſolummodò abſtractæ ſunt, omnimodam abſtractionem ab omni concretione liberam habent: ergo hæ abſtractione ultima; iſtæ verò ſolummodò prima abſtractione abſtractæ eſſe rectè dicuntur.

DISPUTATIO X.

De voce univoca, æquivoca, analoga, ſynonima, denominativa, &c.

DUBIUM I.

Quid requiratur ad hoc, ut aliqua vox ſit una?

1. AD univocationem, æquivocationem, ac analogiam requiritur una vox; ad ſynonimiam verò & denominationem requiruntur plures voces: vox quippe univoca, æquivoca & analoga debent eſſe una vox ſignificans res plures; ſynonima verò debent eſſe plures voces ſignificantes rem eamdem; denominativa autem eſſe debent plures voces ſignificantes rem quandoque eandem, quandoque

que diverſas. *Pro iſtorum ergò intellectu quæritur hic:* quidnam requiratur ad unitatem, vel multiplicitatem vocis? Qua in re uon congruè philoſophatur Laurentius Gyffene *tract. 2. ſect. 3. art. 1.* cum pleriſque modernis Summuliſtis. Dicit enim ad unitatem vocis requiri tam unitatem materiæ, quam formæ: unde ad multiplicationem vel ſolius materiæ, vel ſolius formæ, dicit multiplicari vocem. Materiam vocis vocat literas, & ſyllabas, ex quibus componitur; formam verò literarum ac ſyllabarum ordinem, quantitatem, adſpirationem, &c.

2. Sed, *uti dixi*, philoſophandi modus hic nequaquam eſt congruus. Vox enim eſt ſonus quidam: eſt, inquam, quædam qualitas ad tertiam ſpeciem pertinens. Atqui qualitates non componuntur ex materia & forma; ſed ſunt formæ ſimplices, omniſque eſſentialis compoſitionis expertes: & ad ſummum componi poſſunt ex partibus integralibus intenſivis, vel extenſivis. Ergo in voce materiam & formam diſtinguere eſt nimium craſſe ac materialiter philoſophari. *Præterea*: litera uon eſt pars vocis; ſed eſt ſignum partiale vocis. Eſt quippe litera pars ſcripturæ qua vocem exprimimus, ſcribimus, & ſignificamus. Ergo litera uon plus vocari poteſt pars, aut materia, ex qua vox componitur, quam mea pictura vocari poſſit materia, ex qua componor ego. Oportet ergo hanc Philoſophiam magis cribare ac ſubtilizare. Scire autem debes, nos hic non eſſe ſollicitos de unitate aut multiplicitate vocis numerica; ſed de ſola ſpecifica.

3. *Reſp. & dico primò*: voces non multiplicantur ad multiplicationem ſignificationum, ſeu impoſitionum. Ita Summuliſtæ communiter. *Probatur:* quia non multiplicatur artifex ad multiplicationem artium; neque paries ad multiplicationem qualitatum illi inexiſtentium: & generaliter non multiplicatur ſubjectum ad multiplicationem accidentium. Atqui ſignificationes ſeu impoſitiones ſunt quædam accidentia: non quidem intrinſeca; ſed extrinſeca vocis: ſicut viſiones, auditiones, intellectiones, &c. ſunt accidentia extrinſeca rei viſæ, auditæ, intellectæ. Ergo vox multiplicari non debet ob multiplicationem ſignificationum ſeu impoſitionum. *Probatur minor*: quia impoſitio vocis nihil eſt aliud, quam volitio hominum, qua voluerunt hac vel iſta voce ſignificari hanc vel iſtam rem: atqui hæc volitio comparatur ad vocem impoſitam, ſicut volitio ad rem volitam: ſicut viſio, auditio, intellectio, ad rem viſam, auditam, intellectam. Ergo impoſitiones reſpectu vocis ſunt quædam accidentia extrinſeca.

4. *Objicies:* multiplicata forma multiplicantur compoſita: atqui ars eſt forma componens artificem, & ſignificatio eſt forma componens vocem ſignificativam: ergo voces & artifices multiplicari debent ad multiplicationem ſignificationum & artium. *Reſpondent paſſim Summuliſtæ diſtinguendo majorem*: multiplicata forma ſubſtantiali multiplicantur compoſita ſubſtantialia: *ſic verum eſt*. Multiplicata forma accidentali multiplicantur compoſita accidentalia: *ſic falſum eſt. Sed non credo diſtinctionem hanc veritati* nam forma accidentalis comparatur ad ſuum compoſitum accidentale; ſicut forma ſubſtantialis ad ſuum compoſitum ſubſtantiale: ergo ſi hæc multiplicet ſuum compoſitum; cur & iſta non multiplicabit ſuum? *Deinde:* tot ſunt diverſa compoſita, quot ſunt diverſæ compoſitiones: atqui multiplicantur accidentales compoſitiones juxta multiplicationem accidentalis formæ: ergo ſimiliter multiplicantur accidentalia compoſita, juxta multiplicationem accidentalis formæ. *Patet minor*; quia compoſitio eſt unio formæ cum ſubjecto: atqui multiplicatis formis multiplicantur uniones: ergo etiam multiplicantur compoſitiones. Undè planè puto, quod ſicut, juxta communem Phyſicorum ſententiam, eadem materia prima cum diverſis ſubſtantialibus formis facit plura compoſita realiter inadæquatè diſtincta; ſic etiam idem ſubjectum cum pluribus formis accidentalibus faciat plura accidentalia compoſita realiter inadæquatè diſtincta. Uti facilè oſtendi poſſet per omnes rationes, quas Phyſici faciunt pro iſto ſuo aſſerto.

5. *Reſp. ergo ad argumentum, negando conſeq.* Quia ad multiplicationem artificis nihil facit multiplicatio artium, aut compoſitionum ex artibus & homine; ſed requiritur multiplicatio hominis. Similiter ad multiplicationem vocis ſignificativæ nihil juvet multiplicatio impoſitionum, ſeu ſignificationum: neque multiplicatio compoſitionum ex voce & diverſis ſignificationibus; ſed requiritur multiplicatio vocis. *Et ratio eſt*: quia non poſſunt multiplicari prædicata, niſi multiplicato ſuo ſignificato recto: *ut pluribus dicam infra de appellatione agens*. Atqui hæc duo prædicata *artifex* & *vox-ſignificativa* pro ſignificato recto habent hominem & vocem: omne quippe concretum pro ſuo ſignificato recto habet ſubjectum formæ in obliquo ſignificatæ. Ergo non poſſunt multiplicari voces ſignificativæ, neque artifices, ob multiplicationem ſignificationum vel artium; ſed ſolummodò ob multiplicationem vocum aut hominum. Neque hoc particulare eſt in concretis accidentalibus; locum enim etiam habet in ſubſtantialibus: hæc enim etiam non multiplicantur ad multiplicationem formarum, aut compoſitorum; ſed ad ſolam multiplicationem ſuppoſitorum in recto ſignificatorum: Pone enim duas humanitates ſuppoſitati in eodem ſuppoſito, erunt ibi duæ formæ, erunt duo compoſita; non tamen erunt duo homines: quia non erunt duo ſuppoſita. *Sed de hac materia plura dicam infra de appellatione*.

6 *Dico ſecundò:* illæ voces ſunt diverſæ, quæ vel diverſis ſyllabis conſtant, vel diverſis literis conſcribuntur: vel quarum una habet, altera non habet adſpirationem: uti ſunt voces *ara* & *hara*; *habeo* & *abeo*: vel quæ in ſua penultima diverſam quantitatem habent: uti ſunt vox *tenebræ*, & *tenèbræ*, *Orionis* & *Oriònis*, penultima ſemel correpta, & ſemel producta. *Probatur*: quia voces, & generaliter quilibet ſoni diſtingui debent ſpecie, ac multiplicari penes diverſos modos ſonandi; ſicut animalia diſtingui, ac multiplicari debent penes modos ſentiendi: homines penes modos ratiocinandi: plantæ penes modos vegetandi, &c. Atqui omnes iſtæ

præſatæ voces habent diverſum modum ſonandi: ergo ſunt diverſæ voces. *Probatur minor*: quia voces quæ diverſimodè ſonant; talis enim neceſſariò debet eſſe auditus immutatio, qualis eſt vocum ſonatio. Atqui omnes iſtæ præſatæ voces diverſimodè immutant auditum: *uti per experientiam patet*. Ergo etiam diverſo modo ſonant. *De quibus agitur in libris de anima.*

7. Dixi, *vel quæ in ſua penultima diverſam quantitatem habent*: quia neque diverſa quantitas ultimæ, nequa ante penultimæ, aliarumque ſyllabarum anteriorum; immò neque diverſa quantitas penultimæ in dictionibus diſſyllabis, in quibus penultima eſt ſyllaba prima, ac dictionem inchoans, poteſt multiplicare ac diverſificare voces. Unde, meo ſaltem judicio, *populus* pro congregatione huminum, & *populus* pro arbore, non poſſunt eſſe diverſæ voces ob ſolam diverſam ante-penultimæ quantitatem. Sic etiam *canis* in nominativo pro animali, & *canis* in dativo plurali à nominativo *canus* & *canis* in ſecunda perſona à verbo *cano*, non credo eſſe diverſas voces. *Ratio me movens eſt hæc*: quia diverſitas vocum ſtare non poteſt ſine diverſitate ſonandi; ſicut diverſitas animalium ſtare non poteſt ſine diverſitate ſentiendi: atqui iſtæ præſatæ voces non habent, teſte experientia, diverſum modum ſonandi: ergo neque ſunt diverſæ voces.

8. Et hæc quidem de vocibus latinis; de vocibus enim græcis loquendum eſt alio modo. In his enim non diverſa quantitas; ſed diverſus accentus penultimæ, vel ultimæ (& hoc ultimum etiam in vocibus Italicis, & Gallicis locum habet) diverſificat ac multiplicat voces: ſive interim in quantitate conveniant, ſive diſcrepent. *Et ratio eſt*; quia ſicut voces latinæ ſortiuntur diverſum ſonandi modum ex diverſa quantitate penultimæ; ita voces Græcæ (intellige in oratione ſoluta; nam in metro, ſive oratione ligata ſequuntur normam latinam) ſortiuntur diverſum ſonandi modum ex ſolo diverſo accentu ultimæ vel penultimæ ſuæ: ergo ſicut voces Latinæ ex diverſa quantitate; ita Græcæ ex diverſo accentu diverſificari ac multiplicari debent. *Sed de his omnibus plura inferior Grammaticus.*

9. *Tantum hoc adhuc addo*: voces non diverſificari neque multiplicari ex diverſo genere, diverſa declinatione, conjugatione, aliiſve ſuis affectionibus grammaticalibus. Hinc *acus aci*, *acus aceris*, *acus acus*, eadem ſpecie vox ſunt; licet & genus & declinationem variet. Item *canes* à *caneo*, & *canes* à *cano* eadem vox ſunt conjugationem & ſignificationem varians. Item *amor* nomen, & *amor* verbum: item *cupido* pro filio Veneris & *cupido* pro cupiditate, non ſunt diverſæ voces. *Ratio eſt planè eadem*: quia ſicut diverſitas animalium ſtare nequit ſine diverſitate ſentiendi; ita diverſitas vocum ſtare nequit ſine diverſitate ſonandi: atqui diverſum genus, diverſa declinatio, conjugatio, &c. non inducit diverſum modum ſonandi: ergo etiam non inducit diverſitatem, neque multiplicitatem vocum.

DUBIUM II.

Præambulum quoddam ad dubia ſequentia.

10. ADverte primò: quod univoca, æquivoca, analoga, duplicia ſint. Univoca univocata & univoca univocantia, æquivoca equivocata & æquivoca æquivocantia, analoga analogata & analoga analogantia. Univoca univocata, æquivoca æquivocata, & analoga analogata ſunt res ſignificatæ per vocem univocam, æquivocam, & analogam. Univocam verò univocans, æquivocum æquivocans, & analogum analogans ſunt voces plura ſignificantes. Unde hæc ſunt ſpecies vocis ſignificativæ; illa verò ſunt ſpecies ſignificati: adeoque res eſſe univocatas, aut analogatas, ſunt denominationes reales extrinſecæ; uti ſunt eſſe ſignificatum, eſſe viſum, eſſe amatum, &c. De univocatis, æquivocatis, & analogatis agitur in Anteprædicamentis; de univocantibus, æquivocantibus, & analogantibus agitur hic. Per occaſionem tamen etiam agemus de univocatis, æquivocatis, & analogatis: ſunt enim inter ſe connexa, & unum ducit in cognitionem alterius.

11. *Adverte ſecundò*: res plures, quæ ſignificantur per eandem vocem, in iſtius vocis principali ſignificato planè quandoque convenire, aliquando plane diſconvenire, aliquando partim convenire, partim diſconvenire, v. g. Petrus & Paulus per eandem vocem homo, homo & brutum per eandem vocem *animal* ſignificantur, in cujus principali ſignificato plane conveniunt. At verò canis cœleſtis & canis terreſtris per eandem vocem *canis*, item homo in Gallia natus, & gallus gallinaceus ſignificantur per eandem vocem gallus: in cujus principali ſignificato plane diſconveniunt. Homo autem vivus & homo pictus per eandem vocem *homo*, item animal, medicina, & urina ſignificantur per eandem vocem *ſanum*; in cujus ſignificato principali partim conveniunt, partim diſconveniunt. Contingit ergò res ab eadem voce ſignificatas in iſtius vocis principali ſignificato, quandoque planè convenire, quandoque planè diſconvenire, quandoque partim convenire, partim diſconvenire.

12. Tunc res plures per eandem vocem ſignificatæ in iſtius vocis principali ſignificato planè conveniunt, quando conveniunt & in principali ſignificato habito, & in modo habendi illud. Quod nihil eſt aliud, quam plures res idem ejuſdem vocis principale ſignificatum habere in ſe eodem modo, v. g. Petrus & Paulus planè conveniunt in ſignificato principali vocis *homo*, per quam ſignificantur: quia conveniunt tam in principali ejus ſignificato habito, quam in modo habendi illud: habent enim idem iſtius vocis formale ſignificatum in ſe eodem modo. Nam iſtius vocis formale ſignificatum eſt humanitas, quæ eſt in Petro & Paulo eodem modo: eſt enim in utroque eſſentialiter eo modo, quo ſpecies eſſe ſolet in ſuis individuis. Similiter Pater, Filius, & Spiritus Sanctus planè conveniunt in

prin-

Digitized by Google

principali ſignificato vocis *Deus*: quia eandem Deitatem à voce *Deus* principaliter ſignificatam participant, ac in ſe habent eodem modo: eo nimitum, quo ſuppoſita habere ſolent naturam ſui conſtitutivam. Unde etiam non incongruè ego dicere ſoleo: quod plura planè convenire in ſignificato principali alicujus vocis nihil ſit aliud, quam aliqua plura ſignificari per eandem vocem, quæ de principali ſignificet aliquam eandem formam iſtis pluribus communem, ab eiſque participatam & habitam eodem habendi, & participandi modo.

13. Dico, *plura in ſignificato principali alicujus vocis planè convenire eſt illa plura habere in ſe idem ejuſdem vocis ſignificatum principale eodem modò*: Idem, inquam, non ſemper numero; ſed quandoque numero, quandoque genere, quandoque ſpecie idem. *Quod patet inductione:* nam Pater, Filius, ac Spiritus Sanctus planè convenientes in ſignificato principali vocis *Deus*, habent in ſe Deitatem à voce *Deus* principaliter ſignificatam, eandem numero; Petrus & Paulus planè convenientes in ſignificato principali vocis *homo*, habent in ſe humanitatem à voce *homo* principaliter ſignificatam, eamdem ſola ſpecie. Homo & brutum planè convenientes in ſignificato principali vocis *animal*, habent in ſe animalitatem eandem ſolo genere. Ergo cum dicimus, plura in aliquo ſignificato planè convenire, eſſe in ſe habere idem ſignificatum, intelligi hoc debet tam de entitate generica ac ſpecifica, quam de numerica. *Vide quæ dicam dub. ſeq.*

14. Tunc verò res plures per eandem vocem ſignificatæ in iſtius vocis principali ſignificato planè diſconveniunt, quandò non conveniunt in ſignificato principali habito: ſive quandò in ſe non habent idem ejuſdem vocis principale ſignificatum; ſed habent ejuſdem vocis diverſa ac diſparata ſignificata principalia. Sicut enim ſunt multæ voces habentes unicum ſignificatum principale; ſic etiam ſunt quædam habentes plura diverſa ac diſparata ſignificata æquè principalia: & tunc res diſparata hæc ſignificata participantes ac in ſe habentes, dicuntur in iſtius vocis principali ſignificato planè diſconvenire, v. g. homo in Gallia natus, & gallus gallinaceus planè diſconveniunt in ſignificato principali vocis *gallus*: quia habent in ſe non idem; ſed diverſa iſtius vocis ſignificata principalia. Vox quippe iſta ſignificat de principali duo planè diſparata: ſcilicet brutalitatem gallinaceam, & nativitatem in Gallia. Brutalitatem habet Gallus Gallinaceus; nativitatem in Gallia habet homo in Gallia natus. Unde iſti duo galli quidem ſignificantur per eandem vocem *gallus*: ſed in eodem illius principali ſignificato non conveniunt, non communicant, non participant. Unde etiam non incongruè ego dicere ſoleo: quod plura planè diſconvenire in ſignificato principali alicujus vocis, nihil ſit aliud, quam plura ſignificari per eandem vocem, quæ de principali non ſignificet aliquam formam iſtis pluribus communem; ſed quæ ex æquo ſignificet duas aut plures formas, omnes æquè principaliter ſine dependentia unius ab alia, quarum una habeatur ab hoc; alia verò habeatur ab illo: ſicut jam oſtendi fieri in iſta præſata voce *gallus*.

15. Tunc autem res plures per eandem vocem ſignificatæ in iſtius vocis principali ſignificato partim conveniunt, partim diſconveniunt, quando conveniunt in principali ſignificato habito; ſed diſconveniunt in modo habendi illud. Quod nihil eſt aliud, quam plures res per eandem vocem ſignificatas idem iſtius vocis principale ſignificatum in ſe habere diverſo habendi modo. Sive, ut ego etiam dicere ſoleo, eſt plura ſignificari per eandem vocem, quæ de principali ſignificet eandem formam illis pluribus communem, ab eiſque participatam & habitam, diverſo participandi & habendi modo, v. g. animal, medicina, & urina ſignificantur per eandem vocem *ſanum*, in ejuſque principali ſignificato partim conveniunt, partim diſconveniunt: quia conveniunt in principali ſignificato habito, & diſconveniunt in modo habendi illud. Habent enim idem iſtius vocis principale ſignificatum diverſo modo: nam vox *ſanum* principaliter ſanitatem ſignificat, quæ eſt eadem in animali, medicina, & urina. Diverſo tamen modo: nam in animali eſt tamquam forma in ſubjecto, in medicina tamquam effectus in cauſſa, in urina tamquam ſignificatum in ſuo ſigno. *Vide, quæ dicam infra de voce analoga.*

DUBIUM III.

Quid ſit vox univoca, quid ejus univocata?

16. Reſp. & dico primò; vox univoca eſt vox ſignificans plura in ſuo principali ſignificato planè convenientia. Ut vox *homo* reſpectu Petri & Pauli, reſpectu Itali & Germani, Vox *animal* reſpectu hominis & bruti, vox *albedo* reſpectu hujus & iſtius albedinis, vox *album* reſpectu hominis, parietis & cycni, &c. Omnes quippe hæ voces ſignificant plura in ſuo primario ſignificato planè convenientia. Vox enim *homo* ſignificat Petrum & Paulum in humanitate à ſe principaliter ſignificata planè convenientes. Vox *animal* hominem & brutum planè convenientes in animalitate, vox *album* nivem & parietem planè convenientes in albedine ſignificat. Nam, *ut dubio 2. dixi*, plura aliqua in alicujus vocis principali ſignificato planè convenire eſt aliqua plura ſignificari ab eadem voce, quæ de principali ſignificat eandem formam pluribus iſtis communem, ab eiſque participatam eodem habendi ac participandi modo: atqui vox *album* ſignificat de principali albedinem homini & parieti communem, eodem modo ab eis habitam & participatam: illo nimitum, quo forma accidentalis haberi & participari ſolet à ſuis ſubjectis. Vox *animal* de principali ſignificat animalitatem homini & bruto communem, ab eiſque eodem modo habitam: habetur enim ab utroque eſſentialiter, eo modo quo natura generica ſolet haberi à ſuis ſpeciebus, &c. Omnes ergo iſtæ voces ſignificant plura in ſuo formali ſignificato planè convenientia: adeoque ſunt voces univocæ. Debet,

inquam, vox univoca ſignificare plura convenientia, ſe participantia idem ſuum principale ſignificatum eodem participandi modo: idem, inquam, non ſemper numero; ſed aliquando numero, aliquando ſpecie, aliquando genere idem: *ut dubio dixi 2.*

17. *Sed ex his oritur difficultas*: an univoca univocata poſſint formam ab univoco (univocante principaliter ſignificatam in ſe habere eandem numero: adeoque an voces ſignificantes plura in ſuo principali ſignificato realiter identificata, qualis eſt vox *Deus* reſpectu trium divinorum ſuppoſitorum, ſint voces univocæ? Audivi enim, qui id negarent, ac vellent, omnem vocem univocam debere eſſe vocem univerſalem; quæ ſignificat plura in ſuo principali ſignificato realiter diſtincta: qualis non eſt vox *Deus*. *Ac ratio eorum erat*: quia vox univoca debet ſignificare plura in ſuo ſignificato principali convenientia ac ſimilia: atqui res in vocis alicuius principali ſignificato identificatæ, non ſunt in illo ſimiles & convenientes: ſimilitudo enim in aliqua forma ſtare nequit ſine diſtinctione reali in iſta forma. Ergo vox ſignificans plura in ſuo principali ſignificato identificata, nequit eſſe vox univoca. Et favere videtur Cajetanus *in Opuſc. Tom. 3. Opuſc. 5. cap. 2.* Ubi dicit: *univocum multiplicatur in ſuis univocatis, & propter hoc dicitur unum tantum ratione, & non numero in ſuis univocatis*.

18. *Aſt hæc non obſtant*: dico ergo univoca univocata poſſe identificari in forma per vocem univocam principaliter ſignificata: adeoque vocem *Deus*, aliaſque ſimiles, ſi quæ ſint, eſſe voces verè univocas. *Ratio eſt*: quia vox univoca debet eſſe vox ſignificans plura in ſuo principali ſignificato planè convenientia. *Id eſt*: idem ſuum principale ſignificatum eodem modo participantia: atqui illa, quæ in eodem ejuſdem vocis principali ſignificato identificantur, idem ejuſdem vocis principale ſignificatum participant eodem modò: ergo voces ſignificantes plura in ſuo ſignificato principali identificata, ſunt verè voces univocæ: *Minor patet*: nam tria divina ſuppoſita idem principale vocis *Deus* ſignificatum participant eodem modo, in eoquè conveniunt: ut patet per fidem catholicam. Atqui iſta tria ſuppoſita in illo principali ſignificato realiter identificantur: ut ab eadem Catholica fide docemur. Ergò in aliquo ſignificato identificari, eſt illud ſignificatum participare, in eo convenire, & communicare. Unde in forma aliqua convenire, communicare, ac participare non eſt ſemper in forma aſſimilari; ſed eſt quandoque aſſimilari, quandoque identificari.

19. Hinc vox univoca non convertitur cum voce univerſali; ſed reſpectu illius magis communis eſt. Licet quippe omnis vox univerſalis ſit univoca; non tamen è contrà omnis vox univoca eſt univerſalis: ſed quandoque eſt ſingularis. Vox *Deus* enim, quæ ſingularis eſt, etiam univoca eſt: at jam oſtendi. Unde inter alias vocis univocæ diviſiones, quæ variæ ſunt; dividi enim poteſt in concretam & abſtractam: in adjectivam & ſubſtantivam. In ſubſtantialem & accidentalem. In eſſentialem & accidentalem, &c. Etiam numerari debet diviſio ejus in univerſalem & ſingularem. Ubi tamen obiter nota: quod licet vox univoca non debeat ſemper eſſe univerſalis; debeat tamen ſemper eſſe vox communis: debet enim ſemper eſſe vox ſignificans plura idem ſuum formale ſignificatum eodem modo participantia. Quid autem ſit vox communis, & quod ejus ab univerſali diſcrimen, dicam infra.

20. *Dico ſecundò*: univocata ſunt illa, quorum nomen commune, ac ratio nomini accommodata eſt planè eadem. Ita Philoſophus in Ante-prædicam. Senſus eſt hic; univoca ſunt res plures ſignificatæ per eandem vocem, in cujus eodem principali ſignificato planè conveniunt. Aliqua ergo plura habere idem nomen commune, eſt habere eandem vocem ſui ſignificativam, per quam ſignificantur. Et rationem nomini accommodatam habere eandem, eſt formam à voce principaliter ſignificatam habere planè eandem Ratio ergo nomini accommodata eſt forma per vocem principaliter ſignificata. Ex quo patet, quod, *uti dixi dub. 2. dicebam*, univocata ſint ſignificata, ſeu ſpecies ſignificati. Item quod res univocati ſit ſpecies τῆ *ſignificati*. Sunt, inquam, non ſolùm ſignificata ſecundaria, ac ſpecies ſignificati ſecundarii. Nam univocata ſunt ſubjecta formam à voce univoca principaliter ſignificatam participantia, ac eodem modo in ſe habentia: atqui ſubjecta formam à voce aliqua principaliter ſignificatam participantia ſunt ſemper iſtius vocis ſignificata ſecundaria; uti facilè patere poteſt per inductionem. Ergo univocata ſunt ſemper ſignificata ſecundaria, *Præterea*, univocata, cum vox univocans concreta eſt, ſunt ſemper ejus ſignificata recta & materialia; cum verò vox abſtracta eſt, ſunt ejus inferiora, vel potius ſunt inferiora formæ principaliter ſignificatæ: atqui in voce concreta ſignificata materialia, & in abſtracta inferiora formæ principaliter ſignificatæ ſunt ſignificata ſecundaria: *uti eſt evidens*. Ergo univocata ſunt ſemper & ubique vocis univocantis ſignificata ſecundaria.

21. In quavis ergo univoca voce diſtinguenda ſunt hæc tria: vox univocãs, forma univocans (ſic loquitur Cajetanus *loco ſupra citato cap. 4.*) & univoca univocata. Nomen ſeu vox univocans eſt vox ſignificans plura in ſuo eodem principali ſignificato planè convenientia, Forma univocans eſt forma per vocem univocam principaliter ſignificata, & ab univocatis eodem modo habita ac participata. Univocata verò univocata ſunt ſecundaria vocis univocæ ſignificata, formam univocantem eodem modo in ſe habentia, ac participantia, v.g. in voce *animal* ipſa vox *animal* eſt vox ſeu nomen univocans; animalitas principaliter ſignificata eſt forma univocans: hæc enim eſt forma ab univocatis eodem habendi modo habita. Homo verò & brutum, qui vocis *animal* ſignificata ſecundaria ſunt, ſignificatum ejus principale eodem modo participantia, ſunt univocata.

Digitized by Google

DUBIUM IV.

Quid ſit vox equivoca? quid ſint æquivocata?

22. R*Eſp. & dico primò*: vox æquivoca eſt vox ſignificans plura in ſuo principali ſignificato planè diſconveniensia. *Id eſt*: eſt vox ſignificans plnra, quæ non habent idem ſibi commnne iſtius vocis principale; ſed habent diverſa ac diſparata in ſe iſtins vocis ſignificata principalia, v. g. vox gallus teſpectu hominis in Gallia nati, reſpectn galli gallinacei, & reſpectu Cornelii Galli. Item vox *germanus* teſpectn animalis domeſtici, piſcis æqnorei, & ſideris ætherei, ſnnt voces æquivocæ. Quia omnes ſignificant plura, quæ non idem ſibi commune ſignificatnm principaie habent: ſed habent in ſe planè diverſa ac diſparata ſignificata formalia. Nam vox, *germanus*, cum in recto ſignificat hominem natum ln imperio; tunc de ſormali nativitatem in impetio; cnm veto in recto ſratres ſigniſicat; tunc de formali telasionem propriiſſimæ fraternitatis importat. Item vox canis cum pto animali domeſtico ſupponit, tunc de ſotmali htutalitatem lattativam; cnm pro ſidere, tnm de formali naturam inanimatam ſideream: cum pro animali matino, tunc de formali brutalitatem natativam ſignificat. Omnes ergo hæ voces ſignificant plutes res non participantes, ant commnnicantes in eodem ſuo ſignificato formali; ſed plura in ſuo ſotmali ſignificato planè diſparata & diſconvenientia: adeoque ſunt voces æquivocæ.

23. *Concluſionis ac definitionis taliter explicatæ ratio eſt hæc*: qnia vox æqnivoca per diamettum opponitut voci univocæ: atqui vox nnivoca eſt vox ſignificans plura in ſuo principali ſignificato planè convenientia: ergo vox æqnivoca debet eſſe vox ſignificans plnra in ſno principali ſignificato planè diſconvenientia; atqni plnra aliqua in ptincipali alicujns vocis ſignificato planè diſconvenire, eſt plnra aliqna idem cjuſdem vocis principale ſignificatum ſibi eodem modo commnne, eodemque modo ſibi inexiſtens, ac à ſe participatum non habete: *ut dicebam ſupra dubio* 2. Ergò vox æquivoca debet eſſe illa, quæ ſignificat res plures in eodem ſuo formali ſignificato non participantes; ſed in ſno formsli ſignificato planè diſparatas ae diverſas: debet, inquam, ſignificate plures res, qnæ non habent in ſe idem commnne ſormale ſignificatum; ſed diſparata ac diverſa ſignificata ſormalia.

24. Undè in voce æquivoca ſemper diſtinguendum eſt multiplex ſignificatnm principale, diverſæque claſſes ſignificatorum ſecundariorum diverſa iſta formalia ſignificata participantinm, vet. grat. in voce gallus ſignificata ſormalia ſunt brutalitas gallinacea, & nativitss in Gallia: claſſes vero ſignificatornm ſecundariorum ſunt ſuppoſita brutalitatem talem in ſe habentia, ac ſuppoſitantia, & homines talem nativitatem participantes. Item in voce *canis* ſignificata ſormalia ſunt natura ſiderea, brutalitas lattativa, & brutalitas natativa; claſſes vero ſecundariorum ſignificatorum ſunt ſuppoſita naturas iſtas patticipantia, ac in ſe ſuppoſitantia, Quod non reperis in vocis univocis: in his enim, cum ſit unicum ſignificatum ſormale ab omnibus univocatis eodem modo parsicipatum, diſtingui non poſſunt diverſæ claſſes; ſed unica ſolummodò claſſis eſt univocatorum ſecundariò ſignificatorum.

25. *Et hinc patet ratio*: cur voces, *Petrus*, *Joannes*, *Chriſtianus*, *Ferdinandus*, aliæque ſimiles ſingulates ſint æquivocæ reſpectu plnrium hominum, qui ſimili ſignificantur nomine. Hoc enim tyronibus ſolet eſſe difficilè. *At profectò non deeſt dubitandi ratio*: quia vox univoca eſt vox ſigniſicans plura in ſuo ptincipali ſignificato planè convenientia, & ſimilia: atqni vox *Petrus* ſignificans Pettum Flandrum & Petrum Italum, ſignificat plura in ſuo ſormali ſignificato planè convenientia: dic ergo mihi, quid ni ſit nnivoca? *Probatur minor*: quia ſormale ſignificatum vocis *Petrus* eſt Petreitas, ſeu quædam naturæ humanæ ſingularitas: atqui Petrus Flander, & Pettus Italns in Petreitare, ſeu naturæ ſuæ ſingnlaritate planè conveniunt: ergo conveniunt planè in ſignificato formali vocis *Petrus*. *Patet minor*: quia in aliqua ſorma planè convenire eſt in ſe habere ſormas planè ſimiles: atqui Petrus Flander & Petrus Italus habent Petreitates, ſeu ſingularitates plane ſimiles: *uti pluribus dicam in Logica*. Ergò in Petreitate planè conveniunt. *Et confirmatur*: quia ideò præcisè vox *homo* vox æquivoca eſt, quia ſignificat plura ſimilia in humanitate: atqui vox *Petrus* ſignificat plnra ſimilia in Petreitate: quid etgò illi deeſt, quo minus ſit nnivoca?

26. *Nihilominus tamen dico*: voces omnes iſtas non univocas, ſed verè æqnivocas eſſe. *Ratio ex dictis eſt clara*: qnia omnis vox, quæ de ſormali non aliqnam ſormam communem omnibus ſuis ſignificatis rectis; ſed plures formas diverſas ac diſparatas, ſingnlas ſingulis ſignificatis ſuis proprias, ac peculiares ſignificat, non poteſt eſſe nnivoea; ſed debet eſſe æquivoca: *ut patet ex jam dictis*. Atqui vox *Petrus* non ſignificat de ſotmali aliquam ſormam omnibus hominibus, qui hoc nomine *Petrus* vocantur, communem; ſed ſignificat plures formas ſingulas, ſingulis bominibus ita vocatis ptoprias: ſignificat enim de ſormali non naturæ hnmanæ ſingularitatem in communi; ſed hanc individuam, vel potins plures individuas natnræ humanæ ſingularitates: individuæ verò ſingularitates ſunt ſormæ non communes pluribus; ſed planè incommnnicabiles. Ergo vox *Petrus*, aliæquè ſimiles, nequeunt eſſe univocæ; ſed debent eſſe æquivocæ: uti ſunt omnes aliæ voces de ſormali ſignificantes plnres ſormas diſparatas.

27. *Neque ratio dubitandi aliquid probat: falſa enim eſt ejus minor*: Quantumvis qnippe duo Petri aſſimilentur in ſignificatis ſormalibus vocis *Petrus*; non tamen aſſimilantut neqne conveniunt in ejus ſignificato ſormali, eo modo quo requi-

requirit univocatio. Quia aliqua duo planè convenire in formali ſignificato alicujus vocis,eſt vocem de formali ſignificare aliquam formam ab iſtis pluribus eodem modo habitam, ac participatam: atqui vox *Petrus* non ſignificat de formali aliquam unam Petreitatem omnibus Petris communem; ſed ſignificat plures Petreitates ſingulas ſingulis Petris peculiares, ac proprias: ergo licet duo Petri aſſimilentur in diverſis ejuſdem vocis *Petrus* ſignificatis formalibus, non tamen conveniunt ac communicant in eodem ejus ſignificato formali, quod tamen requiritur ad univocationem. *Ex quo etiam patet ſolutio confirmationis; falſa enim eſt illius major*: Ideò ergo vox *homo* eſt univoca, quia habet unum idemque ſignificatum formale: eandem nempe ſpecie humanitatem pluribus ſuis ſignificatis rectis eodem modo communem: quod non habet vox *Petrus*.

28. Æquivoca vox diverſis diviſionibus etiam paſſim dividitur: in concretam & abſtractam, in eſſentialem & accidentalem, in adjectivam & ſubſtantivam, in univerſalem & ſingularem, &c. Famoſior eſt diviſio ejus in æquivocam à caſu, & æquivocam à conſilio. Vox æquivoca à caſu eſt illa, quæ ſignificat plura in ſuo ſignificato principali planè diſconvenientia caſu & fortuitò. Sive eſt illa, quæ ad talia plura ſignificanda impoſita eſt caſu & fortuito. Ut vox *Petrus*, quæ imponitur aliquando uni homini in Flandria, & alteri ſimul eodem tempore in Italia. Vox æquivoca à conſilio eſt ea, quæ ſignificat plura in ſuo principali ſignificato planè diſconvenientia per impoſitiones ex certa ſcientia, & deliberato conſilio factas. Ut cum nomen avi, aut alicujus Sancti, imponitur etiam nepoti, aut Sancti iſtius clienti. Unde vox æquivoca à conſilio eſt varia: alia ex voto, ex memoria, ex auxilio, &c. Item vocem æquivocam quidam dividunt in æquivocam puram, de qua hic hactenus eſt actum; & in æquivocam non puram, ſed aliquali univocationi permixtam: quam vocare ſolemus analogam. *De qua dicam dub.* 6

29. *Dico ſecundò*: Æquivoca æquivocata ſunt illa, quorum nomen commune eſt; ratio verò ſubſtantiæ nomini accomodata eſt planè diverſa. *Id eſt*: Sunt plures res ſignificatæ per eandem vocem, in cujus formali ſignificato planè diſconveniunt. Nam plura habere idem nomen commune, idem omnino eſt, quod plura ſignificari per eandem vocem; plura verò rationem nomini iſti communi accomodatam habere planè diverſam, idem omnino eſt, quod plura habere omnino diverſa ac diſparata ſignificata iſtius nominis communis formalia: etenim ratio nomini communi accommodata nihil apud Philoſophum eſt aliud, quam forma per vocem principaliter ſignificata. Sunt, inquam, æquivocata, ſignificata vocis æquivocæ ſæpè quidem ſecundaria: aliquando tamen etiam primaria. In quo differunt æquivocata ab univocatis, & analogatis: nam duo hæc poſteriora ſemper ſunt ſignificata ſecundaria; illa priora verò eſſe quandoque poſſunt ſignificata primaria.

30. Etenim æquivocata vocis æquivocæ concretæ ſunt ſemper ſignificata ejus ſecundaria; at verò æquivocata vocis æquivocæ abſtractæ eſſe poſſunt eſſe ſignificata primaria. *Prima pars prob.* Quia æquivocata vocis æquivocæ concretæ ſunt ſubjecti, vel ſuppoſita, habentia in ſe formas æquivocantes a voce concreta æquivoca principaliter ſignificatas, e. g. æquivocata vocis concretæ *gallus* ſunt homo habens nativitatem in Gallia, & ſuppoſitum habens brutalitatem gallinaceam. Æquivocata vocis concretæ *canis* ſunt ſuppoſitum habens brutalitatem latrativam, & ſuppoſitum habens naturam ſideream. Et ſic ulterius de aliis. Atqui hujuſmodi ſubjecta & ſuppoſita ſunt voces concretæ ſignificata ſecundaria: uti patet ex dictis *diſp.* 9. Ergo æquivocata vocis æquivocæ concretæ ſunt ſemper ejus ſignificata ſecundariæ. *Prob. etiam altera pars*: Quia Petreitas Petri Iprenſis, & Petreitas Petri Colonienſis, ſunt æquivocata vocis abſtractæ Petreitas: Atqui ambæ iſtæ Petreitates ſunt iſtius vocis ſignificata primaria: ergo æquivocata vocis abſtractæ poſſunt eſſe ſignificata ejus primaria. *Præterea*: Sicut canis cæleſtis & canis terreſtris ſunt æquivocata vocis *canis*; ita quoque caninitas cæleſtis & caninitas terreſtris ſunt æquivocata vocis *caninitas*. Atqui hæ duæ caninitates ſunt iſtius vocis ſignificata primaria: ergo æquivocata vocis æquivocæ abſtractæ eſſe poſſunt ejus ſignificata primaria.

31. Circa priorem hujus mei aſſerti partem hallucinatur Laurentius Gyffene *Tract.* 2. *ſect.* 3. *art.* 1. Ubi dicit æquivocata æquivocata eſſe quandoque primaria vocis æquivocæ ſignificata. Et pro exemplis aſſignat canem cæleſtem, & canem terreſtrem reſpectu vocis *canis*: dicit illa eſſe illius vocis æquivocata, ac primaria ſimul ſignificata. *Verum non eſt ita: eſt hallucinatus*. Nam canis cæleſtis eſt idem; quod ſuppoſitum naturæ ſidereæ; canis verò terreſtris eſt idem, quod ſuppoſitum brutalitatis latrativæ: atqui hæc ſuppoſita reſpectu vocis canis ſunt ſignificata ſecundaria; nequaquam verò primaria; uti patet ex dictis *diſp.* 9. Ergo etiam iſti duo canes ſunt ſignificata iſtius vocis ſecundaria. In eo ergo non bene dixit Laurentius.

32. In voce æquivoca etiam diſtingui poſſunt tria: eo, quo ſupra dictum eſt, modo de voce univoca. Scilicet vox æquivocans, formæ æquivocantes, & æquivoca æquivocata. Vox æquivoca eſt vox ſignificans plura in ſuo formali ſignificato planè diſconvenientia. Formæ æquivocantes ſunt plura ac diſparata vocis æquivocæ ſignificata formalia. Æquivoca vero æquivocata ſunt res plures per vocem æquivocam in recto ſignificatæ, ac in formali ejus ſignificato planè diſconvenientes ac diverſæ. Ubi nota & aliam differentiam æquivocatorum ab univocatis & analogatis: nam univocata & analogata ſemper differunt à forma univocante & analogante; at verò æquivocata coincidere poſſunt cum formis æquivocantibus. Coincidere, inquam, poſſunt enim illis in voce abſtracta: nam duæ diverſæ Petreitates reſpectu vocis *Pe-*

trei-

ecceitas ſunt æquivocata, ac ſimul formæ æquivocantes. Conſidera enim & ita comperies.

33. *Verùm petes*: Quare univocata vocis univocæ abſtractæ non poſſint eſſe ejus ſignificata primaria, uti poſſunt eſſe æquivocata reſpectu vocis abſtractæ æquivocæ? *Reſpondeo rationem eſſe facilem*: Quia videlicet univocata vocis abſtractæ debent eſſe inferiora formæ per abſtractam vocem principaliter ſignificatæ: etenim eſſe debent ſignificata formam principaliter ſignificatam eodem modo participantia. At verò vocis abſtractæ æquivocata non debent eſſe formæ principaliter ſignificatæ inferiora; ſed eſſe poſſunt ipſæ formæ per vocem æquivocam abſtractam principaliter ſignificatæ. Atqui inferiora formæ principaliter ſignificatæ nequeunt eſſe ſignificata principalia; uti poſſunt eſſe ipſæ formæ principaliter ſignificatæ. Ergo clara eſt ratio, cur potius æquivocata, quam univocata eſſe poſſint vocis abſtractæ principalia ſignificata.

DUBIUM V.

Quædam circa æquivocam vocem quæſtiunculæ.

34 PEtes primò: an eadem vox poſſit eſſe æquivoca ſimul & univoca: *Reſp. affirmativè*: Idque non ſolùm reſpectu diverſorum; ſed etiam reſpectu eorundem ſignificatorum. *Primum patet*: Nam vox *gallus* reſpectu galli gallinacei, & hominis in Gallia nati, æquivoca, reſpectu duorum hominum in Gallia natorum; verb. gr. reſpectu hominis Pariſienſis & Lugdunenſis eſt univoca. *Similiter*: Vox *lupus* reſpectu duorum hominum ita vocatorum eſt æquivoca; at verò reſpectu duorum brutorum eſt univoca. *Patet etiam ſecundum*: Nam vox *Chriſtianus* reſpectu duorum hominum, qui ambo Chriſtiani vocantur, & Chriſtiani ſunt, verb. gr. reſpectu mei, & reſpectu parentis mei eſt ſimul æquivoca & univoca. Attamen ratione diverſorum ſuorum ſignificatorum formalium: unde nulla in hoc negotio committitur contradictio, aut implicantia. Si namque vox iſta ſumatur prout de formali ſignificat noſtras hæcceitates ſeu ſingularitates, tunc eſt æquivoca; ſicut eſt vox *Petrus* reſpectu duorum Petrorum. Si verò ſumatur prout de formali cultum, ac profeſſionem Fidei Chriſtianæ ſignificat, tunc eſt univoca: ſicut vox *albus* reſpectu duorum alborum. Idem dicendum eſt de voce *pius* reſpectu duorum hominum, qui ambo pii vocantur, & pii ſunt. Item de voce *juſtus* reſpectu duorum hominum, qui juſti vocantur, ac juſti ſunt, &c.

35. *Petes ſecundò*: Quid ſit vocem æquivocam capi æquivocè? *Reſp.* Hoc nihil eſſe aliud, quam vocem æquivocam in orationis contextu ſupponi, ac uſurpari pro pluribus ſuis æquivocatis ſimul: verb. gr. vox *gallus* vox æquivoca eſt; æquivocata ejus ſunt gallus gallinaceus, & homo ex Gallia oriundus: quando ergo iſta vox in eodem orationis contextu ſupponeretur, ac uſurparetur pro utroque iſto ſuo æquivocato ſimul, tunc ſumeretur æquivocè: quia ſumeretur pro ſuis æquivocatis. Multum ergo differunt hæc duo: vocem aliquam, v. g. vocem *gallus* eſſe æquivocam, & vocem *gallus* capi æquivocè. Differunt enim eo modo, quo differunt hæc duo: vocem eſſe ſignificativam, & vocem capi ſignificativè. Sicut differunt, ſolem eſſe calefactivum, & ſolem applicari ad calefaciendum. Uno verbo: differunt ſicut ſignificatio aptitudinalis vocis & ſuppoſitio vocis: de quibus dicam infra agens de ſuppoſitione. Nam vocem eſſe æquivocam, idem eſt, quod vocem eſſe æquivocativam, ſive ſignificativam plurium in ſuo principali ſignificato planè differentium; vocem verò capi æquivocè, eſt illam in orationis contextu pro pluribus ſuis æquivocatis ſimul ſupponi: ergo vocis æquivocatio ſeu æquivocativa ſignificatio, & vocis æquivoca ſumptio ſeu ſuppoſitio differunt eo modo, quo differre ſolent vocis ſignificatio & ſuppoſitio.

36. Et hinc ego de voce æquivoca philoſophari ſoleo eo modo, quo philoſophamur de cauſſa plurium effectuum diſparatorum productiva; verb. gr. de ſole calefactivo ſimul & illuminativo, de anima vegetativa ſimul & ſenſitiva, &c. Nam ſicut ſol habet potentiam producendi lumen ſimul & calorem, duos hoſce effectus diſparatos; ita etiam vox æquivoca, verb. gr. vox *gallus* habet potentiam ſignificandi hominem in Gallia natum, & gallum gallinaceum, duo hæc ſignificata diſparata. Item ſicut ſol aliquando ad ſolum lumen, aliquando ad ſolum calorem, aliquando ad utrumque hunc effectum ſimul producendum applicatur; ita etiam vox *gallus* quandoque ad ſignificandum ſolum gallum gallinaceum, quandoque ad ſolum hominem in Gallia natum, aliquandò ad utrumque hoc ſignificatum ſimul ſignificandum in eodem orationis contextu applicatur, ac ſupponitur. Et quando ita ſupponitur, tunc dico ſupponi, ac capi æquivocè.

37. *Petes tertiò*: An vox æquivoca poſſit in orationis contextu quandoque ſumi æquivocè? *Ratio dubitandi eſt*; Quia voces in orationis contextu debent ſic ſumi, ac ſupponi, ut aliquid ſignificare poſſint: ſumptio quippe ſeu ſuppoſitio vocis eſt applicatio vocis, ad ſignificandum. Atqui vox æquivoca æquivocè ſumpta nihil ſignificat: ut habet vulgatum apud Summuliſtas axioma. Ergo vox æquivoca in orationis contextu nequit ſumi æquivocè. *Minor apud Summuliſtas pro axiomate habetur*; *interim tamen adhuc probatur*: Quia vox, quæ orationem confundit, ac ad varios diſparatos ſenſus diſtrahit, nihil poteſt ſignificare: atqui vox æquivoca æquivocè ſumpta orationem confundit, ac ad diſparatos ſenſus trahit; ergo nihil certi, ac determinati ſignificare poteſt.

38. *Reſp. tamen*; licet voces æquivocæ non poſſint paſſim, ac pro libitu æquivocè ſumi, ut benè probat ratio dubitandi; poſſunt tamen ita ſumi quandoque: idque ſine confuſione, ac diſtractione ſenſus. *Probatur*: Quia iſtæ vocum ſumptiones ſeu ſuppoſitiones, quas non ſoli profani auctores; ſed etiam ſancti Patres, ac ipſe etiam Sacer Textus quandoque facit, non ſunt abſurdæ, neque incongruæ: atqui profa-

ni

Digitized by Google

ni Auctores, præſertim Terentius, ac Plautus, item ſancti Patres, ac etiam ipſe Sacer Textus, voces æquivocas quandoque ſumunt æquivocè: ergo voces æquivocæ poſſunt quandoque ſine incongruitate ſumi æquivocè. *Probatur minor*: quia tunc vox æquivoca ſumitur æquivocè, quando ſumitur pro pluribus ſuis æquivocatis ſimul: atqui tam ſancti Patres, quam etiam Sacer Textus voces æquivocas quandoque ſumunt pro pluribus ſuis æquivocatis ſimul: ergo ſumunt illas quandoque æquivocè. *Minor eſt* ſancti Auguſtini *lib.* 12 *confeſſ. cap.* 20. 24. 26. Et præſertim 31. Item *lib.* 3. *de doct. Chriſt. c.* 27 Quem ſequitur ſanctus Thomas *prima parte quæſt.* 1. *art.* 10. Eſtque communis inter omnes Theologos, ac Commentariſtas: docentes, quod ſub eadem litera quandoque lateant plures ſenſus literales. Et pro exemplo particulari adfert Auguſtinus *ſupra locis citatis*, vocem *principium*: quæ æquivoca eſt reſpectu principii temporis, & Verbi Divini, quod eſt principium Patri ſubauthoratum omnium creaturarum. Dicit ergo S. Auguſtinus vocem *principium* in hoc ſacro contextu *Geneſ.* 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*, capi pro utroque hoc ſuo æquivocato; ut faciat hunc ſenſum: Pater in initio temporis, at etiam in ſuo filio creavit cœlum, & terram. Adeoque vult illam ibi capi æquivocè. De quo vide Ludovicum Molinam *prima part. quæſt.* 1. *art.* 10. *diſp.* 3. Et Vaſquez *ibidem diſp.* 17.

39. Hoc ipſum probari efficaciter poteſt ex forma Sanctiſſimi Sacramenti Eucbatiſtiæ. *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus.* Ante omnia tamen ſuppono: quod iſta duo pronomina *hoc* & *hic* ibi categorematizentur & ſubſtantiventur, ac ſupponantur pro hoc ſuppoſito contento ſub hiſce accidentibus à me demonſtratis. Ut iſti ſacratiſſimi contextus, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*, reddant hos ſenſus: ſuppoſitum contentum ſub hiſce accidentibus à me demonſtratis eſt corpus meum, eſt ſanguis meus. *Hoc poſito, probo quod dixi*: Quia juxta omnes Theologos (*Durandum excipe*) iſta ſacratiſſima verba, dum à nobis proferuntur, ſupponuntur aſſertivè ſimul & recitativè: atqui non poſſunt iſtis duobus modis capi, niſi iſta duo pronomina *hoc* & *hic* capiantur pro ſuis æquivocatis: ergo etiam hoc caſu voces æquivocæ capiuntur æquivocè. *Probatur minor*: Quia dum iſta verba ſumuntur recitativè, tunc iſta pronomina ſupponuntur pro accidentibus iſtius panis & vini, quæ in manibus habuit, ac conſecravit Chriſtus Dominus Noſter; dum verò capiuntur aſſertivè, tunc ſupponuntur, ac ſignificant accidentia iſtius panis & vini, quæ in manibus habet, ac conſecrat Sacerdos ſacrificans: atqui iſta accidentia ſunt æquivocata iſtorum pronominum: iſta quippe accidentia non plus conveniunt in ſignificato principali vocis *hoc* aut *hic*, quam conveniant Petrus & Paulus in ſignificato principali vocis *hic homo*. Ergo iſta verba capi nequeunt aſſertivè ſimul & recitativè, niſi capiantur pro ſuis æquivocatis. *Sed de his dicat plura Theologus.*

40. Reſponſio noſtra duas habet partes. *Prima eſt*. Quod voces æquivocæ capi quandoque poſſint æquivocè. *Secunda eſt*: Quod id quandoque fieri poſſit ſine abſurditate, ac confuſione ſenſus. *Utramque ergo etiam confirmo ratione*. Quia vocem ſumi æquivocè eſt vocem ſumi pro pluribus ſuis ſimul æquivocatis: atqui poteſt æquivoca vox quandoque ſupponi pro ſuis æquivocatis ſine confuſione, ac diſtractione ſenſus: ergo poteſt ſine incongruitate quandoque capi æquivocè. *Probatur minor*: Quia vocem ſupponi pro ſuis æquivocatis eſt loquentem velle per vocem æquivocam ſignificare ſimul plura æquivocata ejus: quia, ut infra dicam, vocis ſuppoſitio nihil eſt aliud, quam loquentis volitio, qua vult per vocem à ſe prolatam audientibus ſignificare ejus ſignificatum. Atqui poteſt quandoque loquens velle ſine confuſione ſenſus per vocem æquivocam ſignificare ſimul plura æquivocata ejus: ſi ſcilicet audientibus ſatis inſinuet ex circumſtantiis ſermonis ſe habere talem voluntatem. Ergo, &c.

DUBIUM VI.

Quid ſit vox analoga? Quid ſint analogata?

41. RESP. & *dico primò*: Vox analoga eſt vox ſignificans plura in ſuo formali ſignificato partim convenientia, partim diſconvenientia: convenientia quidem in ſignificato formali habito; diſconvenientia verò in modo hab ndi illud. *Id eſt*: Vox analoga eſt vox ſignificans plura idem ſuum formale ſignificatum habentia, ac participantia diverſo habendi, ac participandi modo; verb. gr. vox *ſanum*, vox analoga eſt reſpectu animalis, medicinæ & urinæ: quia eſt vox ſignificans illa plura in ſuo eodem formali ſignificato partim convenientia, partim diſconvenientia. Significatum quippe formale vocis *ſanum* eſt ſanitas; in qua iſta tria partim conveniunt, partim diſconveniunt: conveniunt enim in ſanitate habita, omnia tria enim habent in ſe ſanitatem; ſed diſconveniunt in modo habendi. Nam animal habet in ſe ſanitatem formaliter, ſicut ſubjectum ſuam formam: medicina habet illam virtualiter ſeu eminenter, ſicut cauſa ſuum effectum: urina verò habet illam repræſentativè ſive intentionaliter, eo modo quo ſignum habere ſolet ſuum ſignificatum. Similiter vox *homo* reſpectu hominum vivi, picti, & mortui: item vox *acutum* reſpectu gladii & ingenii, vox *calidum* reſpectu ignis & ſolis, &c. ſunt voces analogæ: ſignificant enim iſta plura idem ſuum formale ſignificatum diverſo modo participandi participantia. Nam eadem humanitas, quæ eſt in homine vivo realiter, ſicut natura in ſuppoſito, eſt in picto ſimilitudinariè, ſicut ſignificatum in ſigno. Et idem eſt de aliis exemplis adductis.

42. Concluſionis ac definitionis ita explicatæ rationem deſumpſi ex Cajetano, *In opuſc. tomo* 3. *opuſc.* 5. *cap.* 4. & 9. Quia vox analoga eſt media inter æquivocam & univocam; natura autem medii ex extremis colligenda eſt: debet enim medium eſſe neutrum extremum; ſed participa-

re

re aliquid de utrinſque extremi natura. Atqui vox univoca eſt vox ſignificans plura in ſuo formali ſignificato planè convenientia; vox æquivoca eſt vox ſignificans plura in ſuo formali ſignificato planè diſconvenientia: ergo, ut vox analoga inter iſtas mediet, eſſe debet vox ſignificans plura in ſuo formali ſignificato partim convenientia, partim diſconvenientia: atqui aliqua plura in formali alicujus vocis ſignificato partim convenire, partim diſconvenire, eſt aliqua plura in ſe habere idem ejuſdem vocis formale ſignificatum diverſo habendi modo; uti dixi *dub.* 2. Ergo vox analoga debet eſſe vox ſignificans plura idem ſuum formale ſignificatum diverſo modo habentia.

43 *Ex quibus infero*: Analogiam præcisè & formaliſſimè ſitam eſſe in ſola diverſa participatione, ſeu in ſolo diverſo modo habendi formam à voce analogante principaliter ſignificatam. *Ratio eſt*: quia in eo præcisè poſita eſt ratio analogiæ, per quod vox analoga inter æquivocam & univocam, item per quod ſignificatio ejus ſit media inter univocationem & æquivocationem; atqui vox analoga inter æquivocam & univocam, item ſignificatio ejus ſit inter æquivocationem & univocationem media per diverſum modum habendi, ac participandi idem ejuſdem vocis ſignificatum formale: ergo in hoc diverſo modo ſita eſt præcisè ratio analogiæ. *Patet minor*: Quia eſſe vocem analogam eſt eſſe vocem mediam inter univocam, ac æquivocam: uti jam cum Cajetano dixi. Ergo neceſſario analogia eſt illud, per quod vox analoga inter æquivocam & univocam ſit media. *Minor verò probatur*; Quia, uti jam etiam cum Cajetano dicebam, eſſe medium eſt eſſe neutrum extremum: ergo per hoc vox analoga ſit media inter æquivocam & univocam, per quod neque eſt univoca, neque æquivoca: atqui eſt neque univoca, neque æquivoca per diverſum modum habendi ſuum idem formale ſignificatum: ſive per hoc, quod ejus ſignificata recti diverſo modo participent, ac habeant idem ſignificatum ejus formale. Ergo per hunc diverſum participandi modum ſit media inter æquivocam & univocam. *Patet minor*: Quia tolle à ſignificatis rectis alicujus vocis analogæ diverſum modum participandi idem formale ſignificatum ejus, tunc iſta vox non erit amplius analoga; ſed erit verè univoca: erit enim vox ſignificans plura in ſuo principali ſignificato planè convenientia: tam enim in forma habita, quam in modo habendi convenient. Vel tolle à ſignificatis rectis alicujus vocis analogæ identitatem, ſive participationem ejuſdem formalis ſignificati, tunc non analoga, ſed æquivoca eſt futura: ſignificabit enim plura in ſuo formali ſignificato planè diverſa. Ergo id, quo vox analoga neque univoca, neque æquivoca eſt, ſed inter æquivocam & univocam media, eſt diverſus modus habendi, quo ejus ſignificata recta habent ſignificatum ejus formale. Ergo in hoc diverſo habendi modo ſita eſt analogia.

44. Scio quidem analogiam ab aliis aliter explicari; tot enim in hac materia invenies placita, quot capita. Sed multi ita explicant, ut nec alii, nec ipſimet intelligant. Quare juxta monitum Cajetani *cap. 9. opuſculi citati*, diverſa doctorum dicta de analogis te perturbare non debent; ſed firmam, ac claram hanc ſequere regulam: quandocumque res plures ſignificatæ in recto per eandem vocem, in iſtius vocis principali ſignificato partim conveniunt, partim diſconveniunt, conveniunt quidem in eodem ſignificato formali habito, & diſconveniunt in modo habendi illud, tunc ſcias ibi eſſe analogiam: vocem iſtam eſſe analogam, ac iſta ſignificata recta eſſe illius analogata. Contingit autem diverſimodè aliqua plura in ſe idem ejuſdem vocis formale ſignificatum habere diverſo modo. Nimirum quia unum intrinſecè; alterum habet illud extrinſecè. Unum habet eſſentialiter; alterum accidentaliter. Unum formaliter; alterum habet virtualiter vel eminenter. Unum habet verè, ac realiter; alterum ſolum ſimilitudinariè & apparenter, &c.

45. *Objicies primò*: Si analogia ſita foret in diverſo modo habendi idem ejuſdem vocis formale ſignificatum, *animal* reſpectu hominis & bruti: & generaliter omne genus foret analogum reſpectu ſuarum ſpecierum. Atqui conſequens ineptum eſt: ergo etiam ineptum eſt antecedens. *Probatur ſequela majoris*: Quia homo & brutum habent in ſe animalitatem à voce *animal* principaliter ſignificatam diverſo modo: homo quippe illam habet per rationalitatem, & brutum per irrationalitatem. *Reſp. negando ſequelam majoris, & probationem ejus*: Nam licet animalitas ſit in homine & bruto diverſimodè per diverſas differentias contracta, adeoque habeat in illis diverſum modum contradictionis; non tamen habet diverſum modum inexiſtentiæ, ac participationis: ſed utrique inexiſtit, ab utroque habetur & participatur eodem inexiſtendi, habendi, & participandi modo: habetur enim ab utroque eſſentialiter, eo modo quo genus haberi ſolet à ſuis ſpeciebus: adeoque *animal* reſpectu hominis & bruti eſt verè univocum. Nam univoco non obeſt diverſitas contractionis; ſed ſola diverſitas inexiſtentiæ, ac participationis: *uti jam dixi*.

46. *Objicies ſecundò*: Si analogia ſita foret in diverſo modo habendi idem ejuſdem vocis ſignificatum formale, *homo* reſpectu Verbi aut Chriſti Domini noſtri, & reſpectu noſtri foret analogum: conſequens abſurdum eſt, ac Manichæiſmum ſapiens: ergo & antecedens. *Patet ſequela majoris*: Quia omnis vox ſignificans plura idem ſuum formale ſignificatum diverſo modo habentia, eſt vox analoga; atqui vox *homo* ſignificat Verbum & homines puros, humanitatem à ſe principaliter ſignificatam diverſo modo habentes: Verbum enim habet in ſe humanitatem contingenter & accidentaliter; Petrus verò & Paulus habent eam per ſe & eſſentialiter. Ergo, ſi analogia in iſto diverſo habendi modo ſita ſit, vox *homo* erit analoga reſpectu Verbi & Petri. Minor verò probari videtur ab omnibus illis Patribus, & Conciliis, quæ clamant ubique tamquam fidei noſtræ Catholicæ fundamentum, Chriſtum fuiſſe verum Deum, & verum

homi-

hominem, nobis per omnia ſimilem, & conſubſtantialem.

47. *Reſp.* Argumentum hoc tangere duas difficultates planè diverſas, ac diſparatas: quas proinde diſtinguere debuiſſet Suarez *tom. 1. in 3. part. quæſt. 16. art. 1. in comment. dub. 2. Prima difficultas eſt*: An vox *homo* ſit univoca reſpectu Chriſti & Petri, aliorumque hominum purorum? *Secundò eſt:* An ſit univoca vel analoga reſpectu Verbi & Petri, aliorumque hominum purorum? *Ad primam reſpondeo:* Vocem *homo* tam eſſe univocam reſpectu Chriſti & Petri, quam ſit reſpectu Petri & Pauli. *Et ratio eſt clara*: Quia Chriſtus & Petrus habent in ſe eandem ſpecie humanitatem, eodem modo habendi: uterque enim habet illam eſſentialiter, eo modo, quo ſolent individua habere ſuam ſpeciem. Chriſtus enim tam verè, quam Petrus, eſt verum individuum contentum ſub ſpecie humana. Vox *homo* ergo reſpectu Chriſti & Petri eſt vox ſignificans plura in ſuo formali ſignificato planè convenientia: adeoque verè univoca.

48. *Secunda difficultas eſt major: eamque propriè movet propoſitum argumentum.* In ea tamen tacere mallem, quam aliquid temerè dicere. Dicam ergo non quod ego ex capite fingo; ſed quod ante me docuerunt ſubtiliſſimi Magiſtri mei, Nominales. *Reſp. itaque ad argumentum cum Gabriele in 3. diſt. 7. quæſt. unica, dub. 2. negando minorem.* Et dico vocem *homo* reſpectu Verbi & Petri aliorumque hominum purorum eſſe verè analogam: ut optimè probat argumentum factum. Eſt tamen analoga, non analogia extrinſeca; ſed intrinſeca. Quid hæc ſit, ſcies *dubio* 7. Neque hoc eſt contra Concilia, aut Sanctos Patres; illi enim ſolummodo docent, Verbum Divinum eſſe verum hominem, *Id eſt:* in ſe habere veram humanitatem. An autem vox *homo* dicenda foret univoca, an analoga, ipſi neque dixerunt, neque dicere curaverunt. Theologi Scholaſtici communiùs dicunt eſſe univocam: Nominales tamen, quorum ergo diſcipulus ſum, dicunt eſſe analogam. Neque tamen omnes alii Theologi mihi hic ſunt adverſarii: plurimi enim eorum, dum vocem *homo* dicunt eſſe univocam, de voce univoca largius loquuntur, ſicut locutus eſt Ariſtoteles in Ante prædicamentis: prout ſcilicet diſtinguitur contra æquivocam, comprehenditque ſub ſe & analogam, & univocam propriè dictam. Vide Gabrielem *loco citato, & dub. 4. ejuſdem quæſt.* Malè ergo Suarez *loco jam citato* dixit Catholicum de vocis *homo* univocatione non poſſe dubitare.

49. *Dico ſecundò*: Analoga analogata ſunt illa, quorum nomen commune eſt, ratio verò nomini accommodata eſt partim eadem, partim diverſa. *Id eſt*: Sunt plures res ſignificatæ per eandem vocem, in cujus formali ſignificato partim conveniunt, partim diſconveniunt; conveniunt quidem in formali ſignificato habito, diſconveniunt verò in modo habendi illud. Sive analogata ſunt plures res ſignificatæ ab eadem voce, quæ idem illius formale ſignificatum habent in ſe diverſo modo. Unde in voce analoga diſtingui etiam debent tria: nimirum vox analogans, forma analogans, & analoga analogata: eo modo, quo ſupra dixi de voce æquivoca, & univoca. Item analogata ſunt non ſolùm vocis analogæ ſignificata; ſed etiam illius ſignificata recta, ac ſecundaria: ut ſupra dixi de univocatis. Immò ſunt vocis analogæ ſignificata materialia: quia, ut ſtatim *dub. 7.* dicam, omnis vox analoga debet eſſe concreta, in qua coincidunt ſignificatum materiale & rectum.

50. Analoga ergo analogata ſunt plura idem ejuſdem vocis ſignificatum formale participantia diverſo modo; ſicut univoca univocata ſunt plura idem ejuſdem vocis ſignificatum formale participantia eodem modo. Cum hac tamen differentia: quam ſubtiliter advertit Cardinalis Cajetanus *in opuſc. 1. tom. 3. opuſc. 5. cap. 2.* Quod univocata rarò participent formam eandem numero; ſed ordinariè eandem ſola ſpecie, vel genere; analogata verò participant formam ordinariè eandem numero. *Patet hoc inductione:* verb. gr. animal, medicina, & urina, quæ ſunt analogata vocis *ſanum*, habent in ſe eandem numero ſanitatem: illammet enim ſanitatem, quam animal in ſe habet, medicina cauſſat, & urina ſignificat: eadem ergo numero ſanitas eſt in animali formaliter, in medicina eminenter, in urina intentionaliter. Item aer & ſol, qui ſunt analogata vocis *calidus*, habent in ſe eundem numero calorem: ſol quidem eminenter, & aer à ſole calefactus formaliter. Illummet enim numero calorem, quo aer formaliter calet, ſol in aere producit, caletque illo eminenter. Item homo vivus & homo pictus, qui ſunt analogata vocis *homo*, habent in ſe eandem humanitatem: illa quippe humanitas, quæ eſt in vivo ſicut natura in ſuppoſito, eſt in picto ſicut ſignificatum in ſigno.

51. *Dices tamen contra finem concluſ. 2.* Axioma ſummuliſticum eſt: *vox analoga per ſe poſita ſtat pro principali analogato.* Atqui principale analogatum eſt principale vocis analogæ ſignificatum: ergo analogata non ſemper ſunt ſignificata ſecundaria. *Reſp. negando minorem:* Omne analogatum quippe, cum ſit vocis analogæ ſignificatum materiale, & ſubjectum participans formam ab illa principaliter ſignificatam, neceſſariò eſſe debet illius ſignificatum ſecundarium. Quia tamen inter ſecundaria alicujus vocis ſignificata datur ordo poſterioris & prioris, & unum eſt magis ſecundarium & remotum, quam aliud, hinc etiam unum vocatur magis principale, quam aliud. Sic etiam ergo hic inter analogata unum vocatur principale analogatum: illud ſcilicet, quod formam à voce analoga principaliter ſignificatam participat & habet perfectiſſimo modo. Vocatur, inquam, principale analogatum, licet non ſit principale vocis analogæ ſignificatum: vocatur enim principale, non inter omnia vocis analogæ ſignificata; ſed inter ſola ejus analogata, quæ ſunt ſignificata ſecundaria.

DUBIUM VII.

Corollaria quædam circa voces analogas.

52. EX *dictis ſequitur primò:* Vocem analogam neceſſario debere eſſe vocem concretam.

eretam. *Ratio eſt :* Quia omnis vox analoga debet habere analogata, atqui nulla vox abſtracta poteſt habere analogata: ergo nulla vox analoga poteſt eſſe vox abſtracta: ergo omnis vox analoga debet eſſe concreta. *Probatur minor :* Quia analogata debent eſſe ſignificata ſecundariu, idem ejuſdem vocis principale ſignificatum habentia in ſe diverſo modo: atqui nulla vox abſtracta poteſt habere ſignificata ſecundaria, idem ſuum formale ſeu principale ſignificatum habentia in ſe diverſo modo: ergo nulla vox abſtracta poteſt habere analogata. *Probatur minor :* Quia ſignificatu ſecundaria vocis abſtractæ ſunt inferiora formæ principaliter ſignificatæ : atqui inferiora formæ principaliter ſignificatæ formam iſtam principaliter ſignificatam non poſſunt habere diverſo modo; ſed neceſſariò habent illam eodem modo: habere quippe debent illam eſſentialiter, ſicut inferiora habere ſolent ſuum ſuperius. Ergo nulla vox abſtracta habere poteſt ſignificata ſecundaria, idem ſuum principale ſignificatum habentia in ſe diverſo modo.

53. *Sequitur ſecundò:* Omne prædicatum metaphoricum reſpectu ſui ſignificati proprii & translatitii, qualia ſunt, *leo*, *petra*, *lapis angularis*, *vitis*, *agnus*, *&c.* reſpectu Chriſti Domini & alterius ſui ſignificati proprii: Item *ridens* reſpectu prati & hominis, *acutum* reſpectu ingenii & gladii, &c. eſſe prædicatum analogicum. *Prob.* Quia prædicatum analogicum eſt illud, cujus idem ſignificatum formale à diverſis ejus ſignificatis ſecundariis habetur diverſo modo: atqui omne prædicatum metaphoricum reſpectu ſui ſignificati proprii & translatitii eſt tale: ergo eſt prædicatum analogicum. *Probatur minor :* Qnia ſemper ſignificatum proprium & ſignificatum translatitium habent in ſe ſignificatum formale prædicati metaphorici diverſo modo: unum quippe habet illud realiter & verè; alterum verò ſolummodo ſimilitudinariè. Ait enim Auguſtinns *tract.* 80 *in Joannem*, loquens de Chriſto Domino Noſtro: *Sic enim dicitur vitis per ſimilitudinem, non per proprietatem: quemadmodum dicitur ovis, agnus, leo, petra, lapis angularis, & cætera hujuſmodi: quæ magis ipſa ſunt vera, ex quibus ducuntur iſtæ ſimilitudines, non proprietates.* Ecce quomodo magis lucidè dicere poterat, ſignificatum formale vocis *vitis* eſt in planta per proprietatem & propriè; in Chriſto per ſimilitudinem & ſimilitudinariè? Ergo omne prædicatum metaphoricum eſt prædicatum, cujus idem formale ſignificatum habetur à pluribus diverſo modo.

54. *Sed ecce hinc oritur difficultas contra primum Corollarium, hoc modo :* Omne prædicatum metaphoricum eſt prædicatum analogum: atqui aliqua prædicatu metaphorica ſunt prædicatu abſtracta; ergo prædicata abſtracta poſſunt eſſe analoga. *Probatur minor :* Quia vox *riſus* eſt vox abſtracta: atqui Rhetores pro exemplo metaphoræ paſſim aſſignant vocem *riſus*: ergo aliqua prædicata metaphorica ſunt prædicata abſtacta : *Reſp. negando minorem, ad probationem dico :* Rhetores ita aſſignantes malè aſſignare. Oſtendo ergo vocem *riſus*, aliaſque ſimiles abſtractas neque eſſe analogas, neque metaphoricas. *Non* enim ſunt analogæ : quia omnis vox analoga debet habere analogata: atqui vox *riſus* non habet analogata; ergo non eſt analoga.

55. *Negant minorem.* Dicuntque analogata illius eſſe riſum humanum & bonam prati diſpoſitionem. Hæc duo enim in principali ſignificatio vocis *riſus* partim conveniunt, partim diſconveniunt. *Sed longè errant* : Quia analogata debent eſſe plura idem ejuſdem vocis principale ſignificatum habentiu: atqui riſus humanus, motio iſtu dentium, & labiorum, totiuſque oris & vultus; & bona diſpoſitio prati, non habent in ſe idem vocis *riſus* principale ſignificatum: ergo non ſunt iſtius vocis analogatu. *Patet minor* : Quia *riſus* de principali nihil ſignificat commune riſui humano & bonæ diſpoſitioni prati; neque enim ſignificat bonam diſpoſitionem in communi, prout abſtrahit ab intellectivu & vegetativa; ſed principaliter ſignificat (ut ego puto) ſolum riſum humanum; vel tam riſum humanum, quam etiam bonam diſpoſitionem & vegetationem prati. Et quidquid dixeris vel quæſiveris, nunquam aliquod unum iſtius vocis principale ſignificatum iſtis rebus commune inveneris. Prætetea, uti dixi analogata debent eſſe ſignificata ſecundaria: atqui riſus humanus, item bona vegetatio prati, non ſecundaria, ſed primariu vocis *riſus* ſignificata ſunt: ergo non ſunt illius analogata.

56. Oportet ergo benè diſtinguere inter vocem concretam & abſtractam: verb. gr. *ridens* & *riſus*, *acutus* & *acumen*, *ſanitas* & *ſanum*. Concreta quippe vox analoga eſt; abſtracta verò minimè. *Et ratio eſt clara*: Quia verb. gr. vox *ridens* ſignificat plura, ſcilicet hominem & pratum, idem ſuum formale ſignificatum habentiu diverſo modo: riſum enim, quem homo habet verè, pratum habet ſimilitudinariè. Item acumen, quod in gladio, ac ſerra eſt verè, eſt in intellectu ſimilitudinariè: Ergo omnes tales voces ſunt verè analogæ. At verò vox *riſus*, *acumen*, *ſanitas*, *&c.* non ſignificant plura idem ſignificatum ſuum formale diverſo modo habentia. Quod evidentius patet in voce *ſanitas*. Hæc quippe vox ſignificat & ſanitatem animalis, & medicinæ, & urinæ: atqui hæ tres ſanitates non differunt in modo habendi ſanitatem in communi: cum ſint ſanitas non ſolùm eadem ſpecie; ſed etiam eadem numero: ut dixi ſupra ex Cajetano. Ergo, &c.

57. Quod iſtæ voces abſtractæ etiam non ſint metaphoræ, ſeu prædicata metaphorica; *etiam breviter proba*: Quia metaphora eſt translatio vocis à ſignificatione propriu ad impropriam. *Id eſt*: (debet quippe hæc definitio exponi intranſitivè) metaphora eſt vox translata à ſignificatione propria ad impropriam: atqui vox *riſus*, & aliæ ſimiles abſtractæ non ſunt voces ita translatæ: ergo non ſunt metaphoræ. *Probatur minor :* Quia vocem transferri à ſignificatione propria ad impropriam, eſt vocem, quæ ſignificat ſignificatum ſuum formale alicui ineſſe propriè, transferri ac uſurpari, ut etiam ſignificet illud alicui ineſſe impropriè : ad me quod attinet, non video, quid ſit aliud. Nam, ut dice-

dicebat Sanctus Auguſtinus ſupra citatus, vocem transferri eſt vocem ſignificare per ſimilitudinem, quod antea ſignificabat per proprietatem. Atqui vox *riſus* & aliæ ſimiles abſtractæ non poſſunt ſignificatum ſuum principale ſignificare uni ineſſe, aut ab uno haberi propriè, ab altero impropriè; ſed hoc ſolis concretis vocibus per modum habentis & habiti ſignificantibus quadrat; uti eſt manifeſtum. Ergo voces abſtractæ non poſſunt eſſe voces translatæ. Sed de his plura Rhetor, ac inferior Grammaticus; dicam tamen forſan alibi de hoc adhuc aliquid.

58. *Sequitur tertiò*: Ens reſpectu Dei & creaturæ, reſpectu ſubſtantiæ & accidentis, ac reſpectu omnium ſuorum inferiorum eſſe prædicatum verè univocum; non autem analogicum. *Ratio eſt*: Quia prædicatum univocum eſt, id quod prædicatur de multis in eodem ſuo formali ſignificato planè convenientibus: ſeu quod ſignificat multa idem ſuum formale ſignificatum eodem modo habentia. Atqui ens ſignificat omnia ſua inferiora, ſcilicet Deum & creaturas, ſubſtantiam & accidens, &c. idem ſuum formale ſignificatum habentia eodem modo: ergo reſpectu eorum eſt prædicatum univocum. *Probatur minor*: Quia omnia inferiora entis habent in ſe Eſſentiam non fictam à voce *ens* formaliter ſignificatam eſſentialiter, eo modo quo inferiora ſolent habere prædicatum ſe directè ſuperius: ergo omnia habent eodem modo.

59. *Sequitur quartò*: Reſpectu Dei & creaturæ dari aliqua prædicata univoca; aliqua analoga. Univoca ſunt, *ens*, *ſubſtantia*, *ſpiritus*, *vivens*, *incorporeus*, &c. Omnia nimirum illa, quæ tam de creaturis, quam de Deo prædicantur eſſentialiter: in his quippe omnibus locum habet ratio jam ſtatim facta. Analoga verò ſunt *ſapiens*, *juſtus*, *miſericors*, *ſciens*, *volens*, &c. *Ratio eſt*: Quia prædicatum analogum eſt illud, quod ſignificat plura idem ſuum formale ſignificatum in ſe diverſo modo habentia: atqui omnia iſta præfata prædicata ſignificant in recto Deum, hominem, & Angelum, habentes ſuum formale ſignificatum diverſo modo: ergo omnia iſta reſpectu Dei & creaturæ ſunt prædicata analoga. *Patet minor*: Quia iſtarum vocum ſignificata formalia ſunt ſapientia, juſtitia, miſericordia, &c. Atqui hæc habentur alio modo ab homine; à Deo quippe habentur eſſentialiter, ab homine ſolum accidentaliter: item à Deo per realem identificationem; ab homine habentur per phyſicam informationem: qui ſunt modi habendi planè diverſi. Omnia ergo iſta prædicata reſpectu Dei & creaturæ ſunt analoga: quæ de utroque non prædicantur eſſentialiter, ſed de uno eſſentialiter, & de alio prædicantur accidentaliter. Et hinc adhuc magis patet ratio, cur dixerim ſupra vocem *homo* eſſe analogam reſpectu Petri & Verbi divini.

60. *Sequitur quintò*: Vocem abſtractam correſpondentem voci concretæ analogæ, eſſe quandoque univocam; verb. gr. voces concretæ *ſapiens*, *juſtus*, *miſericors*, &c. reſpectu Dei & hominis ſunt analogæ; attamen voces abſtractæ illis correſpondentes, ſcilicet *ſapientia*, *juſtitia*, *miſericordia*, &c. reſpectu humanæ & divinæ ſunt voces univocæ. *Probatur*: Quia vox univoca eſt vox ſignificans plura, idem ſuum principale ſignificatum eodem modo in ſe habentia: atqui vox *juſtitia* (& idem eſt de aliis) eſt vox ſignificans Juſtitiam humanam & divinam, habentes in ſe idem ſuum ſignificatum principale, eodem modo: ergo eſt reſpectu earum vox univoca. *Probatur minor*: Quia tam Juſtitia humana, quam divina habent in ſe rationem Juſtitiæ in genere à voce *Juſtitia* principaliter ſignificatam eſſentialiter; ſicut inferius ſolet habere ſuum ſuperius: ergo habent eam eodem habendi modo. *Et hinc patet*: Quomodo cohæreant illa, quæ ſupra dixi, nimirum vocem *humanitas* eſſe univocam ad humanitatem Verbi, & humanitatem Petri, cum tamen vox *homo* ad Verbum & Petrum ſit vox analoga. *Ex quo etiam patet*; Quod vox *Deus* reſpectu Chriſti & Patris univoca, reſpectu Patris & hominis ſit analoga: ut dixi jam in ſimili de voce *homo*.

61. *Sequitur ſextò*: Eandem vocem non ſolùm reſpectu diverſorum; ſed etiam reſpectu eorumdem, idquè non ſolùm ratione diverſorum ſignificatorum formalium, ut dixi ſupra *dub.5. de voce æquivoca*; ſed etiam ratione ejuſdem ſignificati formalis, poſſe eſſe ſimul univocam & analogam. Prima fronte apparet mirum; ſed ſpero fore, ut ſtatim deſinas mirari. Tales ergo voces ſunt *ens*, *ſubſtantia*, *vivens*, reſpectu hominis & Dei, reſpectu hominis & bruti, &c. Accipiamus vocem *vivens*: omnium enim eadem eſt ratio. Quod ergo vox hæc reſpectu hominis & bruti univoca ſit, nemo negabit; de utroque enim prædicatur eſſentialiter ſignificatumque ejus formale, ſcilicet vita, ab utroque habetur eodem modo: nimirum eſſentialiter, eo modo, quo natura generica haberi ſolet à ſuis ſpeciebus.

62. Quod reſpectu eorum, ratione ejuſdem ſui formalis ſignificati, ſcilicet vitæ, ſit etiam analoga, *probo*: Quia vox analoga eſt vox ſignificans plura, idem ſuum formale ſignificatum habentia diverſo modo; atqui vox *vivens* eſt talis: ſignificat enim hominem & brutum habentia vitam à ſe de formali ſignificatam diverſo modo. Brutum enim habet vitam in ſe eſſentialiter; homo verò habet illam accidentaliter (quamtumvis tamen eam habeat quoque eſſentialiter.) Ergo reſpectu eorum vox *vivens* eſt etiam analoga. *Primam minoris partem nemo negabit*: *& ego quoque probo efficaciſſimè ſecundam*: Quia riſibile vel riſibilitas ineſt homini accidentaliter: ergo etiam vita ineſt homini accidentaliter. *Probatur conſeq. ex prima regula ante prædicamentali*: Quia omnia eſſentialia prædicata prædicati inſunt ſubjecto eo modo, quo illi ineſt prædicatum; atqui vivens eſt prædicatum eſſentiale riſibilis, & vita eſt prædicatum eſſentiale riſibilitatis: ut hic non probo; ſed ſuppono probaturus illud efficaciſſimè alibi. Ergo vita eo modo ineſt homini, quo illi ineſt riſibilitas; atqui riſibilitas ineſt homini accidentaliter: ergo etiam vita ineſt homini accidentaliter. Sed de toto hoc diſcurſu alias latiùs.

63. *Dices*: Eadem forma, ſeu idem ſignificatum formale non poteſt eiſdem ſubjectis eſſe eſſen-

ſentiale, & ſimul accidentale: hæc enim ſunt contradictoria. Nam eſſe eſſentiale eſt eſſe intra, eſſe verò accidentale eſt eſſe extra eſſentiam. Ergo eadem vox reſpectu eorumdem ſubjectorum & ratione ejuſdem ſignificati formalis, nequit eſſe ſimul univoca, & analoga. *Reſp. breviter diſtinguendo antecedens*: Eadem forma ratione eorumdem ſuorum inferiorum, ſive ratione ejuſdem partis ſubjectivæ, nequit eidem ſubjecto eſſe ſimul eſſentialis & accidentalis; ſic concedo. Ratione diverſorum inferiorum, ſive ratione diverſarum partium ſubjectivarum: *ſic nego*. Et dico hoc eſſe optimè poſſibile, & do exemplum in *vivens*, ſive *vita*: quam ſuppono prædicari eſſentialiter de rationalitate & riſibilitate & ſic ratione riſibilitatis homini ineſt accidentaliter, & ratione rationalitatis homini ineſt eſſentialiter. Nam, uti dixi, omnia eſſentialia prædicata prædicati inſunt ſubjectis, eo modo quo ipſa prædicata inſunt illis. Undè aliquod prædicatum habens ſibi eſſentialiter ſubjecta duo prædicata ejuſdem ſubjecti, unum eſſentiale, alterum accidentale, iſti eidem ſubjecto ineſt ſimul eſſentialiter & accidentaliter: eſſentialiter quidem ratione prædicati eſſentialis: accidentaliter verò ratione prædicati eſſentialis. Sed uti dixi, de his aliàs plura.

DUBIUM VIII.

De quibuſdam vocis analogæ diviſionibus.

64. TRes ſunt præcipuæ vocis analogæ diviſiones hic breviter diſcutiendæ & dimittendæ. Has tamen diviſiones Philoſophi magis attribuunt rebus analogatis, quam vocibus analogantibus. Et illis ſanè etiam melius quadrant. Poſſunt tamen etiam applicari analogis analogantibus. Diviſiones ergò ſunt hæ: prima eſt diviſio analogorum analogatorum in analoga analogata proportionis ſeu attributionis, & in analoga proportionalitatis. Altera eſt diviſio in analoga intrinſeca, & extrinſeca. Tertia eſt diviſio in analoga æqualitatis & inæqualitatis. *Quæritur ergo*: An omnes hæ diviſiones ſint legitimæ & bonæ, & an dentur omnia hujuſmodi analoga, ſcilicet intrinſeca, extrinſeca, inæqualitatis, proportionis, proportionalitatis, &c. Pro horum verò intellectu.

65. *Adverte*: Quid ſit ſimplex proportio; quid verò ſit proportionalitas. Sunt verò hi duo termini Mathematici. Apud Mathematicos ergò proportio eſt habitudo duarum quantitatum inter ſe, v. g. habitudo ſimpli ad duplum, habitudo tripli ad ſextuplum, habitudo binarii ad quaternarium, quaternarii ad octonarium, &c. vocantur proportiones. Proportionalitas verò eſt proportio proportionum, ſeu ſimilitudo habitudinum inter ſe, v. g. ſimilitudo quæ eſt inter habitudinem binarii ad quaternarium, & habitudo quaternarii ad octonarium; item ſimilitudo, quæ eſt inter habitudinem binarii ad octonarium, & habitudinem quinarii ad vicenarium, &c. Sunt mathematicæ, ſeu Arithmeticæ proportionalitates. Quas Mathematici ordinariè explicare ſolent hac verborum formula: ſicut ſe habent duo ad octo, vel binarius ad octonarium, ita ſe habent quinque ad viginti, vel quinarius ad vicenarium. Utrobique enim eſt proportio ſimpli ad quadruplum: Hoſce duos terminos etiam ſæpè Logici, ac Phyſici uſurpant, illos à Mathematicis mutuantes: nam Logici habitudinem individui ad ſpeciem, habitudinem ſpeciei ad individua, vocant proportiones Logicas; iſtarum verò habitudinum ſimilitudinem vocant Logicam proportionalitatem. Similiter habitudinem materiæ cæleſtis ad formam cæleſtem, & habitudinem materiæ ſublunaris ad formam ſublunarem vocant Phyſici Phyſicas proportiones; harum verò habitudinum habitudinem ſeu ſimilitudinem vocant Phyſicam proportionalitatem. Hoc poſito.

66. Logici analoga attributionis ſeu nudæ proportionis vocant illa, quorum analogia fundatur in ſimplici quadam attributione ſeu proportione ſua ad formam analogantem, ſive vocant illas res analogas nudæ proportionis, quæ ſignificantur per eandem vocem ob certam aliquam proportionem, ac habitudinem, quam habent ad ſignificatum iſtius vocis formale, v g. homo vivus & pictus, reſpectu vocis *homo*: item animal, medicina, & urina ſunt analogata reſpectu vocis *ſanum*. Quia tria hæc ſignificantur per eandem vocem *ſanum*, ob certam proportionem quam ſingula habent ad ſanitatem à voce *ſanum* principaliter ſignificatam. Analoga verò proportionalitatis vocant illa, quorum analogia fundatur in proportionalitate ſua, ſive in proportione ſuarum proportionum ad formam analogantem. Sive vocant illas res analogas proportionalitatis, quæ ſignificantur per eandem vocem ob habitudinem habitudinum, quas ſingulæ habent ad iſtius vocis ſignificatum formale, v. g. homo & pratum reſpectu vocis *ridens* (hoc enim eſt exemplum Cajetani, *opuſculi jam ſæpè citati cap. 3*) ſunt analoga proportionalitatis, quia duo iſta ſignificantur à voce *ridens* ob ſimilitudinem habitudinum ſeu proportionum, quam duo iſta habent ad riſum à voce *ridens* principaliter ſignificatum. Nam uti ſe habet homo ridens ad riſum; ita ſe habet pratum vegetum ad illum.

67. Sed ſalva reverentia totius ſcholæ diviſionem hanc approbantis, ergo illam reprobo & proſcribo: & dico nulla dari analoga proportionalitatis, nullaque analoga poſſe inter ſe habere proportionalitatem, quæ reſpiciat formam analogantem; ſed ſolummodò nudam proportionem ad illam: *Probatur*: Quia analoga habere inter ſe proportionalitatem, quæ reſpiciat formam analogantem, eſt habitudines ſeu proportiones analogatorum ad formam analogantem eſſe ſibi mutuo ſimiles: atqui hæ habitudines non poſſunt ulla ratione eſſe ſibi mutuo ſimiles: ſed debent neceſſariò eſſe diſſimiles: ergo nulla analoga inter ſe habere poſſunt proportionalitatem, quæ reſpiciat formam analogantem; ergo nulla dari poſſunt analoga proportionalitatis. *Major eſt clara, & evidens*: Quia proportionalitas eſt habitudo habi-

tudinum; ſive, ut rectè dicit Cajetanus *loco citato*, eſt ſimilitudo habitudinum ſeu proportionum: ergo aliqua inter ſe habere proportionalitatem, eſt illa habere ſimilitudinem habitudinum, ſive habitudines ſimiles.

68. *Minorem verò probo*: Quia proportio, habitudo, ſeu relatio analogatarum ad formam analogantem eſt inexiſtentia, vel certè fundatur in inexiſtentia formæ analogantis in ſuis analogatis: atqui forma analogans non poteſt ſuis analogatis inexiſtere eadem aut ſimili inexiſtentia; ſed neceſſariò illis inexiſtere debet diverſa ſeu diſſimili inexiſtentia, ſeu diſſimili inexiſtendi modo: ut hactenus dictum eſt. Ergo habitudines analogatorum ad formam analogantem non poſſunt ſibi ullatenus eſſe ſimiles; ſed neceſſariò debent eſſe diſſimiles. *Et confirmatur*: Quia de quibuſcumque rebus, quæ inter ſe habent proportionalitatem ad aliquod idem tertium, rectè & verè dicimus, ſicut ſe habet hoc ad illud, ita etiam ſe habet iſtud ad illud: nam, uti ſtatim dicebam, iſta eſt formula verborum, quibus ordinariè proportionalitatem exprimimus. Atqui de analogatis nunquam verè dicimus, ſicut ſe habet hoc analogatum ad formam analogantem, ita etiam ſe habet illud ad illam: uti facilè patere poteſt ex inductione, verb. gr. non verè dicimus, ſicut ſe habet animal ad ſanitatem, ita ſe habet medicina ad illam: ſicut ſe habet homo ad riſum, ſic ſe habet pratum ad illam, &c. Homo quippe habet ſe ad riſum ſicut ſubjectum ad formam ſibi inhærentem verè; pratum verò tamquam ad formam ſibi inhærentem ſolummodò ſimilitudinariè. Ergo analoga nunquam inter ſe habere poſſunt proportionalitatem, quæ reſpicit formam analogantem.

69 Hac ergò in parte per diametrum oppono Cajetano: ille enim vult perfectam proportionalitatem eſſe fundamentum perfectæ analogiæ: ibique eſſe perfectiſſimam analogiam, ubi eſt perfectiſſima proportionalitas. Ego verò ex oppoſito dico perfectam proportionalitatem eſſe fundamentum & cauſſam perfectæ univocationis; ibique eſſe perfectiſſimam univocationem, ubi eſt perfectiſſima proportionalitas: *Ratio eſt clara*: quia ibi eſt perfectiſſima univocatio, ubi ſunt perfectiſſima univocata: atqui res habentes proportionalitatem perfectiſſimam ad eandem formam, ſunt perfectiſſima univocata: ergò ibi eſt perfectiſſima univocatio, ubi eſt perfectiſſima plurium ad eamdem formam proportionalitas. *Probatur minor*: quia univocata ſunt res plures idem ejuſdem vocis principale ſignificatum, ſive eandem ejuſdem vocis formam habentes ſe in eodem: atqui res ad eandem formam habentes proportionalitatem, habent illam formam eodem modo: ac res ad eandem formam habentes perfectiſſimam proportionalitatem, habent illam formam perfectiſſimè eodem modo. Ergo res ad eandem formam habentes perfectiſſimam proportionalitatem ſunt perfectiſſima univocata; habentque inter ſe perfectiſſimam univocationem. *Prob. min* quia res ad eandem formam habentes proportionalitatem ſunt res habentes ſimilem, ſive eandem habitudinem ad iſtam formam: *uti jam ſtatim dixi*. At, qui habitudo rei ad formam eſt habentia formæ à re, ſive eſt inexiſtentia, ſeu modus inexiſtendi formæ in re: *uti etiam oſtendi*. Adeoque ad eandem formã habere ſimilem habitudinem eſt eandem formam habere eodem ac ſimili modo: ergo res ad eandem formam habentes proportionalitatem habent iſtam formam in ſe eodem ac ſimili modo.

70. Altera analogorum diviſio erat in analoga æqualitatis & inæqualitatis. *Circa quam præcipuè quæritur*: an dentur analoga inæqualitatis, ſive an ſola aliquarum rerum in perfectione inæqualitatis, ſit ſufficiens fundamentum an cauſſa analogiæ? analoga enim inæqualitatis vocant plures res ſignificatas per eandem vocem, in perfectione eſſentiali inæquales. Quales v. g. ſunt Deus & creatura, ſubſtantia & accidens, reſpectu vocis *ens*. *Quæritur ergò*: an ſola iſta eſſentialis inæqualitas ſit ſufficiens analogiæ fundamentum? & dicendum eſt quod non. *Ratio eſt*: quia analoga eſſe non poteſt ſine diverſo modò participandi idem ejuſdem vocis formale ſignificatum: *uti patet ex hactenus dictis*. Atqui aliquarum rerum in perfectione inæqualitas non ſemper ſecum trahit diverſum modum participandi; ſed optimè ſtare poteſt cum eodem modo participandi idem ejuſdem vocis formale ſignificatum: ergò ſola perfectionis inæqualitas non eſt ſufficiens fundamentum analogiæ. *Probatur minor*: quia homo brutum reſpectu animalis, item animal & planta reſpectu viventis, item homo & Deus reſpectu ſubſtantiæ & entis, &c. ſunt inæquales in perfectione: atqui tamen eodem modo participant idem ejuſdem vocis formale ſignificatum: uti eſt clarum. Ergò inæqualitas perfectionis ſtare poteſt cum identitate modi habendi: adeòque ſola iſta perfectionis inæqualitas, niſi accedat diverſus habendi modus, nequit cauſſare analogiam.

71. Eodem argumento probabis, quod neque analogia ſita ſit in vocis tranſcendentia, ſive quod ſola tranſcendentia non ſit ſufficiens fundamentum, & cauſſa analogiæ. Quia nihil poteſt cauſſare analogiam, niſi quod fundat & cauſat diverſum modum habendi idem ejuſdem vocis formale ſignificatum; atqui ſola tranſcendentia hunc diverſum modum non fundat: ſed optimè ſtat cum identitate modi habendi: ergo ſola tranſcendentia non eſt ſufficiens fundamentum analogiæ. *Probatur minor*: quia ens eſt tranſcendens reſpectu omnium ſuorum inferiorum: atqui tamen omnia inferiora entis idem entis formale ſignificatum in ſe habent eodem modo: *uti dixi dubio 7*. Ergò tranſcendentia optimè cohæret cum identitate modi habendi idem ejuſdem vocis formale ſignificatum.

72. Tertia analogorum diviſio erat in extrinſeca, & intrinſeca: præcipuèque quæritur: an dentur analoga intrinſeca? vocantur verò analoga extrinſeca, plures res ſignificatæ per eandem vocem, quarum una idem iſtius vocis formale ſignificatum habet ſibi intrinſecum; alia verò habet illud ſibi extrinſecum. Talia ſunt animal, medicina, urina, reſpectu vocis *ſanum*: homo pictus & vivus reſpectu vocis *homo*: humanitas quippe principaliter ſignificata per vocem *ho-*

mo,

Digitized by Google

mo, quæ in homine vivo eſt realiter ac intrinſecè, ſicut natura in ſuppoſito, eſt in picto ſolummodò intentionaliter ac extrinſecè ſicut ſignificatum in ſigno. Et idem eſt de ſanitate principaliter ſignificata per vocem *ſanum*. Analoga intrinſeca vocantur illa omnia, quæ ſignificatum formale vocis analogantis habent ſibi intrinſecum. Et quæritur hic, an talia analoga dentur.

73. Et reſpondendum eſt affirmativè. *Ratio eſt*: quia analoga ſunt res plures per eandem vocem ſignificatæ, cujus idem formale ſignificatum habent in ſe diverſo modo: atqui poſſunt plures res idem ejuſdem vocis formale ſignificatum habere diverſo modo; & tamen omnia illud ſibi habere intrinſecum: ergò dari poſſunt analoga intrinſeca. *Probatur minor*: quia, ut ſupra *dub.* 7. dixi, homo & Deus habent in ſe idem vocum *ſapiens*, *juſtus*, *miſericors*, *intelligens*, *volens*, &c. ſignificatum formale diverſo modo: Deus quippe habet illud in ſe eſſentialiter; homo verò accidentaliter: uterque tamen habet illud ſignificatum ſibi intrinſecum. Ergò poſſunt aliquæ res idem ejuſdem vocis ſignificatum formale habere ſibi intrinſecum; & tamen habere illud diverſo modo.

D U B I U M   I X.

Quid ſit univocatio, quid æquivocatio? quid analogia?

74. RESP. & *dico*: univocatio, æquivocatio, analogia ſunt ſpecies ſignificationis: & univocare, æquivocare, & analogare ſunt ſpecies τῦ *ſignificare*, item univocari, æquivocari, & analogari ſunt ſpecies τῦ *ſignificari*. Undè ſicut ſupra *diſp.* 2. diſtinxi ſignificationem in communi in ſignificationem activam & paſſivam, in actualem & aptitudinalem; ita hic diſtingui debent univocatio, æquivocatio, & analogia. Omniaque quæ ibi dixi de iſtis ſignificationibus, etiam hic dici poſſunt, ac debent de his univocationibus, æquivocationibus, & analogiis. Itaque ſicut ſignificatio activa eſt illa, quæ tenet ſe ex parte ſigni, qua ſignum ſignificat; paſſiva verò eſt illa, quæ ex parte ſignificati tenet, qua ſignificatum ſignificatur: ita univocatio, æquivocatio, & analogia activa eſt illa, quæ tenet ſe ex parte vocis univocantis, æquivocantis, & analogantis, qua vox univoca univocat, æquivoca æquivocat, & analoga analogat; paſſiva verò tenet ſe ex parte rei, vel potius rerum univocatarum, æquivocatarum, & analogatarum: eſt enim illa, qua res univocantur, æquivocantur, & analogantur.

73. Similiter ſicut ſignificatio activa aptitudinalis nihil eſt aliud, quam potentia, quam habet ſignum ad ſignificandum ſuum ſignificatum, & ſignificatio paſſiva, aptitudinalis nihil eſt aliud, quam potentia quam habet ſignificatum, ut per ſuum ſignum ſignificetur: ita etiam univocatio, æquivocatio, & analogia activa aptitudinalis nihil eſt aliud, quam potentia, quam habet aliqua vox, ut ſignificet plura in ſuo principali ſignificato planè convenientia, planè diſconvenientia, aut partim convenientia, partim diſconvenientia; & univocatio, æquivocatio, & analogia paſſiva aptitudinalis nihil eſt aliud, quam potentia, quam habent aliquæ plures res ut per unam aliquam vocem ſignificentur. Univocare quippe, æquivocare, & analogare eſt unam vocem plura ſignificare: & univocari, æquivocari, ac analogari eſt plures res per eandem vocem ſignificari.

76. Sicut item ſignificatio actualis tam activa, quam paſſiva, nihil eſt aliud, quam conceptus, quem format quis de re ſignificata ex occaſione ſigni auditi, vel viſi; ita ut per hunc conceptum dicatur & ſignum actu ſignificare, & ſignificatum actu ſignificari: ita univocatio, æquivocatio, ac analogia actualis, tam activa, quam paſſiva, nihil eſt aliud, quam conceptus quidam, quem format audiens de rebus univocatis, æquivocatis, ac analogatis, ex occaſione auditæ vocis univocæ, æquivocæ, ac analogæ: ita ut per conceptum iſtum dicatur voces actualiter univocare, æquivocare, ac analogare; res verò actu univocari, æquivocari, aut analogari. *Id eſt*: actu univocè, æquivocè, aut analogicè ſignificare vel ſignificari: hoc enim eſt univocare vel univocari, æquivocare vel æquivocari, &c.

77. Sunt itaque univocatio, æquivocatio, & analogia ſpecies ſignificationis; ſunt, inquam, ſpecies ſignificationis vocalis: adeoque ſignificationis arbitrariæ: omnis enim ſignificatio vocum ſignificatio arbitraria eſt: *ut dixi ſupra diſp.* 2. & 3. Unde ſicuti, ut voces fiant ſignificativæ, requiruntur duo, ſcilicet entitas vocis, quæ eſt ſignificatio aptitudinalis, & impoſitio ſeu deputatio; ſic etiam hæc duo requiruntur, ut vox aliqua fiat univoca, æquivoca, vel analoga. *Id eſt*: ut fiat univocè, æquivocè, vel analogicè ſignificativa. Attamen cum hac differentia: nam, ut vox fiat univoca, ſufficit unica impoſitio: ut verò æquivoca fiat vel analoga, ordinariè requiruntur impoſitiones duæ. *Ratio prioris eſt*: quia vocem eſſe univocam, eſt vocem eſſe ſignificativam plurium habentium eandem formam eodem modo habendi: atqui poteſt vox deputari & poni ad ſignificandum aliquam eandem formam cum omni ſuo ſimili habente, eadem impoſitione: uti planum eſt. Ergò, ut vox aliqua fiat univoca, ſufficit unica impoſitio.

78. *Poſterior pars experientia patet*: nam inter voces æquivocas frequentiſſimæ ſunt voces ſingulares, uti ſunt voces *Petrus*, *Joannes*, *Paulus*, *Ferdinandus*, *Maximilianus*, &c. Atqui omnes hæ voces fiunt æquivocæ per diverſas impoſitiones ordinariè: ergò, ut vox aliqua fiat æquivoca, ordinariè intercurrunt plures impoſitiones. *Prob. min.* quia vocem fieri æquivocam eſt vocem fieri ſignificativam plurium habentium diverſas formas per eandem vocem principaliter ſignificatas: atqui voces fiunt hujuſmodi plurium ſignificativę per diverſas impoſitiones: ergò voces fiunt ordinariè æquivocæ per diverſas impoſitiones. *Prob. min. inductione*, v. g. vox *Petrus* alia impoſitione impoſita eſt ad ſignificandum Petrum Apoſtolum, alia ad ſignificandum Petrum Martyrem: vox *Chriſtianus* per aliam impoſitionem facta eſt ſigni-

ficativa mei; per aliam facta eſt ſignificativa Patris mei. Et ſic de aliis. Ergò ordinariæ voces æquivocæ fiunt ſignificativæ ſuorum æquivocatorum per diverſas impoſitiones.

79. Dico, *fiunt ordinariè*, &c. quia hoc non eſt perpetuum & neceſſarium; nec enim video, quare vox aliqua non poſſet fieri æquivoca, ſive ſignificativa plurium æquivocatorum per eandem impoſitionem: Cur etenim vox *gallus* non poſſet unica impoſitione imponi ac deputari ad ſignificationem & hominem in Gallia natum, & gallum gallinaceum: cur aliquis Parochus duos pueros ſimul baptizans non poſſet utrumque unica nominatione nominare Petrum? hoc fieri poſſe nullus negabit. Atqui duos ſimul homines univoca nominatione nominare Petrum, eſt vocem *Petrus* unica impoſitione facere æquivocam, ac unica impoſitione deputare ad ſignificanda plura æquivocata: ergo quandoque voces per unicam impoſitionem poſſunt fieri æquivocæ.

DUBIUM X.

Quid ſint voces ſynonimæ,

80. MOnui ſupra in principio diſputationis, quod univocatio, æquivocatio, & analogia requirant unam vocem, & multa ſignificata; ſynonimia verò requirat multas voces & unicum ſignificatum: unde hac in parte ſynonimia eſt univocationi, æquivocationi, & analogiæ per diametrum oppoſita. Sunt ergo voces ſynonimæ, plures voces ſignificantes eandem rem eodem modo. Ut *fæmina & mulier*, *enſis & gladius*, *amare & diligere*, &c. Non ergò ſatis eſt ad voces ſynonimas, quod ſint plures voces ſignificantes eandem rem, niſi illam ſignificent eodem modo; multæ quippe voces ſignificant eandem rem, quas tamen conſtat non eſſe ſynonima, quia illa eandem rem non ſignificant eodem modo, v. g. voces *homo*, *riſibile*, *flebile*, non ſunt ullatenus voces ſynonimæ; & tamen manifeſtè eandem planè rem ſignificant, (ut videt quilibet bonus Logicus;) ergo poſſunt aliquæ voces ſignificare eandem planè rem non tamen eſſe ſynonimæ, quia illam ſignificant diverſo modo.

81. *Pro quo ſcire debes*: quid ſit eandem rem ſignificari eodem vel diverſo modo. S. Thomas diceret: ſignificari eamdem rem eodem modo, eſt eandem rem ſignificari ſecundum eandem rationem virtualem. Scotus vero diceret: eſt eandem rem ſignificari ſecundum eandem formalitatem. Aſt verò Gregorius Ariminenſis cum ſuis Nominalibus dicit: eſt ſignificari eandem rem ſecundum idem connotatum; v. g. vox *rationalitas*, & vox *diſcurſibilitas* ſunt voces ſynonimæ: quia eandem hominis entitatem per ordinem ad idem connotatum ſignificant. Connotatum quippe importatum à voce *rationalitas*, ſunt operationes ratiocinativæ: rationalitas quippe eſt potentia elicitiva operationum ratiocinativarum: quæ operationes etiam connotantur, ac importantur per vocem *diſcurſibilitas*. At verò voces rationalitas & *riſibilitas* non ſunt ſynonimæ, quia licet eandem rem ſignificent; non tamen ſignificant eam per ordinem ad idem connotatum: nam, uti dixi, connotatum vocis *rationalitas* eſt operatio ratiocinativa; connotatum verò vocis *riſibilitas* eſt riſio, ſeu operatio ridendi.

82. Hæc tamen non ſic intelligas, quaſi ad vocum ſynonimiam, planè, ac undequaque ſufficiat identitas rei ſignificatæ cum identitate connotati: hoc quippe nequaquam verum eſt. Quamvis enim iſtæ duæ identitates ad ſynonimiam requirantur; non tamen ſufficiunt. *Ratio eſt*: quia poſſunt aliquæ voces ſignificare eandem rem cum ordine ad idem connotatum; & tamen non eſſe ſynonimæ: ergo ad vocum ſynonimiam non ſufficit identitas rei ſignificatæ cum identitate connotati. *Probatur ant.* quia hæ voces *creans*, *creator*, *Deus*, *deitas*, *ens*, *entitas*, & aliæ ſimiles, ſignificant eandem rem cum eodem ſuo connotato: uti eſt manifeſtum. Atqui tamen non ſunt voces ſynonimæ: ergò dari poſſunt aliquæ voces non ſynonimæ, quæ tamen habeant identitatem ſignificati cum identitate connotati. *Prob. min.* quia voces ſynonimæ debent eſſe voces ejuſdem planè, nec omninò pariformis ſignificationis: atqui iſtæ voces *Deus Deitas*, *ens entitas*, non ſunt ejuſdem ac pariformis omninò ſignificationis, neque idem eodem planè modo ſignificant: unius quippe ſignificatio eſt concreta; alterius eſt abſtracta: una ſignificat, altera non ſignificat per modum habentis & habiti. Ergo iſtę voces non poſſunt ulla ratione eſſe ſynonimę.

83. Tollitur ergò vocum ſynonimia per diverſitatem ſignificati, vel recti vel obliqui: per diverſitatem connotati, ac etiam per diverſum modum ſignificandi, v. g. vox *animal* & vox *ſenſitivum* ſunt voces habentes idem planè ſignificatum formale: vox enim *animal* de formali animalitatem; vox verò *ſenſitivum* de formali ſignificat ſenſibilitatem: quæ duo, ut ſtatim dicam, ſunt planè eadem ac ſynonima. Item habent idem connotatum: utriuſque enim connotatum eſt ſenſatio, ſeu operatio ſenſitiva. Non tamen ſunt voces ſynonimæ: quia non habent planè idem ſignificatum rectum. Nam vox *animal* in recto ſolum ſuppoſitum; at verò vox *ſenſitivum*, cum vox adjectiva ſit, in recto ſignificat omne id, quod habet ſuum ſignificatum formale, ſive ſit, ſive non ſit ſuppoſitum: de quo dixi ſupra *diſp. præced. dub. ult.* Sic etiam voces *riſibile & rationale* tam rectum quam obliquum ſignificatum habent realiter planè idem, non ſunt tamen ſynonimæ, defectu identitatis in connotato. Sic etiam voces *Deus & deitas* habent idem connotatum, idem ſignificatum rectum, idemque obliquum; non tamen ſunt ſynonimæ: quia non ſignificant illa eodem ſignificandi modo. Una quippe concretim; altera ſignificat abſtractim. Ergò tollitur ſynonimia vocum per diverſum ſignificatum rectum, per diverſum ſignificatum obliquum, per diverſum connotatum, ac etiam per diverſum ſignificandi modum: per hæc omnia quippe tollitur omnimoda illa ſignificationis pariformitas ſynonimiæ neceſſaria.

84 *Ex quibus omnibus ſequ.* 1. voces concretas habentes

bentes

Digitized by Google

bentes ſignificata formalia ſynonima non eſſe ſemper ſynonima. *Probatur:* quia vox *animal* non eſt ſynonima cum voce *ſenſitivum*: uti jam dixi ac per ſe evidens eſt. Atqui hæ duæ concretæ voces habent ſignificata formalia planè ſynonima: ergo voces concretæ habentes ſignificata formalia ſynonima, non ſunt ſemper ſynonimæ. *Probatur minor:* quia ſignificatum formale vocis *animal* eſt animalitas, ſignificatum formale vocis *ſenſitivum* eſt ſenſibilitas: atqui hæc duo ſunt planè ſynonima: ergo iſtæ duæ concretæ voces habent ſignificata formalia planè ac omninò ſynonima. *Probatur minor:* quia, ut jam dixi, voces ſynonimæ ſunt duæ voces habentes idem ſignificatum rectum, idem ſignificatum obliquum, idem connotatum, eumdemque modum ſignificandi: atqui hæ duæ voces *animalitas* & *ſenſibilitas* habent hæc omnia eadem: ergo nihil illi deeſt ad ſynonimiam. *Patebit minor inductione volenti illam exactè dedœere:* nam tam vox *animalitas* quam vox *ſenſibilitas* ſignificant principium formale elicitivum ſenſationis, unde habent idem connotarum; idemque ſignificatum, eumdemque modum ſignificandi: utraque quippe ſignificat abſtractim, adeoque habent omnia requiſita ad ſynonimiam.

85. *Sequitur ſecundò id, quod ſuprà de voce ſimplici ac complexa agens dicebam:* nimirum ſemper definitum cum ſua definitione eſſentiali Metaphyſica, v. g. *homo & animal rationale*, *brutum & animal irrationale*, *animal & vivens ſenſitivum*, &c. eſſe ejuſdem omnino ſignificationis, ac voces ſynonimas. Ita S. Thomas 1. *part. quæſt.* 13. *art.* 1. *& quæſt.* 14. *art* 6 *Ac ratio eſt clara:* quia voces ſynonimæ ſunt voces habentes idem ſignificatum, idem connotatum, eumdemque ſignificandi modum: atqui hæ voces *homo* & *animal rationale*, habent omnia hæc eadem: ergo ſunt voces ſynonimæ: ergo definitum & definitio ſunt voces ſynonimæ. *Probatur minor:* quia ſignificatum vocis *homo* eſt ſuppoſitum habens animalitatem ac rationalitatem: ſive eſt ſuppoſitum habens humanitatem: quæ duo planè eadem ac ſynonima ſunt. Humanitas quippe & in re, & in modo ſignificandi eſt planè idem, quod animalitas & rationalitas. Ac ut inquit S. Thomas citatus; *hoc nomen, homo, exprimit ſua ſignificatione eſſentiam hominis: ſignificat enim ejus definitionem declarantem ejus eſſentiam. Ratio enim, quam ſignificat nomen, eſt definitio.* Atqui definitio declarans eſſentiam hominis eſt animal rationale, ſive eſt ſuppoſitum habens animalitatem & rationalitatem: ergo hoc eſt ſignificatum vocis *homo*: atqui hoc ipſum eſt ſignificatum vocis *animal rationale*: uti eſt evidentiſſimum. Ergo iſtæ voces habent in primis idem ſignificatum.

86. *Similiter habent idem connotatum, aut eadem connotata:* nam connotata vocis *homo* ſunt ſenſatio ac ratiocinatio, ſive operatio ſenſitiva, ac ratiocinativa: atqui hæ operationes ſont etiam connotata vocis *animal rationale*: ut clarum eſt. Ergo iſtæ voces habent etiam eadem connotata. *Major*, quæ tamen clara eſt, *adhuc probatur:* quia vox concreta habet eadem connotata, quæ habet ſibi correſpondens vox abſtracta: ergo vox *homo* habet eadem connotata, quæ habet vox *humanitas*: atqui vox *humanitas* pro connotatis habet ſenſationem & ratiocinationem; ſicut enim animalitas eſt principium ſenſandi, & rationalitas eſt principium ratiocinandi; ita humanitas eſt principium ſenſandi ac ratiocinandi ſimul. Ergo ſenſatio & ratiocinatio ſunt etiam connotata vocis homo. Similiter iſtæ voces habent eundem modum ſignificandi: utraque enim ſignificat concretim per modum habiti & habentis; utraque ſignificat in quid & ſubſtantive, &c. Ergo etiam modus ſignificandi in utraque eſt planè idem.

87 *Reſpondent paſſim non eſſe eumdem:* Quia id quod vox *homo* ſignificat confusè, hoc vox *animal rationale* ſignificat diſtinctè: atqui ſignificare confusè & ſignificare non eſt idem modus ſignificandi: ergo &c. *Aſt hæc reſponſio S. Thomæ contrariatur:* Qui *prima parte, quæſt.* 14. *art.* 6. *in corp.* hæc habet verba: *ſicut qui cognoſcit hominem, cognoſcit animal propria cognitione, & qui cognoſcit ſenarium, cognoſcit trinarium prima cognitione.* Ex quibus ſic formo argumentum: Cognitio attingens hominem attingit propriè & diſtinctè animal: ergo ſimiliter ſignificatio repræſentans hominem, diſtinctè & propriè repræſentat animal: ergo vox *homo* ſignificans hominem, etiam ſignificat animal, ac etiam rationale (de utroque enim eadem planè eſt ratio) Significat, inquam, illa non ſolum confusè; ſed etiam propriè & diſtinctè. Ergo vox *homo* ſignificat non ſolummodò illud, quod ſignificat vox *animal irrationale*; ſed etiam æquè diſtinctè. *Tenet prima conſequentia per locum à genere ad ſpeciem:* Significatio quippe eſt quædam ſpecies, aut quaſi ſpecies diviſionis, juxta dicta *diſp.* 2 Adeoque comparatur ſignificatio ad ſuum ſignificatum, ſicut cognitio ad ſuum objectum: & ſic, ſicuti cognitio hominis eſt cognitio propria & diſtincta animalis; ita quoque ſignificatio hominis eſſe debet ſignificatio propria & diſtincta animalis. Vide quæ dixi ſuprà *diſp* 7 *dub.* 1. *ſect.* 2.

88. Dixi, *definitum eſſe ſynonimum cum ſua definitione eſſentiali:* Neque enim eſt ſynonimum cum ſua definitione deſcriptiva ſeu accidentali: verb. gr. vox *homo* quidem eſt ſynonima cum voce *animal rationale*; non tamen cum voce *animal riſibile*, quæ eſt definitio deſcriptiva hominis. *Et ratio eſt clara:* Quia ad ſynonimiam requiritur identitas ſignificati, ac etiam identitas connotati: atqui deſcriptum & deſcriptio, verb. g. *homo* & *animal-riſibile* licet habeant idem realiter ſignificatum; non tamen idem connotatum: ergo non poſſunt habere inter ſe ſynonimiam. *Patet minor:* Quia connotata vocis *homo* ſunt ſenſatio & ratiocinatio: *uti jam dixi*. Connotata verò vocis *animal riſibile* ſunt ſenſatio & riſio: uti eſt manifeſtum. Ergo iſtæ duæ voces non habent eadem inter ſe connotata.

89. *Dices:* Si definitum & definitio eſſentialis forent inter ſe ſynonima; tunc prædicatio affirmans definitionem de definito foret prædicatio identica, & non formalis: adeoque omnes hæ, ſimileſque prædicationes, *homo eſt animal rationale, animal eſt vivens ſenſitivum*, eſſent prædicatio-

nes identicæ. Conſequens abſurdum eſt, ac in Philoſophia inauditum: ergo & id, undè ſequitur. *Patet ſequela*: Quia prædicatio identica eſt illa, in qua extrema ne quidem ratione diſtinguuntur; ſed ſunt planè ſynonima: ergo ſi definitum & definitio planè ſynonima ſint, omnis prædicatio affirmans definitionem de ſuo definito erit prædicatio identica. *Reſp. negando primam partem minoris*: Quòd enim ſequela majoris inaudita ſit, parum curo; ſed dico non eſſe abſurdam: uti hactenus puto me efficaciter probaſſe. Et licet fortaſſe ſit præter multos Philoſophos; non tamen eſt contra illos: ſicut enim nullum ſcio, qui iſtas prædicationes identicas eſſe affirmet; ſic etiam nullum ſcio, quod illud per expreſſa, & formalia verba neget.

90. *Sequitur tertiò*: Quid præcisè ſit ſynonimia. Eſt quippe ſpecies ſignificationis. Debetque dividi in activam & paſſivam, in actualem & aptitudinalem, &c. *ſicut dixi ſuprà de univocatione*. Synonimia activa & paſſiva actualis nihil ſunt aliud, quam conceptus quidam eandem rem eodem modo repræſentans, per quem plures voces dicuntur eandem rem eodem modo ſignificare, & eadem res à pluribus vocibus eodem modo ſignificari. Synonimia activa & paſſiva aptitudinalis, ſunt potentia & capacitas, quam habet eadem res, ut à pluribus vocibus eodem modo ſignificetur, & quam habent plures voces, ut eandem rem eodem modo ſignificent. Item ſicut ſuprà in univocatione diſtinximus tria, ſcilicet vocem univocantem, res univocatas, ac formam univocantem; ita hic oportet diſtinguere duo, ſcilicet ſynonimantes, & formam ſynonimatam. Quid per hæc ſignificare velim, Lectori facilè poteſt ex ante dictis patere.

91. *Sequitur quartò*: Quod ſynonimia actualis non ſemper ſit conjuncta cum ſynonimia aptitudinali. *Id eſt*: Voces ſynonimæ non ſemper ſignificant ſignificatione actuali ſynonima; ſed poſſunt voces ſynonimæ quandoque non ſynonimè ſignificare: & è contra, poſſunt voces non ſynonimæ quandoque ſignificare ſynonimè. *Probatur*: Quia voces non ſynonimas ſignificare ſynonimè, eſt voces non ſynonimas cauſſare in audiente ſignificationem actualem ſynonimam: atqui id quandoque fieri poteſt: ergo poſſunt voces non ſynonimæ quandoque ſignificare ſynonimè. *Probatur minor*: Quia ſignificatio actualis ſynonima, eſt conceptus ſynonimus. *Id eſt*: Eſt conceptus repræſentans idem eodem modo; atqui poſſunt voces non ſynonimæ in audiente cauſſare talem conceptum: ergo poſſunt cauſſare ſignificationem ſynonimam. *Probatur minor*: Quia voces *homo* & *rationalis* ſunt voces non ſynonimæ: neque enim ſunt voces ex vi, ac vigore ſuæ impoſitionis ſignificantes idem eodem modo. Atqui hæ voces, ſi v. g. proferantur Angelo, qui vel non poteſt, vel non ſolet facere diſtinctiones rationis, & res inadæquatè concipere; vel etiam, ſi proferantur homini earum diverſum ſignificandi modum ignoranti: poterunt in illo cauſſare conceptum, qui eandem rem eodem modo repræſentet. Ergo poſſunt voces non ſynonimæ in audiente cauſſare conceptum, qui eandem rem eodem modo repræſentet. Vide de hoc Gabrielem Vaſquez *tom 1. in 1. part. quæſt. 13. art. 1. diſp. 57. per totam*. Neque per hoc tollitur aut enervatur definitio vocum ſynonimarum ſupra data, ſcilicet hæc: *Voces ſynonimæ ſunt voces ſignificantes idem eodem modo, voces non ſynonimæ ſunt voces non ſignificantes idem eodem modo*. Ibi quippe particula *ſignificans* ſignificare & ſonare debet aptitudinem, non actum, ac reddere hunc ſenſum: voces ſynonimæ ſunt voces ex vi, ac vigore ſuæ impoſitionis potentes ſignificare idem eodem modo; voces non ſynonimæ ſunt voces ex vigore ſuæ impoſitionis non potentes ſignificare idem eodem modo. Cum quo bene cohæret, quod actu interdum aliter ſignificent.

DUBIUM XI.

De vocibus denominativa, & denominante.

92. DEnominativa, inquit Philoſophus *in Ante-prædicamentis*, ſunt ea, quæ ab uno nominis appellationem habent ſolo differentia caſu. Quæ definitio non vocibus ſignificantibus; ſed rebus ſignificatis quadrat. Ex ea tamen vocum ſignificantium definitionem facilè hauriemus. Senſus ergo eſt hic: Denominativa ſunt plures res, plures, inquam, vel re, vel ratione (quod modo non curo, neque quæro) quæ ſignificantur per voces ex eadem radice derivatas, differentes tamen in formali terminatione. Itaque ab uno nominis appellationem habere, eſt appellari ſeu ſignificari nominibus ſeu vocibus ab eadem radice derivatis. Solo verò differre caſu, eſt differre ſola vocum cadentia, ſeu ſola vocum finali terminatione: verb. gr. album & albedo ſunt duo denominativa: quia ſunt duæ res ſignificatæ per plures voces derivatas ex eadem radice, & ſola formali terminatione differentes: uti eſt manifeſtum. Ex quo jam facile eſt eruere definitionem vocum denominativarum, ſive vocis denominativæ & denominantis. Illas ergo ſic definies: Sunt plures voces ex eadem radice derivatæ, ac finali terminatione differentes, quæ ſignificant plures res: plures, inquam, vel re, vel ratione. Sive brevius & melius. Sunt plures voces ejuſdem radicis; ſed diverſi finis, ſignificantes plures res.

93. Debent ergo voces denominativæ eſſe plures voces ſignificantes plures res, ac habere idem principium, & diverſum finem: debent, inquam, eſſe vox abſtracta & concreta illi correſpondens, uti ſunt *albedo* & *album*, *ſtatio* & *ſtans*, *rationalitas* & *rationale*, &c. Vocem abſtractam vocant paſſim vocem denominantem, concretam verò paſſim vocant vocem denominativam. Et hinc voces *albedo* & *candidus*, item voces *candor* & *albus*, non ſunt voces denominativæ, quia non ſunt voces ejuſdem radicis. Similiter hæ voces *logica* & *logica*, ſumendo ſemel adjectivè pro fæmina habente ſcientiam logicam, & ſemel ſubſtantivè pro ſcientia logica, non ſunt etiam voces denominativæ, quia non ſunt voces diverſi finis. Ut ergo voces denominati-

vas.

vas habeas, debes habere duas voces ejuſdem principii, ac diverſi finis, quarum una ſit concreta, altera verò abſtracta illi correſpondens.

94. *Petes primò:* an vox denominativa debeat eſſe vox adjectiva, & prædicari in quale? Adeoque an voces *animal animalitas*, *homo humanitas*, *Deus deitas*, *&c.* vocari poſſint voces denominativæ? Dubium hoc movetur de ſola voce denominativa, quæ eſt & eſſe debet concreta, quia de voce denominante, utpotè abſtracta moveri non poteſt: quoniam *uti patet ex diſp.* 9. voces abſtractæ ſunt neceſſariò ſubſtantivæ, neque poſſunt eſse adjectivæ, aut in quale prædicari. Movetur ergo quæſtio de ſola voce denominativa. Et ſummuliſtæ quidem paſſim affirmant eam debere adjectivam eſse, ac in quale prædicari. At miror ego hoc affirmari ab illis, qui in Ariſtotelem jurant. Nam tota definitio denominativorum ab Ariſtotele tradita, tam quadrat vocibus ſubſtantivis, quæ in quid prædicantur, quam adjectivis, quæ prædicantur in quale: ergo illi qui Ariſtotelem offendere timent, voces denominativas poſse ſubſtantivas eſse, ac in quid prædicari, ſateri debent. *Patet antecedens*: quia definitio Ariſtotelis eſt: denominativa ſunt voces ejuſdem radicis ac diverſæ terminationis ſignificantes diverſas res. Atqui tota hæc definitio non minus quadrat vocibus *animal animalitas*, *homo humanitas*, *&c.* aliiſque ſimilibus ſubſtantivis, quæ in quid prædicantur; quàm vocibus, *albus albedo*, *dulcis dulcedo*, aliiſque ſimilibus adjectivis, quæ prædicantur in quale: ergo, &c.

95. *Petes ſecundò*: an ad voces denominativas nihil planè requiratur aliud, quam eadem radix cum diverſa terminatione? *Reſp. negativè*, ſed inſuper requiritur quædam proportio in eatum ſignificatis, qua illa ſeſe habeant eo modo, quo ſe habere ſolent ſignificatum vocis concretæ, & ſignificatum vocis abſtractæ illi correſpondentis. Quæ proportio præciſè ſita eſt in hoc, quod ſignificatum totale vocis abſtractæ ſit ſignificatum formale vocis concretæ. Et defectu hujus conditionis, hæ voces *ſomnus ſomnolentus*, *creatio creator*, *ædificatio ædificator*, *&c.* non ſunt voces denominativæ; nam ſignificatum adæquatum vocis *ſomnus* non eſt ſignificatum formale vocis *ſomnolentus*; vox quippe *ſomnolentus* de formali non ſomnum, ſed ſomnolentiam importat. Sic etiam vox *ædificator* de formali non ædificationem ſeu ædificandi actum, ſed ædificandi munus & officium ſignificat, adeoque ſignificatum totale vocis *ædificatio* non eſt ſignificatum formale vocis *ædificator*.

DISPUTATIO XI.

De voce finita & infinita, poſitiva ac negativa, &c.

DUBIUM I.

Quid ſit negatio realis, quid negatio vocalis?

1. NEgatio alia eſt realis, alia eſt vocalis. De reali agitur in Poſtprædicamentis: de vocali agitur hic. Negatio realis eſt abſentia, ſeu carentia viſus, tenebræ ſeu carentia luminis, carentia humanitatis, deitatis, albedinis, &c. hæ inquam carentiæ vocantur negationes reales, non quaſi in ſua entitate ſint verè poſitivæ, ac reales; hoc quippe repugnat & incompoſſibile eſt: ſi enim forent quid reale aut poſitivum, tunc non forent negationes, ac quid negativum. Vocantur ergo tales carentiæ negationes reales à termino, quem removent, quem negant, & cujus ſunt carentiæ: eo ferè modo quo quædam actiones vocantur ſubſtantiales, non à ſua entitate, ſed à ſuo termino, quem reſpiciunt, & quem agunt.

2. Negatio realis eſt duplex: alia eſt negatio pura, alia eſt negatio privativa, ſeu privatio. Privatio eſt carentia formæ in ſubjecto apto, ac nato habere illam, ut cæcitas, tenebræ, ſurditas, &c. Tenebræ quippe ſunt carentia luminis in aere, aut alio corpore diaphano luminis capaci. Cæcitas eſt carentia viſus in animali viſum in ſe habere capaci. Hinc enim lapides, plantæ, elementa, oſtreæ, aliaque ſimilia ſubjecta viſum in ſe habere incapacia, neque ſunt neque dicuntur eſſe cæca, ſed non-videntia. Negatio pura eſt carentia formæ in ſubjecto quovis, tam apto quàm inepto habere illam. Ut carentia potentiæ viſivæ, quæ eſt in lapide, ratione cujus carentiæ lapis non dicitur cæcus, ſed non videns, eſt pura negatio. Sic etiam negatio rationalitatis, ob quam brutum dicitur irrationale, pura negatio eſt.

3. *Scotus cum Scotiſtis* has negationes (& ſanè non malè) aliis nominibus indigitat: Nam negationem puram vocat negationem extra genus; quia ſcilicet vagatur extra omne genus, & extra omnem latitudinem entis: hæc quippe negatio non ſolis entibus realibus, ſed etiam entibus rationis, & figmentis intellectus inexiſtit, prædicaturque tam de iis, quæ non ſunt, quam de iis, quæ ſunt; verb. gr. negatio humanitatis, aut potentiæ viſivæ non ſolùm in lapide, & planta, aliiſque rebus inanimatis inexiſtit; ſed etiam in hirco cervo, chimæra, aliiſque entibus fictitiis reperitur. Hinc ſicut rectè dicimus, lapis eſt non-homo, eſt non-videns, &c. Ita etiam rectè dicimus, chymæra eſt non-homo, hyrco-cervus eſt non-videns, &c. Rectè ergo hæc negatio vocatur negatio extra genus: nullo quippe entis realis genere coarctatur; ſed per omnia, & ultra, ac extra omnia vagatur. Privationem verò

vocat

vocat Scotus negationem intra genus: quia ſcilicet non vagatur per omnia genera entis; ſed intra limites certi alicujus generis realis, nimirum intra limites ſubjecti capacis recipere formam, qua privat, coarctatur: verb. gr. cæcitas non vagatur per omnia, nec extra omnia genera entis realis, neque verificatur tam de entibus rationis, quam de tealibus, neque de omnibus realibus; ſed de ſolis illis, quæ viſum recipere capacia ſunt. *Id eſt:* De ſolis animalibus, illa quippe, quæ snimslia non ſunt licet potentia viſiva careant, non dicuntur cœca; ſed non videntis: adeoque cœcitas intra genus animalis cohibetur, ac coarctatur. Rectè ergo privatio vocatur negatio intra genus.

4. Ex bis fit facile, quid ſit negatio vocalis: nihil quippe eſt aliud, quam vox quædam ſignificans negationem reslem. Tales ſunt vox *cæcitas*, vox *non*, vox *tenebræ*, *non-videns*, *non-bomo*, *non lapis*, &c. Hæ itaque voces vocantur negationes non à ſua entitate: quia illa non eſt negstio; ſed vers poſitio, ac aliquid reale. Vocantur ergo negationes à ſuo ſignificato, quod eſt negatio. Dividitur negatio vocalis in negationem vocslem privantem, in negatinnem vocalem negantem, & negationem vocalem infinitantem. Negatio vocalis privans eſt vox ſignificans carentiam formæ in ſubjecto apto babere illam: ut voces *cæcas*, *cæcitas*, *tenebroſus*, *tenebræ*, &c. Negatio vocalis negans eſt vox afficiens & negans copulam propoſitionis: ut cum dico *bomo non eſt bratum*, *nullus bomo eſt bratam*, &c. Iſtæ voces *non* & *nullas* ſunt negationes vocales negantes. Eſt ergo negatio vocslis negans illa vox, quæ propoſitionem, in qua ponitur, facit eſſe negativam. Negatio vocalis infinitans eſt vox, quæ afficit, & negat propoſitionis ſubjectum, vel prædicatum, vel aliquam ejus partem diverſam à copula: ut cum dico, *bomo eſt non bratam*, *aliquod non-lapis eſt bomo*, &c. Iſtæ voces *non* ſunt negatinnes infinitantes. Ex quo patet negationem vocalem *non* in orationis contextu capi aliquando negsnter, aliquandò verò infinitanter. Tunc capitur neganter, quando afficit propoſitionis copulam; quando verò afficit aliam partem à copula, tunc non negat, ſed infinitat. Unde præcipuum harum acceptionum diſcrimen eſt, quod negatio illa accepta neganter faciat propoſitionem eſſe negativam; accepta verò infinitanter relinquat illam affirmativam: uti patet in exemplis allatis.

5. *Objicies contra diviſionem negationis vocalis:* Negatio realis ſolummodò eſt duplex: ergo negatio vocalis nequit eſſe triplex. *Probatar conſeq.* Quia negatio realis & negatio vocalis habent ſe ſicut ſignum & ſignificatum: atqui tot debent eſſe ſigna, quot ſunt ſignificata: ergo tot præcisè eſſe debent negationes vocales, quot ſunt teales. *Reſp. negando conſeq. & minorem probationis:* Nam interdum plura ſignificata ſignificantur eodem ſigno, ut patet in voce univoca, æquivoca, analoga, aliiſque plura ſignificantibus: & interdum idem ſignificatum ſignificatur pluribus ſignis diverſo modo illud ſignificantibus, ut patet in vocibus *bomo*, *riſibile*, *rationale*, *admirativum*, &c. infinitiſque aliis eandem planè rem diverſo modo ſignificantibus. Nam ſicut hominem modò concipimus ut hominem, modò ut animal, modò ut riſibilem, modò ut rationalem, &c. ita etiam illum ſignificamus modò hac voce, modò iſta. Poſſunt ergo plura ſigna correſpondere eidem ſignificato. Similiter ergo poſſunt eſſe tres negationes vocales, licet ſint ſolummodò duæ teales: quia poſſunt duæ vocales ſignificare eandem tealem. Negatio quippe realis pura ſignificatur quandoque per negationem vocalem infinitantem, quandoque per negantem: ſimiliter negatio realis privans quandoque per negstionem vocalem negantem, quandoque ſignificatur per privantem. Atque ita negatio vocalis infinitans ſignificat ſolam negationem realem puram, negatio vocalis privans ſemper ſignificat privationem realem; negatio verò negans ſignificat tam negationem, quam privationem realem: atque ita eadem negatio realis ſignificatur per duas negationes vocales; poſſuntque per conſequens eſſe plures negstiones vocales, quam ſint teales.

6. *Antecedens boc probatar*: Quia, ut habet regula ſummuliſtica: Ad affirmativam de prædicato infinito ſequitur negativa de prædicato finito, *Id eſt:* In argumentatione rectè procedimus à negatione infinitsnte vel privante ad negantem, & è contra à negatione negante rectè argumentamur ad infinitantem vel privantem. Ergo negatio negans ſignificat interdum idem, quod negatio infinitans; interdum idem, quod privans. *Patet antecedens*: Quia bonæ ſunt omnes hæ conſequentiæ: Homo non eſt brutum, ergo eſt non brutum. Homo eſt non brutum; ergo homo non eſt brutum. Paries non eſt albus, ergo eſt non albus, &c. Homo eſt cæcus, ergo homo non aſt viſivus. Homo non aſt viſivus, ergo eſt cæcus, &c. In quibus conſequentiis, uti patet, ſemper proceditur à negatione infinitante aut privante ad negantem, vel è contra. *Conſeq. verò probatur*: Quia in bona argumentatione conſequentia fundatur in eo, quod procedamus ab eodem ad ſeipſum realiter, diverſum tamen ratione: atqui rectè procedimus à termino infinitato ad terminum negstum, & è contra: item rectè procedimus à negatione negante ad infinitantem aut privantem, & è contra. Ergo negstio negans interdum idem eſt, idemque ſignificat, quod negatio infinitans; interdum idem, quod negatio privans.

7. *Petes primò*: Quomodò rectè procedamus à termino negato ad infinitatum, ac è contra: ſive quomodo recte procedamus à negatione negante ad infinitantem, ac è contra: adeoque quomodo negatio negans ſignificet ſubinde idem, quod negatio infinitans? *Reſp.* Rationem eſſe hanc: quia propoſitio conſtans negatione negante idem planè ſignificat, quod propoſitio conſtans negatione infinitante: ergo rectè procedimus ab hac ad illam, & ab illa ad hanc. *Probatur antecedens*: Quia cum dico *bomo non eſt bratam*, & *bomo eſt non brutum*, idem planè dico: atqui prima propoſitio eſt de termino negato, conſtatque negatione negante; ſecunda verò eſt de termino infinitato, conſtatque negatione infinitante: ergo, &c. *Probatur major*:

Digitized by Google

jor: Quia in prima propoſitione negatur de homine brutalitas; in ſecunda verò de homine aſfirmatur carentia brutalitatis: atqui de aliquo ſubjecto negare aliqnam formam, & affirmare ejus carentiam, idem planè ſunt: ergo propoſitio conſtans negatione negante idem planè dicit, quod propoſitio conſtans negatione infinitante, & è contra. *Patet minor*: Quia qui dicit in aere non eſſe lumen, & in aere eſſe tenebras, idem planè dicit: item qui dicit in bomine cœcitatem, & oon eſſe viſum, idem planè dicit: item qni dicit in aliquo eſſe ignorantiam aut non eſſe ſcientiam, idem planè dicit. Ergo de aliquo negare formam idem planè eſt, quod de illo affirmare illius carenriam.

8. Audi quid de hoc ex Sancto Anguſtino dicat Grgeorius Ariminenſis *in 2. diſt. 35. quæſt. 1. art. 1. cont. 1. concl.* Ita enim ait: *Hoc docet Aug. in de geneſi ad lit. imperfecto, ſuper illo: & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Dicit: revera qui diligentir conſiderat, quid ſint tenebræ, nihil aliud invenit, quam lucis abſentiam: ita igitur dictum eſt, tenebræ erant ſuper abyſſum, ac ſi dictum eſſet non erat lux ſuper abyſſum. Et ſicut hoc de verbo eſſendi, ita de verbo habendi docet eſſe intelligendum in lib. de vita beata. Ubi dicit, quod locum aliquem habere tenebras nihil aliud eſt, quam ipſum non habere lumen, & habere ſtultitiam vel egeſtatem non aliud eſt, quam non hobere ſapientiam vel divitias. Et qaomobrem, inquit ipſe, ut quæ volo explicem prout poſſunt, ita dicitur, habet egeſtatem, quaſi dicatur, habet non habere*. Ecce totum qnod ego dixi, dixerunt antea Ariminenſis, & Sanctus Auguſtinus.

9. *Petes ſecundò*: An ſemper & ubique valeat conſequentia à termino negato ad infinitatum, & è contra? Negat Adamus *in 1. diſt. 24.* vultque illam non habere locum in terminis ſubſtantivis prædicatis de aliquo ſubjecto realiter uno ac communi multis. *Unde*, inquit, *ſi eſſet unus homo communis qui eſſet Sortes & Plato (ſicut Philoſophi fortè poſuerunt) hæc eſſet vera, homo communis eſt non Plato: & hæc eſt falſa, homo communis non eſt Plato*. Similiter dicit, hæc eſt vera: Eſſentia Divina eſt non paternitas.. Hæc verò falſa: eſſentia divina non eſt paternitas. Sed puto univerſaliter eſſe affirmandum, uti affirmat Gregorins Ariminenſis *ibidem quæſt. 1. art. 1. & 3. ad 7. Et ratio eſt clara*: Quia ſemper & ubique ex negatione formæ inſerri poteſt affirmatio carentiæ; atqui ex negatione formæ inſerre affirmationem carentiæ eſt procedere à termino negato ad infinitatum: *ut jam dixi*. Ergo etiam ſemper & ubique valet conſequentia & proceſſus à termino negata ad infinitatum, & è conrra.

10. *Peter tertiò*: Quare negatio vocalis ſignificans oegationem realem puram vocatur infinitans? *Reſp.* Qbia facit vocem, cui adjungitur, eſſe infinitam in prædicando. Sicut quippe negatio realis pura eſt negatio extra genus, ac infinita io ineſſendo: ioeſt enim tam iis quæ non ſunt, quam iis quæ ſunt. Ita etiam negatio vocalis iſtam realem ſignificans eſt infinita in ſignificando & prædicando; affirmaturque de ſubjectis infinitis, tam ſcilicet de iis, quæ non ſunt, quam de iis, qnæ ſunt. Tam rectè enim dicimus, chymæra eſt non-brutum, hippotaurus eſt oon-brutum, quam dicamus, homo eſt noobrutum, lapis eſt non-brutum, &c. Ac ratione iſtius vocator paſſim in Scholis negatio iſta infinitans.

DUBIUM II.

Quid ſit vox poſitiva, quid negativa? Quid finita, quid infinita, &c.

11. R*Eſp. & dico primò*: Vox poſitiva eſt illa, cujus formale ac principale ſignificatum oon eſt negatio. Tales ſunt voces *homo, Deus, lapis, album, ſtans, ſedens, &c.* Significata enim earum formalia, ac principalia ſunt humanitas, deitas, albedo, ſtatio, ſeſſio, &c. quæ omnia non ſunt negationes, ſed veræ propoſitiones, ac entitates reales. Vox negativa eſt illa, cujus formale ac principale ſignificatum eſt negatio. Tales ſunt hæ voces *cæcus, cæcitas, non-videns, non ſtans, non ſtatio, non-deitas, &c.* Earum etenim formalia ſignificata ſunt cæcitas, negatio viſionis, negatio ſtationis, &c. Dixi utrobique, *eſt illa, cujus principale, ac formale ſignificatum eſt, vel non eſt negatio*: Quia parum, immò nihil hic curantur ſignificata ſecundaria, ac materialia; ſed attenduntur, ac reſpiciuntur ſola formalia, ac principalia.

12. Poſſunt quippe voces poſitivæ pro ſignificato materiali, ac ſecundario habere negationem, & voces negativæ pro ſignificato materiali habere poſitionem, ſeu entitatem poſitivam, ac realem: ergo ad hoc, ut aliqua vox dicatur eſſe poſitiva vel negativa, oportet negligere ſignificatum ſecundarium & materiale, ac attendere ſolum primarium, ac formale. *Probatur antecedens pro prima ſui parte*: Quia vox *intellectum* eſt vox verè poſitiva: ut nemo, qui ſanus eſt, audebit negare. Atqui illa vox quandoque pro ſignificato recto habet negationem: ergo voces poſitivæ poſſunt pro ſignificato recto habere negationem. *Probatur minor*: Quia, uti jam ſæpè dixi, voces in rectò ſignificant omnem illam rem, de qna affirmativè verificantur: atqui hæc vox *intellectum* affirmativè verificatur de negationibus: uti patet in hiſce prædicationibus, *cæcitas eſt intellecta, negatio hominis eſt intellecta, eſt concepta, &c.* Ergo illæ voces *intellectum, conceptum, &c.* in recto, ac de materiali ſignificant negationes. *Et confirmatur*: Quia hæ voces *irrationale, immenſum, ſimplex, unum, &c.* ſunt voces poſitivæ; & tamen etiam ſignificant negationem ſecundariò: ergo voces poſitivæ poſſunt ſecundariò ſignificare negationem. Sed de hoc ſtatim plura.

13. *Secunda antecedentis principalis pars etiam probatur*: Quia voces *cæcus, Surdus, claudus, &c.* ſunt voces negativæ: uti coocedunt omnes. Atqui hæ voces de materiali ſignificant aliquam entitatem poſitivam, ac verè realem: ergo voces negativæ de materiali, ac ſecuodariò ſignificare poſſunt entitatem poſitivam. *Patet minor*: Quia voces concretæ de materiali ſignificant ſubjectum formæ à ſe principaliter ſignificatæ: atqui

ſubje-

ſubjectum formæ principaliter ſignificatæ ab his concretis vocibus, *ſurdus*, *cæcus*, *claudus*, *&c.* eſt quid poſitivum; ergo iſtæ voces de materiali ſignificant aliquid poſitivum. *Patet minor:* Quia forma ab illis vocibus principaliter ſignificata eſt ſurditas, cæcitas, clauditas: atqui harum formarum, ſi tamen iſtæ privationes ſeu carentiæ poſſint vocari formæ, ſubjectum eſt quid poſitivum: ut eſt evidens. Ergo ſubjectum formæ ab iſtis vocibus principaliter ſignificatæ eſt quid poſitivum.

14. *Objicies:* Hæ voces *irrationale*, *immateriale*, *ſimplex*, *immenſum*, *æternum*, *&c.* ſunt voces poſitivæ: atqui iſtæ voces de formali ſeu principali non ſignificant poſitionem; ſed negationem: ergo noſtræ definitiones nihil valent. *Probatur minor:* Quia iſtæ voces de formali ſignificant negationem rationalitatis, materialitatis, compoſitionis, menſurabilitatis, &c. *Reſp. negando minorem:* Et dico illas pro ſignificato principali habere aliquid verè poſitivum. Putoque hoc debere eſſe certum & evidens apud omnes. Non nego illas voces ſignificare negationem; ſed dico negationem non eſſe earum ſignificatum formale, ac principale. *Quod probo:* Quia ſi præfatæ iſtæ, aliæque ſimiles voces de formali ſignificarent negationem, vel ſignificarent negationem puram, vel negationem privativam: atqui neutram ſignificare poſſunt; ergo de formali non ſignificant negationem. *Probatur minor quoad illam partem, quæ de privatione agit:* Quia voces de formali privationem ſignificantes ſolummodò affirmari, ac verificari poſſunt de ſubjectis capacibus formæ privatæ: uti dixi *dubio præcedenti*; v. g. voces *ſurdus*, *cæcus*, *claudus*, aliæque ſimiles privationem ſignificantes, ſolummodò verificari poſſunt de ſubjectis capacibus viſus & auditus. Hinc enim Angelus, lapis, planta, aliaque ſimilia, quamtumvis viſu ac auditu careant, non tamen vocantur ſurda aut cæca: quia non ſunt ſubjecta formæ privatæ capacia. Ergo ſimiliter ſi vox *irrationale*, *immateriale*, *&c.* de formali importaret privationem rationalitatis, aut materialitatis, deberent ſolummodò poſſe verificari de ſubjectis rationalitatis, & materialitatis capacibus: adeoque deberet vox *irrationale* poſſe verificari de homine, & de ſolo homine: hic quippe ſolus eſt ſubjectum rationalitatis capax. Deberet vox *immateriale* poſſe verificari de corpore, & de ſolo corpore: hoc etenim ſolum eſt ſubjectum materialitatis capax. Atqui hoc planè abſurdum eſt: uti patet. Ergo iſtæ voces pro ſuo formali ſignificato non poſſunt habere privationem rationalitatis vel materialitatis, &c.

15. *Probatur eadem minor quoad aliam ſui partem:* Quia voces puram negationem ſignificantes de formali, debent poſſe verificari, ac affirmari de omnibus omninò ſubjectis, tam realibus, quam rationis, tam fictis, quam veris, excepto ſolo illo, in quo reperitur forma negata; v. g. hæc vox *non-homo*, quia de formali puram negationem ſignificat, idcircò affirmari ac verificari poteſt de omni omninò ſubjecto, tam ficto, quam vero, tam reali, quam rationis, ſolis illis exceptis in quibus exiſtit humanitas, quæ eſt forma ab iſta voce negata: uti dixi ſupra. Ergo ſimiliter, ſi hæc vox *irrationale* de formali negationem importaret, deberet poſſe affirmari, ac verificari de omnibus omninò rebus, præterquam de illis, in quibus exiſtit rationalitas, quæ eſt forma ab iſta voce negata; prædicari, inquam, deberet de omnibus omninò entibus, præterquam de ſolo homine: in hoc ſolo quippe exiſtit rationalitas, à voce iſta negata. Atqui hoc planè falſum eſt: iſta quippe vox prædicatur de ſolo bruto, cum ſit differentia vel quaſi differentia bruti conſtitutiva. Ergo iſta vox de formali importare non poteſt negationem rationalitatis.

16. Similes ergo voces important de formali aliquid verè reale, ac poſitivum; connotando tamen negationem. Important, inquam, aliquam poſitivam perfectionem, ac formalitatem, in qua iſta negatio connotata fundatur, quæque per iſtam negationem explicatur, ac ſignificatur; v. g. vox *ſimplex* de formali ſignificat illam formalitatem, in qua fundatur negatio compoſitionis: ſignificat, inquam, iſtam poſitivam formalitatem connotando iſtam negationem. Vox *irrationalitas*, ſeu *irrationale* de formali ſignificat illam poſitivam bruti formalitatem, quæ eſt fundamentum, ac radix fundans in ſe negationem rationalitatis, &c. Adeoque iſtæ, aliæque omnes ſimiles voces ſunt voces verè poſitivæ: cum earum formale ſignificatum ſit quid verè poſitivum. Nos enim in hac vita, ubi corpus animam gravat, ac intellectum multa cogitantem deprimit, hoc pro more habemus: cum inter duas ſpecies idem genus adæquatè dividentes una nobis eſt nota, altera ignota: vel potiùs cum unius conſtitutiva differentia nobis eſt nota, alterius ignota, tunc differentiam illam ignotam ſignificamus, ac explicamus per negationem differentiæ oppoſitæ nobis notæ; v. g. homo & brutum duæ ſpecies ſunt idem animalis genus adæquatè dividentes: differentia verò hominis, ſcilicet rationalitas, nobis taliter qualiter nota eſt; differentia verò bruti eſt nobis omnino incognita: hinc explicamus illam per negationem rationalitatis, vocamuſque illam, irrationalitatem. *Id eſt:* Perfectionem aliquam poſitivam rationalitati oppoſitam, cuique negatio rationalitatis ſemper eſt neceſſariò conjuncta. Hinc ergo vox illa *irrationalitas* non eſt vox negativa; ſed poſitiva: ſignificat quippe de formali illam poſitivam perfectionem, qua brutum ab homine diſtinguitur, ac in qua negatio ſeu carentia rationalitatis fundatur. Significat, inquam, de formali iſtam poſitivam perfectionem connotando iſtam negationem: adeoque negatio non eſt ejus formale ſignificatum; ſed eſt ſolummodo illius connotatum. Sed de hoc alibi fortaſſe per occaſionem plura.

17. *Petes tamen:* Quid ſit negationem aliquam fundari in poſitivo? Item quid ſit aliquod poſitivum eſſe fundamentum negationis? *Reſp.* Hoc nihil eſſe aliud, quam negationem neceſſario ſequi, ac quaſi pullulare ex aliquo poſitivo, neceſſarioque eſſe cum illo conjunctam. Nihil, inquam, eſt aliud, quam aliquod poſitivum eſſe tale, ut illi neceſſariò conjuncta ſit aliqua negatio: ut illa negatio ex illo neceſſariò ſequatur,

ac-

ac oriatur; v.g. differentia conſtitutiva bruti eſt poſitivum quoddam fundans in ſe negationem rationalitatis; quia eſt entitas quædam poſitiva, cui neceſſariò conjuncta eſt carentia ſeu negatio rationalitatis. Unde generaliter inter ſpecies oppoſitas idem genus diſtribuentes, ſemper altera in ſe fundat negationem alterius: ſemper enim una eſt in ſe habens carentiam alterius, ſive ſemper una non eſt alia: ſed eſt non-alia.

18. *Dico ſecundò*: Vox finita eſt vox, cujus ſignificatum formale, ac principale non eſt negatio pura: vox verò infinita eſt illa, cujus formale, ac principale ſignificatum eſt negatio pura. Scio quidem has voces ab aliis aliter definiri; quidam enim definiunt hoc modo: vox finita eſt vox, quæ eſt finita in prædicando; vox infinita eſt illa, quæ eſt in prædicando infinita. *Id eſt*: Eſt illa, quæ prædicatur tam de illis, quæ non ſunt, quam de illis, quæ ſunt: tam de negationibus quam poſitionibus: tam de entibus rationis & fictis, quam de realibus & veris: *uti dixi dub.*1. Credo tamen has definitiones non eſſe cum ſuo definito convertibiles, adeoque non valere. *Et probatur*: Quia etiam voces finitæ poſſunt eſſe infinitæ in prædicando: ſive dantur aliquæ voces, quæ ſunt verè finitæ, & tamen ſunt infinitæ in prædicando: ergo vox finita & infinita non rectè, neque convertibiliter definiuntur penes finitatem, vel infinitatem in prædicando. *Conſeq. eſt clara, antecedens probatur*: Quia hæ voces, *intelligibile*, *conceptibile*, *ſignificabile*, aliæque ſimiles, ſunt voces verè finitæ: ut nullus Logicus negabit. Atqui hæ voces ſunt in prædicando infinitæ: ergo voces finitæ poſſunt eſſe infinitæ in prædicando. *Probatur minor*: Quia vocem eſſe infinitam in prædicando eſt vocem poſſe affirmari & prædicari de omnibus omninò ſubjectis, poſitivis, negativis, realibus, rationis, &c. ut jam dixi. Atqui iſtæ præfatæ voces ſunt tales: omnia enim entia, rationis, realia, ficta, vera, negativa, poſitiva, &c. ſunt intelligibilia, conceptibilia, & ſignificabilia: ergo iſtæ præfatæ voces ſunt infinitæ in prædicando.

19. Explodendæ ergo ſunt hæ definitiones, & admittendæ illæ, quas aſſignavi: illæ quippe cum ſuis definitis ſunt adæquate convertibiles: ut facilè patebit examinanti; v.g. hæ voces *homo*, *Deus*, *albus*, *ſedens*, *cæcus*, *ſurdus*, *tenebræ*, *ignorantia*, aliæque omnes ſimiles, ſive poſitivæ, ſive negativæ, dummodo tamen de formali non ſignificent negationem puram infinitantem, ſunt apud Logicos voces finitæ. Poſſunt ergo voces finitæ eſſe voces negativæ, & de formali ſignificare negationem: poſſunt, inquam, de formali ſignificare negationem privantem; non verò negationem puram, ſeu infinitantem. Unde hæ voces *non-homo*, *non-Deus*, *non-albus*, *non-tenebræ*, *non-chymera*, aliæque ſimiles omnes, quarum formale ſignificatum negatio infinitans eſt, ſunt & vocantur à Logicis voces infinitæ. Unde vox infinita habet ſe ad negativam ſicut minus commune ad magis commune; ad vocem verò poſitivam habet ſe ſicut repugnans. Vocaturque infinita non ab infinitate prædicationis; ſed à ſignificatione puræ ſeu infinitantis negationis & infinitas in prædicando non eſt illius eſſentia; ſed proprietas quædam illi cum aliis vocibus communis.

20. In voce infinita ordinariè diſtinguimus hæc tria: vocem infinitam, vocem infinitatam, ac vocem infinitantem. Vox infinita vocatur compoſitum ex voce finita, & negatione illi præfixa: voces quippe infinitæ ſemper ex voce quadam finita, & præfixa illi negatione *non* componuntur, & totum hoc compoſitum vocatur vox infinita. Vox verò infinitata eſt vox iſta finita, cui negatio præfigitur, & negatio præfixa vocatur vox infinitans. Vox itaque infinita eſt compoſitum ex voce infinitata & negatione infinitante. Ex quo dubium oritur: An vox infinita ſit vox ſimplex vel compoſita? Et breviter reſpondeo juxta principia mea ſuperius tradita, eſſe vocem ſimplicem. *Ratio eſt*: Quia vox ſimplex eſt omnis illa vox, quæ eſt unica dictio: ut dixi ſupra de voce ſimplici agens. Atqui vox infinita eſt unica dictio: negatio enim infinitans & vox infinitata in unicam dictionem coaleſcunt: uti patet ex modo illas ſcribendi & imprimendi. Ergo vox infinita eſt vox ſimplex.

DUBIUM III.

Quid ſit infinitatio? Quid vocem infinitari?

21. DIxi jam ſtatim inter voces, alias eſſe infinitas, alias infinitantes, alias infinitatas: pro harum ergo intellectu videndum nunc eſt, quid ſit vocis infinitatio, activa & paſſiva, quidque ſit vocem infinitare vel infinitari? Infinitatio ergo apud Rhetorem foret ſpecies quædam Cathecreſeos; apud Summuliſtam verò eſt ſpecies quædam alienationis: adeoque vox infinitans eſt ſpecies vocis alienantis, & vox infinitata ſpecies vocis alienatæ. Vocem ergo aliquam alienare vel alienari eſt illam à propria ſua ſignificatione ad aliam planè diverſam & alienam transportare, vel transportari. Et vox alienans eſt vox aliam vocem ſibi adjunctam à ſignificatione ſua propria & ordinaria ad aliam planè diverſam & alienam tranſportans, & vox alienata eſt vox per aliam vocem ſibi adjunctam ab ordinaria ſua ſignificatione ad alienam tranſportata; v.g. cum dico *homo mortuus*, vel *homo pictus*, ibi vox *homo* alienatur, eſtque vox alienata; voces verò *mortuus* & *pictus* ſunt voces vocem *homo* alienantes: tranſportant enim illam à ſua ordinaria ſignificatione, qua verum hominem ſignificabat, ad ſignificandum cadaver vel picturam ejus, quæ eſt ſignificatio planè diverſa, & à priori omninò aliena.

22. Hinc ergo claret, quid ſit vocis activa & paſſiva infinitatio: item quid ſit vocem infinitare, vel infinitari. Vocem enim infinitare vel infinitari nihil eſt aliud, quam vocem aliquam ab ordinario ſuo ſignificato ad ejus contradictorium ſignificandum tranſportare vel tranſportari, & vocis infinitatio eſt vocis alicujus à ſuo ordinario ſignificato ad ejus contradictorium ſignificandum tranſportatio: item vox infinitans eſt vox aliam vocem ſibi adjunctam ab ordinaria ſua ſignificatione ad contradictoriam tranſportans, & vox infinitata eſt vox ab alia voce ſibi adjuncta à

ſua

Digitized by Google

ſua ordioaria ſignificatione ad contradictoriam ejus tranſportata; v. g. cum dico *non-homo*, *non-lapis*, *non cæcus*, *&c.* Ibi contingit vocum infinitatio, & iſtæ voces *non* ſunt voces infinitantes; voces verò *homo*, *lapis*, *cæcus*, ſunt voces infinitatæ: Quia uti patet iſtæ voces per negationem *non* ſibi præfixam tranſportantur & alienantur à ſignificatione ſignificati ſui ordinarii ad ſignificationem ſui contradictorii. Poſſet hic inquiri, quid præcisè ſit vocum infinitatio? An ſit ſpecies acceptionis, ſignificationis, vel impoſitionis? An ſit actus intellectus vel voluntatis? An actus à vocem proferente, vel à vocem audiente elicitus? Sed de his dicam infra, cum de alienatione agam.

23. Ex quibus omnibus elici poteſt, quæ ſit præciſa & radicalis differentia inter infinitationem & negationem, inter infinitare & negare, inter vocem ſeu negationem infinitantem & negantem. Supra *dubio* I. dixi differentiam conſiſtere in hoc, quod negatio negans ſit negatio afficiens propoſitionis copulam; negatio verò infinitans ſit negatio afficiens aliquam partem propoſitionis à copula diverſam. Ita dixi ibi ex communi Summuliſtarum more: & differentia illa non eſt mala, nec malè aſſignata; ſed non eſt prima & fundamentalis, neque à priori, ſed à poſteriori petita. Differentia itaque fundamentalis eſt hęc: quod negatio infinitans ſit negatio ſeu vox vocem ſibi adjunctam ab ordinarii ſui ſignificati ſignificatione ad contradictorii ſignificationem transferens; vox verò ſeu negatio negans eſt vox vocem ſibi adjunctam non transferens à ſua ſignificatione ordinaria ad ejus contradictoriam; ſed eſt vox propoſitionem, in qua ponitur, ex affirmativa transferens in negativam. Sic etiam infinitatio eſt vocis à ſua ordinaria ſignificatione ad contradictoriam translatio; negatio verò eſt propoſitionis de affirmativa in negativam translatio. Unde infinitatio eſt alteratio & alienatio terminorum ſimplicium; negatio verò eſt alteratio propoſitionum, habetque in illis ſolis locum.

24. Ex quo deſumitur occaſio alterius quæſtionis; Quænam ſcilicet voces, & quinam termini poſſint infinitari? Et dubitatur de multis: de verbo, de nomine, de ſyncategorematis, de vocibus ſimplicibus & complexis, de vocibus finitis & infinitis. *Qua in re certum eſt primò:* Omnia nomina ſimplicia, & categorematica, item omnia participia & participalia, omniaque gerundiva, & generaliter omnes illas voces, quæ in ſua ſignificatione & conſtructione ſequuntur normam nominis, poſſe infinitari. Qualia v. g. ſunt, *Deus*, *homo*, *albus*, *flaus*, *amatus*, *viſus*, *videndus*, *&c.* Hæc, inquam, omnia, aliaque ſimilia vocabula poſſunt infinitari. *Ratio eſt clara:* Quia omnes illæ voces, quæ habent vel habere poſſunt contradictoriam, poſſunt infinitari: atqui omnes præfatæ voces poſſunt accipere & habere contradictoriam; nam voci *Deus* contradicit vox *non-Deus*, voci *homo* contradicit vox *non homo*, & ſic de aliis. Ergo omnes hæ voces poſſunt infinitari. *Ratio majoris eſt.* Quia vocem infinitari eſt vocem à ſua ordinaria ad contradictoriam ſignificationem tranſportari: atqui omnes voces, quæ poſſunt habere & accipere contradictorium, poſſunt per præpoſitam negationem *non* ab ordinaria ſua ſignificatione ad contradictoriam tranſportari: uti eſt manifeſtum. Ergo omnes hæ voces poſſunt infinitari.

25. *Secundò certum eſt*: Poſſe infinitari tam voces negativas, quam poſitivas. *Ratio eſt*: Quia hæ voces *ſurdus*, *cæcus*, *tenebroſus*, *claudus*, *&c.* ſunt voces negativæ, ut patet ex dubio præcedenti: hæ verò voces *audiens*, *videns*, *luminoſus*, *&c.* ſunt voces poſitivæ: atqui iſtæ voces infinitari poſſunt non minus, quam hæ: ergo infinitari poſſunt tam voces negativæ, quam poſitivæ. *Probatur minor:* Quia omnes iſtæ voces poſſunt infinitari, quibus dari poteſt contradictorium: atqui vocibus *cæcus*, *ſurdus*, *claudus*, *tenebroſus*, aliiſque ſimilibus dari poteſt contradictorium: ſcilicet *non cæcus*, *non ſurdus*, *non claudus*, *non tenebroſus*, *&c.* Ergo iſtæ, aliæque ſimiles voces poſſunt infinitari. Neque hæ voces *non-cæcus*, *non-ſurdus*, *non-claudus*, *&c.* idem ſignificant, quod voces *viſivus*, *auditivus*, *recto-progreſſivum*. Nam angelus, lapis, lignum, aer, &c. benè dicuntur *non cæca*, *non-ſurda*: non tamen benè dicuntur *viſiva* vel *auditiva*. Deinde, vox *non cæcus* voci *cæcus* opponitur contradictoriè; vox verò *viſivus* opponitur illi privativè: ergo iſtæ voces habent ſignificationes longè diverſas: ut quivis penes ſe facilè perpendet.

26. *Tertiò certum eſt*: Nullum verbum, ſive activum, ſive paſſivum, ſive adjectivum, ſive ſubſtantivum, poſſe infinitari: verba enim ſolummodò negantur, nunquam verò infinitantur. *Probatur*: Quia illæ ſolummodò voces poſſunt infinitari, quarum ſignificatio per præfixam negationem *non* infinitanter ſumptam poteſt alienari: ſive quibus poteſt præfigi negatio vocalis *non* infinitanter ſumpta. Atqui nulli verbo poteſt præfigi negatio *non* infinitanter ſumpta: ergo nullum verbum poteſt infinitari. *Probatur minor:* Quia copulæ propoſitionis nunquam poteſt præponi negatio *non* infinitanter ſumpta; uti eſt evidens: quotieſcumque enim præfigitur copulæ ſumitur neganter: cum illam ſumi neganter ſit illam præfigi copulæ, & afficere copulam: ut dixi tum hoc, tum *dubio* I. Atqui omne verbum vel eſt copula, vel in ſua ſignificatione includit copulam: ergo negatio non poteſt præfigi verbo, & ſumi infinitantera: ideoque non poteſt verbum, cui præfigitur, infinitare. *Et ratio à priori eſt:* Quia illæ ſolæ voces poſſunt infinitari, quibus poteſt contradictorium dari: atqui verbis nequit contradictorium dari: ergo non poſſunt infinitari. *Probatur minor:* Quia voces contradictoriæ debent eſſe puri termini, puraque extrema prædicationis: atqui verba non ſunt termini, neque extrema pura prædicationum: ergo verbis non poteſt dari contradictorium.

27. *Quartò certum eſt*: Quod multa ſyncategoremata poſſint infinitari: infinitari quippe poſſunt omnes caſus obliqui nominum, qualis ſunt *hominis*, *equi*, *leonis*, *bovis*, *Petri*, *Pauli*, *&c.* *Ratio eſt eadem*: Quia his caſibus nominum obliquis dari poteſt contradictorium, ſcilicet *non-hominis*, *non-bovis*, *non leonis*, *&c.* Ergo hi caſus

ſus

ſus obliqui poſſunt infinitari. Similiter, multa ſyncatbegoremata non poſſunt infinitari: qualia ſunt *nullus*, *aliquis*, *quidam*, *omnis*, *neuter*, *&c. Ratio eſt etiam eadem*: Quia bis vocibus nequit dari contradictorium: ergò non poſſunt infinitari. *Probatur antecedens*: Quia vox, cui contradictorium dari poteſt, debet eſſe vox de formali ſignificans certam aliquam ac determinatam formam: contradictoria quippe ſunt forma & pura negatio ejus. Atqui præfata hæc ſyncategoremata de formali non ſignificant certam aliquam formam: ut dixi ſupra de iſtis vocibus agens. Ergo iſtis vocibus dari non poteſt contradictorium.

28. Reſtat dubium de vocibus complexis, quales ſunt *homo albus*, *equus currens*, *&c.* Et de vocibus infinitis, quales ſunt *non homo*, *non-lapis*, *non-chymera*, *&c.* An ſcilicet hæ voces poſſint ulterius infinitari? Aliqui affirmant, putantes illas infinitationes poſſe progredi in infinitum, poſſeque ſemper infinitam vocem priorem adhuc infinitari per ſuperadditam aliam negationem: dicendo, v. g. *non-homo*, *non non-homo*, *non-non non-homo*, & ſic ulterius. Primum ego probo; ſecundum pro mera fabula repuro. *Ratio primi breviter eſt*: Quia voces complexæ poſſunt accipere contradictorium, & à ſua ſignificatione ordinaria tranſportari ad ejus contradictoriam, non minus quam voces complexæ: adeoque poſſunt infinitari. *Ratio ſecundi eſt*: Quia infinitatio debet ſic fieri, ut in vocibus infinitis maneat aliqua ſignificatio: atqui hæ voces *non non homo*, *non non-non-homo*, nullam habent ſignificationem: quis enim ſapiens unquam ſic locutus eſt? Ergo iſta negationum multiplicatio non eſt infinitatio; ſed mera fabula, & nugatio.

DISPUTATIO XII.

De voce univerſali, communi, ſingulari, primæ & ſecundæ intentionis, & aliis quibuſdam.

DUBIUM I.

Quid ſit vox univerſalis, communis & ſingularis?

1. NON quæro quæ ſit vox ſingularis vel univerſalis in eſſendo, quippe nulla vox eſt univerſalis: ſed omnis eſt ſingularis: Vox quippe ens quoddam eſt, qualitas quædam eſt de tertia ſpecie: unde ſicut omne ens, omniſque qualitas in eſſendo eſt ſingularis; ſic etiam omnis vox. Controverto hic ergo de vocum univerſalitate & ſingularitate in ſignificando: voces quippe ſingulares in eſſendo poſſunt eſſe univerſales in ſignificando; ſicut Deus, ſol, homo, &c. qui ſunt ſingulares in eſſendo, ſunt univerſales in cauſſando, in cognoſcendo, &c. Vocem itaque univerſalem & ſingularem definiunt quidam hoc modo. Vox univerſalis eſt vox prædicabilis de multis; vox ſingularis eſt vox prædicabilis de uno ſolo. Intelligunt autem de prædicabilitate univoca, affirmativa, & diviſa: nam æquivocè, negativè, ac copulatim prædicari de multis, poſſunt etiam voces ſingulares: ut conſideranti, & exemplo inducenti facilè patebit.

2. Has tamen definitiones nunquam probare potui. *Sic ergo illas aggredior*: Dantur voces ſingulares, quæ affirmativè, univocè, & diviſim ſunt prædicabiles de multis; ergò iſta data definitio pro voce univerſali, quadrat etiam quibuſdam vocibus ſingularibus: adeoque non eſt cum ſuo definito convertibilis: item ergò non eſt de ratione vocis ſingularis prædicari de uno ſolo: adeoquè neutra iſtarum definitionum ſubſiſtit. *Probatur antecedens*: Quia vox *Deus* eſt vox ſine dubio ſingularis: atqui vox *Deus* prædicatur de multis affirmativè; diviſim de Patre, Filio, ac Spiritu Sancto, & univocè, ut dixi ſupra *diſp. 10. dub. 3.* Ergò aliquæ voces ſingulares prædicantur de multis affirmativè, univocè & diviſim. Item pone unicam humanitatem ſuppoſitari in tribus ſuppoſitis, aut eandem albedinem ſubjectari in tribus ſubjectis, tunc vox *album*, & vox *homo* erunt voces ſingulares: ſignificabunt enim de formali rem non ſingularem. Et tamen prædicabuntur affirmativè, univocè, & diviſim de multis: iſto enim caſu poſito erunt per eandem humanitatem tres homines, & per eandem albedinem tria alba: ut tradit Gabriel *in 3. diſt. 1. quæſt. 2. art. 3. dub. 4. ad 2.* Et ego tradam latius infra. Ergò quædam voces ſingulares prædicari poſſunt de multis, diviſim, univocè, affirmativè.

3. *Reſp. ergo & dico primò*: Duæ ſunt bonæ definitiones vocis univerſalis & ſingularis. *Prima eſt hæc*: Vox ſingularis eſt vox de formali ſignificans rem ſingularem; vox univerſalis eſt vox de formali ſignificans rem univerſalem, v. g. voces *homo*, *animal*, *album*, *riſibile*, & ſimiles, ſunt voces univerſales: quia earum ſignificata formalia ſunt humanitas, animalitas, albedo, riſibilitas; quæ ſunt formæ ſeu naturæ quædam univerſales. At verò voces *Deus*, *Michael*, *Petrus*, *hic homo*, *iſte homo*, *iſte equus*, *Filius Virginis*, & ſimiles, ſunt voces ſingulares: quia nimirum earum formale ſignificatum eſt forma, ſeu natura quædam ſingularis. Contingit itaque in voce ſingulari & univerſali, quod in pleriſque aliis contingere hactenus viſum eſt: earum enim nomenclatura & intitulatio, univerſalitas nimirum & ſingularitas, neglecto ſignificato ſecundario & materiali, deſumitur ex ſolo primario & formali.

4. *Dices*: Hæ voces *Chriſtianus*, *Auguſtinianus*, *Ciceronianus*, *Romanus*, *Iprenſis*, *&c.* ſunt voces univerſales: uti nullus negabit. Atqui illæ voces de formali ſignificant rem ſingularem: ſignificant enim de formali Chriſtum Dominum, Auguſtinum, Ciceronem, Romam, Ipras, &c. Ergò malè dicitur omnis vox univerſalis de formali ſignificare rem univerſalem. *Reſp. negando minorem*: Et dico iſtas voces de formali non Chriſtum, nec Auguſtinum, nec Romam ſignificare; ſed confeſſionem & profeſſionem Chriſti. Is enim dicitur Chriſtianus, qui corde credit, & ore confitetur Chriſtum: Vox *Auguſtinianus* de formali ſignificat imitationem ſancti Auguſtini,

Digitized by Google

vel profeſſionem Regulæ ejus: qui enim Auguſtinum imitatur, ac Regulam & Ordinem ejus profitetur, is eſt & dicitur Auguſtinianus. Vox *Romanus* de formali ſignificat nativitatem in urbe Roma: qui enim Romæ natus eſt, is dicitur Romanus. At verò nativitas Romana, imitatio Auguſtini, fides & profeſſio Chriſti, res verè univerſales ſunt: adeoque iſtæ præfatæ voces de formali rem univerſalem, non rem ſingularem ſignificant.

5. *Altera definitio eſt*: Vox univerſalis eſt vox, quæ poteſt affirmativè, univocè, diviſim, & cum ſui reali multiplicatione prædicari de multis; vox verò ſingularis eſt, quæ affirmativè, univocè, diviſim, ac cum ſui reali multiplicatione non poteſt prædicari de multis. Vox ſingularis itaque poteſt prædicari de multis, ut ſtatim dicebam; ſed non cum reali ſui, vel potius formalis ſignificati ſui multiplicatione. Undè omnis vox prædicabilis de multis cum reali multiplicatione ſui ſignificati formalis eſt vox univerſalis. *Ratio eſt*: Quia vox ſingularis eſt vox de formali ſignificans rem ſingularem; vox univerſalis eſt vox de formali ſignificans rem univerſalem: atqui res univerſalis eſt res prædicabilis de multis cum ſui reali multiplicatione: res verò ſingularis eſt res non prædicabilis de multis cum ſui reali multiplicatione: poteſt quidem prædicari de multis; ſed non cum ſui reali multiplicatione. Ergò eodem jure & modo judicandum, & philoſophandum eſt, de voce univerſali, & ſingulari. *De quo plura in Logica*.

6. Ubi advertenda eſt pulchra reciprocatio vocis ſingularis & univerſalis in ſuo ſignificato primariò & ſecundariò. Nam ſignificatum primarium vocis ſingularis eſt ſecundarium ſignificatum vocis univerſalis, & è contra ſignificatum primarium vocis univerſalis eſt ſecundarium ſignificatum vocis ſingularis. Significatum quippe vocis ſingularis principale eſt forma quædam ſingularis; ſignificatum verò principale vocis univerſalis eſt forma quædam univerſalis: atqui formæ univerſales ſunt ſignificata ſecundaria vocum ſingularium, & formæ ſingulares ſunt ſignificata ſecundaria vocum univerſalium: ergò illud, quod eſt ſignificatum primarium in voce ſingulari, eſt ſecundarium in voce univerſali, & è contrà. *Probatur minor*: Quia, ut jam dixi hinc indè aliquoties, omnia illa, de quibus aliqua vox prædicatur, aut quibus ſubiicitur affirmativè, ſunt illius ſignificata ſecundaria: atqui voces univerſales de rebus ſingularibus affirmativè prædicantur, & voces ſingulares rebus univerſalibus affirmativè ſubiiciuntur: ergò res ſingulares ſunt ſignificata ſecundaria vocum univerſalium, & res univerſales ſunt ſignificata ſecundaria vocum ſingularium. *Præterea*: Acceptio perſonalis vocatur paſſim acceptio pro ſignificatis ſecundariis: atqui acceptio perſonalis eſt acceptio vocis communis pro ſui inferioribus: ergò inferiora ſeu ſingularia ſunt ſignificata ſecundaria vocis univerſalis.

7. *Dico ſecundò*: Definitio ſupra data, & à me refutata pro voce univerſali, rectè quadrat voci communi: vox itaque communis eſt illa, quæ affirmativè, univocè, diviſim prædicatur de multis. Ut voces *Deus*, *homo*, *albus*, *niger*, *humanitas*, *deitas*, *&c.* *Ratio eſt*: Quia oportet philoſophari de voce communi in ſignificando, ſicut philoſophamur de ente communi in eſſendo: atqui ens commune in eſſendo eſt illud, quod inexiſtit multis, ſive interim in illis multis realiter multiplicetur, ſive non: nam Eſſentia Divina verè eſt forma communis: quia inexiſtit multis ſuppoſitis; in quibus tamen non multiplicatur realiter. Ergò ſimiliter vox communis in ſignificando eſt illa, quæ poteſt affirmativè prædicari de multis, neque opus habet reali multiplicatione ſui, aut potius ſui formalis ſignificati. Undè inter voces communes aliquæ ſunt ſingulares; aliquæ ſunt univerſales: habetque ſe vox communis ad ſingularem ſicut excedens & exceſſa: ad univerſalem verò ſicut minus communis: ut conſideranti facilè patebit.

DUBIUM II.

Quid ſit vox primæ, quid vox ſecundæ intentionis?

8. Scire hic oportet, quid ſit prima, quid ſecunda intentio. Quæ in re Thomiſtæ multa dicunt, quæ, quia non intelligo, ipſis exponenda relinquo. Intentio autem tam prima, quam ſecunda dividitur in formalem & objectivam: unde intentiones in univerſum ſunt quatuor, duæ formales, duæque objectivæ. *Pro quarum intellectu ante omnia ſupponendum eſt*. Quod vox *intentio* hic non accipiatur pro intentione voluntatis in finem tendentis; ſed pro actu intellectus. Eſt ergo intentio hoc loco idem, quod conceptus ſeu actus intellectus in aliquod objectum tendentis. Unde ſicut conceptus in formalem & objectivum dividitur; ſic etiam intentio in objectivam & formalem dividi debet. Conceptus ſeu intentio formalis eſt actus ille intellectus, quo aliquam rem concipimus, quo in aliquam rem tendimus. Conceptus verò ſeu intentio objectiva eſt res ab intellectu concepta & intenta: v. g. cum concipio homines, actus ille, quo concipio, vocatur conceptus ſeu intentio formalis: quia nimirum eſt forma, quæ in genere formalis cauſſæ me facit intendentem & concipientem; homo verò, quem concipio, vocatur conceptus ſeu intentio objectiva: quia nimirum eſt objectum, in quod tendo, quod concipio. His poſitis, quæritur, quid ſint omnes hæ intentiones?

9. *Reſp. & dico primò*: Prima intentio objectiva eſt res quævis nudè ſecundum ſe ſpectata; ſive ſit realis & vera, ſive rationis & ficta; actus verò intellectus, quo talem rem ſecundum ſe concipimus, eſt prima intentio formalis, v. g. homo, Deus, lapis, album, dulce, ſtatio, ſeſſio, chymera, mons ſine-valle, hyppotaurus, & ſimilia omnia, vocantur primæ intentiones objectivæ; actus verò intellectus, quibus illa concipimus, vocantur primæ intentiones

for-

Digitized by Google

formales. Secunda verò iutentio objectiva eſt denominatio quædam rebus conveuiens ex actibus uoſtri intellectus certo modo circa illas verſantis, v. g. eſſe uuiverſales, eſſe genus, eſſe ſpeciem, eſſe prædicatum, eſſe ſubjectum: ſive in abſtracto, univerſalitas, genereitas, ſpecietas, prædicatio, ſubjectio, & alia id ge uus his ſimilia, vocantur ſecundæ intentiones objectivæ. Res euim non ſunt ſubjectum aut prædicatum, uec genus aut ſpecies: ſive res non recipiunt denominationem prædicati, ſubjecti, generis, ſpeciei, &c. uiſi ab actibus noſtri intellectus certo modo circa illa verſantis: adeoque iſtæ denomiuationes vocantur ſecundæ inteutiones objectivæ. Actus verò iutellectus, quibus denominatioues iſtas concipimus, quibus v.g. concipimus rei prædicationem, aut ſubjectionem, univerſalitatem, ſpecietatem, aut genereitatem: quibus concipimus rem aliquam eſſe prædicatum vel ſubjectum, eſſe genus vel ſpeciem, &c. Hi, iuquam, actus vocautur ſecuudæ inteutiones formales.

10. *Sed dubium hic occurrit*: Quidnam in re ſiut illæ ſecundæ intentiones objectivæ? Quidnam in re ſit eſſe genus vel ſpeciem, eſſe ſubjectum vel prædicatum? Quidnam in re ſit genereitas, ſpecietas, prædicatio, ſubjectio, &c. Thomiſtæ putant hæc omnia eſſe entia rationis ficta, rebus à parte rei exiſtentibus à noſtro intellectu affictа. Nominales verò ab hiſce entibus ratiouis fictis abhorreut pluſquam toti: volunt ergò hæc omnia eſſe entia verè realia, denominationeſque verè reales. Et puto ſanè per omnia eos vera dicere. Nolo tamen hæc omuia hic examinare, habeut enim ſua loca ſibi magis propria, De geuere ergò, ſpecie univerſali, &c. hic uihil dicam planè, de prædicato & ſubjecto aliquid attingam: ſpero enim, quod hic locus huic objecto non ſit planè importunus.

11. *Dico itaque ſecundò:* Secundæ iutentiones objectivæ ſunt eutia verè realia, denominationeſque verè reales. Concluſio hæc probari debet diſcurrendo per ſingulas ſecundas inteutiones: qui diſcurſus hic uon foret opportunus. De genere ergo & ſpecie, de univerſali, aliiſque ſimilibus hic ſuppouo; de prædicato & ſubjecto ſic probo: Quia illa denomiuatio eſt realis quæ & de formali, & de materiali importat aliquid verè reale: nam ad hoc, ut aliquod prædicatum, ſeu aliqua denominatio vel prædicatum ratiouis, debet vel de formali, vel de materiali ſignificare aliquod ens ratiouis. Atqui hæ deuominatioues *eſſe prædicatum*, *eſſe ſubjectum*, ueque de formali, ueque de materiali important eus rationis fictum; ſed utrobique important eus verè reale: ergo non poſſunt eſſe denominationes rationis, ſed ſuut verè reales. *Probatur minor:* Quia hæ deuominationes *eſſe ſubjectum*, *eſſe prædicatum*, de materiali ſignificant rem, quæ prædicatur, & rem, quæ ſubiicitur; de formali verò important rei prædicatiouem & ſubjectionem: ſicut *album* de materiali rem albam; de formali verò importat albedinem. *Prædicatum* quippe & *ſubjectum* ſunt voces concretæ; quæ de formali formam, de materiali verò important formæ ſubjectum. Atqui tam res prædicata & ſubjecta, quam ejus prædicatio & ſubjectio, ſunt entia verè realia: ergò iſtæ denomiuationes ex parte utriuſque ſignificati ſunt verè reales.

12. *Minor hujus argumenti quoad primam ſui partem*, quod ſcilicet res prædicata & ſubjecta ſit quid verè reale, *eſt clara*. Nam res prædicatæ & ſubjectæ ſunt Petrus, Paulus, homo, animal, riſibile, Bucephalus, equus, brutum, hinnibile, & his ſimilia: quæ omnia ſunt manifeſtè realia. *Altera minoris pars*, quod nimirum etiam prædicatio & ſubjectio ſint formæ reales, *eſt æquè clara:* quia prædicatio eſt alicujus de aliquo affirmatio vel negatio: ſimiliter & ſubjectio eſt alicujus de aliquo affirmatio vel uegatio. Atqui affirmatio & negatio non ſuut entia ratiouis ficta; ſed entia verè realia: ſunt enim reales qualitates, & reales operationes intellectus. Ergo prædicatio & ſubjectio ſunt etiam entia verè realia. Ex quo fit, quod prædicatio & ſubjectio ſint eadem res: ſunt unica numero forma ſolo extrinſeco connotato diverſa; adeoque hæ duæ voces concretæ *prædicatum* & *ſubjectum*, licet quandoque forſan diſtinguantur in ſignificatis rectis ac materialibus; nullatenus tamē differũt in ſuis ſignificatis obliquis ac formalibus.

13. Nam eſſe prædicatum idem eſt: quod eſſe de alio affirmatum; & prædicatum idem eſt, quod res de alia re affirmata, ſeu res habens ſui affirmationem de alia re: & eſſe ſubjectum eſt eſſe id, de quo aliud affirmatur; & ſubjectum eſt res, de qua alia res affirmatur, ſeu eſt res habens ſui ſub alia re ſubjectionem. Atqui per eandem numero formam, per eundem numero intellectus actum, quo unum de alio affirmatur, etiam unum alteri ſubiicitur, v. g. per eundem uumero actum: quo homo de Petro affirmatur, Petrus homini ſubiicitur. Ergò prædicatio, & ſubjectio ſunt idem numero actus ſolo connotato diverſus. Hic actus enim, quatenus comparatur ad rem, quæ de alia affirmatur, vocatur prædicatio; comparatus verò ad rem, de qua alia prædicatur, vocatur ſubjectio: eo ferè modo, quo actio comparata ad agens vocatur actio, comparata verò ad ſubjectum vocatur paſſio: adeoque hæ duæ voces concretæ *prædicatum*, & *ſubjectum*, licet forſan quandoque diſtinguantur in ſuo ſignificato materiali; ſemper tamen identificantur in ſuo ſignificato formali. Sed de tota hac materia dicam ex profeſſo plura in Logica.

14. *Ex quo ſequitur*: Quod ſecunda intentio objectiva in re ſit planè & omninò idem, quod prima iutentio formalis; v. g. univerſalitas ac ſpecieitas hominis: item illius prædicatio & ſubjectio ſunt reſpectu illius prima intentio formalis, ac etiam ſecunda intentio objectiva. Nam prima iutentio formalis eſt actus quidam intellectus, quo hominem, lapidem, aut aliam quamvis rem concipimus; atqui prædicatio & ſubjectio, ut jam paucis dixi; item univerſalitas, ſpecieitas, genereitas, &c. ut dicam alias ſuo loco, ſunt actus quidam intellectus, quibus rem aliquam concipimus: ergo ſunt primæ intentiones formales. *Suntque etiam ſecundæ intentiones objectivæ*: Quia ſecunda intentio objectiva eſt de-

nominatio quædam rebus conveniens ex operatione noſtri intellectus certo modo circa illam verſantis: atqui prædicatio, ſubjectio, univerſalitas, genereitas, ſpecietas, &c. ſunt hujuſmodi denominationes: ergò ſunt ſecundæ intentiones objectivæ.

15. *Et hinc ulterius*: Secunda intentio formalis eſt actus quidam reflexus: Actus enim reflexus eſt actus intellectus, quo concipimus alium actum intellectus priorem; atqui ſecunda intentio formalis eſt talis actus: ergò eſt actus reflexus. *Probatur minor*: Quia ſecunda intentio formalis eſt actus intellectus, quo concipimus ſecundam intentionem objectivam: atqui ſecunda intentio objectiva eſt actus quidam intellectus, ut jam dixi, non vero aliquod ens rationis fictum: ergo ſecunda intentio formalis eſt actus intellectus, quo concipimus alium actum intellectus priorem. Eſt quippe actus quidam intellectus quo concipimus alicujus rei prædicationem, vel ſubjectionem, univerſalitatem, genereitatem, vel ſpecieitatem, eſt, inquam, actus quidam intellectus, quo concipimus aliquam rem eſſe genus, ſpeciem, prædicatum vel ſubjectum, &c. Quæ omnia ſunt alii quidam priores actus intellectus.

16. *Dico tertiò*: Vox primæ intentionis eſt illa, cujus principale ſignificatum eſt aliqua prima intentio objectiva: quales ſunt voces *homo*, *Deus*, *chymera*, *albus*, *albedo*, *humanitas*, *Petrus*, *Paulus*, *&c.* Vox verò ſecundæ intentionis eſt illa, cujus principale ſignificatum eſt aliqua ſecunda intentio objectiva: quales ſunt voces *prædicatum*, *ſubjectum*, *genus*, *ſpecies*, *differentia*, *univerſale*, *&c.* Vocatur itaque vox primæ vel ſecundæ intentionis non à ſignificatione primæ vel ſecundæ intentionis formalis; ſed à ſignificatione intentionis objectivæ. Nam voces *ſpecies*, *genus*, *ſubjectum*, *prædicatum*, ſunt apud omnes voces ſecundæ intentionis: de formali tamen ſignificant intentionem ſecundam; non formalem, ſed objectivam: ut facilè patebit conſideranti illa, quæ hactenus dixi.

17. Et hinc hæ voces *individuum*, *ſingulare*, *ſuppoſitum*, *perſonæ* non ſunt voces ſecundæ intentionis; ſed primæ: quidquid de voce *individuum* præſertim velint communiter alii. *Ratio eſt*: Quia vox ſecundæ intentionis debet de formali importare ſecundam intentionem objectivam: atqui iſtæ præfatæ voces de formali non ſignificant ſecundam intentionem objectivam: ergo iſtę voces non ſunt voces ſecundæ intentionis. *Probatur minor*: Quia iſtæ voces de formali ſignificant individualitatem, ſingularitatem, ſuppoſitalitatem, perſonalitatem: atqui hæc non ſunt intentiones objectivæ: ergo voces iſtæ de formali non ſignificant ſecundam intentionem objectivam. *Probatur minor*: Quia, ut jam dixi, ſecunda intentio objectiva, eſt actus quidam intellectus objectum ſuum certo modo denominans, quique ſimul ſit prima intentio formalis: atqui individualitas, ſingularitas, ſuppoſitalitas, &c. non ſunt actus intellectus: ut clarum eſt. Ergò non ſunt ſecundæ intentiones objectivæ.

DUBIUM III.

Quid ſit vox tranſcendentalis, & prædicamentalis?

18. RESP. *breviter & dico*: Vox prædicamentalis eſt illa, cujus ſignificatum principale eſt ens quoddam prædicamentale: vox verò tranſcendentalis eſt illa, cujus principale ſignificatum eſt ens quoddam tranſcendens. *Pro quo oportet ſcire.* Quid vocentur in Philoſophia entia prædicamentalia; quid entia tranſcendentia. Entia prædicamentalia vocantur entia contenta & collocata in ſerie & congregatione alicujus prædicamenti: qualia ſunt homo, lapis, animal, albedo, color, &c. Ens verò tranſcendens vocatur ens vagans per diverſa prædicamenta. Qualia ſunt motus, accidens, ens, unum, bonum, &c. *Sed hic rurſum quæritur.* Quid ſit aliquod ens vagari, vel non vagari per diverſa prædicamenta? Entia enim per diverſa prædicamenta vagantia vocantur entia tranſcendentia; illa verò, quæ per diverſa prædicamenta non vagantur; ſed intra unius certi prædicamenti limites coarctantur, vocantur entia prædicamentalia. Quæritur ergò, quid hæc ſint?

19. *Reſp.* Aliquod ens per diverſa vagari prædicamenta nihil eſſe aliud, quam aliquod ens habere inferiora in diverſis prædicamentis collocata, v. g. ens, accidens, motus, in communi ſententia, vagantur per diverſa prædicamenta: quia ſcilicet habent inferiora in diverſis prędicamentis collocata. Nam inferiora entis ſunt homo, animal, qualitas, albedo, ubicatio, &c. Quorum aliqua in prædicamento ſubſtantiæ, alia collocantur in prædicamentis accidentium. Per diverſa verò prædicamenta non vagari, ſive intra limites unius certi prædicamenti coarctari, eſt omnia ſua inferiora intra unum prædicamentum habere contenta, v.g. animal non vagatur per plura prædicamenta; ſed continet ſe intra unum: quia nimirum habet omnia ſua inferiora intra unius prędicamenti limites contenta: inferiora quippe ejus ſunt homo, brutum, equus, leo, &c. quæ omnia continentur in uno ſubſtantiæ prædicamento.

20. Debet ergò ens tranſcendens eſſe ens vagans per diverſa prædicamenta. Dico, *per diverſa, ſive per plura*, quia non debet vagari per omnia omninò prædicamenta; ſed ſatis eſt, quod vagetur per plura: quod vagetur per duo. Quia ut habet cap. *pluralis* de reg. Juris in 6. *Pluralis locutio duorum numero eſt contenta*. Et motus in communi ſententia eſt ens tranſcendens: qui tamen tantum vagatur per duo prædicamenta, ſcilicet pęr prædicamentum actionis, & paſſionis. Et accidens apud omnes, etiam apud me, eſt ens tranſcendens: & tamen non per omnia; non enim vagatur per ſubſtantiæ prædicamentum. Ergò ad tranſcendentiam non requiritur vagatio per omnia prædicamenta; ſed ſufficiens eſt vagatio per aliqua, etiam per duo ſolummodo prædicamenta.

12. *Eſt tamen adhuc dubium*: An hæc omnia ordinaria & in ſcholis vulgatiſſima definitio ſit bona? Sive an ad tranſcendētiam requiratur vagatio per diverſa prædicamenta? Et quidem in meis principiis poſſum illam definitionem facilè

cilè ſervare; aſt illud bic non quæro: ſed quæro, an ſalvari, & juſtificari poſſit in principiis ſententiæ decem prædicamenta ſtatuentis, & Deum, materiam, formam, unionem, omnemque incompletam & infinitam ſubſtantiam à prædicamento ſubſtantiæ relegantis? Et mihi ſemper viſum eſt, quod in bac ſententia definitio nullatenus poſſit juſtificari, nec ſalvari: utpote quæ non ſit cum ſuo definito convertibilis. *Illam ergo ita aggredior*: Dantur aliqua prædicata tranſcendentia, quæ tamen non vagantur per plura prædicamenta: ergo ad tranſcendentiam non requiritur vagatio per plura prædicamenta: ergo definitio talem vagationem requirens non eſt bona, neque convertibilis. *Probatur antecedens*: Quia ſubſtantia latiſſimè ſumpta, prout abſtrahit à finita & infinita, à completa & incompleta, eſt prædicatum tranſcendens: atqui ſubſtantia illa non vagatur per plura prædicamenta: ergo datur prædicatum tranſcendens, quod non vagatur per plura prædicamenta.

22. In boc ſyllogiſmo probanda eſt major, ſimul ac minor. *Incipiamus à minori*: Quia, ut jam dixi, vagari per plura prædicamenta eſt habere inferiora collocata in diverſis prædicamentis: atqui ſubſtantia latiſſimè ſumpta non habet inſeriora collocata in diverſis prædicamentis: ergo ſubſtantia non eſt prædicatum vagans per diverſa prædicamenta. *Probatur minor*: Quia inſeriora ſubſtantiæ ſunt homo, brutum, animal, vivens, corpus, Deus, materia, forma, unio, &c. Atqui aliqua horum continentur in prædicamento ſubſtantiæ, alia verò ſcilicet Deus, materia, forma, unio, aliæque ſimiles ſubſtantiæ incompletæ, non quidem continentur in prædicamento ſubſtantiæ (loquor in fide ſententiæ communis) ſed neque collocantur in ullo alio prædicamento: cum omnia alia novem prædicamenta ſint prædicamenta accidentium, in quibus non poſſunt habitare ſubſtantiæ. Sunt ergo illa extra omne prædicamentum: extra omnem Logicæ Remp. & congregationem, ſine certa ſede, & domicilio, vagantia. Ergò ſubſtantia in communi latiſſimè ſumpta non habet inſeriora collocata in variis prædicamentis; ſed habet aliqua inferiora prædicamentum ſubſtantiæ inhabitantia; aliqua verò extra omne prædicamentum ſine certa ſede vagantia.

23. *Probatur jam etiam major*: Quod ſcilicet ſubſtantia latiſſimè ſumpta ſit prædicatum verè tranſcendens. Quia eſſe prædicatum tranſcendens eſt tranſcendere aliquod totum prædicamentum: quid enim quæſo eſt aliud? Atqui ſubſtantia latiſſimè ſumpta tranſcendit univerſum aliquod prædicamentum: ergò verè eſt prædicatum tranſcendens. *Probatur minor*: Quia id, quod tranſcendit alicujus prædicamenti genus ſummum, etiam tranſcendit univerſum prædicamentum: ſicut is qui tranſcendit Cæſarem, vel Papam, etiam tranſcendit univerſum Imperium, aut Eccleſiam. Atqui ſubſtantia latiſſimè ſumpta tranſcendit ſubſtantiam completam finitam, quæ apud communem ſententiam eſt genus ſummum in prædicamento ſubſtantiæ: ergo etiam tranſcendit univerſum ſubſtantiæ prædicamentum. *Minor eſt evidens*: Quia tranſcendere eſt eſſe ſuperius, eſt babere plura inſeriora: atqui ſubſtantia latiſſimè ſumpta eſt directè ſuperior ſubſtantia completa finita, babetque plura inſeriora, quam illa: ergo tranſcendit illam.

24. *Ex bis itaque concludo*: Hanc definitionem prædicati tranſcendentis, *Eſt prædicatum per plura vagans prædicamenta*, non valere, non convenire omni ſuo definito, nec eſſe convertibilem cum illo. Debet ergò definitio formari hoc modò: Prædicatum tranſcendens eſt prædicatum intra unius prædicamenti limites non contentum: *Id eſt*: Eſt prædicatum, cujus omnia inſeriora non collocantur in eodem prædicamento. Hæc quippe definitio quadrat omni & ſoli: ut conſideranti facilè poterit patere.

25. *Alterum adhuc reſtat dubium.* An omnis vox ſit vel prædicamentalis vel tranſcendentalis, nullumque inter illas detur medium? *reſp.* Dari medium. Sicut enim dantur aliqua entia, quæ neque ſunt tranſcendentia, neque prædicamentalia ſunt: ita etiam ſunt aliquæ voces, quæ neque ſunt prædicamentales, neque tranſcendētales. Tales ſunt voces *Deus*, *materia*, *forma*, *unio*, omneſque aliæ ſimiles aliquod ens incompletum ſignificantes. Item voces *domus*, *templum*, *pallium*, *peluis*, *ſtatua*, *nix*, *grando*, aliæquè ſimiles ens aliquod per accidens ſignificantes. Hæ inquam, voces neque prædicamentales ſunt, neque tranſcendentales: cum earum formale & principale ſignificatum neque ens tranſcendens, neque prædicamentale ſit: ut notum eſt intelligenti terminos.

DUBIUM IV.

De voce convertibili, excedente & exceſſa, magis & minus communi.

26. HÆ qualitates, nimirum convertibilitas, repugnantia, exceſſio, major & minor communitas non poſſunt reperiri in unica voce; ſed pro ſuo ſubjecto requirunt neceſſariò voces plures. Voces itaque convertibiles ſunt duæ voces, quæ de ſeſe mutuò poſſunt univerſaliter affirmari. Sive ſunt voces quoad prædicationem æquè latè patentes: ita ut de omni ſubjecto, de quo affirmatur vel negatur una, etiam affirmetur vel negetur alia. Talea vocea ſunt *riſibile* & *rationale*. Rectè enim dicimus, omne rationale eſſe riſibile, & omne riſibile eſſe rationale. Item de quocumque ſubjecto affirmatur vel negatur rationale, etiam affirmatur vel negatur riſibile: adeoque iſtæ voces rectè dicuntur eſſe convertibiles.

27. Pro exemplo convertibilium paſſim aſſignantur à Logicis modernis *homo* & *rationalis*, *animal* & *ſenſitivum*, *brutum* & *irrationale*, &c. Sed hæ voces nullo modo convertibiles ſunt; ſed magis & minus communes. Nam voces convertibiles debent de ſeſe mutuo poſſe univerſaliter affirmari: atqui omnes iſtæ voces non ſunt tales: licet enim rationale univerſaliter affirmetur de homine, rectèque dicatur, *omnis homo eſt rationalis*; non tamen è contrà homo univerſaliter affirmari poteſt de rationali, nec verè dicitur: *Omne rationale eſt homo*. Ergo iſtæ voces *homo* & *rationale*

Digitized by Google

nale uullateou s ſunt convertibiles. *Probatur minor*: Quia datur aliqood rationale, quod nou eſt homo: ergo falſum eſt dicere, quod omne rationale ſit homo. *Probatur antecedens*: Quia humanitas eſt verè rationalis; humanitas tamen noo eſt homo: *uti dicam infra*. Ergo datur aliquod rationale, quod oon eſt homo. Eodemque modo philoſophandum eſt de iſtis aliis vocibus.

28. *Ex quo patet*: Quod ad vocum convertibilitatem non ſufficiat ſola convertibilitas ſignificati formalis. Sive quod nou omnes illæ voces ſunt convertibiles, quæ habent ſignificata formalia convertibilia; ſed voces convertibiles debent converti tam quoad ſignificata ſua materialia, quam etiam quoad formalia. Nam vox *homo* & vox *rationale* habent ſignificata formalia convertibilia, ut patet iuruenti; non ſunt tamen voces convertibiles: quia non habent ſignificata materialia convertibilia. Significatum quippe materiale vocis *homo* eſt ſolum humanitatis ſuppoſitum; ſignificatum verò materiale vocis *rationale* eſt omne habens humanitatem: quæ inter ſe non convertuntur, ſed ſunt magis & minus communia. Ut planum eſt conſideranti.

29. Ex hoc etiam patet ratio, cur Gabriel *in* 3. alicubi dicat hanc definitionem hominis, *homo eſt compoſitum ex anima rationali & corpore*, non valere: utpote quæ cum ſuo definito non ſit convertibilis; ſed illo latius pateat. Licet enim omnis homo ſit quid ex corpore & anima compoſitum; non tamen omne tale compoſitum eſt homo: ergo iſta definitio cum homine non convertitur. *Patet antecedens*: Quia humanitas eſt quid ex corpore & anima rationali compoſitum: atqui humanitas non eſt homo: ergo non omne compoſitum ex anima & corpore eſt homo. *Patet minor*: Quia homo eſt ſuppoſitum humanitatis: atqui humanitas tantum eſt humanitas, non verò humanitatis ſuppoſitum: ergo humanitas non eſt homo.

30. Voces repugnantes ab antiquis Philoſophis vocabantur termini diſparati: ut patet ex Gabriele *in* 3.*diſt*.7.*qu*.*unica*,*art*.3.*dub*.3. Sunt verò voces repugnantes, quæ de ſeſe mutuo univerſaliter negantur; ſive quæ, naturaliter loquendo, non poſſunt de ſeſe mutuo affirmari: ſive quæ, naturaliter loquendo, non poſſunt affirmari de eodem ſingulari ſubjecto. Tales ſunt *homo* & *brutum*, *album* & *nigrum*, *homo* & *Deus*, &c. Rectè enim dicimus (ſiſtendo tamen in nudis naturæ viribus) *Nullus homo eſt brutum*. *Nullum brutum eſt homo*. *Nullum album eſt nigrum*. *Nullum nigrum eſt album*, *&c.* Item ſiſtendo in naturæ viribus nullum eſt ſingulare ſubjectum, de quo ſimul affirmari poſſint homo & brutum, album & nigrum, &c. Dico, *ſiſtendo intra naturæ vires*: Quia ſi vires Gratiæ & Divinæ Omnipotentiæ attendas, voces repugnantes poſſunt affirmari de eodem ſingulari ſubjecto, poteritque falſificari hæc propoſitio, *nullum brutum eſt homo*, *nullus homo eſt brutum*. Et ſicut modò dicimus, *Deus eſt homo*, & *aliquis homo eſt Deus*; ſic etiam poterimus dicere. *Aliquis homo eſt brutum*, *& aliquod brutum eſt homo*. De quo alias.

31. *Dices*: *Album* & *nigrum* ſunt voces repugnantes: atqui hæ poſſunt affirmari & verificari de eodem ſingulari ſubjecto: ergo malè dicuntur voces repugnantes non poſſe verificari de eodem ſingulari ſubjecto. *Probatur minor*: Quia ponatur aliquod corpus, aliquis v. g. paries media ex parte niger, media ex parte albus, de illo pariete verè diceretur, quod ſit albus, quodque ſit etiam niger: atqui iſte paries eſt aliquod idem ſingulare ſubjectum: ergo *album* & *nigrum* ſimul verificari poſſunt de eodem ſingulari ſubjecto. *Reſp. diſtinguendo minorem*: Iſtæ voces poſſunt verificari de eodem ſingulari ſubjecto ratione ejuſdem ſuæ partis: *ſic nego*. Ratione diverſarum partium: *ſic tranſeat*. Quo poſito tota ruit conſequentia: Nos enim, cum dicimus voces repugnantes non poſſe de eodem verificari, intelligimus de eodem ſecundùm eandem partem, eodem tempore, eodem loco, eodem reſpectu, &c.

32. Dixi, *voces repugnantes non poſſe ſimul verificari de eodem ſubjecto ſingulari*: Quia bene poſſunt verificari ſimul de eodem ſubjecto univerſali. Rectè enim & verè dicimus: *Aliquod animal eſt homo*, & *aliquod animal eſt brutum*: *aliquis homo eſt albus*, & *aliquis homo eſt niger*: Flander enim eſt albus, & Æthiops eſt niger. *Ratio hujus eſt*: Quia ſubjectum univerſale eſt enim omnia ſua inferiora ſimul ſumpta. Atqui termini repugnantes, licet non poſſint verificari de uno ſingulari; verificari tamen poſſunt de multis ſubjectis ſingularibus: unus nimirum de uno, & alter de altero. Ergo etiam verificari poſſunt de eodem ſubjecto univerſali. Sed de hac materia alibi magis ex profeſſo.

33. Voces excedentes & exceſſæ à Gabriele, aliiſque Antiquis vocabantur termini impertinentes. Sunt vero voces excedentes & exceſſæ, quæ de ſeſe mutuo poſſunt particulariter affirmari, particulariterque negari. Quales ſunt *album* & *dulce*, *brutum* & *viſivum*. Sive voces excedentes & exceſſæ ſunt illæ, quæ in multitudine ſignificatorum ſeſe mutuo ſuperant, & à ſeſe mutuo ſuperantur: Rectè enim dicimus. *Aliquod brutum eſt viſivum*, & *aliquod brutum non eſt viſivum*, & è contra. Adeoque vox *viſivum* in multitudine ſignificatorum ſuperat vocem *brutum*: aliqua enim ſignificantur per vocem *viſivum*, quæ non ſignificantur per vocem *brutum*. Item ſuperatur à voce *brutum*: quia aliqua ſignificantur per vocem *brutum*, quæ non ſignificantur per vocem *viſivum*. Sunt ergo excedentes & exceſſæ.

34. Et hinc, ut aliquæ voces ſint excedentes & exceſſæ, non requiritur, ut excedant & excedantur à ſeſe mutuo quoad ſignificata ſua formalia; ſed ſolummodo quoad ſignificata recta & materialia: quoad ſignificata verò ſua formalia poſſunt eſſe vel repugnantes, vel etiam convertibiles; v. g. *album* & *dulce* ſunt voces excedentes & exceſſæ, non quidem in ſignificato formali, ſed in ſolo materiali: in formali quippe ſignificato repugnant. Ergo ad hoc ut aliquæ voces excedentes & exceſſæ ſint, debent excedere & excedi in ſolo ſignificato materiali. *Probatur antecedens*: Quia ſignificata formalia vocum *album* & *dulce* ſunt albedo & dulcedo: atqui albedo

bedo & dulcedo ſunt duo repugnantia: cum de ſeſe mutuo univerſaliter negari poſſint. Ergo voces *album* & *dulce* quoad ſignificatum formale ſuum ſe mutuo non excedunt: ſed ſibi mutuo repugnant.

35. Voces magis & minùs communes ſunt duæ voces, quarum una affirmatur univerſaliter de alia, non tamen è contra. Vox, quæ de alia univerſaliter affirmari poteſt, vocatur magis communis; illa verò, quæ de alia univerſaliter affirmari non poteſt, vocatur minus communis; v. g. *homo* eſt vox minus communis, *animal* eſt vox magis communis: quia rectè dicimus, *omnis homo eſt animal*; non tamen è contra, *omne animal eſt homo*. Unde etiam voces, ut ſint minus & magis communes, non debent eſſe tales quoad ſignificatum formale; ſed quoad ſolum materiale; voces quippe *homo* & *rationale*, *animal* & *ſenſitivum*, *&c.* ſunt magis & minus communes; quoad ſignificata tamen ſua formalia ſunt convertibiles: ut facilè patebit conſideranti.

DISPUTATIO XIII.

De ſignorum acceptione, ſeu ſuppoſitione in communi.

EXplicata eſſentia & ſignificatione vocis ſignificativæ, aggredior alias quaſdam ejus qualitates, ſeu proprietates: quæ ſunt ſuppoſitio, appellatio, ampliatio, diſtractio, &c. Tractatus hic non ſolum utiliſſimus; ſed Philoſopho, Theologo, ac etiam Juris perito planè eſt neceſſarius. Summuliſtæ hic paſſim agunt de ſuppoſitione ſolarum vocum: ſuppoſitio tamen non in ſola voce; ſed in quovis ſigno locum habet. Unde hanc diſputationem aliis præambulam inſtituo de ſuppoſitione ſigni in genere.

DUBIUM I.

Quid ſit ſigni acceptio, ſeu ſuppoſitio in genere.

1. HOc nomen *ſuppoſitio* plures & diverſas ſignificationes habet. Significatio ejus prima & originaria videtur eſſe illa, qua ſignificant unius rei ſub alia poſitionem, ſive alicujus rei collabentis ſuffultionem per alicujus fulcri poſitionem ſub illa. In hac ſignificatione loquitur Poeta ingenioſus *in Epiſt. Dejaniræ*:

Hercule ſuppoſito ſidera fulſit Atlas.

Secundo *ſupponere* aliquando ſignificat idem, quod prærequirere. Ita dicimus: omnis effectus ſupponit, id eſt, prærequirit ſuam cauſſam. Tertiò *ſupponere* quandoque idem ſignificat, quod delegare, ſeu vicarium ponere. Aliaſque varias habet ſignificationes huic noſtro propoſito parum deſervientes. Eſt tamen adhuc una ſignificatio nobis non incongrua: qua *ſupponere* ſignificat idem, quod unum in locum & vicem alterius ponere. Ita obſtetrices dicuntur ſupponere infantem, taliſquè infans vocatur ſuppoſititius: quia videlicet, cum non ſit infans proprius, eſt in locum & vicem infantis proprii fraudulenter poſitus. Hæc, inquam, ſignificatio noſtro huic propoſito non eſt incongrua: quia voces, aliaque ſigna ſupponi idem eſt, quod illa in locum alterius, ſui ſcilicet ſignificati, poni.

2. *Et hinc patet*: Quod à quibuſdam Summuliſtis voces ineptè dicantur in orationis contextu ſupponere pro ſuo ſignificato: voces enim non poſſunt dici ſupponere; ſed in paſſivo dicuntur ſupponi. Loquens ergo vocem in oratione ſupponit, & vox ſupponitur. Similiter hedera à vinopola ſupponitur, & vinopola illam in ſuis foribus ſupponit. Suppoſitio ergo non activè, ſed paſſivè prædicari debet de ſignis. *Quæritur nunc hic*: Quidnam ſit ſigni ſuppoſitio ſeu acceptio? Quidam Nobilis Philoſophus putat ſuppoſitionem eſſe idem cum actuali ſignificatione. Sed, ſalva pace, deceptus eſt. Alii putant eſſe ſignificationem aptitudinalem. Alii eſſe idem cum impoſitione. Alii aliquid eſſe credunt.

3. *Reſp. & dico primò*: Suppoſitio ſeu acceptio ſigni non eſt ejus ſignificatio actualis; ſed eſt quid realiter ab illa diverſum. *Probatur*: Quia quæcumque ſunt realiter ſeparabilia, ſunt etiam realiter diſtincta: atqui ſuppoſitio ſigni & ſignificatio ejus actualis ſunt duo realiter ſeparabilia: ergo ſunt duo realiter diſtincta. *Probatur minor*: Quia poteſt aliquod ſignum; verb. g. aliqua vox habere ſuppoſitionem, & tamen non habere actualem ſignificationem: ergo ſigni ſuppoſitio eſt realiter ſeparabilis à ſignificatione ejus actuali. *Probatur antecedens*: Quia quando profero hanc propoſitionem, *homo eſt animal*, nullo intelligente aut attendente, utpote quia nullus audientium linguam latinam intelligit, vel ſi qui intelligant, mihi tamen loquenti nullus attendit: tunc iſtæ voces habent ſuppoſitionem; non tamen habent actualem ſignificationem. Ergo poteſt aliqua vox habere ſuppoſitionem, non habens actualem ſignificationem. Quod iſtæ voces ibi ſuppoſitionem habeant, *eſt clarum*: Suppoſitio quippe vocis nihil eſt aliud, quam poſitio vocis in orationis contextu pro ſuo ſignificato: ut ſtatim infra dicam pluribus. Atqui iſtæ voces ſunt ibi in iſto orationis contextu pro ſuis ſignificatis poſitæ; ergo ſunt ſuppoſitæ, habentque ſuppoſitionem.

4. Quod autem actuali ſignificatione careant, *æquè clarum eſt*: Quia actualis ſignificatio vocis eſt conceptus, quem format audiens de re per vocem ſignificata ex occaſione vocis auditæ: ut dixi ſupra *diſp.* 2. Atqui in hoc noſtro caſu audientes nullum de re per voces ſignificata conceptum formant: non enim voces intelligunt, vel ſi intelligant, mihi tamen loquenti non attendunt. Ergo iſtæ voces non habent ibi actualem ſignificationem: adeoque actualis ſignificatio eſt realiter ſeparabilis à vocis ſuppoſitione. *Et ratio concluſionis à priori eſt*: Quia actualis ſignificatio eſt cognitio quædam, & plerumque eſt actus quidam intellectus: ut dixi ſupra loco citato. At verò ſuppoſitio eſt actus voluntatis. Item ſignificatio actualis vocum eſt actus elicitus ab audiente; ſuppoſitio verò eſt actus quidam elicitus à loquente: ut dicam infra: Inter quos non poteſt non eſſe diſtinctio realis.

5. *Dico ſecundò*: Suppoſitio ſigni non eſt

etiam

etiam ſignificatio aptitudinalis; ſed eſt quid ab illa realiter diverſum. *Probatur eodem modo*: Qnia ſuppoſitio eſt à ſignificatione aptitudinali realiter ſeparabilis: ergo realiter diſtiucta. *Probatur antecedens:* Quia poteſt aliquod ſignum; v. g. aliqua vox babere aptitudinalem ſignificationem; non tameu habere ſuppoſitionem: ergo ſuppoſitio eſt ab apritudinali ſignificatione realiter ſeparabilis. *Probatur antecedens:* Quia dum pſittacus quidam, aut homo dormiens & ſomnians profert has voces, *bomo eſt animal*, iſtæ voces habent aptitudinalem ſignificationem: ut manifeſtum eſt. Nou tamen habent ſuppoſitionem: ergo poteſt vox habens aptitudinalem ſignificationem, carere ſuppoſitione. *Probatur minor:* Quia vocem ſupponi, ſeu habere ſuppoſitiouem, eſt illam in orationis contextu pro ſuo ſignificato poni, & ad ſignificandum illud ordinari: atqui voces à brutis vigilantibus, & ab hominibus ſomniantibus prolatæ non ponuntur pro ſuo ſignificato, neque ordinantur ad ſignificandum illud: ergo non ſupponuntur, neque habent ſuppoſitionem. Similiter in hac oratione, *bæt vox bomo eſt nomen*, vox *bomo* babet aptitudinalem ſignificatinnem; non tamen babet ſuppoſitionem: ut dicam infra. Ergo ſuppoſitio ſeparabilis eſt à ſignificatione aptitudinali. *Et ratio concluſionis à priori eſt*: Quia ſuppoſitio eſt actus quidam voluntatis à loquente elicitus: ut dicam infra. Atqui talis actus manifeſtè differt realiter à ſignificatione aptitudinali: ergo etiam ſuppoſitio ab illa realiter differt.

6. *Dico tertiò*: Suppoſitio ſeu acceptio ſigni varias apud varios babet definitiones. Ab aliquibus definitur eſſe uſurpatio ſigni pro ſuo ſignificato. Ab aliis, eſſe poſitio ſigni pro ſuo ſignificato. Ab aliis, eſſe ordinatio ſeu deſtinatio ſigni ad ſignificandum. Ab aliis dicitur eſſe applicatio ſeu approximatio ſigni pro ſuo ſignificato, &c. Quæ omnes definitiones bonæ ſunt, ac elegantes, omneſque inter ſe planè æquipollent. Oportet enim de ſuppoſitione ſigni philoſophari eo modo, quo philoſopbari ſolemus de approximatione, ſeu applicatione cauſſæ ad cauſſandum. Unde ſicut in cauſſis approximatio nequè eſt virtus cauſſandi, neque actus cauſſandi, ſive actnalis cauſſatio; ſed eſt quid ab utroque realiter diſtinctum, ac inter utrumque medium: applicatio enim eſt prior, quam actualis cauſſatio, & poſterior, quam cauſſandi virtus: prius namque eſt eſſe cauſſativum, quam ad cauſſandum applicari, & prius eſt ad cauſſandum applicari, quam actualiter cauſſare. Sic etiam prius eſt eſſe ſignificativum, quam ad ſignificandum applicari, & prius eſt ad ſignificandum applicari, quam actu ſignificare: adeoque ſuppoſitio ſen ad ſignificandum applicatio eſt aptitudinali ſignificatione poſterior, actuali verò prior.

7. *Ex quo patet*: Eſſe verum id, quod in hujus diſputationis præfatione dixi: videlicet quod ſuppoſitio babeat locum non in ſolis vocibus; ſed etiam in omnibus omnino aliis ſignis, tam naturalibus quam arbitrariis, tam formalibus quam inſtrumentalibus, &c. *Ratio eſt clara:* Quia ſuppoſitio eſt ſigni pro ſuo ſignificato poſitio, eſt ſigui ad ſignificandum applicatio: atqui ſicut voces ponuntur & applicantur pro ſuis ſignificatis in contextu orationis; ſic etiam ſcripturæ in chartis, hederæ in veſtibulis, pictoræ & imagines applicantur, ac ponuntur in palatiis & templis: ergo ſupponi, & ſuppoſitio non in ſolis vocibus; ſed locum habet in omnibus omninò ſignis.

DUBIUM II.

Quid in re propriè ſit ſigni ſuppoſitio?

SECTIO I.

Reſolutio propoſitæ quæſtionis.

8. Dixi jam, ſigni ſuppoſitionem non eſſe ſignificationem, neque actualem, neque apritudinalem; ſed eſſe applicationem, ac ordinationem ſigni ad ſignificandum: quæ ordinatio ſit quid inter haſce ſignificationes medium, ac ab utraque realiter diſtinctum. Quæro ergo nunc: *Hæc* ordinatio & applicatio quid à parte rei ſit? Quale ens? In quo ſubjecto, &c. Ec moveo præſertim quæſtionem de ſignis arbitrariis doctrinalibus: qualia ſunt voces, ac ſcripturæ. Nam quid præcisè ſit ſuppoſitio ſigni naturalis; v. g. fumi, conceptus, ſpeciei impreſſæ, & id genus aliorum, valdè parum facit ad propoſitum Summuliſtæ. Attamen hoc ex illis, quæ de ſuppoſitione ſigni arbitrarii dicam, facilè poterit decidi. Dicam ergo primò, quid ſit ſuppoſitio vocum, inde faciens tranſitum ad ſuppoſitionem omnium aliorum ſignorum.

9. *Reſp. ergo & dico primò*: Suppoſitio vocis eſſentialiter includit formationem, productionem, ſeu prolationem vocis (hæc tria quippe modò non diſtinguo.) *Probatur*: Quia ſuppoſitio eſt poſitio vocis in contextu orationis pro ſuo ſignificato: ſive ſuppoſitio eſt ordinatio, ſeu applicatio vocis ad ſignificandum. Atqui vocis in oratione poſitio, ejuſque ad ſignificandum ordinatio & applicatio eſt ipſiſſima vocis productio ſeu prolatio: ergo etiam vocis ſuppoſitio eſt ipſiſſima ejus productio ſeu prolatio: adeoque prolatio, ſeu productio vocia eſt de eſſentia ſuppoſitionis. *Probatur minor*: Quia vocem in orationis contextu ponere nibil eſt aliud, quam vocem proferre: nibil eſt aliud, quam orationem contexere & formare. Dic enim mibi quid ſic aliud? Tunc etenim vocem *bomo* & vocem *animal*, & vocem *eſt* in oratione pono, applico, & ad ſignificandum ordino; quando illas formo & profero, ac dico, *bomo eſt animal*. Ergo etiam vocis in oratione poſitio eſt vocis formatio & prolatio.

10. *Dico ſecundò*: De eſſentia ſuppoſitionis vocum etiam eſt intentio, ſeu volitio loquentis, ac vocem proferentis, qua vult ac intendit audienti ſignificare vocis ſignificatum; verb grat. quando ego in oratione pono vocem *bomo*, & dico, *bomo eſt animal*, tunc mea volitio ſeu intentio, qua volo & intendo audientibus per vocem *bomo* ſignificare ſuppoſitum humanitatis: iſta, inquam, mea intentio ſeu volitio ſpectat ad eſſentiam ſuppoſitionis, qua vox *bomo* ibi

ſuppo-

ſupponitur. Da bae concluſione non dubitabit is, qui vel ſemel Textnm vel Pontificii vel Cæſarei Juris inſpexit. Eamqne expreſsè tradit Ariminenſis *in 1. diſt. 44. quæſt. 2. art. 1. & 2.* Idem ſæpè repetens. Gabriel *in 2. diſt. 9. quæſt. 2. art. 4. & 5. dub. 7.* Martinus Navarrus *in Comment.* eap. *Inter verba*. Hinc inde ſæpè. Et *in Comment. Humanæ aures quæſt.* 1. Menochius *lib. 6. præſumpt.* 35. Et per totum illud opus ferè ubiquè. Er pluribus Alciatus *in Rubricam de verbor. ſignif.* Eſtque aperta ſententia S. Auguſtini *lib. de mendacio*, & *lib. contra mendacium*.

11. *Et probatur primò*: Ex omuibus illis regulis, ac principiis Juris, quæ dicunt verba & voces jnxta mentem, ac intentionem loquentis ab andientibus eſſe intelligenda: *Mens* enim *regit verba, non verba mentem*. Cap. *Humanæ aures*. Et nbi conſtat de mente, ac intentione loquentis ac contrabentis, nou eſt opus præſumptinnibns, ennjecturis, nec interpretationibus: ut probat Textus *in l. 69. non aliter de leg. 3. l. continuus, 137. §. cum ita ſtipulatus*. Io fine, *ff. de verb. obligat.* De quo benè Cardinalis in eap. *Ex literis, 1. de ſponſalibus*. Et intentioni loquentium ſtatur contra propriam ſignificationem vocum: voluntas enim loquentis potior eſt, & totum facit. *L. ex facto ff. de hæred. inſtit.* Actus quippe non excedunt intentionem ſuorum agentium. *L. non omnis ff. ſi cert. pet.* Et mens eſt radix verbotum, & ſubſtantia prima: nam cor eſt imperator linguæ, & cedit lingua menti: & ſub jngo mentis verba conſiſtunt, tamquam ſnb proprio originali, & digniori. Baldus in cap. *Mandatum, de reſcrip. in princ.* Ex quibus omnibus tale ſormo argumentum: Voces debent intelligi ab audientibus, pront accipiuntur à loquentibus: debent, inquam, intelligi juxta acceptionem loquentis. Atqui accipi juxta acceptionem loquentis eſt accipi jnxta mentem & intentionem loquentis: ut patet per omnia præcitata Jura. Ergo ſuppoſitio ſeu acceptio idem eſt, quod mens, & loquentis intentio.

12. Similiter: *Certum eſt, quod is committit in legem, qui verba legis complexus contra legis nititur voluntatem*. De reg. jnr. in 6. Senſus eſt: Is committit in legem, qui in lege quidem attendit verbornm ſignificationem; non tamen enrum ſuppoſitionem ſeu acceptionem: ergo ſuppoſitio ſeu acceptio verborum eſt voluntas legis, ſeu legislatoris verba proferri, vel conſcribi curantis. Similiter Epikeja eſt caſus contentus ſub verbis, non tamen ſub mente legis: ut tradunt communiter omnes. *Id eſt*: Eſt caſus contentus quidem ſnb verborum ſignificatione; non tamen ſub verborum ſuppoſitione ſeu acceptione: ergo verborum acceptio idem eſt, quod mens legem ferentis. Vide Menocbium *loco ſupra citato*. Et per illud opus per ſingula ferè ſolia.

10. Poteſtqne totum bnc confirmari argumento qnodam, qno ntuntur Alciaius, & Navarrus *locis ſupra citatis*: Quia dantur quædam propoſitiones vocales ampbibologicæ, ad veritatem & falſitatem indifferentes: quæ ad veritatem vel falſitarem determinantur per diverſam vocum acceptionem ſeu ſuppoſitiouem. Tales, inqnam, orationes reperiuntur tam in profanis, ut loco citato multis oſtendit Alciaius, quam etiam io Scriptoribus Sacris. Talis namque oratio eſt hæc: *Non reſurgent Impii in judicio*. Hæc, inqnam, oratio amphibologica eſt, & ad verum & ſalſum ex ſe indifferens. Si enim vox *reſurgent* accipiatur & ſupponatur pro reſurrectione ad gloriam, oratio vera eſt, Catbolica eſt: ſi verò vox *reſurgent* accipiatur pro generali reſurrectione ad vitam corporis, ſalſa eſt, hæretica eſt. Ergo id, qnod baſce indifferentes propoſitiones determinat, eſt vocum acceptio & ſuppoſitio: atqui illud ipſum, qnod illas determinat, eſt mens, voluntas, ac iotentio loquentis: nti eſt manifeſtum. Si quippe mihi talem indifferentem orationem eloqnenti qnis errorem, hæreſim, vel mendacium objiciat, ſtatim reſpondeo, nnn ſic puto, non boc volui, non bnc ſignificare intendi, non tali modo vocem iſtam accepi, &c. De qno vide Rnyas in *tract. de hæret. in prima part. num.* 206. Ergo vocum ſuppoſirio eſt idem, quod loqnentis mens & intentio, boc vel boc ſigoificare volentis.

14. Ne tamen quis mibi objiciat, quod concluſionem Logicam in ſolis ſuperſtitionibus Juris ſundem, *etiam addo rationem Philoſopbicam*: Quia vocis ſuppoſitio eſt vocis uſus ſeu uſurpatio, eſt vocis ordinatio & deſtinatio ad ſignificandnm: & voeem ſupponere eſt voce uti, eſt vocem uſurpare, deſtinare, & ordinare ad ſignificandum. Atqui vocem uſurpare, ordinare, & deſtinare ad ſignificandum eſt per vocem velle ſignificare: ſicut pecunlam ordinare vel deſtinare ad lucrandum & mercandum, eſt velle per pecuniam mercari & lucrari. Ergn etiam vocem ad ſignificandum ſupponere eſt velle per vocem ſignificare: ergo vocis ad ſignificandum ſuppoſitio eſt per vocem aliquid ſignificandi intentio & volitio. *Præterea*: Mentiri eſt voces ad aliquem fallendum ſupponere & accipere: juxta illud Job 6. *Ad increpandum tantum eloquia concinnatis*. Vel, ut babet Eccleſiæ reſponſorium. *Ad increpandum*, vel etiam ad decipiendum, *verba componitis*. Atqui juxta Sanct. Auguſt. *lib. contra mendac. Mendacium eſt ſignificatio falſa cum voluntate fallendi*: Adeoqua mentiri eſt ſignificare ſalſum cum voluntate fallendi, ſive eſt per ſalſam ſignificatinnem velle audientem ſallere, vel eſt audienti velle ſignificare ſalſum. Ergo voces ſupponere eſt per vocea velle ſignificare: ergo ſnppoſitio eſt per voces aliquid ſignificandi volitio.

15. *Dico tertiò*: Suppoſitio importat duo: unum in recto, alterum in obliqno. In recto importat vocis prolationem ſen formationem: in obliquo verò importat ſignificandi volitionem. Eſt ergo vocis ſuppoſitio nihil aliud, quam vocis prolatio cum intentione ſignificandi: & vocem ſupponere, ſeu pro ſuo ſignificato in orationis contextu ponere, nibil eſt aliud, qnam vocem proferre eum intentiona ſignificandi; verb. grat. quando ego bas voces *bomo & animal*, profero, & dico alicui cum intentione illi ſignificandi, *bomo eſt animal* tunc ego iſtas voces ibi ſuppono: unde ſup-

ponere

Digitized by Google

ponere non tantùm eſt voces proferre, nec tantùm eſt velle aliquid per voces ſignificare; ſed eſt proferre voces cum voluntate ſeu intentione ſignificandi. Concluſio hæc ſatis patet ex dictis: *Quibus tamen & hanc adhuc rationem adde*: Quia vocem ſupponere eſt voce uti, eſt vocem uſurpare: & ſuppoſitio eſt vocis uſus & uſurpatio: uti jam dixi. Atqui uſus ſeu uſurpatio alicujus rei eſt actus quidam exterior ſimul cum actu interiore voluntatis: ut tradit S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 16. *art.* 1. Et alii ibidem communiter. Ergo ſimiliter ſuppoſitio vocis importat duo, videlicet actum exteriorem ſimul cum actu voluntatis interno: atqui actus hic externus nequit eſſe alius, quam vocis prolatio; & actus voluntatis internus nequit eſſe alius, quam volitio ſive intentio ſignificandi: quis enim foret alius? Ergo ſuppoſitio eſt vocis prolatio cum voluntate ſignificandi.

SECTIO II.

Proponuntur & ſolvuntur argumenta contraria.

16. OBjicies primò: Tam prolatio vocis, quam etiam intentio loquentis aliquid per vocem ſignificandi ſunt ſignificata vocis: atqui ſignificatum vocis nequit eſſe ſuppoſitio vocis: ergo neque prolatio vocis cum intentione ſignificandi eſſe poteſt ſuppoſitio vocis. Hujus argumenti conſeq. eſt clara; probanda tamen eſt major, ſimul cum minore. Et major quidem manifeſta eſt omni Juris perito, ac etiam omni Summuliſtæ & Logico: Quia ſignificatum vocis eſt illud, in cujus cognitionem deducitur audiens ex auditione vocis: atqui audiens ex voce audita cognoſcit & prolationem vocis, ac etiam intentionem, ac mentem loquentis: nam verbis declaratur animus, & talis præſumitur, qualem prolata verba ſignificant. *L. labeo*, §. *idem tuberon. ff. de ſupell. leg.* Quo loci Celſus ex Tuberonis ſententia dixit, nomina eſſe, ut demonſtrent voluntatem dicentis, & quemquam non dicere, quod non ſenſit. Unde & Caſſiodorus *lib.* 3. dixit, nullum eſſe majus mentis noſtræ teſtimonium, quam ſit qualitas inſpecta verborum. Et quid in Jure utroque magis obvium, quam in dubio de voluntate loquentis, recurrere ad originariam, & ordinariam ſignificationem verborum? Cap. *Ex literis de ſponſal.* 1. Ubi pulchrè Gloſſa *verb. intelligentiam*. Ergo tam vocis prolatio, quam etiam loquentis intentio ſunt vocis prolatæ ſignificatum.

17. *Minor argumenti principalis etiam probatur*: Quia ſuppoſitio habet ſe ad ſignum, ſicut ſe habet applicatio & approximatio localis ad cauſſam: item ſignum ſe habet ad ſignificatum, ſicut ſe habet cauſſa ad cauſſatum. Atqui approximatio nequit eſſe cauſſæ effectus, ſive cauſſarum: uti manifeſtum eſt. Ergo neque ſuppoſitio ſigni poteſt eſſe ſigni ſignificatum. *Deinde*: Suppoſitio eſt applicatio ſigni ad ſignificatum ſignificandum: ſuppoſitio, inquam, vocis eſt applicatio vocis ad ſignificandam mentem & voluntatem loquentis. Atqui ſignificatum, & applicatio vocis ad ſignificatum nequeunt eſſe realiter idem: ergo ſimiliter ſignificatum vocis nequit eſſe ſuppoſitio vocis.

18. *Reſp.* Majorem iſtius argumenti eſſe veriſſimam, ut ibidem bene probatur; ſed falſam eſſe illius minorem. *Ad cujus probationem neganda eſt ſecunda pars majoris*: Nam inter ſignum & ſignificatum nequaquam eſt proportio cauſſæ & cauſſati; ſed eſt proportio potentiæ & objecti: ut dixi ſuprà *diſp.* 2. *dub.* 7. Proportio itaque cauſſæ & cauſſati non inter ſignum & ſignificatum; ſed inter ſignum & actualem ſignificationem eſt: ut dixi ibidem *diſp.* 4. *dub.* 2. Adeoque hoc argumentum quidem probat, quod ſuppoſitio ſigni non poſſit eſſe actualis ſignificatio ſigni, ſicuti applicatio cauſſæ nequit eſſe effectus cauſſæ: ſed quare ſuppoſitio ſigni non poſſit ſimul eſſe ſignificatum ſigni, certè non video ab hoc argumento probari. Et quidem quod hoc nihil contineat abſurdi, *etiam directè probo*; Quia ſuppoſitio & applicatio ſigni ad ſignificatum habet ſe ad ſignum, ſicut applicatio intellectus, qua à voluntate applicatur ad ſuum objectum, ſe habet ad intellectum. Atqui iſta applicatio intellectus poteſt etiam ab intellectu intelligi, & eſſe intellectus objectum: quid enim obſtat? Quid vetat? Ergo ſimiliter ſuppoſitio ſeu applicatio ſigni etiam poteſt à ſigno ſignificari, & eſſe ſigni ſignificatum.

19. *Ad confirmationem ſimiliter nego minorem*: Jam enim oſtendi, quod nihil vetet ſuppoſitionem vocis ſimul eſſe ſignificatum vocis. Hoc tamen addo, quod ſuppoſitio vocis nunquam ſit adæquatum ſignificatum vocis; ſed ſolummodo partiale & inadæquatum: adeoquè ſemper ſuppoſitio & ſignificatum vocis ſunt realiter diſtincta: licet tamen interim etiam ipſa ſuppoſitio ſit aliquod ſignificatum. Nam verb. gr. cum dico *homo eſt animal*, ibi vox *homo* eſt ſignum, eſt vox ſignificativa: ejus prolatio à me facta cum intentione ſignificandi ejus ſignificata eſt ejus ſuppoſitio. Significata verò ejus ſunt varia: nam humanitas eſt ſignificatum ejus formale; ſuppoſitum humanitatis eſt ſignificatum ejus materiale: item ſignificata ejus ſunt conceptus meus, quo tam humanitatem, quam ſuppoſitum ejus concipio, item conceptus, quo ipſam vocem prolatam concipio: volitio ſeu intentio mea per vocem iſtam iſta omnia ſignificandi, &c. Et hæc intentio per vocem ſignificandi ſuppoſitum humanitatis, eſt iſtius vocis ſuppoſitio; ſuppoſitum verò humanitatis eſt vocis *homo* ſignificatum, à quo ſuppoſitio differt realiter. Hoc tamen non tollit, neque impedit, quin iſta mea humanitatis ſuppoſitum ſignificandi intentio etiam à voce ſignificetur, & ſit ejus ſignificatum.

20. *Pro quo adverto ulterius*: Quis & qualis voluntatis actus ſit ſuppoſitio vocis. Contingit quippe non rarò, quod per eandem vocem, per eandem orationem ſignificentur, vel certè ſignificari poſſint diverſi voluntatis actus. Ita

enim

enim ſit in omnibus oretionibus contractum, ſtipoletionem, aliamve ſimilem diſpoſitionem continentibus. Quales ſunt hæ: *creo te Epiſcopum*, *vendo tibi equum*, *accipia te in meam*, *volo ire in Italiam*, *&c.* Hiſce, inquem, vocibus in mente loquentis correſpondent, aut certè correſpondete poſſunt & debent plures voluntatis actus. Primò enim ibi eſt volitio voces proferendi. Secundò eſt volitio te in Epiſcopum creandi. Tertiò denique eſt volitio, que volo per voces iſtas à me prolates tibi notificare, ec ſignificare volitionem meam te in Epiſcopum creandi. Similiter, cum dico, *vola ire in Italiam*, tunc in me eſt volitio iſtas voces tibi proferendi: eſt volitio eundi in Iteliam: eſt denique volitio tibi per voces notificendi meam volitionem eundi in Iteliam. *Quæritur:* Quænam harum mearum volitionum ſit iſtarum vocum ſuppoſitio? An omnes iſtæ volitiones ſint ſuppoſitiones? An ſolùm earum una? Et quæ?

21. *Et reſpondeo:* Non omnes iſtas volitiones eſſe ſuppoſitiones; ſed ſolam volitionem tibi per voces ſignificendi meam volitionem eundi in Iteliam: volitio itaque mea in Iteliam eundi non eſt iſtarum vocum ſuppoſitio; ſed ſolummodo ſignificetum. *Ratio eſt:* Quia ſignificatum ſormale & principale vocum non poteſt eſſe vocum ſuppoſitio; ſed vocum ſuppoſitio eſt volitio loquentis, qua vult per voces andienti notificare earum formale ſignificatnm; verb. gr. cum dico, *homo eſt animal*, iſtarum vocum ſuppoſitio non eſt humanitas & animelitas; ſed volitio mea, qua eudienti volo humanitetem & enimalitetem ſignificare. Atqui mea in Italiem eundi volitio reſpectu harum vocum, *volo ire in Italiam*, eſt ſignificatnm principale: nti eſt meniſeſtum. Ergo illa non eſt iſtarum vocum ſuppoſitio; ſed iſtarnm vocum ſuppoſitio eſt volitio, qua volo tibi notificare iſtam volitionem principaliter per voces iſtes ſignificatam. Ex qua doctrina, ſi locus hic pateretur, poſſet qnis reſolvere quædam in Jure ſat controverſa.

22. *Objicies ſecundò*: Vocis ſuppoſitio eſt vocis ed ſignificandum applicatio, & in orationis conteatu poſitio: etqui vocis epplicatio & in oratione poſitio non eſt vocis proletio: ergò vocis ſuppoſitio etiam non eſt vocis prolatio cum intentione ſignificandi. *Probatur minor*: Quia ita ſe habet applicatio & poſitio in oratione ed vocem ſignificaturam, ſicut ſe habet epplicatio & poſitio in camino ed ignem caleſacturum: etqui applicatio & ignis in camino poſitio non eſt ignis productio; ſed ſolummodo quædam illius locelis motio: ergo ſimiliter vocis epplicatio & in oratione poſitio non eſt vocis productio ſeu prolatio. *Et confirmatur*: Quie poſitio in oretione habet ſe ad vocem, ſicut poſitio in cherta, ſoribus, vel templo ſeſe habet ed ſcripturam, hederam, & ſtatuam: etqui iſtæ poſitiones non ſunt iſtorum ſignorum productiones: nti eſt clarum. Ergo neque vocis in oratione poſitio eſſe poteſt vocis poſitæ productio.

23. *Reſp. negando minorem, & majorem probationis*: Diverſites quippe inter iſtas dues poſitiones eſt magna, & clara. Qnia in rebus ſolidis, ac permanentibus aliud eſt productio, aliud ejus epplicatio vel in certo loco poſitio, ut ergumentum bene aſſumit. Unde hæ res primò producuntur, ac deinde hic vel ibi applicantur, & ponuntur. At verò in rebus tranſeuntibus, ac ſucceſſivis, vel queſi ſucceſſivis: queles ſunt ſoni & voces, non differunt productio, poſitio, & epplicatio: unde vocis in oratione poſitio idem eſt, quod vocis productio ſeu proletio: & vocem in oratione ponere idem omninò eſt, quod vocem proferre, producere, vel pronuntiare. Neque enim vox primò producitur, & deinde in hac vel iſta oratione ponitur & applicatur; ſed vocem in oratione poni idem eſt, quod vocem proferri, ec produci. Neque etiam vocem in oretionis contextu ponere eſt vocem transferre & loco movere; ſed eſt vocem intra orationis contextum proferre, eſt vocem proferendo orationis contextum facere, ſeu orationem contexere. Ex quo etiam patet reſponſio ad confirmationem. *Neganda quippe eſt major*: Nam hedere, ſtatua, eliaque ſimilie ſunt entia firme & permanentia: in quibus proinde eliud eſt productio, aliud in loco poſitio ſeu applicatio: à quibus proinde non poteſt trahi ergumentum ad ſonos, & voces.

24. *Objicies tertiò*: Eadem vox poteſt habere ſimul plures ſuppoſitiones; atqui eidem voci in mente loquentis non correſpondent plures volitiones ſignificendi: ut unicuique per propriam experientiam conſtat. Ergo vocis ſuppoſitio nequit eſſe loquentis volitio. *Probatur major*; Quia in hac propoſitione, *omnis homo eſt animal*, vox *animal* habet ſimul acceptionem confuſem, & appellationem formalem: ut notum eſt intelligenti terminos. Atqui acceptio confuſa & appellatio formalis ſunt diverſæ ſuppoſitiones: uti patebit infre. Ergo eadem vox poteſt ſimul habere plures ſuppoſitiones. *Reſp. diſt. majorem:* Eadem vox poteſt habere ſimul plures ſuppoſitiones realiter diſtinctas: *ſic nego*. Poteſt habere plures eceptiones ſola ratione diſtinctes: *ſic concedo*. Quo poſito tota corruit conſeq. Ad majoris probationem dico, acceptionem diſiunctam ſeu confuſam, & eppellationem formalem eſſe in re planè idem; ſolummodoque differre in modo concipiendi, & ſignificandi. De quo infra ſuo loco.

25. *Objicies quartò:* Si vocis ſuppoſitio foret vocis prolatio ſimul cum intentione, ec volitione ſignificandi, tunc voces à brutis, & etiem hominibus dormientibus prolatæ non haberent ſuppoſitionem: illi quippe, dum voces proferunt, ſignificare non volunt, nec intendunt. Atqui hoc conſequens abſurdum eſt: ergo & antecedens. *Probatur minor:* Quia voces brutorum actu ſignificant: verb. gr. hæ voces *homo eſt animal*, prolatæ à pſittaco, actu ſæpè ſignificant. Ergo ſunt ſuppoſitæ habentque ſuppoſitionem: adeoque falſum eſt, quod voces à brutis prolatæ non habeant ſuppoſitionem. *Antecedens hujus enthymematis eſt*

cla-

clarum : Quia tunc voces actu ſignificant, quando ex earum occaſione audiens de re ſignificata conceptum format : atqui homo pſittacum loquentem audiens, ſæpè ex vocibus ejus de re ſignificata conceptum format : ut teſtis eſt experientia. Ergo iſtæ pſittaci voces ſæpè actu ſignificant. *Iſtius verò enthymematis conſeq. etiam probatur :* Quia voces non poſſunt habere actualem ſignificationem, niſi habeant ſuppoſitionem : atqui voces à brutis prolatæ habent actualem ſignificationem : ergo habent ſuppoſitionem. *Probatur major :* Quia ita ſe habet ſuppoſitio ſigni ad actualem ſigni ſignificationem, ſicut ſe habet applicatio cauſſæ ad actualem cauſſæ cauſſationem : atqui cauſſa non poteſt actu cauſſare, niſi habeat applicationem : ergo ſimiliter ſignum non poteſt actu ſignificare, niſi habeat ſuppoſitionem.

26. *Reſp.* Apud me certiſſimum eſſe, quod voces à brutis, vel hominibus dormientibus prolatæ non habeant ſuppoſitionem. Nam, uti jam probatum eſt, ſuppoſitio eſt prolatio cum intentione ſignificandi : quali prolatione carent voces prolatæ à brutis, & hominibus ſomniantibus. Et ſic verum eſt, quod ſupra *dubio primo* dixi : videlicet voces à bruto prolatas quidem habere aptitudinalem ſignificationem ; non tamen ſuppoſitionem. *In forma ergo reſpondeo negando minorem, ad probationem nego conſeq. ad cujus ulteriorem probationem nego majorem quoad omnia* : Eſt enim quidem magna paritas, magnaque proportio inter ſigni ſuppoſitionem & cauſſæ applicationem ; non tamen proportio hæc quoad omnia infallibilis eſt. Nam non eſt tanta neceſſitas ſuppoſitionis in voce ad ſignificandum, quanta eſt applicationis in cauſſa ad cauſſandum. Cauſſa quippe ſine applicatione ad paſſum nullatenus, ſaltem naturaliter, poteſt cauſſare; aſt verò ſignum ſine ſuppoſitione, quamtumvis de Jure non deberet, de facto tamen poteſt ſignificare, & ſæpè ſignificat : uti hoc argumentum bene probat. De quo dicam plura in *hujus diſp.* decurſu. Suprà *diſp.5. dub.3.* hoc ipſum argumentum inverſa tamen non nihil ejus forma, etiam fuit propoſitum. Ibidemque reſpondi, voces à bruto, vel homine ſomniante prolatas non habere ſuppoſitionem ; & addidi neque habere poſſe actualem ſignificationem : quam tamen illis hic concedo, ſicut concedi debet. Quomodo ergo hæc ſtant? Quomodo cohærent ? Dico hæc bene ſtare, bene cohærere : quia ibi dixi, quid illis competat de Jure ; hic verò quid illis ſine Jure interdum quadret de facto. De quo plura inferius.

SECTIO III.

Explicatur adhuc magis natura ſuppoſitionis.

27. P*Etes ergo* : An voces ab hominibus ſomniantibus, & brutis prolatæ nullo unquam caſu poſſint habere ſuppoſitionem ? *Reſp.* Ordinariè non habere : ut facilè patet ex dictis. Nihilominus tamen videtur mihi poſſe dari caſus, in quo voces à bruto prolatæ habeant veram ſuppoſitionem ; v.g. pone eſſe aliquem pſittacum, qui ſciat certam aliquam formulam verborum proferre ; idque ad nutum & imperium ſui domini : quando ergo iſte pſittacus iſta verba ex domini ſui imperio alicui dicet, tunc ego dico iſta verba habitura eſſe ſuppoſitionem. Nec oportet longè currere pro hujuſmodi exemplo : habemus in Sacra Hiſtoria, *Num.22.* Ubi aſina Balaam locuta eſt, & voces protulit, quas ego dico habuiſſe veram ſuppoſitionem. *Et probo :* Quia, uti jam dixi, ſuppoſitio vocum eſt prolatio vocum cum intentione ſignificandi : unde omnes illæ voces habent ſuppoſitionem, quæ proferuntur cum intentione ſignificandi. Atqui iſtæ voces aſinæ fuerunt ab aſina prolatæ cum intentione ſignificandi : cum intentione, inquam, non quidem ipſius aſinæ ; ſed cum intentione Angeli, qui aperuit os aſinæ. Angelus enim, quia cum Impio Balaam non volebat loqui per ſeipſum, aperuit os aſinæ, & locutus eſt per aſinam. Ergo iſtæ voces habuerunt ſuppoſitionem. *Similiter* : Si meus pſittacus ex mea voluntate & imperio tibi dicat, *bona dies*, *vade hinc*, vel quid ſimile, iſtæ voces proferuntur cum intentione ſignificandi : non quidem cum intentione pſittaci proferentis ; ſed cum intentione mea imperantis. Ergo quid illis deeſt ad ſuppoſitionem ? Sanè omninò nihil.

28. *Dices* : Deeſſe unam conditionem valdè eſſentialem : quæ eſt, ut prolatio vocum & intentio ſignificandi ſint actiones ejuſdem ſuppoſiti. Suppoſitio enim eſt prolatio vocum cum intentione ſignificandi : cum intentione non cujuſcumque ; ſed cum intentione loquentis. *Aſt hoc gratis aſſumitur* : Neque illa conditio eſt ſuppoſitioni eſſentialis, aut neceſſaria : eſt illi quidem multum ordinaria ; ſed nequaquam neceſſaria. *Quod probo* : Quia oportet philoſophari de ſuppoſitione vocum, ſicut philoſophamur de ſuppoſitione ſcripturæ, hederæ in foribus, ſtatuæ in templo, &c. Omnium enim eadem, ac pariformis eſt ratio. Sicut quippe ſuppoſitio vocis eſt vocis prolatio cum intentione ſignificandi ; ſic etiam ſuppoſitio hederæ eſt hederæ ad fores appenſio cum intentione ſignificandi : de quo ſtatim infra paulo plura dicam. Atqui in ſuppoſitione hederæ, hederæ ad fores appenſio, & ſignificandi intentio non debent eſſe actiones ejuſdem ſuppoſiti : ut mihi videtur eſſe manifeſtum. Ergo neque in ſuppoſitione vocis, vocis prolatio & ſignificandi intentio debent eſſe actiones ejuſdem ſuppoſiti ; ſed intentio eſſe poteſt actio hominis vel Angeli, prolatio verò actio alicujus bruti. *Probatur minor :* Quia ſi hedera appenderetur foribus per canem ad id à mercatore edoctum, tunc hedera ita appenſa à cane eſſet tam bene ad ſignificandum expoſita & ſuppoſita, quam hedera appenſa ab homine : ut nemo negabit, qui ſanus eſt. Atqui tunc hederæ appenſio & ſignificandi intentio non forent actiones ejuſdem ſuppoſiti ; ſed appenſio foret actio canis, intentio verò foret actio hominis : ergo ad hederæ ſuppoſitionem non requiritur, quod hederæ appenſio & ſignificandi intentio ſint actiones ejuſdem ſuppoſiti : ergo neque id requiritur ad ſuppoſitionem vocis.

29. *Et*

29. *Et ratio à priori eſſe videtur*: Quia vocem ſupponere eſt vocem prolatam ad ſignificandum ordinare, & deſtinare: eſt per vocem prolatam velle ſignificare. Atqui poteſt quis ad ſignificandum ordinare & deſtinare non ſolummodò voces à ſe prolatas; ſed etiam prolatas ab alio, ſuo tamen nomine & imperio: nam *poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum*. De reg. Juris in 6. Ergo etiam poteſt quis ſupponere voces ab alio prolatas: ergo ſignificandi intentio & vocum prolatio non ſunt neceſſario actiones ejuſdem ſuppoſiti. Unde in hoc caſu ſuppoſitio debet magis attribui homini prolationem vocum imperanti, quam bruto illam exequenti; ſicut actio ex mandato, ac directione alterius facta magis attribuitur mandanti, quam mandatario. Deinde in ſuppoſitione principalior eſt ſignificandi intentio, quam vocum prolatio: unde ſuppoſitio adſcribi debet potiori jure homini ſignificare intendenti, quam bruto voces proferenti.

30. *Objicies*: Si ſigni ſuppoſitio poſſet eſſe compoſita ex diverſorum ſuppoſitorum actionibus, ſi unus poſſet voces proferre, & alter intentionem ſignificandi formare, jam validum foret Sacramentum, validaque foret Sacramenti collatio, ubi unus verba formæ proferret, & alter intentionem formaret. Valida v. g. foret collatio Ordinis, in quo Epiſcopus intentionem formaret; & Archidiaconus ex mandato Epiſcopi verba proferret. Atqui conſequens hoc falſum eſt, hæreticum eſt: ergo etiam hæreticum eſt illud antecedens. *Probatur ſequela majoris*: Quia in Sacramentis, ſive in ſignis Sacramentalibus (Sacramentum quippe eſt vera ſpecies ſigni) idem planè eſt Sacramenti collatio, quod Sacramenti ad ſignificandum ſuppoſitio: ut dicam *ſect. ſeq.* Unde illa præciſè ſufficiunt ad validam Sacramenti collationem, quæ præciſè ſufficiunt ad validam illius ſuppoſitionem. Ergo ſi ſigni ſuppoſitio ex diverſorum ſuppoſitorum actionibus compoſita, foret valida, ac legitima ſuppoſitio, etiam Sacramenti collatio taliter compoſita foret valida, ac legitima collatio, quod conſtat apud omnes eſſe falſum, ac hæreticum. *Reſp.* Quod ſi de ſuppoſitione Sacramentorum poſſemus omninò ita philoſophari, ſicut philoſophamur de ſuppoſitionibus aliarum ſignorum, huic argumento concederem omnes ſuas ſequela & conſequent. Nudam quippe rei naturam conſiderando, eadem ubique eſt ratio: unde Chriſtus Dominus noſter potuiſſet Sacramenta ſua ita contuliſſe, ac etiam ita ab aliis conferenda & ſupponenda inſtituiſſe. Sed ſic non fecit; eorum enim collationem, ac ſuppoſitionem, ut valida & legitima ſit, ex ejuſdem ſuppoſiti actionibus componi voluit. Cujus rei variæ à Theologis aſſignantur rationes: quibus referendis & deducendis non eſt hic aptus locus.

31. *Ex quibus omnibus ſequitur*: Quod voces à brutis ex imperio, ac directione alicujus agentis intellectualis, v. g. hominis vel Angeli prolatæ ſignificent, vel certè ſignificare poſſint aliquos actus bruti voces proferentis, & aliquos actus hominis vel Angeli prolationem imperantis, ac dirigentis. Dicat v. g. aliquis pſittacus ex directione, ac imperio ſui magiſtri, *homo eſt animal*, tunc iſtæ voces ſignificare poſſunt aliquos actus pſittaci proferentis, & aliquos hominis imperantis. Ad illam enim vocum iſtarum prolationem varii formantur actus cognoſcitivi & appetitivi, tum à pſittaco, tum etiam à magiſtro. A pſittaco quidem formatur imaginatio, & materiale ſenſitivum Imperium de vocibus proferendis; à magiſtro verò formatur conceptus de ipſis vocibus, conceptus de re ſignificata, volitio ſeu intentio rem ſignificatam audienti ſignificandi, imperium, quo vult has voces à pſittaco proferri, &c. Qui omnes actus per iſtas voces ſignificantur, vel certè ſignificari poſſunt.

32. Eodemque ferè modo philoſophandum eſt de vocibus comœdorum, aliorumque hominum nomine vel mandato alieno loquentium. Hæ, inquam, voces etiam ſignificant, vel ſignificare poſſunt aliquos actus hominis loquentis; aliquos verò hominis, cujus nomine is loquitur; v. g. voces Berthæ vel Semproniæ in perſona & nomine Medææ apud Senecam loquentis, ſignificant aliquos actus Semproniæ, aliquos verò Medææ. Illi quippe iſtarum vocum prolationi varii correſpondent actus tum Semproniæ, tum Medææ: in Sempronia quidem eſt conceptus vocum proferendarum, eſt Imperium de illis proferendis, eſt intentio ſeu volitio per iſtas voces audientio ſignificandi Medææ voluntatem, illius conceptum, remque ab illa conceptam & volitam; in Medæa verò eſt conceptus de re ſignificata, eſt volitio, qua rem ſignificatam vult hoc vel iſto modo ſe habere, &c. Qui omnes actus per haſce voces poſſunt ſignificari. Vide quæ dixi ſupra *diſp* 5. *dub.* 3.

SECTIO IV.

Deducuntur quædam corollaria ex dictis.

33. Ex hactenus dictis inferri poſſunt quædam corollaria ſcitu & animadverſione non planè indigna. *Primò ergo ſequitur*: Quod hæ denominationes, ſive hæc prædicata, *eſſe ſuppoſitum, eſſe acceptum, eſſe diſtributum, habere ſuppoſitionem, diſtributionem, acceptionem, &c.* ſint reſpectu vocum denominationes partim intrinſecæ, partim extrinſecæ: item quod ſint denominationes non rationis & fictæ, ſed verè reales & poſitivæ. *Probatur*: Quia denominatio ſeu prædicatum verè reale, & partim intrinſecum, partim extrinſecum eſt illud, cujus ſignificatum formale eſt verè reale: cujus ſignificatum formale eſt ſuo ſubjecto partim intrinſecum, partim extrinſecum: ut latiùs dicam infra de prædicatis agens. Atqui iſta præfata prædicata habent talia ſignificata formalia: ergo ſunt prædicata verè realia, ac partim intrinſeca, partim extrinſeca. *Probatur min.* Quia prædicatum, de quo hic agimus, eſt *ſuppoſitum, acceptum, diſtributum, &c.* ſignificatum formale ſunt *ſuppoſitio, acceptio, diſtributio*, & iſtorum prædicatorum ſubjectum eſt *vox*: atqui ſuppoſitio eſt quid verè reale: eſt quid voci partim intrinſecum, partim extrinſecum. Ergo iſta prædicata habent ſignificatum formale,

male, quod ſit verè reale, quodque ſit ſuo ſubjecto partim intrinſecum, partim extrinſecum. *Probatur minor:* Quia, uti jam dixi, ſuppoſitio vocis eſt prolatio ſeu productio vocis ſimul cum intentione ſignificandi: atqui productio vocis eſt quid voci productæ intrinſecum: omnis enim actio intrinſecè modificat, & adhæret ſuo termino: uti hic à Phyſicis mutuo. Intentio verò ſignificandi eſt voci prolatæ extrinſeca: uti clarum eſt: eſt enim actus voluntatis immanans, qui voci per aerem volanti & ſonanti nequit eſſe intrinſecus. Ergo ſuppoſitio eſt quid reale, ac voci quid partim intrinſecum, partim extrinſecum. Ex quo ulterius patet ſuppoſitionem non eſſe ens per ſe; ſed ens quoddam, & aggregatum per accidens.

34. *Sequitur ſecundò:* Quod vocis ſuppoſitio ſit planè idem, quod verbalis locutio; item quod vocem ſupponere ſit planè idem, quod ore-tenus loqui. Dico, *idem, quod ore tenus loqui:* Quia clarum eſt, quod ſuppoſitio non ſit mentalis locutio: item quod vocem ſupponere non ſit mentaliter loqui. *Probatur:* Quia vocis ſuppoſitio eſt vocis formatio cum intentione ſignificandi: atqui idipſum eſt vocalis locutio: ergò vocalis locutio eſt planè idem, quod vocis ſuppoſitio. *Probatur minor:* Quia locutio vocalis eſt prolatio verbi vocalis: atqui prolatio verbi vocalis eſt nihil aliud, quam prolatio vocis cum intentione ſignificandi: ergo etiam locutio vocalis nihil eſt aliud, quam prolatio vocis cum intentione ſignificandi. *Probatur minor:* Quia verbum vocale eſt vox informata à verbo mentali: unde prolatio verbi vocalis nihil eſt aliud, quam prolatio vocis informatæ à verbo mentali. Atqui proferre vocem informatam à verbo mentali nihil eſt aliud, quam proferre vocem cum intentione ſignificandi verbum mentale: ergo prolatio verbi vocalis nihil eſt aliud, quam prolatio vocis cum intentione ſignificandi. *Præterea:* Loqui eſt invicem ſermocinari, eſt invicem mutuos ſuos conceptus per voces communicare: atqui mutuos communicare conceptus nihil eſt aliud; quam velle per voces ſignificare mutuos conceptus, quam proferre voces cum intentione ſignificandi mutuos conceptus: ergo vocalis locutio nihil eſt aliud quam prolatio vocis cum intentione ſignificandi. *Ex quo habes alterius:* Quod ſicut bruta non poſſunt voces ſupponere, ſic etiam nequeant vocaliter loqui. Cui non obeſt, quod dicat Sacer Textus aſinam Balaam aperto ore fuiſſe locutam: nam ibi vox *locutam* capitur latius quam ex ſua ordinaria ſignificatione capi ſoleat. Vide Gabriel *in 2. diſt.* 9. *quæſt. 2. art.* 5 *dub.* 3.

35. *Sequitur tertiò:* Quidnam ſit ſuppoſitio aliorum ſignorum arbitrariorum, tam doctrinalium, quam non doctrinalium: qualia v. g. ſunt ſcripturæ, hedera, Sacramenta, ſtatuæ, picturæ, & id genus alia. Horum ſignorum quædam ſunt entia firma ac ſtabilia, in quibus ſeparari poteſt productio & applicatio, appenſio, vel appoſitio, &c. Qualia ſunt hedera, ſtatua, pictura &c. Quædam verò ſunt fluxa & quaſi tranſeunter exiſtentia, & exiſtentia tranſeuntia, in quibus non poteſt ſeparari productio ab applicatione, appenſione, vel appoſitione, &c. Talia ſunt Scripturæ, Sacramenta, ſaltem ſex, Sacramentum quippe Euchariſtiæ quid ſtabile eſt, & permanens: alia verò conſiſtunt in actione quadam fluente, & tranſeunte; videlicet in applicatione aquæ, porrectione calicis, vel libri, impoſitione manuum, prolatione verborum, &c. *Quo poſito, dico:* Quod ſigni arbitrarii firmi & ſolidi ſuppoſitio nihil ſit aliud, quam illius appenſio, vel appoſitio in certo aliquo loco cum intentione ſignificandi, V. g. ſuppoſitio hederæ nihil eſt aliud, quam appenſio hederæ ad fores facta cum intentione ſignificandi vinum venale. Suppoſitio ſtatuæ in templo nihil eſt aliud, quam poſitio ſtatuæ in templo facta cum animo ſignificandi aliquem ſanctum. Et ſic de aliis. Signi verò arbitrarii fluentis & tranſeuntis ſuppoſitio nihil eſt aliud, quam productio iſtius ſigni cum intentione & animo ſignificandi. V. g. ſuppoſitio Sacramenti Baptiſmi nihil eſt aliud, quam productio ablutionis ex aqua cum intentione cauſſandi & ſignificandi internam ablutionem animæ. Et ſic de aliis. *Ratio horum omnium eſt plana, & clara:* Quia ſignum ſupponere, v. g. Sacramentum, hederam, vel ſtatuam ſupponere eſt illa ad ſignificandum ordinare, deſtinare, & uſurpare: atqui aliquid ad ſignificandum deſtinare, vel uſurpare nihil eſt aliud, quam illud producere, vel alicui loco applicare cum intentione ſignificandi: uti patet ex dictis *ſect.* 1. Ergo horum ſignorum ſuppoſitio nihil eſt aliud, quam eorum productio vel appoſitio facta cum intentione ſignificandi.

36. *Et hinc ulterius:* Sacramenti collatio ſeu diſpenſatio id planè eſt, quod Sacramenti ad ſignificandum ſuppoſitio; & Sacramentum conferre ſeu diſpenſare idem planè eſt, quod Sacramentum ſupponere, v. g. collatio Ordinis vel Confirmationis idem planè eſt, quod ſuppoſitio Ordinis, vel Confirmationis. *Ratio eſt clara:* Quia Sacramenti collatio eſt Sacramenti, v. g. Ordinis vel Confirmationis productio facta cum intentione effectum ejus ſignificandi & cauſſandi: atqui hoc ipſum eſt ſuppoſitio: ergo Sacramenti collatio eſt omninò idem, quod Sacramenti ſuppoſitio. Et hinc ulterius patet nova, fundamentalis, ac ſolidiſſima ratio, quam licet nullus hactenus Theologorum attigerit, puto tamen eſſe ſolidiſſimam, ac efficaciſſimam & rationem à priori: patet, inquam, ratio, cur Sacramentis intentio Miniſtri, conferendi, faciendi & ſignificandi, quod confert, facit, ac ſignificat Eccleſia Catholica Romana, ſit de eſſentia collationis: ita ut collatio ſine hac intentione facta ſit caſſa, irrita, ac nulla. *Ratio, inquam, eſt:* Quia Sacramenti collatio idem omninò eſt, quod Sacramenti ſuppoſitio; atqui de eſſentia ſuppoſitionis eſt intentio ſignificandi: ergo eadem etiam eſt de eſſentia collationis.

37. *Sequitur quartò:* Quidnam ſit ſuppoſitio ſignorum naturalium, v g. fumi, ſpeciei impreſſæ, cometæ, ſimiliumque aliorum. Horum ergò ſignorum ſuppoſitio nihil mihi videtur eſſe aliud, quam eorum localis applicatio ſeu approximatio ad potentiam cognitivam, cui debent ſignificare, v. g. ſuppoſitio fumi eſt approximatio debi-

ta

ta ad viſum: approximatio debita ad auditum eſt ſuppoſitio ſpeciei audibilis impreſsæ. Et ſic de aliis. *Ratio eſt*: Quia ſuppoſitio ſigni eſt explicatio ſigni ad ſignificandum, & cauſſandam in potentia cognitiva ſignificati cognitionem: atqui hæc ſigna naturalia ad cauſſandam ſui ſignificati cognitionem ſufficienter applicantur per localem ſui ad potentiam cognitivam approximationem; ſicut agentia naturalia ad cauſſandum ſuum effectum ſufficienter applicantur per localem ſui ad ſubjectum approximationem: ergò etiam horum ſignorum ſuppoſitio nihil videtur eſſe aliud, quam hæc eorum debita localis approximatio. Neque enim hic ulterius requiri poteſt intentio vel volitio approximantis: quia cauſſa approximans ordinariè cauſſa aliqua naturalis & neceſſaria eſt, & ad ſignificandi intentionem formandam inepta ac incapax. *Diſputari hic poſſet*: Quomodo in ſignis arbitrariis differant ſuppoſitio & inſtitutio? Sed hoc egi ſuprà abundanter *diſp. 3. dub. 3.*

DUBIUM III.

An voces ſemper illud ſignificent, ad quod ſignificandum à loquente ſupponuntur.

38. IN ſchola Summularum nihil hoc axiomate familiarius: illo enim hinc inde fuimus uſi? *Quæritur ergo hic*: Quis ſit illius verus, ac legitimus ſenſus? Poteſt verò axioma iſtud intelligi duobus modis. *Primò*: De ſignificatione aptitudinali. Hoc ſenſu: An voces ſemper aptitudinaliter ſignificent illud, ad quod ſignificandum à loquente ſupponuntur? *Secundò*: Intelligi poteſt de ſignificatione actuali, ut ſenſus ſit. An voces ſemper illud ſignificent actu, ad quod ſignificandum à loquente ſupponuntur? Et hic ſenſus eſt præcipuus, & magis ordinarius, in quo iſtud axioma à politioribus Summuliſtis paſſim uſurpatur. Attamen amplioris doctrinæ gratia utrumque ſenſum ejus paucis aperiam: utriuſque enim ſenſus intellectus non eſt Philoſopho negligendus.

39. *Reſp. ergo & dico primò*: Voces ſemper aptitudinaliter ſignificant illud, ad quod ſignificandum à loquente ſupponuntur. *Probatur*: Quia illud, ad quod ſignificandum voces à loquente ſupponuntur, eſt illud, quod loquens per voces ſignificare intendit: vocis enim ſuppoſitio idem eſt, quod ſignificandi intentio. Atqui illud, quod loquens per voces vult ſignificare, debent voces ſignificare aptitudinaliter: ut clarum eſt. Ergo voces ſemper aptitudinaliter ſignificant illud, ad quod ſignificandum à loquente ſupponuntur. *Et ratio à priori eſt*: Quia potentia ſignificativa, ſive ſignificatio aptitudinalis vocis habet ſe ad ſuppoſitionem vocis, ſicut potentia cauſſativa cauſſæ habet ſe ad approximationem cauſſæ: ut dixi hinc inde ſæpè. Atqui cauſſa non poteſt approximari ad cauſſandum aliquem effectum, cujus non habet potentiam cauſſativam: ergò ſimiliter vox non poteſt ſupponi ad ſignificandam aliquam rem, cujus non habet potentiam ſignificativam: adeoque vox ſemper ſignificare aptitudinaliter debet illud, ad quod ſignificandum a loquente ſupponitur.

40. *Dico ſecundò*: Voces non ſemper à loquente ſupponuntur ad ſignificanda omnia illa, quæ aptitudinaliter ſignificant: ſive voces non ſemper à loquente ſupponuntur pro omnibus omninò ſuis ſignificatis; ſed aliquandò pro eorum aliquibus, vel aliquo tantum, aliquando pro hoc, aliquando pro illo. *Probatur*: Quia vox *homo* & generaliter omnis vox concreta ſubſtantiva ſignificat aptitudinaliter naturam cum ſuppoſito: ſuppoſitum in recto; naturam verò, v. g. humanitatem in obliquo. Atqui tamen vox *homo* non ſupponitur ſemper pro humanitate ſimul & ſuppoſito; ſed quandoque pro ſola humanitate, quandoquè pro ſolo ſuppoſito. Ergo voces non ſemper ſupponuntur pro omnibus omninò ſuis ſignificatis, quæ aptitudinaliter ſignificare poſſunt. *Patet minor*: In hac vulgatiſſima propoſitione S. Auguſtini: *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem*, vel *Deus ſuſcepit hominem* Ubi vox *hominem* ſupponitur pro ſola humanitate; non autem pro ſuppoſito: ſi enim vox *hominem* etiam pro ſuppoſito ſupponeretur, propoſitio foret falſa ac hæretica: ut novit omnis Chriſtianus. Poſſetque hoc ipſum confirmari pluribus exemplis, quæ tamen, ne ſim longior, omitto: multaque occurrent hinc inde in decurſu. *Ac ratio concluſionis à priori eſt*: Quia ſignificatio aptitudinalis habet ſe ad ſuppoſitionem, ſicut ſe habet potentia cauſſandi ad applicationem: atqui cauſſa non ſemper applicatur ad cauſſandos omnes effectus, quos cauſſare poteſt; ſed aliquando applicatur tantùm ad hos, aliquandò tantùm ad iſtos: v. g. homo non applicatur ſemper ad videndum, audiendum, guſtandum, imaginandum, &c. ſimul; ſed applicatur quandoquè tantummodò ad videndum, quandoque tantummodo ad audiendum, &c. Ergò ſimiliter vox non ſemper applicari & ſupponi debet ad ſignificanda omnia, quæ ſignificare poteſt; ſed quandoquè ſupponi poteſt ad tantummodò ſignificandum hoc, quandoque ad tantummodò ſignificandum illud. Nam vox ſupponitur ad ſignificandum illud, quod à loquente ſignificari intenditur: atqui loquens non ſemper intendit audienti ſignificare omnia vocis ſignificata; ſed quandoque intendit ſignificare hoc, quandoquè intendit ſignificare illud: ergo etiam vox non ſemper ſupponitur ad ſignificanda omnia ſua ſignificata; ſed quandoque ad ſignificandum hoc, quandoquè ad ſignificandum illud.

41. *Dico tertio*: Vox de Jure ſignificare actu debet illud, ad quod ſignificandum à loquente ſupponitur. *Probatur hoc*: In primis ex omnibus illis juribus, quæ dicunt voces eſſe intelligendas ab audientibus juxta ſenſum, mentem, & intentionem loquentium, quod nihil aliud dicere eſt, quam quod voces de Jure debent actu ſignificare illud, ad quod ſignificandum à loquente ſupponuntur. *Et ratio eſt clara*: Quia voces ſunt inſtrumenta humanæ communicationis: ſunt vehicula mutuorum conceptuum, mutuarumque voluntatum: ſunt ſigna, quibus homines ſuas voluntates, ſuoſque conceptus ſibi mutuo manifeſtant. Undè debent

apud audientem illud agere illudque ſignificare, quod loquens agi, ac ſignificari voluir. Et hinc Hæretici ſacram Scripturam, quæ ſunt verba & voces Spiritus Sancti pervertentes, & aliud ex illa, quam Spiritus Sanctus ſignificari & intelligi voluerit; intelligentes, dicuntur peccare in Spiritum Sanctum: quia videlicet Juri ſacrorum verborum derogant, qui illa ad alienas ſignificationes detorquent ac depravant. Voces ergò de Jure debent actu ſignificare illud, ad quod à loquente diriguntur, ac ſupponuntur.

42. *Dico quartò*: De facto tamen voces ſæpè actu ſignificant aliud, quam loquens intenderit aut ſuppoſuerit. Patet hoc in ſacra Scriptura, quæ Hæreticis eam planè intelligentibus actu ſæpè ſignificat mortem: cum tamen Spiritus Sanctus illam ſupponat & dirigat ad ſignificandam omni homini æternam vitam. Similiter ſæpè contingit, ut eadem lex, idem Canon à diverſis Doctoribus explicetur & intelligatur à ſenſibus contrariis & incompoſſibilibus: qui duo ſenſus, cum incompoſſibiles ſint, non poſſunt eſſe ambo conformes intentioni ac menti Cæſaris vel Pontificis: adeoque alterutet eorum aliud intelligit, quam Papa vel Cæſar intelligi ac ſignificari intenderit. Et nihil in humano colloquio familiarius eſt, quam malus audientium intellectus. Clarum ergo eſt, quod voces de facto non ſemper actu ſignificent illud, ad quod ſignificandum à loquente ſupponuntur: Cum itaque quaſi pro axiomate aſſumitur. *Voces actu ſignificant illud, ad quod ſignificandum ſupponuntur*: intelligi id debet de Jure: non de facto. Vide, quæ dixi ſuprà *diſp.* 3. *dub.* 6.

43. *Ex quo patet*: Quomodò concordari debeant illa duo, quæ dixi *dic diſp* 2 *ſect.* 2. Et *diſp.* 5. *dub.* 3. Iſta enim diſputatione dixi, vocis ſuppoſitionem non ſemper neceſſariò requiri ad actualem vocis ſignificationem; ſed interdum dari actualem ſignificationem ſine ſuppoſitione; at verò *diſp* 5. dixi, vocis ſuppoſitionem eſſe tam neceſſariam actuali ſignificationi, ac applicatio cauſſæ neceſſaria eſt actuali cauſationi: adeoque nunquam dari poſſe actualem vocis ſignificationem ſine ſuppoſitione. Hæc duo, inquam, ex dictis poſſunt facilè concordari: primum enim intelligi debet de facto; alterum de Jure. Vox enim de Jure nihil poteſt ſignificare, niſi ad quod ſignificandum ſupponitur: de facto verò ſine Jure ſæpè actu ſignificat ſine ſuppoſitione, & applicatione: ut jam eſt dictum.

DUBIUM IV.

Quotuplex ſit ſignorum ſuppoſitio?

44. RESP. & *dico primò*: Suppoſitio dividi poteſt in ſuppoſitionem activam, & paſſivam. Suppoſitio activa eſt illa, quæ ſe tenet ex parte loquentis, qua videlicet loquens vocem à ſe prolatam ſupponit. Suppoſitio verò paſſiva eſt illa, quæ tenet ſe ex parte vocis à loquente prolatæ, qua videlicet vox à loquente prolata ad ſignificandum ſupponitur. Quæ ſuppoſitiones non ſunt duæ realiter ſeparabiles ac diſtinctæ; ſed eſt eadem plane ac una, quæ comparata ad vocem vocatur paſſiva, dum verò ad loquentem comparatur, tunc vocatur activa. Sicuti viſio activa non eſt forma realiter diſtincta à viſione paſſiva; neque enim alia viſione ego parietem video, & alia paries à me videtur; ſed illa eamet viſione, qua ego parietem video, etiam paries à me videtur. Similiter ergo non eſt alia ſuppoſitio, qua vox à loquente ſupponitur, & qua loquens vocem ſupponit: ſed illa ipſiſſima ſuppoſitione, qua loquens vocem ſupponit, etiam vox à loquente ſupponitur. Hoc etenim omnibus illis formis per nomina abſtracta verbalia ſignificatis, quales ſunt *ſuppoſitio*, *actio*, *intellectio*, *volitio*, *amor*, *odium*, *viſio*, *auditio*, *adoratio*, *oratio*, &c. commune eſt, quod habeant duo ſubjecta denominationis: unum activæ; alterum verò denominationis paſſivæ: & dum referuntur ad ſubjectum, quod denominant activè, vocantur *oratio*, *adoratio*, *viſio*, *auditio*, &c. activa: dum verò referuntur ad ſubjectum illud, quod denominant paſſivè, vocantur *oratio*, *viſio*, *auditio*, &c. paſſiva. Non quia ſunt duæ formæ, ſed quia ſunt unica forma ex duplicis ſubjecti connotatione duo ſortiens vocabula & nomina.

45. Ubi adverte quoddam diſcrimen inter ſuppoſitionem & alia ſimilia verbalia: nam omnia, vel certè pleraque alia verbalia denominant unum intrinſecè; aliud extrinſecè, v. g. oratio, adoratio, honoratio, auditio, viſio, &c. rem oratam, adoratam, honoratam, viſam, auditam &c. denominant extrinſecè: at verò rem, orantem, adorantem, honorantem, videntem, audientem, &c. denominant intrinſecè. At verò ſuppoſitio tam vocem ſuppoſitam, quam hominem ſupponentem denominat partim extrinſecè partim intrinſecè. Quod vocē ſuppoſitam partim intrinſecè, partim extrinſecè denominet, dixi *ſupra dub.* 2 *ſect* 4. Quod etiam hominem ſupponentem ita denominet, *probo*: Quia ſuppoſitio eſt etiam homini ſupponenti forma quædam ſecundùm aliquid ſui intrinſeca, & ſecundum aliquid ſui extrinſeca; ergò etiam hominem ſupponentem ſeu loquentem denominat partim intrinſecè, partim extrinſecè. *Probatur antecedens*: Quia, ut ſupra dixi, ſuppoſitio eſt prolatio vocis ſimul cum volitione, ſeu intentione loquentis, qua loquens vult audienti per vocem ſignificare vocis ſignificatum: atqui loquentis intentio eſt loquenti intrinſeca; vocis verò prolatio eſt illi extrinſeca: ergo ſuppoſitio eſt loquenti ſecundùm aliquid ſui intrinſeca, & ſecundùm aliquid ſui extrinſeca. Quod loquentis intentio ſit loquenti intrinſeca, omnibus notum eſt. Quod verò vocis prolatio ſit illi extrinſeca. *Probatur*. Quia vocis prolatio eſt actio productiva vocis: atqui actio productiva vocis non eſt intrinſeca homini vocem proferenti & producenti; ſed eſt intrinſeca aeri in quo, & ex quo vox formatur: actio enim non eſt in agente; ſed in patiente; uti hic ex Phyſica ſuppono. Ergo prolatio vocis non intrinſeca eſt, ſed extrinſeca homini vocem proferenti. *Ratio ergò*, cur ſuppoſitio tam vocem ſuppoſitam, quam hominem

lo-

loquentem denominet partim intrinſecè, partim extrinſecè; *ratio, inquam, eſt hæc*: Quia ſuppoſitio tam voci, quam homini eſt ſecundùm aliquid ſui intrinſeca, & ſecundum aliquid extrinſeca: nam ſignificandi intentio eſt homini intrinſeca, voci verò extrinſeca; vocis autem prolatio eſt homini extrinſeca, voci verò intrinſeca: ut hactenus eſt dictum.

46. *Dico ſecundò*: Suppoſitio etiam dividi poteſt in ſuppoſitionem ſigni ad ſignificandum ſuum ſignificatum, & in ſuppoſitionem ſigni pro ſuo ſignificato. De hac diviſione mentionem feci ſupra *diſp. 4. dub 6.* Promiſiquè me hoc loco de illa latiùs eſſe acturum. Suppoſitio ad ſignificatum locum habet in omni omninò ſigno, ſive naturali, ſive arbitrario, ſive vocali, ſive alio quovis: nihilquè eſt aliud, quam ordinatio ſeu directio ſigni ad manifeſtandum ſuum ſignificatum. Suppoſitio verò pro ſignificato in ſola voce & ſcriptura, ſive in ſolo ſigno in oratione ponibili locum habet: nihilque eſt aliud, quam poſitio vocis ſeu ſcripturæ in orationis contextu pro ſuo ſignificato: v. g. in hac oratione, *Homo eſt animal* iſtæ voces *homo* & *animal* habent ſuppoſitionem ad ſignificatum, ac ſimul ſuppoſitionem pro ſignificato: reſpectu diverſorum tamen. Ut quippe ſupra *diſp. 5.* dixi, voces duplex habent ſignificatum; videlicet conceptum loquentis, & rem à loquente conceptam. Iſtæ itaque voces ibi quidem ſupponuntur à loquente ad ſignificandum ſuum conceptum; non tamen ſupponuntur pro re à loquente concepta. *Et ratio eſt clara*: Quia ſi voces iſtæ ſupponerentur pro loquentis conceptu, propoſitio faceret hunc ſenſum: Conceptus quo concipitur homo, eſt ille conceptus, quo concipitur animal, qui ſenſus ineptus eſt, ac falſus. Supponuntur ergò iſtæ voces pro rebus ſignificatis, faciuntquè hunc ſenſum verum ac legitimum. Suppoſitum humanitatis eſt ſuppoſitum animalitatis. Itaquè iſtæ voces, ſi referantur ad conceptum ſignificatum, habent ſuppoſitionem ad illam, non pro illa; ſi verò ad rem ſignificatam referantur, habent ſuppoſitionem pro illa, & ad illam. Nos omiſſa ſuppoſitione ad ſignificatum, hic in poſterum agemus de ſuppoſitione pro ſignificato: agemus de ſuppoſitione ſolarum vocum.

DISPUTATIO XIV.

De tribus ſuppoſitionum generibus.

Acceptio ſeu ſuppoſitio materialis, ſimplex & perſonalis paſſim à Summuliſtis vocantur acceptionum genera. Quam nomenclaturam, ne de nomine pugnare videar, nolo ſcrupuloſius examinare; ſi enim id facerem, timeo ne illa tota corrueret. Interim valeat, non valeat, parum curo: miror tamen cur ſubticeatur acceptio formalis. Acceptio verò copulativa, copulata, disjunctiva, & disjuncta, vocantur paſſim acceptionum ſpecies: non quia acceptionis in communi ſunt ſpecies immediatæ; ſed acceptionis perſonalis communis. Hic de acceptionum ago generibus; poſteà agam de ſpeciebus.

DUBIUM I.

Quid ſit ſuppoſitio formalis? Quid materialis?

1. Reſp. *breviter & dico primò*: Acceptio formalis eſt uſurpatio vocis pro ſuo ſignificato, ſive pro re à ſe ſignificata, v. g in hac propoſitione *homo eſt animal*, *Deus eſt miſericors*, *&c.* omnes iſtæ voces accipiuntur formaliter, habentque acceptionem formalem: quia ibi uſurpantur, ac in iſto orationis contextu ponuntur pro ſuo ſignificato. Vox quippe *homo* pro ſuppoſito humanitatis, vox *animal* pro ſuppoſito animalitatis ſupponitur, faciuntque hunc ſenſum: ſuppoſitum habens humanitatem eſt quoque habens animalitatem. Hæc autem ſuppoſitio vocatur formalis, quia eſt uſurpatio & ſuppoſitio vocis pro ſua forma, vel quaſi forma: ſignificatum quippe comparatur ad vocem, tamquam forma ad materiam, ſive ſubjectum. Nam, ut jam aliquoties dixi, ſignificatum habet ſe ad vocem, ſicut objectum ad potentiam: atqui objectum ad potentiam habet ſe ſicut forma ad materiam: objectum quippe potentiam ſpecificat, diſtinguit, & nobilitat. Ergo etiam ſignificatum habet ſe ad vocem ſicut forma ad materiam: adeoque ſuppoſitio vocis pro ſuo ſignificato non malè vocatur ſuppoſitio formalis.

2. *Dico ſecundò*: Suppoſitio materialis eſt uſurpatio vocis pro ſeipſa. *Ubi adverte*: Quod voces in orationis contextu quandoque ſupponantur pro ſeipſis in ſingulari, quandoque verò pro ſeipſis in ſpecie, ſive pro ſua ſpecie, ſub qua immediatè collocantur, v.g. cum dico, *vox homo eſt diſſyllaba*, tunc iſta vox *homo* non ſupponitur pro ſeipſa in ſingulari, ſed pro ſeipſa in ſpecie, ſive pro ſua ſpecie: pro ſpecie videlicet vocis *homo* in communi. Facitque propoſitio hunc ſenſum: vox *homo* in communi, ſive omnis vox *homo*, tam hæc, quam iſta, eſt diſſyllaba. At verò cum dico: *hæc vox homo eſt diſſyllaba*, *hæc vox equus eſt nomen*, *&c.* tunc iſtæ voces *homo* & *equus* ſupponuntur non pro voce *homo* in communi, aut voce *equo* in communi; ſed ponuntur nomine proprio, pro ſeipſis in ſingulari, ut eſt clarù.

3. Dixi itaque in concluſione, ſuppoſitio materialis eſt uſurpatio vocis pro ſeipſa: pro ſeipſa, inquam, in ſpecie, non pro ſeipſa in individuo. Dum enim vox in contextu orationis pro ſeipſa in ſingulari ponitur, tunc non ſupponitur; adeoque vocis pro ſeipſa in ſingulari poſitio non eſt ſuppoſitio: adeoque non eſt ſuppoſitio materialis: & per conſequens ſuppoſitio materialis definiri debet, quod ſit poſitio ac uſurpatio vocis pro ſua ſpecie, ſeu pro ſeipſa in ſpecie. *Ratio eſt*: Quia ſuppoſitio materialis debet eſſe ſuppoſitio: etenim hæc vox *materialis* vocem *ſuppoſitio* neque diminuit, neque alienat; ſed ſolummodò reſtringit ac ſpecificat. Atqui poſitio vocis pro ſeipſa in individuo non eſt ſuppoſitio: adeoque neque eſt ſuppoſitio materialis. Ergo ſola poſitio vocis pro ſeipſa in ſpecie poteſt eſſe ſuppo-

ſitio materialis. *Probatur minor*: Quia ſuppoſitio eſt uſurpatio vocis pro ſuo ſignificato: atqui poſitio vocis pro ſeipſa in individuo non eſt poſitio vocis pro ſuo ſignificato: uti eſt manifeſtum. Ergo non eſt ſuppoſitio. *Deinde*: Suppoſitio eſt in locum, ac vicem alterius poſitio: ut dixi *diſp. praeced. dub.* 1. Atqui vox, quæ pro ſeipſa in individuo ponitur, in locum alterius non ponitur: ergo non ſupponitur; adeoque talis poſitio non eſt ſuppoſitio.

4. Neque dici poteſt, quod etiam poſitio vocis pro ſeipſa in ſpecie non ſit vera ſuppoſitio: hoc quippe cum veritate dici non poteſt. *Quod probo*: Quia ſuppoſitio eſt poſitio vocis pro ſuo ſignificato, eſt poſitio vocis in locum, ac vicem alterius, in ſui videlicet locum ſignificati: atqui dum vox aliqua pro ſua ſpecie ponitur, tunc pro aliquo ſuo ſignificato ponitur: item in vicem ac locum alicujus alterius ponitur. Ergo verè ſupponitur; adeoque talis poſitio eſt vera ſuppoſitio. *Probatur minor*: Quia quælibet vox in communi eſt ſignificatum cujuſcumque ſui ſingularis ſub ſe contenti, v. g. vox *homo* in communi eſt ſignificatum cujuſcumque vocis *homo* in ſingulari: ut dixi ſupra *diſp.* 5. *dub.* 2. Item ſpecies eſt quid realiter inadæquatè diverſum à ſingulis ſuis individuis ſeorſim ſumptis: ut dicam alibi. Ergo dum vox aliqua ſingularis pro ſua ſpecie ponitur, tum pro ſuo ſignificato ponitur, ac in vicem & locum alterius ponitur: adeoque verè ſupponitur.

5. Ex quo ſequuntur duo: *Primò ſequitur*: Quod diviſio ſuppoſitionis in formalem & materialem ſit diviſio univoca, ac generis in ſpecies. *Ratio eſt clara*: Quia ſuppoſitio formalis & materialis participant ſignificatum formale vocis *ſuppoſitio* eodem participandi modo; ut patet ex hactenus dictis: adeoque ſunt univocata ejus, & ſpecies ejus. Ergo diviſio iſta eſt univoca, ac generis in ſpecies. *Secundò ſequitur*: Quæ ſit ratio, ob quam hæc acceptio vocetur ordinariè materialis. *Ratio ergo hujus nomenclaturæ eſt*: Quia per hanc ſuppoſitionem vox ſupponitur, non pro re aliqua certa per vocem ſignificata; ſed pro ipſa voce ſignificante in communi: atqui, uti ſupra dicebam, vox comparatur ad rem ſignificatam tamquam materia ad formam: ergo per hanc ſuppoſitionem vox ſupponitur pro quaſi ſignificationis materia: adeoque hæc ſuppoſitio non ineptè vocatur materialis.

6. *Dices*: Acceptio formalis & materialis non differunt ſpecie: ergo iſta diviſio nequit eſſe diviſio generis in ſpecies. *Reſp. negando antecedens*; *& ratio eſt*: Quia ſuppoſitiones diſtinguuntur ſpecie vel penes modum ſupponendi, vel penes objecta ſeu ſignificata, pro quibus vocem ſupponunt: atqui acceptio formalis & materialis ſupponunt vocem pro ſignificatis ſpecie diverſis; uti clarum eſt: nam ſuppoſitio formalis ſupponit illam pro re ſignificata; materialis verò illam ſupponit pro voce ſignificante; v. g. vox *homo* per acceptionem formalem ſupponitur pro ſuppoſito humanitatis; per materialem verò ſupponitur pro voce *homo* in communi. Ergo hæ duæ acceptiones indubiè differunt ſpecie. *Major verò etiam eſt clara*: Quia philoſophandum eſt de ſpecificatione ſuppoſitionum, ſicut philoſophamur de ſpecificatione intellectionum, volitionum, aliarumque ſimilium operationum & actionum: atqui iſtæ operationes ſpecificantur vel penes modum tendendi, vel penes objecta, in quæ tendunt: ergo ſimiliter ſuppoſitiones ſpecificari debent, vel penes modum ſupponendi, vel penes ſignificata, pro quibus ſupponunt.

7. *Dico tertiò*: Suppoſitio materialis ordinariè dividitur in ſuppoſitionem materialem puram, & ſuppoſitionem materialem non puram, ſeu mixtam. Suppoſitio materialis pura eſt illa, qua vox aliqua accipitur pro ſeipſa, nulla habita ratione ſuæ ſignificationis; v. g. cum dico, *Homo eſt diſſyllabum*, *homo eſt vox*, *eſt ſonus*, *&c.* Ibi vox *homo* ſupponitur materialiter purè: ſupponitur enim pro ſeipſa, ita ut nulla habeatur ratio, nulluſqua reſpectus ſignificationis: ſive enim ſit, ſive non ſit ſignificativa, eſt diſſyllaba, eſt vox, eſt ſonus, &c. Suppoſitio materialis non pura, ſeu mixta eſt illa, cui nonnihil de ſuppoſitione formali admiſcetur. Eſt, inquam, illa, qua vox ſupponitur pro ſeipſa, habita tamen aliqua ratione, aliquoque reſpectu ſuæ ſignificationis; v. g. cum dico, *Homo eſt nomen*, *eſt vox concreta*, *eſt vox primæ intentionis*, *&c.* Ibi vox *homo* ſupponitur materialiter non purè: quia ita pro ſeipſa accipitur, ut tamen habeatur aliquis reſpectus ſignificationis: nam ſi vox *homo* ſignificationem non haberet, neque concreta, neque primæ intentionis, neque nomen foret. Reſtaret hic tradere regulas ſive notas quaſdam pro dignoſcenda acceptione materiali & formali: ſed hiſce nugis ego calamum non impendo; res enim facilis eſt, & magis addiſcenda per uſum & ſcholaſticum exercitium, quam per magnum regularum numerum.

DUBIUM II.

De diviſione ſuppoſitionis formalis.

8. RESP. & *dico primò*: Suppoſitio formalis rectè dividitur in ſuppoſitionem ſimplicem, & perſonalem. Suppoſitio ſimplex eſt illa, qua vox aliqua accipitur pro ſolo ſuo ſignificato primario; ſuppoſitio verò perſonalis eſt ſuppoſitio vocis pro ſuis ſignificatis ſecundariis. Non dico pro ſecundariis tantum, ſicut dixi pro primario tantum; ſed pro ſecundariis abſolutè: ſive enim vox accipiatur pro ſignificatis ſecundariis tantùm, ſive pro ſecundariis & primario ſimul, id parum refert: dummodò accipiatur pro ſecundariis, accipitur perſonaliter; v. g. cum dico, *Homo eſt ſpecies*, *animal eſt genus*, *Petrus eſt individuum*, *&c.* Iſte voces *homo*, *animal*, *Petrus*, accipiuntur ſimpliciter: accipiuntur quippe non pro ſuis ſignificatis ſecundariis; ſed pro ſolo primario. Nam primarium ſignificatum vocis *homo* eſt natura humana in communi; ſignificata verò ejus ſecundaria ſunt ſuppoſita ſingularia naturam iſtam communem communicantia, ac participantia, v. g. Petrus, Paulus, Ferdinandus, Philippus, &c. Atqui vox *homo* non ſupponitur ibi pro Petro aut Paulo; ſed pro ſola humana natura in communi: ergo ſup-

ſupponitur ſimpliciter, habetque acceptionem ſimplicem. *Ratio minoris eſt*: Quia ſubjectum prædicationis affirmativæ ſemper ſupponitur pro illo ſuo ſignificato, cui inexiſtit ſignificatum formale prædicati: atqui in iſta præfata affirmativa prædicatione ſubjectum eſt *homo*, prædicatum eſt *ſpecies*; adeoque ſignificatum formale prædicati eſt *ſpecietas*: ergo vox *homo* ibi ſupponitur pro illo ſuo ſignificato, cui ineſt, ſeu cui quadrat ſpecietas: atqui ſpecieitas non quadrat Petro, aut Paulo; ſed ſoli naturæ humanæ in communi: ergo vox *homo* ibi ſupponitur non pro Petro, aut Paulo; ſed pro ſola humanitate communi: adeoque pro ſolo ſuo ſignificato primario: adeoque ſimpliciter.

9. Aſt autem cum dico, *Homo eſt animal*, *homo eſt albus*, *homo currit*, *eſt riſibilis*, *&c.* Omnes iſtæ voces, tam prædicata, quam ſubjecta ſupponuntur perſonaliter: accipiuntur enim omnes iſtæ voces non pro ſolo primario; ſed tam pro ſignificatis ſecundariis, quam pro primario. Cum enim dico, *Homo eſt animal*, ſenſus non eſt, quod ſolus homo in communi; ſed quod tam homo communis, quam etiam quivis homo ſingularis ſit animal: adeoque vox *homo* ibi tam pro ſecundariis, quam pro ſuo primario accipitur ſignificato. *Et ratio eſt*: Quia ſubjectum prædicationis affirmativæ accipitur pro illo ſuo ſignificato, cui quadrat ſignificatum formale prædicati: atqui in hac prædicatione, *Homo eſt animal*, ſubjectum eſt *homo*, prædicatum eſt *animal*; ſignificatum formale prædicati eſt *animalitas*: ergo vox *homo* ibi ſupponitur pro omni illo ſignificato, cui quadrat animalitas: atqui animalitas quadrat non ſoli homini communi; ſed etiam Petro, Paulo, Chriſtiano, aliiſque hominibus ſingularibus: ergo etiam vox *homo* accipitur tam pro illo, quam pro his: accipitur tam pro primario, quam pro ſignificatis ſecundariis: adeoque accipitur perſonaliter.

10. *Objicies*: In hac propoſitione, *Homo eſt ſpecies*, vox *homo* ſupponitur ſimpliciter: atqui ſupponitur non pro ſolo ſignificato primario; ſed tam pro ſecundario quam primario: ergo acceptio ſimplex non rectè definitur eſſe acceptio vocis pro ſolo ſuo ſignificato primario. *Probatur minor*: Quia ſignificatum principale vocis *homo* eſt humanitas: ſignificatum ejus ſecundarium eſt humanitatis ſuppoſitum: ut dictum eſt ſupra, dum de voce concreta foret ſermo. Atqui in iſta propoſitione vox *homo* ſupponitur non pro ſola humanitate; ſed pro humanitate ſimul & ſuppoſito ejus: ergo accipitur tam pro ſuo ſecundario, quam pro primario ſignificato. *Probatur minor*: Quia ſubjectum prædicationis affirmativæ accipitur pro omni illo ſuo ſignificato, cui quadrat ſignificatum formale prædicati: adeoque ibi vox *homo* accipitur pro omni illo, cui quadrat ſpecietas: illa enim eſt ſignificatum prædicati formale. Atqui ſpecietas quadrat non ſoli communi humanitati; ſed etiam communi humanitatis ſuppoſito: ſicut enim humanitas eſt ſpecies, ſic etiam homo, ſeu humanitatis ſuppoſitum eſt ſpecies. Ergo vox *homo* ibi ſupponitur non pro ſola humanitate; ſed pro humanitate ſimul, ac illius ſuppoſito: & ſic pro utroque ſuo ſignificato.

11. Qui communes definitiones calumniari amaret, certè haberet unde hoc argumentum illi materiam adminiſtrat. Ego tamen id non amo. Quare communes & tritas haſce definitiones juſtificare volens, reſpondeo verum eſſe, quod vox *homo* ibi accipiatur pro humanitate ſimul & ſuppoſito ejus: id enim argumentum hoc eleganter probat. Adhuc tamen æqua eſt definitio acceptionis ſimplicis: vereque dicitur, quod ſit acceptio vocis pro ſolo ſuo primario ſignificato: ſi tamen id patienter intelligere, ac granum ſalis adhibere volueris, ac definitionem accipere hoc ſenſu: Acceptio ſimplex eſt acceptio vocis pro ſolo ſuo primario ſignificato adæquato. Significatum quippe primarium vocis concretæ duplex ſtatui poteſt: totale & partiale, ſeu adæquatum & inadæquatum. Significatum ejus primarium adæquatum eſt ſignificatum formale ſimul cum materiali ſumpto in communi ſecundum ſe: habetque tunc pro ſignificatis ſecundariis inferiora utriuſque ſui ſignificati, materialis videlicet & formalis. Significatum ejus primarium inadæquatum eſt ſolum ſignificatum formale: adeoque tunc pro ſignificatis ſecundariis habet non ſola inferiora ſignificati formalis & materialis; ſed etiam ipſum ſignificatum materiale: hoc quippe tunc non comprehenditur ſub ſignificato primario; verb. grat. maneamus in voce *homo*: illi voci adſcribi poteſt duplex ſignificatum primarium: videlicet adæquatum, & inadæquatum. Significatum primarium ejus inadæquatum eſt ſola humanitas; ſignificatum verò primarium adæquatum eſt totum commune communis humanitatis ſuppoſitum: ac ſignificata ſecundaria ſunt omnes humanitates ſingulares, omniaque ſingularia ſingularium humanitatum ſuppoſita. Quo poſito

12. Facile eſt communes definitiones juſtificare. Acceptio itaque ſimplex eſt acceptio vocis non pro ſolo ſuo ſignificato primario inadæquato; ſed pro ſolo primario ſignificato inadæquato vel adæquato. Vox *homo* quippè in hac propoſitione, *Homo eſt ſpecies*, accipitur ſimpliciter; accipitur tamen non pro ſolo ſuo ſignificato primario inadæquato, quod eſt ſolum ſignificatum formale; ſed pro toto ſuo ſignificato primario adæquato: pro formali videlicet & materiali; uti jam eſt dictum. Acceptio verò perſonalis eſt acceptio vocis pro ſuis ſignificatis ſecundariis. *Id eſt*: Pro inferioribus, ſuperioribus, vel denominatis ſignificati primarii adæquati: uti patet in exemplis ſupra ſtatim adductis. Petunt hic aliqui, quare ſuppoſitio pro primario ſignificato vocetur ſuppoſitio ſimplex, & quare ſuppoſitio pro ſecundariis vocetur ſuppoſitio perſonalis? Sed nullam hic video efficacem rationem, præter Auctoritatem imponentium.

13. Pro dignoſcenda acceptione ſimplici & perſonali quidam magnum numerum congerunt regularum: ſed, uti dixi, tempus mihi pretioſius eſt, quam ut illud à re tam inutili mihi permittam præripi. Ut tamen aliquid dicam, do tibi hanc regulam generalem, ex qua cognoſcas non ſolam acceptionem ſimplicem; ſed

omnem

Digitized by Google

omnem acceptionem omninò : materialem , formalem , perſonalem , ſimplicem , copulativam , copulatam , &c. *Regula eſt hæc* : Suppoſitio ſubjecti attendi , ac deſumi debet ex qualitate prædicati : ſive ſubjectum cujuſcumque prædicationis accipitur pro eo , cui quadrat ſignificatum formale prædicati . Itaque ſi formale ſignificatum prædicati quadret ipſi voci ; vox accipitur materialiter pro ſeipſa . Si quadret ſignificato , primario vel ſecundario ; accipitur formaliter , ſimpliciter , vel perſonaliter . Si quadret ſignificatis ſecundariis , copulativè , vel copulatim enumerandis ; accipitur copulativè vel copulatim , &c. v. g. com dico , *Homo eſt nomen* ; vox *homo* accipitur materialiter pro ſeipſa : quia ſignificatum formale prædicati quadrat ipſi voci , non autem ejus ſignificato . Cum dico , *Homo eſt ſpecies* , vel *homo eſt animal* ; vox *homo* accipitur formaliter : in prima quidem ſimpliciter ; io alia perſonaliter : ut jam oſtendi .

14. Hanc regulam propoſui quandoque ſub hac verborum formula : Subjectum prædicationis accipitur pro eo, pro quo verificatur propoſitio. Sed in re eſt planè idem . Regulæ enim hæ in verbis & modo ſignificandi differunt ; in re verò ſignificata planè quadrant & coincidunt . *Ratio eſt* : Quia tunc verificatur propoſitio , quandò ſignificatum formale prædicati quadrat ſignificato recto ſubjecti : ergo dicere , pro eo ſupponitur ſubjectum , pro quo verificatur propoſitio ; & dicere , accipitur pro eo , cui quadrat ſignificatum formale prædicati , in re eſt idem dicere , ſolumque eſt differentia in modo dicendi & ſignificandi . Soletquè hæc regula ab aliis adhuc aliter proponi : Subjecta modificantur à prædicatis , determinantur à prædicatis , ſignificant juxta ſignificationem prædicati , &c. Sed io re omnia ſunt idem : nihil dicunt aliud , quam quod ſubjecta accipiantur pro eo ſuo ſignificato , coi quadrat ſignificatum formale prædicati .

15. *Petes* : An hæc regula ſit ſemper & ubique vera , ita ut nunquam fallat ? *Reſp. primò* : Hæc regula de facto poteſt fallere , ac ſæpè fallit . *Probatur* ; Quia vocis ſoppoſitio eſt vocis prolatio cum intentione ſignificandi ; ut dixi ſupra : adeoque vox pro eo ſupponitur , quod à loquente ſignificari intenditur . Atqui poteſt loquens per ſubjectum prædicationis velle aliquid ſignificare , coi revera non quadrat ſignificatom formale prædicati : uti patet in hominibus mendacibus , ac fallacibus . Ergo de facto ſubjectum non ſemper ſupponitur pro eo , coi quadrat ſignificatum formale prædicati . *Reſp. ſecundò* : De Jure tamen regula eſt ordinariè vera , ordinarieque non fallit . *Ratio eſt* : Quia ita loquimur , taliquè modo noſtras enunciationes formamus , id eſt formare debemus , ut ſint veræ & veraces : atqui non poſſunt ordinariè eſſe veræ , niſi ſubjectum ſupponatur pro eo , cui quadrat ſignificatum formale prædicati : ergo hæc mea regula ordinariè de Jure eſt vera , & de ordinario Jure non fallit . Dico ordinariè : quia excogitare poſſem caſus , in quibus fallit , aſſignaboque unum , infra agens de acceptione particulari .

16. *Dico ſecundò* : Suppoſitio ſimplex locum habet non in ſolis vocibus communibus ; ſed etiam in ſingularibus . *Probatur* : Quia in hac prædicatione , *Petrus eſt individuum* , vox *Petrus* accipitur ſimpliciter : accipitur enim pro ſolo ſuo ſignificato primario . Atqui *Petrus* eſt vox ſingularis : ergo acceptio ſimplex habet etiam in vocibus ſingularibus locum . *Probatur major* : Quia omnis illa vox accipitur pro ſolo ſuo ſignificato primario , de qua prædicatur aliquod prædicatom , cujus formale ſignificatum quadrat ſoli illius ſignificato primario : ut enim jam dixi , ſubjectum accipitur pro iſto ſuo ſignificato , cui quadrat ſignificatum formale prædicati . Atqui in iſta prædicatione de voce *Petrus* prædicatur tale prædicatum : ergo vox *Petrus* accipitur ibi pro ſolo ſuo ſignificato primario . *Probatur minor* : Quia prædicatum , quod ibi prædicatur de voce *Petrus* , eſt individuum , cujus formale ſignificatum eſt individualitas : atqui individualitas quadrat ſoli ſignificato primario , & nullatenus ſignificatis ſecundariis vocis *Petrus* : ergo ibi de voce *Petrus* prædicatur aliquod prædicatom , cujus formale ſignificatum quadrat ſoli ſignificato illius primario . *Probatur minor* : Quia ſignificatum primarium vocis *Petrus* eſt hoc ſingulare ſuppoſitum hujus ſingularis humanitatis ; ſignificata ſecundaria ejus ſunt omnia ſuperiora , videlicet homo , animal , vivens , &c. in communi : atqui individualitas non quadrat iſtis rebus communibus ; ſed ſoli ſingulari ſingularis humanitatis ſuppoſito : ergo individualitas quadrat ſoli ſignificato primario ; non verò ſignificatis ſecundariis vocis *Petrus* .

DUBIUM III.

De diviſione ſuppoſitionis perſonalis .

17. RESP. *& dico primò* : Acceptio perſonalis dividitur in acceptionem perſonalem puram , & mixtam . Acceptio perſonalis mixta eſt illa , qua vox accipitur pro ſuo ſignificato primario & ſecundario ſimul ; verb. gr. cum dico , *homo eſt animal* , vox *homo* habet acceptionem perſonalem mixtam : ſupponitur quippe tam pro homine communi , qui eſt ſignificatum ejus primarium , quam pro hominibus ſingularibus , qui ſunt ſignificata ejus ſecundaria : facitque propoſitio hunc ſenſum ; homo ſive communis , ſive ſingularis eſt animal . Hæc ſoppoſitio vocatur mixta : quia in illa permiſcentur qoalitates acceptionis ſimplicis , ſimul & perſonalis , eſtque partim ſimplex , partim perſonalis . Suppoſitio perſonalis pura eſt ſuppoſitio vocis pro ſolo ſuo ſignificato ſecundario . Vocatur itaque pura , quia ab omni admixtione ſuppoſitionis ſimplicis libera , & vacua eſt .

18. *Sed ſurgit hic difficultas* : An detur , ac dari poſſit ſuppoſitio perſonalis pura , qua vox aliqua accipiatur pro ſolo ſuo ſignificato ſecundario ? Hoc enim aliquando negavi ; & certè non ſine fundamento . Nam exempla , qoæ paſſim adferuntur , nihil probant . Modò tamen

hanc

hanc ſuppoſitionem puram admitto & probo, ac dico illam eſſe in ſubjecto hujus prædicationis, *Omnis homo eſt individuum*. Ibi, inquam, vox *homo* ſupponitur perſonaliter purè pro ſolis ſignificatis ſecundariis. *Ratio eſt*: Quia ſubjectum ſupponitur pro illo ſuo ſignificato, cui quadrat ſignificatum formale prædicati: Atqui individualitas, quæ eſt ibi formale ſignificatum prædicati, quadrat ſolis ſignificatis ſecundariis vocis *homo*, nulloque modo ejus ſignificato primario: ergo vox *homo* ibi ſupponitur pro ſolis ſuis ſignificatis ſecundariis. *Patet minor*: Quia ſignificatum primarium adæquatum vocis *homo* eſt commune communis humanitatis ſuppoſitum; ſignificata ſecundaria ejus ſunt ſingularia ſingularium humanitatum ſuppoſita: Atqui individualitas non quadrat ſuppoſito communi; ſed ſolis ſuppoſitis ſingularibus: ergo individualitas quadrat ſolis ſignificatis ſecundariis vocis *homo*, non autem ſignificato ejus primario.

19. *Dico ſecundò*: Acceptio perſonalis etiam dividitur in acceptionem perſonalem communem, & ſingularem. Aliqui has ſuppoſitiones definiunt hoc modo: Suppoſitio perſonalis communis eſt ſuppoſitio vocis pro re communi; ſuppoſitio verò perſonalis ſingularis eſt ſuppoſitio vocis pro re ſingulari. Sed definitiones nihil valent omninò. *Quod probo*: Quia poſſunt voces ſupponi pro rebus communibus vel ſingularibus, & tamen non habere acceptionem perſonalem communem vel ſingularem; immò neque habere acceptionem perſonalem: ergo ſuppoſitio perſonalis communis & ſingularis ineptè definiuntur eſſe ſuppoſitio vocis pro re communi, vel ſingulari. *Probatur antecedens*: Quia in hac propoſitione, *homo eſt ſpecies*, vox *homo* ſupponitur pro re communi: & in hac propoſitione, *Petrus eſt individuum*, vox *Petrus* pro re ſingulari ſupponitur: ut clarum eſt. Atqui tamen iſtæ voces non habent ſuppoſitionem perſonalem; ſed ſimplicem: *uti patet ex dub.2*. Ergo poſſunt voces habere ſuppoſitionem pro re communi vel ſingulari, & tamen non habere ſuppoſitionem perſonalem.

20. Definiri ergo debent hoc modo: Suppoſitio perſonalis in communi eſt ſuppoſitio vocis pro ſuo ſignificato ſecundario: ut jam dixi. Suppoſitio itaque perſonalis communis eſt ſuppoſitio vocis alicujus communis pro ſuo ſignificato ſecundario; ſuppoſitio verò perſonalis ſingularis eſt ſuppoſitio alicujus vocis ſingularis pro ſuis ſignificatis ſecundariis. Itaque hæ ſuppoſitiones vocantur communis & ſingularis, non à ſe communi vel ſingulari, pro qua vocem ſupponat; ſed à voce communi vel ſingulari, quam pro ſuis ſignificatis ſecundariis ſupponunt. *Et ratio eſt*: Quia actiones à ſuis terminis, ac operationes deſumunt ſpeciem, denominationem, ac nomenclaturam à ſuis objectis: ut cuicumque Phyſico eſt notum. Atqui vox eſt ſuppoſitionis ſimul terminus & objectum: ergo ſuppoſitio vocari debet communis vel ſingularis, non à re, pro qua vocem ſupponit; ſed à voce, quam ſupponit. *Probatur minor*: Quia, ut dixi ſupra, ſuppoſitio nihil eſt aliud, quam prolatio ſeu productio vocis, ſimul cum volitione loquentis, qua vult per vocem audienti notificare ejus ſignificatum: atqui vox ſuæ productionis eſt terminus, & iſtius volitionis eſt objectum: ergo vox eſt ſimul ſuppoſitionis terminus & objectum. Exempla harum ſuppoſitionum formare facile eſt: verb. gr. in hac propoſitione, *Homo eſt animal*, vox *homo* & vox *animal* accipiuntur perſonaliter communiter; in hac verò, *Petrus eſt homo*, vox *Petrus* accipitur perſonaliter ſingulariter, vox *homo* perſonaliter communiter.

21. *Dico tertiò*: Suppoſitio perſonalis communis & ſingularis non ſunt extrema repugnantia; ſed exceſſa & excedentia. *Ratio eſt*: Quia aliqua ſuppoſitio communis eſt, & aliqua non eſt ſingularis; & è contra aliqua ſuppoſitio ſingularis eſt, & aliqua non eſt communis. Ergo hæ duæ ſuppoſitiones non ſunt repugnantes; ſed exceſſæ & excedentes. *Antecedens probatur*: Quia in hac prædicatione, *Petrus eſt homo*, ſuppoſitio vocis *Petrus* eſt ſingularis, & nullo modo communis; uti eſt omnibus notum: in hac verò propoſitione, *Deus creat*, ſuppoſitio vocis *Deus* eſt communis & ſimul ſingularis. Ergo ſuppoſitio ſingularis quandoque eſt, quandoque non eſt communis. *Secunda antecedentis pars probatur*: Quia ſuppoſitio perſonalis communis eſt ſuppoſitio vocis communis pro ſuis ſignificatis ſecundariis; ſuppoſitio perſonalis ſingularis eſt ſuppoſitio vocis ſingularis pro ſuis ſignificatis ſecundariis: atqui ſuppoſitio vocis *Deus* in præfata iſta propoſitione eſt ſuppoſitio vocis communis, ſimul & ſingularis pro ſuis ſignificatis ſecundariis: nam vox *Deus* ſimul communis & ſingularis eſt: ut dixi ſupra. Ergo iſta ſuppoſitio eſt ſimul communis & ſingularis. *Et ratio concluſionis à priori eſt*: Quia ita ſe habet ſuppoſitio communis ad ſuppoſitionem ſingularem, ſicut ſe habet vox communis ad vocem ſingularem: quia, ut jam dixi, ſpecificatio, denominatio, & habitudo harum ſuppoſitionum deſumi debet ex vocibus ſuppoſitis. Atqui vox communis & vox ſingularis habent ſe ſicut excedentia & exceſſa: ut facilè patere poteſt ex eis, quæ dixi ſuprà de his vocibus agens. Ergo etiam hæ ſuppoſitiones ſunt tales.

DUBIUM IV.

An in argumentatione, & propoſitionum oppoſitione mutari non poſſit genus ſuppoſitionis?

22. Nihil Logica frequentius, ac familiarius. Hoc, inquam, in Logica ita firmum & ſanctum eſt, ut de hoc dubitare fatuum putetur, & delirare. Ante omnia ergo adverto, quid ſit mutare ſuppoſitionis genus in argumentatione, vel propoſitionum oppoſitione. Mutare itaque acceptionis genus in argumentatione eſt in argumentatione aliquem terminum ſemel ſupponere materialiter

ter, ſemel ſimpliciter, vel perſonaliter, aut è contra; verb. grat. cum dico, *Omnis homo eſt animal: atqui animal eſt genus; ergo homo eſt genus*. Muto genus acceptionis: nam vocem *animal* acceptam in majori perſonaliter, accipio in minori ſimpliciter. Item vocem *homo* in majori ſumptam perſonaliter ſumo in conſequente ſimpliciter. Mutare verò genus acceptionis in propoſitionum oppoſitione eſt ſubjectum unius oppoſitæ accipere ſimpliciter; ſubjectum verò alterius accipere materialiter, vel perſonaliter, vel è contra, verb. gr. cum dico, *Nullus homo eſt ſpecies*, *homo eſt ſpecies*, muto genus acceptionis: quia ſubjectum primæ oppoſitæ accipitur perſonaliter; ſubjectum verò ſecundæ accipitur ſimpliciter.

23. Logici ergo damnantes, & ab argumentationibus, oppoſitiſque propoſitionibus eliminantes mutationem acceptionis, non volunt, ut in argumentationibus, aut oppoſitis propoſitionibus non ſint diverſa genera acceptionum. Hoc, inquam, nulla ratione volunt: Quia diverſa acceptionum genera reperiri poſſunt non ſolummodò in eadem argumentatione; ſed etiam in eadem ſimplici propoſitione; verb.gr. in hac propoſitione, *Homo eſt ſpecies*, ſubjectum ſimpliciter, prædicatum verò accipitur perſonaliter. In hac propoſitione, *Homo eſt nomen*, ſubjectum materialiter; prædicatum accipitur perſonaliter: Mens ergo Logicorum eſt, quod non poſſit variari acceptionis genus in eodem termino, in eodem ſubjecto: quod idem terminus non poſſit accipi modo hoc, modò iſto acceptionis genere: ut jam oſtendi. His poſitis

24. *Reſp. & dico primò*: In argumentationibus, & oppoſitis propoſitionibus ſemper vitioſum eſt mutare acceptionem materialem in formalem, ſive ſimplicem ſive perſonalem & è contra. *De oppoſitis ratio eſt clara*: Quia oppoſitæ debent eſſe affirmatio & negatio ejuſdem rei de eadem re: Atqui ſi mutetur acceptio materialis in formalem, aut è contra, non poſſunt eſſe affirmatio & negatio ejuſdem rei de eadem re: ergo ſemper vitioſum eſt in propoſitionibus oppoſitis facere tranſitum inter has acceptiones. *Probatur minor*: Quia dum in ſubjecto oppoſitarum inter has ſuppoſitiones fit tranſitus, prædicatum earum ſemel affirmatur de voce ſubjecta, & ſemel negatur de ſignificato vocis ſubjectæ; vel è contra negatur de voce, & affirmatur de ejus ſignificato: atqui vox, quæ eſt oppoſitarum ſubjectum, & iſtius vocis ſignificatum non ſunt eadem res; ſed diverſæ, realiterque diſtinctæ: ergo dum inter has acceptiones fit tranſitus, non poteſt eſſe affirmatio & negatio ejuſdem rei de eadem re.

25. *Similiter in argumentationibus negotium eſt clarum*: Quia omnis illa argumentatio vitioſa eſt, quæ deviat à regula ſua directiva: atqui omnis omninò argumentatio, ſive ſit expoſitoria ſive communis, ſive ſit negativa ſive affirmativa, in qua tranſitur de ſuppoſitione formali in materialem, vel è contra, deviat à regula ſua directiva: ergo mala eſt, & vitioſa: adeoque ſemper malum, ac vitioſum eſt inter has acceptiones facere tranſitum. *Probatur minor*: Quia regula directiva ſyllogiſmi communis affirmativi eſt: *Quidquid dicitur de ſubjecto univerſaliter ſumpto, etiam dicitur de quovis, quod ſubſumitur ſub illo*. Atqui hæc regula ſervari non poteſt, ſi fiat tranſitus inter iſtas acceptiones: ergo, &c. *Probatur minor*; Quia ſenſus regulæ eſt hic: Prædicatum, quod affirmatur de aliquo ſubjecto univerſaliter accepto, etiam affirmatur de omnibus inferioribus ſub iſto ſubjecto contentis: adeoque ut ſervetur hæc regula, oportet aliquod prædicatum primò affirmare de aliquo ſubjecto diſtributo, & poſtea idipſum prædicatum affirmare de aliquo iſtius ſubjecti inferiori. Atqui hoc fieri non poteſt, ſi inter has acceptiones fiat tranſitus: ergo hic tranſitus ſemper impedit obſervationem regulæ directivæ. Minorem facilè probabis inductione: forma enim aliquos ſyllogiſmos, in quibus fiat harum acceptionum tranſitus & variatio, ſemper videbis, quod nunquam prædicatum affirmatum primò de aliquo ſubjecto diſtributo, poſtea affirmetur de aliquo iſtius ſubjecti inferiori. Eodemque modo philoſophandum eſt de regulis ſyllogiſmi communis negativi, ac ſyllogiſmi expoſitorii.

26. *Dico ſecundò*: Non eſt tamen ſemper vitioſum tranſire à ſuppoſitione ſimplici ad perſonalem, vel è contra à perſonali ad ſimplicem: eſt quidem ſæpè vitioſum; non tamen ſemper. Triviales Logici hanc concluſionem malè capient; *Sed probatur*: Quia hæ propoſitiones, *Nullus homo eſt individuum*, *Petrus eſt individuum*. Sunt verè oppoſitæ & contradictoriæ: ſunt enim affirmatio & negatio ejuſdem rei de eadem re. Atqui ſubjectum primæ univerſalis accipitur perſonaliter; ſubjectum verò ſecundæ ſingularis accipitur ſimpliciter: ergo in propoſitionibus oppoſitis ſalva quandoque poteſt manere oppoſitio, licet in ſubjecto earum tranſeatur à ſuppoſitione perſonali ad ſimplicem. Similiter bonus eſt hic ſyllogiſmus: *Omne individuum eſt aliquod ens: atqui Petrus eſt individuum: ergo Petrus eſt aliquod*. Et tamen ibi in voce *Petrus* tranſitur ab acceptione ſimplici ad perſonalem: vox enim *Petrus* in minori ſimpliciter, in conſequente accipitur perſonaliter. Similiter bonus eſt hic ſyllogiſmus: *Omnis ſpecies entis poteſt à Deo creari; atqui homo eſt aliqua ſpecies entis: ergo homo poteſt à Deo creari*. Et tamen ibi in voce *homo* tranſitur à ſuppoſitione ſimplici ad perſonalem: vox *homo* quippe in minori ſimpliciter, in concluſione accipitur perſonaliter. Ergo hic tranſitus quandoque fieri poteſt ſine vitio oppoſitionis, vel argumentationis.

27. *Et ratio à priori eſt*: Quia tunc ſolummodò mutatio ſuppoſitionis inducit vitium ſyllogiſmi, quandò impedit obſervationem regulæ directivæ: ſi quippe hujus regulæ obſervatio non impediatur, ſed regula tota obſervetur, ſyllogiſmus non poteſt peccare, & vitium contrahere; cum bonitas & Juſtitia ſyllogiſmi ſita ſit in obſervatione ſui directivi principii. Atqui harum acceptionum variatio non ſem-

Digitized by Google

ſemper impedit obſervationem regulæ, ſed quandoque cum exactâ ejus obſervatione ſtare poteſt: ergo harum ſuppoſitionum mutatio non ſemper inducit vitium in ſyllogiſmo. *Probatur minor*: Quia in præfato iſto communi affirmativo ſyllogiſmo: *Omnis ſpecies entis à Deo creari poteſt, &c.* fit mutatio harum ſuppoſitionum: ut ſtatim dixi, & per ſe clarum eſt. Atqui tamen in illo ſervatur exactè regula directiva: ergo exacta obſervatio regulæ ſtare poteſt cum mutatione harum ſuppoſitionum. *Probatur minor*: Quia, ut regula dirigens affirmativum ſyllogiſmum ſervetur, debet ſolummodò prædicatum, quod primò affirmatur de ſubjecto diſtributo, poſtea affirmari de aliquo ejus inferiori: atqui in præfato iſto ſyllogiſmo totum hoc fit: ergo ſervatur exactè regula. *Major eſt clara; minor probatur*: Quia in iſto ſyllogiſmo hoc prædicatum, *potens creari à Deo*, quod primò affirmatur de ſpecie diſtributa, poſtea in conſequente affirmatur de homine, qui eſt aliquod inferius ſub ſpecie diſtributa contentum. Tota itaque directiva regula ſervatur in iſto ſyllogiſmo.

DUBIUM V.

Alia quædam de acceptione perſonali.

28. Dubium hoc appendix quædam eſt ad alia præcedentia: aliquorum enim diſcuti dignorum fui oblitus. Aliqui ergo ſummuliſtæ dividunt acceptionem perſonalem in acceptionem perſonalem pro inferioribus, pro ſuperioribus, & pro denominatis: unde oportet hic videre, quid ſit ſuperius, quid inferius, quid denominatum? Item quid ſit vocem ſupponi pro denominatis, inferioribus, vel ſuperioribus? Ac præſertim an voces ſingulares ſupponi poſſint perſonaliter pro ſuis ſuperioribus? Hoc, inquam, hic inquiri debet ob Laurentium Gyſſene; qui contra communem ſententiam id negat in ſuis Summulis, *tract.3. ſect. 1. art.5.* Motus hac ratione: Vox non poteſt ſupponi perſonaliter niſi pro ſuis ſignificatis ſecundariis: atqui ſuperiora non ſunt ſignificata ſecundaria vocum ſingularium: ergo voces ſingulares non poſſunt accipi perſonaliter pro ſuis ſuperioribus.

29. *Adverte hic ante omnia*: Quod eſſe ſuperius & inferius conveniat tam vocibus ſignificantibus, quam rebus per voces ſignificatis. Tam rectè enim dicimus: Vox *homo* eſt inferior voce *animal*, & ſuperior voce *Petrus*, quam dicamus, homo eſt inferior animali, & ſuperior Petro. In quo differt ſuperius & inferius à denominato: denominatum quippe convenit ſolis rebus; non autem vocibus ſignificantibus: voces enim non ſunt denominatæ, ſed denominantes. At verò eſſe ſuperius, ac inferius quadrat tam bene vocibus, quam rebus: ut jam dixi. Cum hac tamen differentia: quod res dicatur inferior vel ſuperior in eſſendo; vox verò in ſignificando: vox enim dicitur inferior vel ſuperior, quam alia, quia ſignificat pauciora vel plura ſignificata; res verò, quia ineſt paucioribus vel pluribus ſubjicibilibus. Quæritur hic de ſuperiori & inferiori in eſſendo, non in ſignificando: quæritur enim de illo inferiori vel ſuperiori, pro quo accipitur vox perſonaliter: atqui illud non eſt ſuperius aut inferius in ſignificando; ſed in eſſendo: uti clarum eſt. Ergo etiam hic quæri debet de hoc, non de illo.

30. *Reſp. & dico primò*: Per inferius Philoſophi hic ordinariè intelligunt ſubjicibile eſſentiale; per ſuperius intelligunt prædicabile eſſentiale: per denominatum verò intelligunt ſubjicibile accidentale. Sive quod in idem recidit, ſuperius, inferius, & denominatum à Philoſophis hoc loco vocantur ſpecies quædam ſignificati ſecundarii: nam denominatum eſt ſignificatum quoddam ſecundarium, de quo vox prædicatur accidentaliter; inferius eſt illud, de quo vox prædicatur eſſentialiter: ſuperius verò eſt illud, cui vox ſubjicitur eſſentialiter, ſive quod de voce prædicatur eſſentialiter; verb. gr. homo & equus reſpectu vocis *albus* ſunt denominata: quia ſunt illius ſubjicibilia accidentalia: ſive ſunt ejus ſignificata ſecundaria, de quibus illa prædicatur accidentaliter. At verò reſpectu vocis *animal* equus & homo ſunt inferiora: quia ſunt ejus ſubjicibilia eſſentialia: ſive ſunt ejus ſignificata ſecundaria, de quibus prædicatur eſſentialiter. Animal verò reſpectu vocum *homo* & *equus* eſt ſuperius; quia eſt prædicabile eſſentiale, ſive eſt quoddam ſignificatum ſecundarium, quod de illis vocibus prædicatur eſſentialiter. Scio quidem hæc tria à Philoſophis accipi quandoque pauló aliter; ſed in hac materia, & in hoc loco accipiuntur ſicut dixi. *Et ratio eſt*: Quia inferiora, ſuperiora, ac denominata, hoc loco vocantur illa vocum ſignificata, pro quibus voces ſupponuntur à ſuppoſitione perſonali: atqui ſignificata, pro quibus voces à ſuppoſitione perſonali ſupponuntur, ſunt ſignificata ſecundaria: ergo inferiora, ſuperiora, ac denominata hoc loco ſic debent accipi, ut ſint ſpecies quædam ſignificati ſecundarii.

31. *Dico ſecundò*: Voces ſingulares poſſunt perſonaliter accipi pro ſuis ſuperioribus. *Probatur hoc breviter evertendo fundamentum Laurentii*: Quia voces poſſunt perſonaliter ſupponi pro omni ſuo ſignificato ſecundario: atqui ſuperiora ſunt ſignificata ſecundaria vocum ſingularium: ergo voces ſingulares poſſunt perſonaliter pro illis ſupponi. *Laurentius negat minorem; ſed probo illam*: Quia ſuperiora ſunt ſignificata vocum ſingularium: ergo ſunt ſignificata primaria vel ſecundaria: atqui non ſunt primaria: ut concedunt omnes. Ergo ſunt ſecundaria. *Laurentius negat antecedens; ſed probo illud*: Quia ſuperiora, vel voces ſignificantes ſuperiora prædicantur de vocibus ſingularibus; verè namque dicimus, *Petrus eſt homo, eſt animal, &c.*

Digitized by Google

&c. Arqui prædicatum & ſubjectum identificari debent in ſuo ſignificato recto; nt infra dicam; adeoque ſubjectum io tecto ſignificate debet illud ipſum, quod ſignificat prædicatum, & è contra. Ergo voces ſingulares iu recto ſignificant hoc ipſum, quod ſignificant voces ſuperiores, quæ de illis prædicantur; atqui voces ſuperiores ſignificant ſuperius: ergo etiam voces ſingulares ſignificant illud; adeoque ſuperius eſt ſignificatum vocum ſingularium.

32. *Reſpondet Laureatlus*: Verum eſſe, quod prædicatum, ac ſubjectum identificentur in ſuo ſignificato recto; adeoque quod voces ſuperiores quidem ſignificent hoc ipſum, quod ſignificant voces inſeriores, verb. grat. quod vox *homo* quidem ſignificet hoc ipſum, quod vox *Petrus*: & vox *animal* idem, quod vox *homo*; non tamen è contra, inquit; Vox *Petrus* ſignificar illud, quod ſignificat vox *homo*, neque vox *homo* illud, quod vox *animal*: adeoque inſeriora quidem ſunt ſignificara vocum univerſalium; ſuperiota tamen non ſunr ſignificata vocum ſingularium. *Sed profectò Philoſophia hæc mira eſt*: Quia ſi vox *homo* ſignificet hoc ipſum, quod vox *Petrus*; etiam vox *Petrus* ſignificate debet hoc ipſum, quod vox *homo*: ſicuti, ſi tu habes illam ipſam veſtem, quam habeo ego, per conſequens ego etiam habeo illam ipſam veſtem, quam habes ru. Qui enim fieri poſſir, ut tu habeas veſtem habiram à me, & ego non habeam veſtem habitam à te? Similiter ergo, qui fieti poſſit, ut vox *homo* habear illud ipſum ſignificatum, quod habet vox *Petrus*, & vox *Petrus* non habeat ſignificatum, quod habet vox *homo*? Habet omninò. Adeoque ſupetiora ſunt non minus ſignificata vocum ſingularium, quam inſeriora ſinr ſignificata vocum univerſalium: ſunt, inquam, earum ſignificata, & quidem ſecundaria.

33. Quud earum ſignificata ſint, nunquam dubitavi. Quod ſint ſignificata ſecundaria, quia paſſim dicunt omnes, & quia res parvi momenti eſt, ego quoque dixi jam aliquoties. Eſt ramen, quod graviter dubitetur; quoque efficaciter oſtendatur, ſupetiora reſpectu vocum inſeriorum eſſe ſignificata verè primaria, nulloque modo ſecundaria. *Ratio efficax eſt hæc*: Quia animalitas eſt quoddam ſuperius reſpectu vocis *homo*: vita eſt quoddam ſupetius reſpectu vocis *animal*, &c. Atqui animalitas eſt vocis *homo* ſignificatum verè primarium: eſt enim ſignificarum ejus ſotmale: non quidæm adæquatum, ſed inadæquatum, ac partiale. Ergo ſuperiora reſpectu vocum inſeriorum ſunt ſignificata primaria; non autem ſecundaria. *Probatur minor*: Quia humanitas eſt ſignificatum formale vocis *homo*: ergo etiam animalitas eſt ejus ſignificatum formale. *Patet conſequentia*: Quia quotieſcumque aliquod torum eſt alicnjus vocis ſignificatum formale adæquatom, tunc iſtius totius partes ſunt illius vocis ſignificata formalia inadæquata: atqoi tota humanitas, cujus partes ſunt animalitas & rationalitas, eſt ſignificatum formale adæquatum vocis *homo*: ergo animalitas eſt ejus ſignificatum ſormale inadæquatum.

34. *Et confirmatur*: Quia voces ſynonimæ habere debent idem ſignificatum formale: adeoqne illud, quod eſt ſignificatum ſotmale in una, etiam eſſe debet fotmale ſignificatum iu alia voce ſynonima. Atqui, nt ſupra dixi, vox *homo*, & vox *animal rationale* ſunt voces ſynonimæ: ergo illud, quod eſt formale ſignificatum unius, eſt etiam ſormale alterius vocis: atqui animalitas eſt ſignificatum ſormale inadæquatum vocis *animal-rationale*: ut clarum eſt. Ergo ſimiliter eſt formale ſignificatum vocis *homo*. Hæc hactenus: Nihilominus tamen, uti hactenus vocavi, ſic adhuc in poſterum vocabo ſuperiora vocnm inferiorum ſignificata ſecundaria: ſi ego errem, errant plures. Hæc argumenta ſolummodò hic poſui, ut omnes videant, quo Jure ſuperiora hactenus vocata ſint vocum inſeriorum ſigoificata ſecundaria. Profectò, ut mihi videtur, nou valdè benè.

DISPUTATIO XV.

De quibuſdam præ-ambulis ad quatuor ſpecies acceptionis perſonalis communis.

SUppoſitio perſonalis qnatuot habet ſpecies ſcito neceſſatias: videlicet copulativam, copulatam, diſiunctivam, & diſiunctam. Aſt hæ intelligi non poſſunt, niſi priùs ſciatur natura, efficacia, ac officium tum ſigni ſyncategorematici, tum conjunctionis copularivæ, ac diſiunctivæ. Id ergo hic paucis præſtabimus.

DUBIUM I.

De conjunctione copulativa, & diſiunctiva.

1. COnjunctiones copulativæ ſunt *&*, *ac*, *atque*, aliæque ſimiles æquivalentes; diſiunctivæ conjunctiones ſunt *vel*, *aut*, *ſive*, *ſeu*, ſimileſque aliæ. Copulativæ ſumi poſſunt duobus modis. Aliquando copulativè, aliquando copulatim. Conjunctio copulariva tunc ſumitur copularivè, quando conjungit ſeu copulat inter ſe plures totas orationes: ſive explicitè, ſive implicitè; id parum reſert. Dico generaliter totas orationes: ut includam orationes quaſcumque, tam non-enuntiativas, quam enuntiativas. Quotieſcumque ergo conjunctio copulativa copulaverit explicitè vel implicitè plutes totas orationes, qualeſcumque illæ fuerint, ſive enuntiationes, ſive noo, tunc, inquam, hæc conjunctio ſumetur copulativè; verb. grat. dico, *Petrus eſt homo*, *& bucephalus eſt equus*, *& ſyndapſus eſt canis*: Aut cum dico: *Vade ad templum*, *& audi Miſſam*, *& ſub Miſſa lege officium tuum Canonicum*. Coojunctio

iunctio copulativa & utrobique ſumitur copulative: utrobique enim copulat plures totas orationes: in primo quidem exemplo enuntiativas; in altera verò imperativas.

2. Similiter cum dico, *Urbanus, Ferdinandus, & Philippus ſunt Pontifex, Cæſar, & Rex. Petrus, Joannes & Paulus fuerunt Apoſtoli*: Vel cum dico: *Utinam forem comes Flandriæ, & Dux Barbantiæ*. Copula & ubique ſumitur copulativè: quia ubique copulat plures totas orationes, non quidem formaliter & explicitè, uti faciebat in exemplis ſuperioribus; ſed æquivalenter & implicitè. *Quod probo:* Quia plures orationes copulare implicitè eſt copulare partes alicujus orationis, quæ implicitè & æquivalenter eſt orationes plures; atqui copula & ibi copulat talinm orarionum partes: iſtæ enim præfatæ orationes ſunt verè tales. Ergo copulat ibi plures totas orationes: non quidem explicitè & formaliter; ſed implicitè & æquivalenter. *Major eſt clara:* Quia ſicut toga, ex qua fieri poſſunt duæ togæ, eſt implicitè & æquivalenter duæ togæ; ſic quoque oratio, ex qua fieri poſſunt duæ orationes, implicitè ac æquivalenter eſt orationes duæ: adeoque copulares plures orationes implicitè & æquivalenter nihil eſt aliud, quam copulare partes alicujus orationis, ex quo fieri poſſunt orationes plures. *Clara etiam eſt minor:* Quia ex iſta ſuprà poſita oratione fieri poſſunt ſalva manente tota veritate hæ tres: *Urbanus eſt Pontifex, & Ferdinandus eſt Cæſar, & Philippus eſt Rex*. Adeoque copula & ibi copulat partes alicujus orationis, ex qua fieri poſſunt orationes plures. Eodemque modo loquendum eſt de duabus aliis orationibus. Itaque tunc copula & ſumitur copulativè, quando copulat plures totas orationes, ſive explicitè, ſive implicitè; id parum refert.

3. Sumitur verò copulatim, quandò neque implicitè, neque explicitè copulat plures totas orationes; ſed ſolummodò plures ejuſdem orationis partes. Cum v. g. dico, *Petrus & Paulus ſunt duo. Præſes, & Conſiliarii, & Secretarii ſunt concilium*. Utrobique copula & ſumitur copulatim, non autem copulativè: quia neque explicitè plures orationes copulat; ſed ſolùm plures ejuſdem orationis partes. Quod id non faciat explicitè, eſt clarum. Quod neque implicitè id faciat: *Probatur*: Quia copulare plures orationes implicitè eſt copulare partes alicujus orationis, ex quà poſſint fieri plures: uti jam dixi. Atqui copula & non copulat ibi talem orationem: hæc enim oratio, *Præſes, & Conſiliarii, & Secretarii ſunt concilium*, nequaquam eſt talis oratio. Ergo non copulat ibi plures orationes implicitè. *Patet minor*: Quia ſi ex iſta oratione fieri poſſent orationes plures, fieri utique poſſent hæ, *Præſes eſt Concilium, Conſiliarii ſunt concilium, & Secretarii ſunt concilium*. Atqui hæ ex illa fieri non poſſunt; quia intra regulam Juris, *Illud poſſumus, quod Jure poſſumus*, quod ſalva veritate poſſumus. Iſtæ verò orationes falſæ ac illegitimæ ſunt. Ergo iſta oratione nullo modo poſsunt fieri.

4. Similiter diſiunctio, ſeu diſiunctiva conjunctio ſumitur duobus modis. Aliquando diſiunctivè, aliquando diſiunctim. Sumitur diſiunctivè, quando copulat plures totas orationes explicitè, vel implicitè. Sumitur vero diſiunctim, quando neque explicitè, neque implicitè plures orationes copulat; ſed ſolummodo plures ejuſdem orationis partes. Omnia hæc facilia ſunt applicando ea, quæ jam dixi circa conjunctionem copulativam. V. g. cum dico, *vel Papa eſt Romæ, vel Papa eſt Bononiæ*. Item cum dico, *Papa eſt vel Romæ, vel Bononiæ*. Copula *vel* utrobique diſiunctivè ſumitur: quia in primo contextu explicitè, in alio autem implicitè plures totas orationes copulat. Aſt vero, dum dico, *dexter vel ſiniſter oculus eſt neceſſarius ad videndum*, copula vel ſumitur diſiunctim: quia ſolas orationis partes, non verò totas orationes copulat. Quia in veritate dicere non poſsum, *vel dexter oculus eſt neceſſarius, vel ſiniſter oculus eſt neceſſarius ad videndum*. Quidem enim requiritur aliquis, hic vel iſte; non tamen determinatè hic, neque determinatè iſte: videre enim poſsum ſine hoc, videre item poſsum ſine iſto; non tamen ſine hoc, vel iſto.

DUBIUM II.

De ſignis ſyncategorematicis in genere.

QUid ſit ſignum in genere, dixi ſatis in principio hujus operis: hic de ſignis ſyncategorematicis agendum eſt. Quæ nihil ſunt aliud, quam quædam ſyncategoremata acceptionem perſonalem ſequentis categorematis cauſantia, & ſignificantia. Signum ergo, de quo hic agimus, eſt ſignum acceptionis perſonalis: eſt, inquam, illud ſignum, ex quo colligimus & intelligimus in aliqua voce eſse acceptionem perſonalem, vel aliquam hujus acceptionis ſpeciem. Putant vero aliqui omnia omnino hujus acceptionis ſigna eſse ſyncategorematica, nullaque eſse categorematica: ſed, meo quidem judicio, falluntur ac errant. Unde hoc loco diſtinguere ac explicare oportet tria: videlicet, quid ſit ſignum acceptionis perſonalis in genere, quid ſignum categorematicum: quid ſignum ſyncategorematicum.

6. *Reſp. & dico primò*: Signum hujus loci in genere nihil eſt aliud, quam vox quædam, quæ certam acceptionis perſonalis ſpeciem in voce ſe ſequente cauſat & ſignificat. V. g. hæ voces, *omnis, nullus, aliquis, neuter, uterque &c.* ſunt hujuſmodi ſigna; quin in vocibus ſe ſequentibus certam aliquam ſuppoſitionis perſonalis ſpeciem cauſant, ac ſignificant. Cum enim dico, *omnis homo currit, nullus homo eſt juſtus, aliquis homo eſt animal, &c.* Ibi vox *omnis* ſignificat mihi in voce *homo* eſse ſuppoſitionem univerſalem, eandemque ſuppoſitionem in voce *homo* cauſat: tolle enim vocem *omnis*, & dic, *homo currit*, in voce *homo* non eſt ampliùs ſuppoſitio univerſalis; ſed particularis: Similiter vox *aliquis* ſignificat mihi in voce homo particularem eſſe ſuppoſitio-

nem; eamque in illa cauſſat. Sunt ergo iſtæ voces, ſigna acceptionem perſonalem alterius vocis ſignificantia.

7. Aliqui definitioni noſtræ aliquid addendum putant; ac formandam hoc modo: Signum eſt vox cauſſans ac ſignificans ſuppoſitionem perſonalem vocis ſe proximè ſequentis. Sed perperam, & ſine cauſſa; Quia de eſſentia hujus ſigni nequaquam eſt cauſſare & ſignificare ſuppoſitionem vocis proximè ſequentis; dummodò cauſſet & ſignificet perſonalem ſuppoſitionem vocis ſequentis; hoc ſatis eſt: ſive interim illa ſequatur proximè, ſive remotè, id parum refert. *Et probatur*: Quia ſi de hujus ſigni eſſentia foret cauſſare & ſignificare ſuppoſitionem vocis proximè ſequentis, tunc omne ſignum id deberet facere; id omni ſigno fore deberet eſſentiale: quidquid enim eſt de eſſentia generis, etiam eſt de eſſentia omnium ſpecierum, aliorumque omnium ſubiicibilium iſti generi ſubordinatorum. Atqui hoc falſum eſt: quædam enim ſigna cauſant & ſignificant ſuppoſitionem ſolius vocis proximè ſequentis, quædam ſolius vocis remotè ſequentis, quædam verò & vocis proximè ſequentis, & ſimul vocis remotè ſequentis ſuppoſitionem cauſant, ac ſignificant. Ergò cauſare ac ſignificare ſuppoſitionem vocis proximè ſequentis non poteſt eſſe de eſſentia hujus ſigni in genere ſumpti; ſed de illius eſſentia ſolummodò eſt cauſare, & ſignificare ſuppoſitionem perſonalem alicujus vocis quomodocumque, ac qualitercumque ſequentis. *Probatur minor*: Quia in hac oratione. *Novi aliquem hominem, qui vocatur Joannes*, ſignum *aliquem* cauſat, & ſignificat ſuppoſitionem ſolius vocis *hominem* proximè ſequentis. In hac verò oratione, *Omnis homo eſt animal*, ſignum *omnis* ſignificat & acceptionem vocis *homo*, & acceptionem vocis *animal*: in voce *homo* quidem ſuppoſitionem copulativam: in voce verò *animal* cauſat, & ſignificat ſuppoſitionem confuſam: juxta regulam Summuliſticam: In propoſitione univerſali affirmativa ſubjectum ſupponitur copulativè, prædicatum verò confusè. In hac autem prædicatione, *Homo non eſt equus*, ſignum *non* cauſat ac ſignificat ſuppoſitionem ſolius vocis *equus* remotè ſe ſequentis. Ergo inter ſigna hæc, quædam ſignificant ac cauſant ſuppoſitionem ſolius vocis proximæ, quædam, ſolius remotæ, quædam remotæ ſimul ac proximæ: adeoque de eſſentia hujus ſigni non eſt cauſare ac ſignificare ſuppoſitionem vocis proximæ. Id quidē huic ſigno ſæpè convenit; ſed non convenit eſſentialiter.

8. Dixi in definitione, *Signum eſt vox aliqua cauſſans & ſignificans perſonalem ſuppoſitionem vocis ſequentis*: Quia hæc ſigna non poſſunt cauſſare, neque ſignificare ſuppoſitionem vocum antecedentium; ſed ſolummodò vocum ſequentium: ut facilè patebit inducendo exempla. V. g. cum dico, *Homo eſt aliquod animal, homo eſt aliquod album*, &c. Ibi ſignum *aliquod* non cauſat, neque ſignificat ſuppoſitionem vocis *homo*; ſed ſolummodo vocis *animal*, & vocis *album*. *Et ratio eſſe poteſt*. Quia poſterius agere nunquam poteſt in ſuum prius: adeoque voces antecedentes liberæ & exemptæ ſunt à cauſalitate ſignorum ſequentium. Ex quo eruere poteſt quis & illud: Quod ſigna afficientia propoſitionis prædicatum ſuppoſitionem ſolius prædicati; ſigna verò afficientia ſubjectum tam ſubjecti, quam prædicati ſuppoſitionem cauſent, ac ſignificent.

9. *Obiicies primò*: Signum quandoque non cauſat, ſed ſolummodò ſignificat ſuppoſitionem vocis ſequentis: ergo malè dicitur eſſe de eſſentia hujus ſigni, quod ſuppoſitionem perſonalem vocis ſequentis ſignificet ſimul & cauſet. *Conſequentia eſt evidens. Antecedens probatur*. Quia in hac prædicatione, *Omnis homo eſt animal*, ſignum *omnis* ſuppoſitionem vocis *homo* copulativam, & vocis *animal* confuſam non cauſat, ſed ad ſummum ſignificat: ergo ſignum hoc ſuppoſitionem vocis ſequentis aliquandò non cauſat; ſed ſolummodò ſignificat. *Probatur antecedens*: Quia illud, ſine quo poteſt poni & manere aliquis effectus, non eſt iſtius effectus cauſſa: atqui in præfata iſta prædicatione, in voce *homo* eſſet ac maneret ſuppoſitio copulativa, & in voce *animal* ſuppoſitio confuſa, quamtumvis ſignum *omnis* eſſet ablatum, vel nunquam fuiſſet poſitum; ac ſimpliciter fuiſſet dictum, *homo eſt animal*: propoſitio enim iſta eſt doctrinalis & eſſentialis; adeoque eſt univerſalis, non ſolùm quandò eſt à ſigno modificata; ſed etiam quandò ſine ſigno eſt indefinita. Ergo ſignum *omnis* ibi ſuppoſitionem vocum iſtarum non cauſat; ſed ſolummodò ſignificat. Argumento huic fieri poteſt ſatis duobus modis.

10. *Reſp. itaquè primò, negando conſeq.* Quia, cum dixi de eſſentia hujus ſigni, eſſe, quod vocis ſequentis perſonalem ſuppoſitionem ſignificet ſimul & cauſet, intelligendus non fui de cauſatione actuali; ſed de potentiali & aptitudinali, ut fieret hic ſenſus: Signum eſt vox apta cauſare & ſignificare ſuppoſitionem, &c. Verba quippe definitionum non ſonant actum, ſed aptitudinem & potentiam. Adeoque de eſſentia ſigni in genere rectè dicitur eſſe, quod ſuppoſitionem cauſet ac ſignificet: quia licet quædam ſigna hanc ſuppoſitionem interdum non cauſent actu, cauſant tamen ſemper aptitudine, & potentia. *Reſp. ſecundò negando antecedens*: Quia in iſta propoſitione vox *homo*, & vox *animal* habent ſuam ſuppoſitionem ex duplici cauſa: ſemel ex natura propoſitionis eſſentialis, & ſemel ex ſigno *omnis*. Nihil autem vetat eundem effectum produci à pluribus ſimul cauſſis, quarum nulla determinatè ſit neceſſaria ad illius poſitionem, vel conſervationem, & ſine quarum qualibet effectus poni poſſit, ac manere.

11. *Obiicies ſecundò*: Signum hoc in voce ſequenti non ſemper cauſat, immo neque ſignificat ſuppoſitionem perſonalem: ergo definitio non eſt recta. *Probatur antecedens*: Quia ſignum in voce ſequenti non cauſat, neque ſignificat illam ſuppoſitionem, quæ in voce non eſt: illud enim, quod in voce cauſatur, & ſignificatur, in voce eſſe debet. Atqui in voce, quæ ſequitur ſignum, quandoque non eſt ſuppoſitio perſonalis: ergo ſignum hoc perſonalem ſuppoſitionem quandoquè neque cauſat, neque ſignificat. *Probatur minor*; Quia cum dico, *Omne homo eſt nomen*, in voce *homo* non eſt ac-

ceptio perſonalis, ſed materialis: ergo in voce, quæ ſignum ſequitur, aliquandò noo eſt ſuppoſitio perſonalis. *Reſp. negando conſequentiam*: Qnia, ur jam dixi, nt ſignum in definitione dicarur ſiguificare & eauſſare ſuppoſitionem perſonalem, uoo opus eſt, ot illam ſemper actu cauſſet, actuque ſigoificet; ſed ſatis eſt: ſi illam cauſſare ac ſignificare poſſit: quia definitionum verba non actum, ſed potentiam, ae aptitudinem ſonant.

12. Si tamen cum patientia me eudieris (res enim hæ tot uoo meretur verba, nec tantum ehartæ, aut atramenti) oegabo aotecedens: & dicam aliquid, quod ounquam audieris. *Nego ergò, vel potius diſtinguo antecedens*: Siguum hoc aliquandò non eauſſat ſuppoſitionem perſonalem formalem: *ſic concedo*. Aliquando onllam ſuppoſitionem perſonalem cauſſat, neqoe formalem, neqoe materialem: *ſic planè nego*. *Ad probationem falſa eſt minor*. *Ad cujus ulteriorem probationem diſtingui debet antecedens*: In voce iſta *homo* uon eſt ſuppoſitio perſonalis formalis: *ſic concedo*. Non eſt ſuppoſitio perſonalis materialis: *ſic planè nego*. Quo poſito totum hoc corruit argumeotum: nam dum dicit definitio, quod ſignum ſit vox aliqua eauſſans & ſignificans ſuppoſitiooem perſonalem vocis ſequeotis, intelligi debet, non de ſola ſuppoſitione perſonali formali, neqoe de ſola perſonali materiali, ſed tam de materiali, quam formali; ut faciat hunc ſenſum: Signum eſt vox in voce ſequenti cauſſans & ſiguificans ſuppoſitionem perſonalem formalem, vel materialem. *Pro quo*

13. *Scire oportet*: Quid intelligam per ſuppoſitinuem formalem, quid per perſonalem materialem. Hi quippe termioi inſoliti ee inauditi ſunt. Sunt tameu boni, ſi rectè intelligantur. Per ſuppoſitionem itaque perſonalem formalem intelligo illam, quæ eſt ſpecies formalis ſuppoſitionis: intelligo, inquam, illam ordinariam, quæ eſt uſurpatio vocis pro ſuis inferioribus, vel denominatis. Per ſuppoſitionem verò perſonalem materialem intelligo illam, quæ eſt ſpecies ſoppoſitioois materialis, quæ eſt, inquam, ſpecies ſuppoſitionis materialis veræ: noo illius, qua vox uſurpatur pro ſeipſa in individuo; ſed qua uſurpatur pro ſeipſa in ſpecie, ſive pro ſua ſpecie. Viſum qnippe ſemper mihi fuit, quod omnes omninò diviſiones, quæ adhibentor ſuppoſitiooi formali, adhiberi etiam debeant huic ſuppoſitioni materiali. Itaque ſieut ſuppoſitio formalis primò in ſimplicem & perſonalem dividitur; ita ſuppoſitio iſta materialis in ſimplicem & perſonalem dividi debet. Item ſicut ſuppoſitio perſonalis & ſimplex formalis ſunt uſurpatio vocis pro ſuo ſignificato ſecuodùm ſe, & uſurpatio pro ſui ſignificati inferioribus; eodem modo ſuppoſitio ſimplex & perſonalis materialis ſuot uſurpatio vocis pro ſua ſpecie ſecundùm ſe, & uſurpatio vocis pro ſuæ ſpeciei inferioribus. V. g. cum dico, *Vox homo reſpectu ſuorum inferiorum eſt genus, aut ſpecies*, vox *homo* aeeipitur materialiter ſimplieiter: quia accipitur pro ſua ſpecie ſecundùm ſe. At verò eum dieo, *Omne homo eſt nomen*, accipitur materialiter perſonaliter, quia accipitur pro ſuæ ſpeciei inferioribus. Præterea ſicut ſuppoſitio perſonalis formalis dividitur in quatuor vulgatas ſpecies, de quibus in diſputatione ſequenti; ſic etiam ſervata proportione in eaſdem dividi debet ſuppoſitio perſonalis materialis. Quo poſito, puto eſſe claram ſolutionem jam ſtatim datam.

DUBIUM III.

De hujus ſigni diviſionibus.

14. RESP. *& dico primò*: Signum hoc dividi debet in ſignum categorematicum, ac ſyncategorematieum: dantur enim hujuſmodi ſigna non tantum ſyncategorematica, ſed etiam verè categorematiea. Signum ſyncategorematicum eſt vox aliqua ſyncategorematica ſignificans & cauſſans ſuppoſitionem perſonalem vocis ſequentis: *V. g. nullus, quidam, omnis, aliquis, non, &c.* Hæc enim omnia ſunt ſyncategoremata cauſſantia, & ſignificantia ſuppoſitionem perſonalem vocum ſequentium. Genus definiti eſt ſycategorema: hoc enim eſt quid generalius, & latius patens. Lieet quippe omne ſignum ſyncategorematieum ſit ſyncategorema: non è contra tamen omne ſyncategorema eſt ſignum: voces enim *celeriter, tardè, benè, malè, Petri, Pauli, &c.* ſunt ſyncategoremata; non ſunt tamen aeceptionis perſonalis ſigna. Differentia ergò definiti conſtitutiva eſt ſignifieare ac cauſſare ſuppoſitionem perſonalem vocis ſequentis.

15. *Ex quo patet*: Quod negatio vocalis non ſit verè ſignum ſyncategorematicum. Negat hoc Laurentius Gyſſene *tract. 3. ſect. 2. art.* 6. Sie enim philoſophatur: Signum ſyncategorematicum eſſe ſyncategorema non ſolùm cauſſans; ſed & ſignificans ſuppoſitionem perſonalem termini ſequentis. Et meritò ſanè: quia eſſentia ſigni ſita eſt, non in cauſſando, ſed in ſignificando. Atqui negatio non eſt quidem ſyncategorema ſuppoſitionem perſonalem in prædicato propoſitionis negativæ cauſſans, non tamen ſignificans: ergo non eſt ſignum. *Sed errat in minori*: Negatio enim diſtributionem prædicati negati non ſolum cauſſat, ſed etiam verè ſignificat. *Quod probo*: Quia ſignificare eſt in notitiam deducere: atqui negatio vocalis non deducit nos in cognitionem diſtributionis prædicati negati: nos enim ex iſta negatione in propoſitione poſita rectè colligimus prædicatum eſſe diſtributum, & copulativè acceptum. Ergò negatio hæc non ſolum cauſſat, ſed & ſignificat ſuppoſitionem perſonalem prædicati ſequentis: adeoque illi nihil deeſt ad rationem ſigni ſyncategorematici. Hoc tamen intelligi debet de negatione vocali non ſumpta neganter: ſumpta quippè infinitanter non eſt ſyncategorematicum: cum ſuppoſitionem perſonalem vocis ſequentis neque cauſſet, neque ſignificet: ut notum eſt conſideranti.

16. Signum itaque ſyncategorematicum conſtituitur in ſuo eſſe per duas conditiones, ſeu per duas formalitates: videlicet per hoe, quod ſit ſyncategorema, & quod ſignificet & cauſet ſuppoſitionem perſonalis vocis ſequentis. Per pri-

Digitized by Google

primam formalitatem conſtituitur in eſſe ſyncategorematici; per aliam verò in ratione ſigni. Et ex hoc patet illud, quod in concluſione dixi. Videlicet quod dentur ſigna non tantum ſyncategorematica; ſed etiam categorematica. Quæ definiri poſſunt hoc modo: Signum categorematicum eſt categorema quodam cauſſans, & ſignificans ſuppoſitionem perſonalem vocis ſequentis. Genus definiti eſt categorema: differentia eſt; *cauſſans*, *& ſignificans*, *&c.* Nam in hac prædicatione; *Nemo eſt doctus*, *nemo eſt juſtus*, *&c.* Vox *nemo* eſt vox ſignificans ſuppoſitionem perſonalem vocum *doctus* & *juſtus*, ut nemo negabit: adeoque eſt verum hujus loci ſignum. Atqui non eſt ſignum ſyncategorematicum: cum non ſyncategorema, ſed categorema. Ergo eſt ſignum categorematicum: eſt enim categorema ſignificans & cauſſans ſuppoſitionem perſonalem termini ſequentis: adeoque dantur ſigna ſuppoſitionis & ſyncategorematica, & categorematica.

17. Hæc tamen vox *nemo* non ſemper eſt ſignum categorematicum; ſed quandoque etiam eſt ſignum ſyncategorematicum: ſeu potius ſignum ſyncategorematizatum. Eſt quidem ſignum categorematicum ex ſua nativa ac originaria ſignificatione ac inſtitutione; aliquando tamen ab hac ſua originaria ſignificatione tranſportatur, ac alienatur, & ſyncategorematizatur. Hujuſmodi quippe vocum alienatio apud doctos Grammaticos neque infrequens, neque inelegans eſt: adeoque ſicut voces ſubſtantivæ aliquando adjectivantur, & adjectivæ ſubſtantivantur, ita voces ſyncategorematicæ aliquando categorematizantur, & categorematicæ quandoque ſyncategorematizantur. Nam vocem *nemo* ſycategorematizavit Chærea in Eunucho Terentii: *Nemo homo eſt hic*. Ubi vox *nemo* ſignificat & cauſſat perſonalem ſuppoſitionem vocis *homo*, non tamquam ſignum categorematicum, ſed tamquam ſyncategorematicum, aut ſyncategorematizatum: æquivalet enim ibi voci *nullus*.

18. *Petes*; Quid in omnibus hiſce definitionibus intelligatur per vocem ſequentem? Quænam & qualis vox intelligatur? Categorematica vel ſyncategorematica? Significativa vel non ſignificativa? Reſpondent paſſim, intelligi ſolam vocem ſignificativam categorematicam: undè haſce definitiones formant in hanc formulam: Signum categorematicum vel ſyncategorematicum eſt categorema, vel ſyncategorema cauſſans & ſignificans ſuppoſitionem perſonalem categorematis ſequentis. *Habetque hic ordinarius intellectus non turpe fundamentum*: Quia in hiſce definitionibus per vocem ſequentem intelligi debet illa vox, in qua ſignum cauſſare poteſt ſuppoſitionem perſonalem, intelligi debet vox capax ac potens recipere ſuppoſitionem perſonalem à præcedenti ſigno. Atqui vox potens recipere ſuppoſitionem perſonalem eſt ſola vox ſignificativa categorematica: ſuppoſitio quippe perſonalis eſt ſuppoſitio vocis pro ſuis ſignificatis ſecundariis, pro ſuis inferioribus ſeu denominatis: quæ in ſolo categoremate habere poteſt locum. Ergo etiam ſolum categorema intelligi debet in hiſce definitionibus. *Probatur minor*: Quia ſuppoſitio perſonalis locum habet in ſola iſta voce; quæ ſecundariò ſignificat inferiora aut denominata: atqui illa eſt ſolum categorema: nam voces *nullus*, *omnis*, *quidam*, *aliquis tardè*, *benè*, aliaque ſyncategoremata neque inferiora neque denominata ſignificant. Ergo ſuppoſitio perſonalis in ſolo categoremate locum habet.

19. Hæc ratio pulchra eſt, & elegans. Nihilominus tamen inhærendo illis, quæ in fine dubii præcedentis dixi, dico hic per vocem ſequentem intelligi vocem quamcumque & qualemcumque, etiam ſyncategorematicam, etiam non ſignificativam. *Ratio eſt*: Quia in iſtis definitionibus intelligi debet illa vox, in qua ſignum cauſſare poteſt ſuppoſitionem perſonalem: in qua, inquam, cauſſare poteſt ſuppoſitionem perſonalem, vel formalem vel materialem; ut dixi dubio præcedenti. Atqui hanc acceptionem cauſſare poteſt non ſolùm in voce categorematica; ſed etiam in ſyncategorematica: etiam in voce non-ſignificativa; ut facilè patebit inducenti exempla, & conſideranti ea, quæ ſunt dubio præcedenti dicta. Ergo hic intelligi debet quæcumque & qualiſcumque vox, categorematica, ſyncategorematica, ſignificativa, non-ſignificativa, nomen, verbum, &c.

20. *Dico ſecundò*: Signum hoc variis adhuc dividi poteſt diviſionibus. Primò ergo dividi poteſt in particulare & univerſale. Particularia ſunt illa, quæ cauſſant, ac ſignificant ſuppoſitionem particularem: ut *aliquis*, *quidam*, *alter*, *alteruter*, *&c.* Univerſalia ſunt illa, quæ cauſſant, ac ſignificant ſuppoſitionem univerſalem: ut *omnis*, *nullus*, *neuter*, *uterque*, *nemo*, *&c.* Secundò dividi debet in ſignum affirmativum & negativum. Affirmativum eſt illud, quod non includit in ſua ſignificatione negationem: ut *omnis*, *aliquis*, *alter*, *&c.* Negativum eſt, quod in ſuo ſignificato negationem includit: ut *nullus*, *neuter*, *nemo*, *&c.* Tertiò dividitur in ſignum completum, & ſignum incompletum. Completum eſt illud, quod facit vocem accipi pro omnibus ſuis inferioribus: ut *nullus*, *omnis*, *aliquis*, *quidam*, *&c.* Incompletum eſt, quod vocem non pro omnibus; ſed ſolummodò pro duobus accipi facit: ut *alter*, *neuter*, *uterque*, *alteruter*, *&c.* Quæ omnia exponi debent non per actum, ſed per potentiam & aptitudinem: uti moris eſt in definitionibus.

21. *Petes*: An negatio incluſa in ſignificatione ſigni negativi quoad ſenſum ſignum præcedat, an potiùs ſequatur illud? Aliqui dicunt hoc, aliqui dicunt illud: ſed diſtinctione opus eſt. *Reſp. ergo primò*: Quotieſcumque ſignum negativum ponitur ante propoſitionis ſubjectum, tunc negatio in ejus ſignificatione incluſa quoad ſenſum ſequitur, non verò præcedit ſignum: adeoque hæc propoſitio, *Nullus homo eſt equus*, exponi non debet hoc modo, *Non omnis homo eſt equus*; ſed hoc modo, *Omnis homo non eſt equus*. *Ratio eſt clara*: Quia hæc propoſitio, *Nullus homo eſt equus*, eſt propoſitio univerſalis; uti eſt manifeſtum: atqui ſi negatio incluſa in ſignificatione ſigni *nullus* quoad ſenſum præcederet ſignum, redderetque hunc ſenſum, *Non omnis homo eſt equus*, propoſitio foret particularis: ergo negatio non poteſt præcedere, ſed ſequi

debet

debet ſignum, ac reddere hunc ſenſum, *Omnis homo non eſt equus*: tunc enim propoſitio eſt univerſalis, & copulativa. *Patet minor*: Quia negatio præfixa ſigno mutat & qualitatem & quantitatem ejus; ut verò ſigno poſtpoſita relinquit quantitatem, & tollit ſolam qualitatem, *ut dicam dubio ſeq.* Adeoque cum dicitur, *Non omnis homo eſt equus*, propoſitio eſt particularis, & negativa; cum verò dicitur, *Omnis homo non eſt equus*; eſt quidem negativa, non tamen particularis, ſed univerſalis. De quo ſtatim plura *dubio ſequenti*.

22. *Reſp. ſecundò*: Quandò ſignum negativum præfigitur propoſitionis prædicato, v. g. cum dicitur, *Unus vir eſt nullus vir*, *homo eſt nullus equus*, *&c.* tunc negatio in ſenſu præcedit ſignum, non autem ſequitur: iſtaque propoſitio non facit hunc ſenſum. *Homo eſt aliquis non equus*, ſed hunc, *Homo eſt non aliquis equus*, vel *Homo non eſt aliquis equus*. *Et ratio eſt clara*. Quia negatio incluſa in ſignificatione ſigni negativi nunquam eſt infinitans ſed ſemper negans: neque facit prædicationem infinitam de prædicato infinitato; ſed negativam de prædicato negato. Atqui ſi negatio incluſa in ſigno, quod præfigitur prædicato, ſignum ſequeretur, tunc illa negatio foret infinitans; faceretque prædicationem, non negativam, ſed infinitam de prædicato infinitato; at verò, dum præcedit negatio ſignum, tunc eſt negans, facitque prædicationem negativam de prædicato negato: uti patet conſideranti. Ergo negatio incluſa in ſignificatione ſigni prædicato præfixi debet præcedere; non verò ſequi ſignum.

DUBIUM IV.

Quæ ſit efficacia horum ſignorum, & quomodò illa impediri ſoleat.

23. Efficacia ac virtus horum ſignorum verſatur maximè circa propoſitionum qualitatem, ac quantitatem. *Ratio eſt*: Quia efficacia cujuſcumque rei verſatur circa illud, quod cauſſat: atqui hæc ſigna cauſſant & ſignificant, vel certè niſi ab aliquo impediantur, ex ſe apta & nata ſunt cauſſare ac ſignificare propoſitionis qualitatem, & quantitatem: ergo circa illas verſatur horum ſignorum virtus, & efficacia. *Probatur minor*: Quia propoſitionis qualitas eſt ejus affirmatio, & negatio; illius quantitas eſt illius univerſalitas, particularitas, vel ſingularitas: atqui ſigna propoſitionis negationem vel affirmationem, item ejus particularitatem vel univerſalitatem cauſſare & ſignificare apta & nata ſunt: ut manifeſtum eſt ex dictis *dub.* 2. *&* 3. Ergò ſigna hæc nata & apta ſunt cauſſam & ſignificare propoſitionis qualitatem, & quantitatem. Et hinc in ſignis his quoque diſtingui ſolet qualitas, & quantitas. Quantitas ſigni eſt ejus particularitas vel univerſalitas: ſive eſt virtus ſignificandi & cauſſandi in propoſitione univerſalitatem vel particularitatem. Signi qualitas eſt ejus affirmatio vel negatio: ſive eſt virtus ejus cauſſandi & ſignificandi propoſitionis negationem vel affirmationem. Et hinc quærenti, Quale eſt hoc ſignum? Reſpondemus, eſt affirmativum vel negativum. Quærenti verò, Quantum eſt hoc ſignum. Reſpondendum eſt, quod ſit univerſale vel particulare.

24. Dixi, *Niſi ab aliquo impediantur, &c.* Quia ſicut ignis paſſo applicatus interdum impeditur, ne calefaciat, & ſol ne illuminet, & homo ne ambulet; ſic etiam hæc ſigna in propoſitione poſita per negationes ſibi poſtpoſitas aut præpoſitas quandoquè impediuntur, ne ſuum ordinarium effectum producant. Impediuntur autem tribus modis: quandoque quoad ſolam qualitatem, quandoque quoad qualitatem & & quantitatem ſimul. Impediuntur quoad ſolam quantitatem, quando ratione appoſitæ negationis ex univerſalibus fiunt particularia, vel è contra. Impediuntur quoad ſolam qualitatem, quando ratione negationis appoſitæ fiunt ex negativis affirmativa, vel è contrà. Impediuntur quoad utramque ſimul, quando negatio mutat eorum quantitatem ſimul & qualitatem, id eſt, quando ratione appoſitæ negationis ex particularibus univerſalia, & ex affirmativis fiunt negativa, vel è contrà.

25. Dixi, quod ſigna hæc impediantur per appoſitas negationes. Ubi nota, id fieri non poſſe per appoſitas negationes infinitantes; ſed ſolummodò per negantes. V. g. cum dico. *Omnis homo eſt non brutum*, vel *Aliquod non brutum eſt homo*. Signa iſta *omnis & aliquod* non impediuntur: ſed manent in ſua nativa qualitate & quantitate. *Et ratio eſt*: Quia ſigna ſolummodò alterantur & impediuntur per iſtam negationem, quæ poteſt turbare & alterare totam propoſitionem: atqui id non poteſt negatio infinitans, ſed ſola negans: ergo etiam ſigna impediri, & alterari poſſunt per ſolam negantem; non verò per negationem infinitantem. *Clara eſt major*; Quia alterato ſigno etiam alteratur tota propoſitio: dum enim ſignum ex affirmativo fit negativum, vel ex particulari fit univerſale, vel è contrà, etiam talis fit tota propoſitio: ut facilè patebit inducendo exempla. Ergò ſigna non poſſunt alterari, niſi per illam negationem, quæ poteſt turbare & alterare totam propoſitionem. *Clara etiam eſt minor*: Quia negatio infinitans ſolum terminum à ſe modificatum & infinitatum turbat: nihil enim facit, præterquam terminum à ſe infinitatum alterare, & à ſua originaria ad contradictoriam ſignificationem tranſportare. *Præterea*: Negatio totam propoſitionem turbans eſt illa, quæ eſt malignantis naturæ: quæ enim major hic fingi poſſet malignitas, quam totius propoſitionis turbatio & alteratio? Atqui negatio, quam Juriſtæ malignantis naturæ eſſe dicunt, eſt ſola negans, non verò infinitans: ergo ſimiliter negatio totum propoſitionis ædificium turbans eſt negatio negans, non verò infinitans.

26. *Ubi & hoc adverte*: Quod negatio negans non poſſit turbare & alterare quodcumque ſignum, ſed ſolummodò illud, quod ponitur in propoſitione alterata per negationem, ſive quod ponitur in illa propoſitione, cujus copula afficitur per negationem. Sive breviùs: Negatio non poteſt alterare ſigna propoſitionis alienæ; ſed ſo-

ſolummodò propoſitionis ſuæ]. V. g. enm dico, *Omnis homo, qui non eſt aliquod bipes, eſt monſtrum*. Ibi negatio negans *non* non alterat ſiguum *amnis*: ſed ſolummudò ſignum *aliquod*. *Ratio eſt*: Qnia ſiguum *aliquad* iſti negationi eſt ſignum propoſitionis ſuæ; ſiguum vero *omnis* eſt ſignum propoſitinuis alienæ. Ibi quippe ſunt duæ propoſitioues, quarnm una concluditur, & implicatur in alia. Una vocatur propoſitio implicans, altera vocarur propoſitio implicata. Propoſitio implicans eſt hæc, *Omnis homo eſt monſtrum*; hæc verò, *Qui non eſt aliquod bipes* eſt propoſitio implicata. Negatio non ibi non afficir propoſitionem implicantem; ſed ſolummodò propoſitionem implicatam: adeòque non poteſt alterare & impendire ſignum *omnis*; ſed ſolummodò ſignum *aliquod*: quia hoc illi eſt ſignum propoſitionis propriæ; illud verò eſt ſignum propoſitianis alienæ.

27. Laurentius Gyſſene *tract*. 3. *ſect*. 2. *art*. 7. Et alii quidam hanc meam regulam proponunt hoc modo: Signa non poſſunt impediri à negatione afficiente copulam implicationis, ſed ſolummodò à negatione afficiente copulam principalem. Sed regula hoc modo propoſita curva eſt, ac falſa: Quia ſigna poſſunt omninò impediri à negatione afficiente copulam implicationis; ab hac, inquam, negatione impediri poſſunt ſigna, non qnidem illa, quæ ponuntur in propoſitione implicante; ſed illa, quæ ponuntur in propoſitione implicata: ut jam oſtendi. Debet ergò regula exponi hoc modo: Signa non poſſunt impediri à negationa propoſitionis alienæ, ſed ſolummodò à negatione propoſitionis ſuæ Sive in ſenſu activo: Negatio impedire non] poteſt ſigna propoſitionis alienæ, ſed ſola ſigna propoſitionis ſuæ. Quid autem ſit hoc loco propoſitio ſua, quid propoſitio aliena, ſatis patet ex dictis. His ita poſitis

28. *Reſp. & dico primò*. Negatio ſigno præfixa mutat ejus qualitatem & quantitatem. *Id eſt*: Ex affirmativo negativum, & ex negativo affirmativum; ex particulare univerſale, & ex univerſali facit particulare. Quod verum eſt, ſive negatio præfigatur ſigno afficienti prædicatum, ſive ſigno afficienti propoſitionis ſubjectum. Hinc, *non-omnis* idem eſt, quod *aliquis non*: *non aliquis* idem eſt, quod *nullus*, *non nullus* idem eſt, quod *aliquis*, *&c*. Adeoque hæ prædicationes inter ſe æquipollent, *Non omnis homo eſt juſtus*, *aliquis homo non eſt juſtus*. *Non aliquis homo eſt equus*, *nullus homo eſt equus*. *Petrus non eſt aliquis homo*, *Petrus eſt nullus homo*. *Petrus eſt nan omnis homo*, *aliquis homo non eſt Petrus*, *&c*. *Ratio concluſionis eſt*: Quia, ut ajunt Juriſtæ, negatio eſt malignantis naturæ: omnia conturbat & deſtruit, facitque ſe habere modo oppoſito & contrario: onde ex affirmativis negativa, & ex ſignis, ac propoſitionibus univerſalibus facit particularia, & è contrà.

29. *Dica ſecundò*: Negatio ſigno poſtpoſita intactam relinqoit quantitatem, & alterat ſolam qualitatem ejus. *Id eſt*: Si ſignum ſit particulare, relinqnit particolare, ſi ſit univerſale, relinquit oniverſale, ſed ex negativo facit affirmativum, vel è contra. Unde, *Omnis nan* idem eſt, quod *nullus*, *nullus non* idem eſt, quod *omnis*: Adeoque hæ propoſitiones æquipollent, *Omnis homo non eſt equus*, *nullus homo eſt equus*. *Nullus homo nan eſt animal*, *omnis homo eſt animal*: *Ratio eſt*. Quia negatio naturæ ſuæ malignitatem extendere & exercere ſolummodò poteſt in ſe ſequentia; noo autem in ſe præcedentia: illæ quippè propoſitionis, ac ſigni qualitates, quæ negationem præceſſerunt, negationis malignitatem effugerunt. Atqui dum negatio ſiguo poſtponitur, tunc ſigui, propoſitioniſque quantitas negationem præcedit: ſequitur illam ſola qualitas. Ergò negatio ſigno poſtpoſita altetare non poteſt ſigni quantiratem, ſed ſolam ejus qualitatem. *Probatur minor*: Quia ſigni, propoſitioniſque quantitas ex ſubjecto: qualitas verò ex copula deſumitur; adeoque dum negatio præponitur copulæ, & poſtponitur ſubjecto, tunc propoſitionis ac ſigni quantitas negationem præcedit, ſequiturque illam ſola eorum qualitas. Atqui dum negatio negans poſtponitur ſubjecto; ſoliquè copulæ & prædicato præponitur: ergo tunc etiam ſigni, propoſitioniſque quantitas negationem præcedit, ſequiturque eam ſola qualitas: adeoque tunc propoſitionis & ſigni qualitas ſubjecta eſt malignitati negationis: quantitas verò eſt ab illa libera & exempta.

30. *Obiicies*; In his prædicationibus, *Omnes homines non ſunt juſti*, *omnes homines non ſalvabuntur*, *&c*. negatio poſtponitur ſigno: atqui tamen negatio ibi alterar ſigni qualitatem & quantitatem: ergo non eſt firmum; quod jam dixi. *Probatur minor*: Quia ſignum *omnis* eſt univerſale & affirmativum; atqui per poſtpoſitam negationem in iſtis prædicationibus ſit particulare negativum: ergò tollitur non ſola ejus qualitas, ſed & quantitas. *Probatur minor*: Quia tale & tantum eſt ſignum præfixum prædicationis ſubjecto, qualis & quanta eſt ipſa prædicatio: atqui iſtæ prædicationes ſunt particulares negativæ: æquivalet enim his, *Aliqui homines non ſunt juſti*, *aliqui homines non ſalvabuntur*. Ita enim ab omnibus intelliguntur. Et dum dicitur. *Omnes ſtudioſi non ſunt diligentes*, oemo intelligit illam propoſitionem oniverſaliter, qnod nulli ſint diligentes, ſed ſed ſolummodò particulariter, quod aliqui ſint, aliqui verò non ſint diligeotes. Tales itaque propoſitiones ſunt particulares. Ergo etiam eorum ſignum eſt particulare; Adeoque negatio ſigno poſtpoſita mutavir non ſolam ſigni qualitatem, ſed etiam quantitatem. *Reſp*. Verum eſſe, qnod tales propoſitiones, non ſolùm apud indoctum vulgus, ſed etiam apud doctos Philoſophos, Theologos, Juriſtas, immo & apud ſanctos Patres, ac in ipſo Contextu Sacro, accipiantur & intelligantur pro particularibus; ot argumentum bene probat; adeoque quod negatio ſigno poſtpoſita de facto mutet ſigni qualitatem, ac etiam quantitatem. Hoc tamen non facit ex nativa virtuta originatiæ ſuæ ſignificationis; ſed ex communi intelligentium uſu, qni hac in parte pro negatione poſtpoſita fortiter præſcripſit, ejuſque malignitatem moltom ampliavit. Ex ſignificatione enim ſua originaria nihil poteſt in quantitatem, ſed in ſolam ſigni, cui poſtponitur, qua-

Digitized by Google

qualitatem. Adeoque hoc argumentum non tollit concluſionem: Quia concluſio loquitur de virtute, quam habet negatio ex originaria ſua ſignificatione; argumentum verò loquitur de illa, quam habet ex privilegio uſus & præſcriptionis.

31. *Dico tertiò*: Negatio ſigno præpoſita, ſimul & poſtpoſita mutat ſolam ſigni quantitatem; qualitatem verò ejus relinquit intactam. *Id eſt*: Ex particulari facit univerſale, vel è contra; non tamen ex affirmativo facit negativum, neque è contra. Itaque *non omnis non* idem eſt, quod *aliquis*, *non aliquis non* idem eſt, quod *omnis*, *non neuter non* idem eſt, quod *alteruter non*, *non nullus non* idem, quod *aliquis non*, &c. Adeoque hæc propoſitiones æquipollent: *Non omnis homo non eſt Juſtus*, *aliquis homo eſt Juſtus*. *Non neuter homo non eſt Juſtus*, *alteruter homo non eſt Juſtus*. *Non aliquis homo non eſt Juſtus*, *omnis homo* eſt Juſtus, &c. *Ratio eſt*: Quia duplex negatio affirmat, & eſt affirmatio: adeoque duæ negationes non poſſunt ſignum ex affirmativo facere negativum; ſed relinquunt, ut erat, affirmativum. Nam illud, quod ſignum ex affirmativo facit negativum, debet eſſe negatio: atqui duplex negatio non eſt negatio, ſed affimatio: ergo duplex negatio non poteſt ſignum ex affirmativo facere negativum.

DISPUTATIO XVI.

De quatuor ſpeciebus ſuppoſitionis perſonalis communis.

HÆ ſpecies ſunt copulativa, copulata, disjunctiva & disjuncta. Sunt, inquam, ſpecies ſuppoſitionis perſonalis communis. Nam ſuppoſitio perſonalis, quæ non eſt communis, nullas habet ſpecies. Itaque omnia hic dicenda ad voces communes applicanda ſunt: in his quippe ſolis hæ ſpecies habere poſſunt locum. Dico, *ad voces communes*: Quia non debent eſſe univerſales; dummodò ſint communes, ſatis eſt, licet ſint ſingulares.

DUBIUM I.

De ſuppoſitione copulativa, ſeu diſtributiva.

1. SUppoſitio copulativa varios habet titulos: vocatur enim ſuppoſitio copulativa, diſtributiva, univerſalis, diſtributio, &c. Eſt verò nihil aliud, quam uſurpatio vocis communis pro ſuis inferioribus vel denominatis copulativè enumerandis. Enumerari verò copulativè nihil eſt aliud, quam enumerari per conjunctionem copulativam copulativè ſumptam; v. gr. in in hac propoſitione, *Omnis homo eſt animal*, vox *homo* ſupponitur copulativè, & diſtribuitur: quia uſurpatur pro Petro, Paulo, Joanne, Philippo, aliiſque omnibus ſuis inferioribus copulativè enumerandis hoc modo: Petrus eſt homo, & Paulus eſt homo, & Joannes eſt homo, & Philippus eſt homo, &c. Similiter in hac propoſitione, *Omne album eſt corpus*, vox *album* diſtribuitur: quia uſurpatur pro homine, nive, equo, veſte, pariete, aliiſque ſuis denominatis copulativè enumerandis: uti jam dixi de enumeratione inferiorum vocis *homo*.

2. Suppoſitio hæc univerſalis ſeu diſtributio variis modis ſolet dividi. Primò in diſtributionem pro ſingulis generum, & diſtributionem pro generibus ſingulorum. Ubi ſcire debes, quid ſint ſingula generum, quid genera ſingulorum. Singula generum vocantur ſignificata ſecundaria ſingularia; genera verò ſingulorum vocantur ſignificata ſecundaria communia & univerſalia; v. g. vox *animal* in ſuis ſignificatis ſecundariis habet & ſingula generum, ac etiam genera ſingulorum: Habet enim inferiora ſeu ſignificata ſecundaria univerſalia, qualia ſunt homo, equus, leo, brutum, bos, &c. Ac etiam inferiora ſecundariò ſignificata ſingularia, qualia ſunt Petrus, Paulus, Bucephalus, Pegaſus, hic bos, iſte leo, &c. Hæc vocantur ſingula generum, illa vocantur genera ſingulorum. Diſtributio itaque pro ſingulis generum eſt uſurpatio vocis communis pro ſuis ſingulis generum copulativè enumerandis. Diſtributio verò pro generibus ſingulorum eſt uſurpatio vocis communis pro ſuis generibus ſingulorum copulativè enumerandis; v. gr. cum dico, *Omne animal eſt vivens*, vox *animal* diſtribuitur pro ſingulis generum: quia ſupponitur ibi pro Petro, Paulo, Bucephalo, Pegaſo, hoc bove, iſto leone, & cæteris ſuis inferioribus individuis, ac ſingularibus copulativè enumerandis. At verò dum dico, *Omne animal fuit in arca Noe*, vox *animal* diſtribuitur quidem pro generibus ſingulorum, non tamen pro ſingulis generum: quia ſupponitur ibi non pro Petro, Paulo, hoc & iſto bove, equo, leone, aliiſque animalium individuis; ſed ſolummodò pro homine, equo, bove, leone, in ſpecie: neque affirmat, quod omnium animalium individua, ſed ſolummodò quod omnium animalium ſpecies, ſive quod ex omnibus animalium ſpeciebus aliqua individua fuerint in arca Noe. Adeoque diſtribuitur ibi non pro ſingulis generum, ſed pro ſolis generibus ſingulorum.

3. Secundo dividitur diſtributio in diſtributionem plenam & commodam ſeu non plenam. Diſtributio plena eſt illa, qua vox diſtribuitur pro omnibus omninò ſuis inferioribus nullo planè excepto. Ut cum dico, *Omnis homo eſt animal*, *omne animal eſt vivens*, ſubjecta iſta *homo* & *animal* diſtribuuntur plenè: quia nullus omninò eſt homo, qui non ſit animal, nullumque omninò animal, quod non ſit vivens. Diſtributio commoda eſt illa, qua vox quidem ſupponitur pro pleriſque ſuis inferioribus, non tamen pro omnibus omninò; aliqua enim excipiuntur. Ita ordinariè diſtribuuntur ſubjecta regolarum Juris, juxta hanc Juris regulam: Nulla regula tam generalis, quin patiatur aliquam exceptionem. Sic cum dico, *Omnis homo in peccato natus eſt*, vox *homo* non plenè, ſed ſolummodò commodè diſtribuitur: quia ſupponitur quidem pro pleriſque ſuis inferioribus, non tamen pro omnibus omninò; excipiuntur enim aliqui, qui ante

ante nativitatem in maternis viſceribus fuerunt Juſtificati: ut Chriſtus Dominus, Maria Virgo, Joannes Baptiſta, Hieremias Propheta, & fortè quidam alii. Neque obeſt, quod ibi voci *homo* præfigatur ſignum, *omnis*; neque enim hoc ſignum ſemper diſtributionem plenam inducit: quia, ut ait Juriſta, dictio *omnia* licet ſe extendat ad ſingula; non tamen ad ea, quæ ſunt planè alterius naturæ & Juris. De quo Hoſtienſis in cap. *Literas de Jurepatron.*

4. Tertiò dividi poteſt diſtributio in completam, & in incompletam. Diſtributio incompleta vocatur diſtributio pro duobus tantùm: ut cum dicitur, *uterque homo eſt juſtus*, *neuter homo eſt juſtus*, vox *homo* utrobique diſtribuitur incompletè: iſta quippe ſigna incompleta inducunt & cauſſant ſuppoſitionem diſtributivam incompletam. Diſtributio ergo completa eſt illa, qua vox ſupponitur pro omnibus ſuis inferioribus copulativè enumerandis. Ut cum dico: *Omnis homo eſt animal*, *omnis homo natus eſt in peccato*, &c. Unde tam diſtributio plena, quam diſtributio commoda eſt diſtributio completa; plena tamen eſt completior, quam commoda: unde aliqui, & certè non malè, diſtributionem plenam vocant diſtributionem completiſſimam.

5. Quartò dividi poteſt in diſtributionem dependentem & diſtributionem independentem. Diſtributio dependens eſt diſtributio unius vocis dependens à diſtributione alterius vocis: eſt, inquam, illa, qua aliqua vox uſurpatur pro ſuis inferioribus copulativè enumerandis, dependenter tamen à ſimili enumeratione inferiorum alicujus alterius vocis; v. g. cum dico, *Omnis homo eſt omne rationale*, vox *homo* diſtribuitur diſtributione dependenti: habet enim diſtributionem à diſtributione vocis *rationale* dependentem. Accipitur quippe pro omnibus ſuis inferioribus copulativè enumerandis, dependenter tamen à ſimili copulativa enumeratione inferiorum vocis *rationale*. Non enim inferiora vocis *homo* enumerare potes hoc modo: Petrus eſt omne rationale, & Joannes eſt omne rationale, & Philippus eſt omne rationale, &c. Sed enumerare debes illa ſimul enumerando inferiora vocis *rationale*, hoc modo: Petrus eſt hoc rationale, & Joannes eſt illud rationale, & Philippus eſt iſtud rationale, &c. Debent ergo inferiora vocis *homo* enumerari copulativè dependenter à copulata enumeratione inferiorum vocis *rationale*. Adeoque vox *homo* diſtribuitur diſtributione dependenti à diſtributione vocis *rationale*. Diſtributio independens eſt illa, quæ non dependet à diſtributione alterius vocis. Et hæc diſtributio eſt ordinaria: diſtributio enim dependens totaliter ſpeculativa eſt; in praxi verò & uſu vel nulla, vel rariſſima.

DUBIUM II.

De quibuſdam regulis ſuppoſitionis copulativæ.

6. NOn eſt meæ intentionis, magnum hic regularum cumulare contextum: id enim, meo quidem Judicio, planè inutile & ſuperfluum eſt. Nam hic regularum cumulus nihil emolumenti, vel adjumenti præſtat, niſi quod Tyronum memoriam, ac ingenium cruciet, ac in tædium vertat. Unica eſt apud me ſuppoſitionum regula, eaque certiſſima, ac utiliſſima: videlicet aſſiduum exercitium ſcholaſticum. Hoc itaque loco ſolummodò volo quaſdam regulas planè univerſales breviter explicare, & examinare: ac præcipuè illas, quæ quæſtionibus Theologicis lumen adferre valeant. Ubi ante omnia ſciendum eſt, ut & adhuc aliquoties monui, omnes Summuliſticas ſuppoſitionum regulas tantùm oſtendere, quid ſit Juris, quænamque ſuppoſitio voci inſit de Jure ordinariæ locutionis, & humanæ communionis; quid verò in facto ſit, quavè ſuppoſitione vox de facto ſupponatur, docere non poſſunt regulæ. Nam ſicut homo ſæpè facit actiones contrarias regulis & legibus Pontificiis, vel Cæſareis; ita quoque ſæpè facit ſuppoſitiones contrarias regulis Summuliſticis. Et hinc dicunt ordinariè Summuliſtæ ſuas regulas nihil valere contra mentem & intentionem loquentis: voces enim non regunt mentem, ſed reguntur, ac ſupponuntur à mente: ut jam etiam aliquoties dixi. Unde Judex in cauſſis teſtamentorum, humanorumque contractuum, vocum ſuppoſitionem & ſignificationem non quærit ex Summuliſtarum regulis; ſed ex contrahentium mente, variiſque hujus mentis præſumptionibus, ſignis, ac indiciis. Ergo omnes Summuliſticæ regulæ ſolummodò dicunt, quid ſit de Jure ordinario; non verò quid ſit de facto.

7. *Et ratio hujus eſt*: Quia ſuppoſitio vocis nihil eſt aliud, quam prolatio vocis facta à loquente cum intentione ſignificandi: v. g ſuppoſitio copulativa eſt prolatio vocis cum intentione ſignificandi omnia ejus inferiora copulativè enumeranda. Atqui poteſt loquens habere intentionem aliud ſignificandi: poteſt habere intentionem ſignificandi inferiora vocis ſub alia enumeratione, quam præſcribant regulæ Summuliſticæ. Ergo poteſt loquens vocibus à ſe prolatis dare ſuppoſitionem regulis Summuliſticis contrariam: Adeoque regulæ Summuliſticæ nihil valent contra mentem, ac intentionem loquentis: ſolumque valent oſtendere, quænam ſuppoſitio vocibus inſit de Jure, non autem quænam inſit de facto. *Patet minor*: Quia v. g. dicit regula Summuliſtica, *Subjectum propoſitionis neceſſariæ indefinitæ ſupponitur univerſaliter*: Adeoque præſcribit hæc regula, ut homo proferens propoſitionem neceſſariam indefinitam, habeat intentionem ſignificandi omnia inferiora ſubjecti enumeranda copulativè. Atqui non obſtante hac hujus regulæ præſcriptione, poteſt quis proferens talem propoſitionem, habere intentionem ſignificandi omnia inferiora ſubjecti, non ſub enumeratione copulativa, ſed ſub disjunctiva: ergo poteſt loquens habere intentionem inferiora vocis à ſe prolatæ ſignificandi ſub alia enumeratione, quam præſcribant regulæ Summuliſticæ. Quod dixi de iſta, dici debet de aliis etiam Summuliſticis regulis. Hoc poſito inter maximè ordinarias diſtributionis regulas

8. *Prima eſſe poteſt hæc*: Subjectum propoſitionis neceſſariæ indefinitæ ſemper diſtribuitur.

Hinc

Hinc diſtribuuntur ſubjecta harum propoſitionum, *Homo eſt animal*, *homo eſt riſibilis*, *riſibile eſt vivens*, *&c.* Alii regulam proponunt hoc modo: Subjectum propoſitionis indefinitæ in materia doctrinali, aut deciſiva verſantis diſtribuitur. Sed in re eſt omninò idem: Nam propoſitio in materia doctrinali vel deciſiva verſans eadem planè eſt cum propoſitione neceſſaria. Dixi, *Subjectum talis propoſitionis diſtribuitur*: Quia non diſtribuitur ejus prædicatum; ſed capitur diſiunctim, ſive confuſè: ut patebit ex infra dicendis. Dixi etiam, *Subjectum propoſitionis indefinitæ neceſſariæ, ſeu in materia neceſſaria*: Quia ſubjectum propoſitionis indefinitæ in materia contingenti (ſi tamen ſit affirmativa, de negativis enim dicam ſtatim) non diſtribuitur; ſed accipitur determinatè, ſeu particulariter; verb. grat. harum propoſitionum ſubjecta, *Homo eſt albus*, *homo currit*, *homo eſt Juſtus*, *&c.* Supponuntur, non copulativè, ſed diſiunctivè; ut ſtatim dicam.

9. *Ratio regulæ eſt*: Quia, ut ſupra *diſp.* 14. *dub.* 2. dixi, ſubjectum propoſitionis ſupponitur pro illis ſuis ſignificatis, quibus quadrat ſignificatum formale prædicati; ſupponiturque pro illis eo modo enumerandis, quo eis quadrat idem ejuſdem prædicati ſignificatum: atqui in prædicatione neceſſaria indefinita, verb. grat. in his, *Homo eſt animal*, *homo eſt riſibilis*, ſignificatum formale prædicati quadrat omnibus inferioribus ſubjecti copulativè enumerandi. Ergo ſubjectum iſtud ſupponitur pro illis omnibus ita enumerandis: adeoque ſupponitur copulativè. *Probatur minor*: Quia tunc ſignificatum formale prædicati convenit omnibus ſubjecti inferioribus copulativè enumerandis, quando convenit omnibus & ſingulis ſeorſim & diviſim ſumptis; atqui in iſtis prædicationibus ſignificatum formale prædicati convenit omnibus & ſingulis ſubjecti inferioribus diviſim & ſeorſim ſumptis: ut facilè patebit conſideranti. Ergo convenit omnibus ſubjecti inferioribus copulativè enumerandis: adeoque ſubjectum iſtud diſtribuitur.

10. Ex quo etiam patet ratio, cur ſubjectum propoſitionis affirmativæ indefinitæ in materia contingenti non diſtribuatur, neque ſupponatur copulativè, ſed particulariter & diſiunctivè; verb. gr. harum prædicationum ſubjecta, *Homo eſt doctus*, *homo ambulat*, *diſputat*, *&c.* accipiuntur non copulativè, ſed diſiunctivè. *Ratio*, *inquam*, *eſt*: Quia in iſtis prædicationibus ſignificatum formale prædicati non quadrat omnibus & ſingulis ſubjecti inferioribus ſeorſim & diviſim ſumptis; ut planum eſt conſideranti: multi enim ſunt homines, quibus neque doctrina, neque ambulatio, neque diſputatio ineſt: adeoque ſubjectum iſtud non ſupponitur pro omnibus ſuis inferioribus copulativè enumerandis. Et ſic non ſupponitur copulativè. Supponitur tamen diſiunctivè. Quia ſupponi diſiunctivè eſt ſupponi pro omnibus ſuis inferioribus diſiunctivè enumerandis: atqui vox *homo* in iſtis prædicationibus ita ſupponitur: ergo, &c. *Probatur minor*: Quia ſubjectum propoſitionis ſupponitur pro ſuis inferioribus ita enumerandis, ut illis quadrat ſignificatum formale prædicati: atqui in hiſce prædicationibus ſignificatum formale prædicati, licet non quadret omnibus ſubjecti inferioribus copulativè enumeratis, quadrat tamen omnibus diſiunctivè enumeratis: ergo ſubjectum ſupponitur pro omnibus ſuis inferioribus diſiunctivè enumerandis. *Probatur minor*: Quia ut ſignificatum formale prædicati conveniat omnibus inferioribus ſubjecti diſiunctivè, non requiritur, ut quadret omnibus, ac ſingulis ſeorſim, ac diviſim ſumptis; ſed ſatis eſt, ut conveniat uni eorum ſeorſim ſumpto: quia ut habet regula Juris in 6. *In alternativis debitoris eſt electio*, *& ſufficit alterum adimpleri*. Atqui in dictis propoſitionibus formale prædicati ſignificatum, licet non quadret omnibus & ſingulis ſubjecti inferioribus ſeorſim ſumptis, quadrat tamen aliquibus eorum ſeorſim, ac diviſim ſumptis: ut patet conſideranti. Ergo licet non quadret omnibus ſubjecti inferioribus copulativè enumerandis, quadrat tamen illis omnibus diſiunctivè enumerandis: adeoque ſubjectum iſtud ſupponitur diſiunctivè.

11. *Secunda regula poteſt eſſe hæc*: Utrumque extremum, tam ſcilicet prædicatum, quam ſubjectum cujuſcumque prædicationis negativæ indefinitæ diſtribuitur; idquè verum eſt in quavis materia, ſive contingenti, ſive impoſſibili. Itaque in his prædicationibus, *Homo non eſt albus*, *homo non eſt equus*, *homo non eſt animal*, ſubjecta diſtribuuntur non minùs, quam prædicata. De prædicatis ergo facilè concedo. Unde in hac parte eſt differentia inter prædicatum propoſitionis negativæ, & prædicatum affirmativæ: nam prædicatum negatum ſemper & ubique diſtribuitur, prædicatum verò affirmatum nunquam diſtribuitur. Prædicatio quippe affirmativa, ſi fuerit ſingularis vel particularis, prædicatum accipitur particulariter; ſi verò univerſalis fuerit, prædicatum accipitur confuſè: ut facilè patebit conſideranti, & exempla inducenti, & ea, quæ in decurſu hujus diſp. dicam, expendenti. Quod ergo prædicatum negatum ſemper & ubique diſtribuatur. *Probatur hoc modo*: Quia negatio habet vim diſtribuendi omnem terminum ſe ſequentem: atqui in negativa propoſitione prædicatum ſemper eſt terminus negationem conſequens: ergo iſtud prædicatum à prævia ſibi negatione ſemper diſtribuitur. *Deinde*: Diſtribui eſt pro omnibus ſuis inferioribus copulativè enumerandis accipi: atqui forma, quamcumque volueris, negativam propoſitionem prædicato communi conſtantem, ſive univerſalem, ſive ſingularem, ſive particularem, ſive indefinitam: ſemper reperies prædicatum ejus pro omnibus ſuis inferioribus copulativè enumerandis accipi. Ergo omne omninò prædicatum negatum ſemper & ubique diſtribuitur.

Quod etiam ſubjectum propoſitionis negativæ indefinitæ ſemper & ubique diſtribuatur, affirmat Vaſquez *Tom.* 2. *ad* 1. *part diſp.* 157. *cap.* 3. Covarruvias *Tom.* 2. *variarum lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 7. aliique multi. Ex quo fundamento infert Vaſquez has prædicationes, *Deus non generat*, *Deus non generatur*, eſſe falſas, ac hæreticas: ſunt quippe univerſales negativæ,

acti-

nctivam ac paſſivam genetationem removentes, non tantùm ab uno; ſed ab omni omninò Deitatis ſuppoſito. Alii diſtingunnr, ac dicunt: Si indefinita negatio fuerit materiæ contingentia, qualis eſt hæc, *homo non eſt albus*, ſubjectum non diſtribuitur; ſi verò matetiæ repugnantia fuerit, qualis eſt hæc, *homo non eſt brutum*, diſtribuitur planè, ac omninò. Gregorius verò Ariminenſis, aliique Nominales communiter *in* 1. *diſt*. 4. *quæſt*. 1. §. *ſed reſtat adhuc dubium*. Docent nullius omninò indefinitæ negationis ſubjectum diſtribui; ſed ſolummodò particulariter accipi. Et hoc, meo Judicio, eſt planè, ac omninò verum. Unde notanda hic eſt quædam differentia inter ſubjectum indefinitæ negationis, & ſubjectum indefinitæ affirmationis: Nam ſubjectum hujuſmodi negationis nunquam diſtribuitur; ſubjectum verò affirmationis, licet non diſtribuatur in materia contingenti; diſtribuitur tamen in materia neceſſaria: ut jam dixi, ac tradit etiam Covarruvias *loco jam citato*.

13. Regula itaque noſtra duas habet partes. *Prima pars eſt hæc*: Subjectum negationis indefinitæ in materia contingenti verſantis non diſtribuitur. *Altera eſt hæc*: Subjectum indefinitæ negationis in materia repugnanti verſantis etiam non diſtribuitur. *Primam partem probo ſic*: Diſtribui eſt pro omnibus ſuis inferioribus copulativè enumerandis accipi: atqui ſubjectum indefinitæ negationis in materia contingenti non ſic accipitur: ergo non diſtribuitur. *Probatur minor*: Quia ſicut ſubjectum indefinitæ affirmationis accipitur pro illis ſuis Inferioribus, eoque modo enumerandis, quo illis ineſt ſignificatum prædicati formale; ſic eadem ratione ſubjectum indefinitæ negationis accipitur pro illis inferioribus, eoque modo enumerandis, quo illis abeſt ſignificatum prædicati formale: atqui in negatione indefinita materiæ contingentis ſignificatum prædicati formale non abeſt ab omnibus ſubjecti inferioribus enumerandis copulativè; ſed ſolummodò enumerandis diſjunctivè: ergo iſtud ſubjectum accipitur pro ſuis inferioribus enumerandis, non copulativè; ſed diſjunctivè. *Probatur minor*: Quia ut ſignificatum formale prædicati abſit ab omnibus inferioribus ſubjecti copulativè enumerandis, debet abeſſe ab omnibus & ſingulis ſeorſim ſumptis: atqui in negatione indefinita materiæ contingentis, v.g in his, *homo non currit*, *homo non eſt doctus*, ſignificatum formale prædicati non abeſt ab omnibus & ſingulis ſubjecti inferioribus ſeorſim, ac diviſim ſumptis: ut facilè patebit conſideranti. Ergo non abeſt ab omnibus ſubjecti inferioribus copulativè enumerandis.

14. Et confirmatur hoc efficaciter ex doctrina Guilielmi Occam *in* 1. *diſt*. 2. *quæſt*. 6. *ad* 1. *opin. Scoti*. Quia hæ duæ indefinitæ contingentes, *Homo currit*, *homo non currit*, non ſunt contradictoriæ, ſed ſubcontrariæ: ut nemo audebit negare. Ergo ſubjectum negativæ non diſtribuitur; ſed accipitur particulariter, ſicuti accipitur ſubjectum affirmativæ: adeoque ſubjectum indefinitæ negationis in materia contingenti non poteſt diſtribui. *Patet conſeq*. Quia ſi ſubjectum negativæ diſtribueretur, tunc iſtæ duæ propoſitiones forent, non ſubcontrariæ; ſed verè contradictoriæ: forent quippe affirmativa particularis, & negativa univerſalis ejuſdem de eodem. Atqui non ſunt contradictoriæ, ſed ſubcontrariæ: ergo negativæ ſubjectum non poteſt diſtribui; ſed debet particulariter accipi. *Et ratio à priori eſt*: Quia in hiſce propoſitionibus negatio non poteſt diſtribuere ſubjectum, ſicut diſtribuit prædicatum; in quo Adverſarii multùm falluntur. *Cujus ratio eſt clara*: Quia negatio ſuam malignam efficaciam non poteſt exercere in terminos ſe præcedentes; ſed ſolummodò in ſequentes: atqui in hiſce prædicationibus negatio quidem præcedit prædicatum; non tamen præcedit ſubjectum: ergo negatio non poteſt diſtribuere ſubjectum, ſicut diſtribuit prædicatum.

15. Ex quo juſtificari poteſt differentia, quam conſtituit Ariminenſis inter has propoſitiones: *Deus non genuit Deum*, & *non genuit Deus Deum*. Primam dicit eſſe veram, ac Catholicam; ſecundam, falſam, ac hæreticam: in prima dicit vocem *Deus* non diſtribui; diſtribui tamen in ſecunda. *Ratio ejus eſt*: Quia negatio negans malignam, ac diſtributivam ſuam virtutem extendere non poteſt in voces ſe præcedentes; ſed ſolummodò in ſequentes: ut dictum eſt *diſp*. 15. *dub*. 4. Atqui in prima propoſitione vox *Deus* negationem præcedit; in ſecunda verò illam ſequitur: ergo in prima propoſitione non poteſt à negatione diſtribui; poteſt tamen in ſecunda. De hujus differentiæ ſoliditate nihil dico; relinquo judicio lectoris. Hoc ſolummodò dico, quod vox *Deus* in prima propoſitione non diſtribuatur, neque ſupponatur pro omnibus ſuis tribus ſuppoſitis enumerandis copulativè, ſed enumerandis diſjunctivè; adeoque iſta propoſitio neque falſa eſt, neque hæretica; ſed vera & Catholica. Monet tamen Ariminenſis inter Hæreticos, alioſque infideles, ubi pravi, ac malevoli intellectus periculum foret, ab illa eſſe abſtinendum. Scio contra hoc fieri poſſe quædam ſcitu digna argumenta; ſed illa non tango, Theologis relinquo: ſatis eſt generalia principia uno verbo inſinuaſſe.

16. Altera regulæ pars probari poteſt eodem modo, eiſdemque argumentis. *Adde & hoc*: Quia omnes propoſitiones indefinitæ ejuſdem qualitatis, ejuſdemque materiæ, habere debent ſubjecta eodem genere, eademque ſuppoſitionis ſpecie ſuppoſita: extrema enim propoſitionum variare non poſſunt ſuppoſitionem, niſi varient vel materiam, vel qualitatem. Atqui quædam indefinitæ negationes in materia repugnanti habent ſubjecta non diſtributa: ergo omnes omninò habent ſubjecta non diſtributa. *Probatur minor*: Quia hæ negationes indefinitæ, *Homo non eſt Deus*, *Deus non eſt homo*, ſunt in materia repugnanti, non minùs quam hæ, *Homo non eſt brutum*, *brutum non eſt homo*; atqui hæ negationes non habent ſubjecta diſtributa: ergo aliquæ negationes indefinitæ habent ſubjecta non diſtributa. *Patet minor*: Quia hæc propoſitio, *Homo non eſt Deus*, eſt veriſſima, non minùs quam hæc, *Homo non eſt albus*: ſicut

aut enim dantur multi homines, qui non ſunt albi, ita dantur multi, qui non ſunt Deus. Atqui, ſi iſta propoſitio haberet ſubjectum diſtributum, non foret vera, ſed falſa & hæretica: æquivaleret enim huic, *Nullus homo eſt Deus*. Ergo iſta propoſitio habet ſubjectum, non diſtributivè, ſed disjunctivè ſuppoſitum; & æquivalet huic, *Aliquis homo non eſt Deus*.

17. *Objicies*: Materia illa, quæ in propoſitione cauſſat univerſalem verificationem, cauſſat in iſtius propoſitionis ſubjecto univerſalem ſuppoſitionem; propoſitio quippe non poteſt habere univerſalem verificationem, niſi ſubjectum ejus habuerit univerſalem diſtributionem: ut eſt manifeſtum. Atqui materia repugnans cauſſat in negatione indefinita univerſalem verificationem: ergo in ejus ſubjecto cauſſat univerſalem ſuppoſitionem. *Probatur minor*: Quia ſicut univerſalis verificatio affirmationis ſita eſt in exiſtentia prædicati in omnibus & ſingulis inferioribus ſubjecti; ita univerſalis veritas negationis ſita eſt in abſentia prædicati ab omnibus & ſingulis inferioribus ſubjecti: atqui materia repugnans in propoſitione negativa cauſſat abſentiam prædicati ab omnibus & ſingulis ſubjecti inferioribus: ergo cauſſat in illa univerſalem veritatem. *Probatur minor*: Quia materia repugnans nihil eſt aliud, quam duo termini repugnantes: atqui termini repugnantes ſunt illi, quorum formale ſignificatum unius abeſt ab omnibus & ſingulis ſignificatis rectis alterius: ſunt enim illi, qui de ſeſe mutuo univerſaliter negantur. Ergo materia repugnans cauſſat in propoſitionibus negativis abſentiam prædicati ab omnibus & ſingulis inferioribus ſubjecti.

18. *Reſp. negando minorem in duobus primis, & diſtinguendo minorem in tertio ſyllogiſmo*. Termini repugnantes ſunt illi, quorum formale ſignificatum unius abeſt ab omnibus & ſingulis ſignificatis rectis alterius loquendo naturaliter: *ſic concedo*. Supernaturaliter: *ſic nego*. Nam *Deus* & *homo* ſunt termini verè repugnantes: nonnè tamen ſignificatum formale unius ineſt per gratiam Dei ſignificato recto alterius? Non ergo termini repugnantes, ſive materia repugnans ſemper facit ſignificatum formale prædicati abeſſe ab omnibus & ſingulis ſignificatis rectis ſubjecti: adeoque non poteſt ſubjectum diſtribuere, ſed ſolummodò disjungere. Unde totum hoc argumentum in te retorqueo hoc modo: Illa materia, quæ indefinitæ negationi nequit dare univerſalem verificationem, nequit illius ſubjecto dare univerſalem ſuppoſitionem: atqui materia repugnans non poteſt illud: ergo neque poteſt hoc. *Probatur minor*: Quia negationi indefinitæ dare univerſalem veritatem eſt illi dare abſentiam prædicati ab omnibus & ſingulis inferioribus ſubjecti: atqui materia repugnans id non poteſt; ut jam oſtendi: ergo non poteſt illi dare univerſalem veritatem.

19. Et hinc patet longè diverſa proportio materiæ neceſſariæ ad indefinitam affirmationem, quam ſit proportio materiæ repugnantis ad indefinitam negationem. Hinc, inquam, patet ratio, cur materia neceſſaria potiùs cauſſet diſtributionem in ſubjecto indefinitæ affirmationis, quam materia repugnans illam cauſſet in ſubjecto indefinitæ negationis. *Ratio eſt hæc*: Quia, ut jam dixi, materia repugnans in indefinita negatione non ſemper cauſſat, neque ſemper cauſſare poteſt univerſalem verificationem; adeoque neque in ſubjecto ejus cauſſare poteſt univerſalem ſuppoſitionem: at verò materia neceſſaria in indefinita affirmatione ſemper cauſſat, neque poteſt non cauſſare univerſalem verificationem; adeoque in ejus ſubjecto etiam cauſſare debet univerſalem ſuppoſitionem. *Patet aſſumptum*: Quia propoſitioni affirmativæ dare univerſalem veritatem eſt illi dare exiſtentiam prædicati in omnibus inferioribus ſubjecti: atqui materia neceſſaria dat indefinitæ affirmationi ſemper exiſtentiam prædicati in omnibus, ac ſingulis inferioribus ſubjecti: materia enim neceſſaria ſunt ſubjectum & prædicatum neceſſarium, ac inſeparabile, quod nec à ſubjecto, nec ab ullo ejus inferiori poteſt ſeparari; ut dicam inferius ſuo loco. Ergo materia neceſſaria in indefinita affirmatione ſemper cauſſat univerſalem veritatem. His ceſſo, aliaſque regulas nec adfero, nec examino; ſed ad alios Dialecticos, ac præſertim ad Laurentium Gyſſene, qui hanc provinciam luculenter geſſit, te remitto.

DUBIUM III.

De ſuppoſitione copulata, ſeu collectiva.

20. Suppoſitio hæc nihil eſt aliud, quam uſurpatio vocis communis pro omnibus ſuis inferioribus, vel denominatis copulatim enumerandis. *Id eſt*: Enumerandis per conjunctionem copulativam copulatim ſumptam; v. g. cum dico, *Omnes Apoſtoli fuerunt duodecim, omnes Religioſi ſunt conventus, omnes Chriſti fideles ſunt Eccleſia, omnia prædicata eſſentialia ſibi invicem ritè ſubordinata ſunt prædicamentum*, &c. Omnia iſtarum propoſitionum ſubjecta accipiuntur copulatim, ſeu collectivè. Accipiuntur quippe pro ſuis inferioribus, non copulativè, ſed collectivè ſeu copulatim enumerandis. Quia dicere non potes, Petrus eſt duodecim, & Paulus eſt duodecim, & Philippus eſt duodecim, &c. Item dicere non potes, ego ſum conventus, & tu es conventus, & ille eſt conventus, &c. Sed dicere oportet, Petrus & Paulus, & Philippus & alii novem ſimul ſumpti ſunt duodecim. Ego, & tu, & illi ſimul ſumpti ſumus conventus. Et ſic de aliis

21. Sed hinc oritur difficultas non contemnenda: Quomodò videlicet ſuppoſitio copulata differat à ſuppoſitione ſimplici? Videntur enim hæ duæ ſuppoſitiones non diſtingui, ſed inter ſe planè confundi, ac identificari. *Tale ergo pono argumentum*; Suppoſitio copulata non eſt ſuppoſitio perſonalis, ſed ſimplex: ergo malè computatur inter ſpecies ſuppoſitionis perſonalis; maleque dicuntur eſſe quatuor hujus ſuppoſitionis ſpecies. *Probatur antecedens*: Quia ſuppoſitio ſimplex eſt ſuppoſitio vocis pro ſolo ſuo ſignificato primario: atqui ſuppoſitio copulata eſt ſuppoſitio vocis communis pro ſolo ſignificato

Digitized by Google

cato primario: ergo ſuppoſitio copulata eſt ſpecies ſuppoſitionis ſimplicis, non verò ſuppoſitionis perſonalis. *Probatur minor:* Quia primarium vocis communis ſignificatum eſt natura communis; ſignificata verò ejus ſecundaria ſunt omnia iſtius naturæ communis inferiora: atqui per ſuppoſitionem copulatam vox communis ſupponitur pro ſola natura communi; non autem pro ſingulis naturæ inferioribus: verb. gr. vox communis *homo* per ſuppoſitionem copulatam ſupponitur pro ſolo homine communi, non verò pro ſingulis hominibus ſingularibus ſingillatim ſumptis. Ergo per ſuppoſitionem copulatam ſupponitur pro ſolo ſuo ſignificato primario, non autem pro ſecundariis: *Probatur minor*: Quia, uti in Logica dicam, natura communis nihil eſt aliud, quam omnia ſingularia ſimul ſumpta: verb. grat. natura humana, vel homo communis nihil eſt aliud, quam omnes homines ſingulares ſimul ſumpti: adeo que tunc vox *homo* ſupponitur pro homine communi, quando ſupponitur pro omnibus hominibus ſingularibus ſimul ſumptis, & pro nullo ſeorſim ſumpto. Atqui per ſuppoſitionem copulatam vox ſupponitur pro ſuis omnibus inferioribus ſimul ſumptis, & pro nullo ſeorſim ſumpto: ergo per ſuppoſitionem copulatam ſupponitur pro ſola natura communi, non verò pro naturæ inferioribus.

22. *Et confirmatur*: Quia ſuppoſitiones diſtingui debent vel penes ſignificata, pro quibus ſupponunt, vel penes modum ſignificata enumerandi? non enim fingi cum fundamento poteſt aliud principium ſuppoſitionis diſtinctivum, ac ſpecificativum. Atqui ſuppoſitio ſimplex & ſuppoſitio copulata ſupponunt vocem pro eiſdem ſignificatis eodem modo enumerandis: ergo illæ ſuppoſitiones non differunt. *Probatur minor*: Quia in hac propoſitione. *Homo eſt ſpecies*, vox *homo* accipitur ſimpliciter; in hac verò, *Omnes homines ſunt infiniti*, vox *homines* accipitur copulatim. Atqui utrobique accipitur pro eiſdem ſignificatis eodem modo enumerandis: accipitur enim utrobique pro omnibus ſuis inferioribus enumerandis copulatim. Ergo ſuppoſitio ſimplex, & ſuppoſitio copulata ſupponunt vocem pro eiſdem ſignificatis eodem modo enumerandis. Quod vox *homines* ita accipiatur in propoſitione ſecunda, clarum eſt; nec ullus negabit. Quod ita vox *homo* etiam accipiatur in propoſitione prima, eſt æquè clarum: Quia vox *homo* accipitur ibi pro homine communi: atqui homo communis nihil eſt in re aliud, quam omnes homines ſingulares ſimul ſumpti; ut dicam in Logica. Ergo vox *homo* ſupponitur ibi pro omnibus ſuis inferioribus ſimul ſumptis copulatim enumerandis.

25. His tamen non obſtantibus, dico ſuppoſitionem copulatam non eſſe ſpeciem ſuppoſitionis ſimplicis, ſed perſonalis; adeoque benè aſſignari quatuor ſpecies ſuppoſitionis perſonalis communis. Pro ſolutione tamen argumenti jam facti, adverte uno verbo: Quid ſit natura communis, quam dicunt vocis communis eſſe ſignificatum primarium, & quomodo illa differat à ſingularibus, ſeu inferioribus, quæ ſunt ſignificata ſecundaria. Natura ergo communis (ſaltem ut mihi viſum eſt) nihil eſt aliud, quam omnia inferiora ſimul ſumpta, quatenus concipiuntur & ſignificantur ſine differentiis ſuis diſtinctivis; verb. grat. natura humana communis nihil eſt aliud, quam omnes homines ſingulares ſimul ſumpti, quatenus à nobis concipiuntur, ac ſignificantur ſine Petreitate, Pauleitate, Joanneitate, aliiſque differentiis naturam humanam ſingularizantibus & individuantibus. Natura animalis in communi nihil eſt aliud, quam omnia animalia ſingularia ſimul ſumpta, quatenus concipiuntur & ſignificantur ſine Petreitate, Bucephaleitate: ſine rationalitate, irrationalitate, aliiſque differentiis naturam animalis ſpecificantibus, vel individuantibus. Natura ergo communis eſt quidem omnia ſingularia ſimul ſumpta, non tamen undè ſecundùm ſe; ſed concepta ſine differentiis contrahentibus: ſingularia enim ſimul ſumpta, ac cum ſuis contractivis, ac diſtinctivis differentiis concepta non ſunt natura communis, ſed naturæ communis inferiora, ac ſubiicibilia: neque ſic ſunt vocis communis ſignificatum primarium, ſed ſignificata ſecundaria. Quo poſito

24. *Ad argumentum reſp. negando antecedens*: Et in toto argumenti decurſo nego voces communes per ſuppoſitionem copulatam ſupponi pro natura communi, ac ſuo ſignificato primario, & dico illas accipi pro naturæ inferioribus, ac ſuis ſignificatis ſecundariis: adeoque ſuppoſitionem copulatam nullatenus eſſe ſpeciem ſuppoſitionis ſimplicis, ſed veram ſpeciem ſuppoſitionis perſonalis. *Ratio eſt*: Quia voces communes per ſuppoſitionem copulatam non ſupponuntur pro ſuis inferioribus à ſuis ſingularitatibus abſtractis, ſed pro illis concretis cum ſuis ſingularitatibus: atqui inferiora ſimul ſumpta, cum ſuis ſingularitatibus concreta & concepta, non ſunt natura communis per vocem communem primariò ſignificata; ſed ſunt naturæ communia ſubiicibilia per vocem communem ſecundariò ſignificata: ergo voces communes à ſuppoſitione copulata non ſupponuntur pro ſuo ſignificato primario, neque pro natura communi; ſed pro ſuis ſignificatis ſecundariis, ac pro naturæ communis inferioribus.

25. *Ad confirmationem falſa eſt major*: Suppoſitiones quippe non ſolùm diſtinguuntur ac ſpecificantur penes duo principia ibi adducta; ſed oportet addere tertium: videlicet diverſum ſupponendi modum. Concedo ergo voces communes à ſuppoſitione ſimplici & copulata ſupponi pro eiſdem ſignificatis eodem modo enumerandis; dico tamen ſuppoſitiones eſſe diverſas, ac ſpecie diſtinctas: Quia licet ſupponant pro eiſdem ſignificatis, non tamen ſupponunt pro eiſdem ſignificatis eodem modo conceptis. Nam ſuppoſitio ſimplex ſupponit pro illis, quatenus concipiuntur ſine differentiis ſuis diſtinctivis, & quatenus ſunt vocis communis ſignificatum primarium: at verò ſuppoſitio copulata ſupponit pro illis, quatenus concipiuntur

tur

tur ſimul cum ſuis ſingularitatibus, & quatenùs ſunt vocis commonis ſignificata ſecuodaria. Hæ ergo duæ ſuppoſitiones non coincidunt, ſed ſunt diverſæ.

DUBIUM IV.

De Suppoſitione diſiunctiva.

26. SUppoſitio hæc etiam diverſa vocabula, diverſoſqne titolos habet. Vocatur enim ſuppoſitio diſiunctiva, ſuppoſitio particularis, ſuppoſitio determinata, diſiunctio &c. Definiri ſolet hoc modo: Eſt oſurpatio vocis communis pro ſnis inferioribus, ſeu denominatis diſiunctivè enumerandis per conjunctionem diſiunctivam diſiunctivè ſumptam. Verb. grat. cum dico, *Homo eſt albus*, *aliquis homo eſt animal*, *&c.* tam ſubjecta, quam prædicata accipiuntut particulariter: accipiuntur qnippe pro ſuis inferioribus diſiunctivè ennmeraodis hoc modo, Petrus eſt albus, vel Joannes eſt albus, vel Philippus eſt albus, &c. Homo eſt hoc album, vel homo eſt illud album, vel iſtud album, &c. Voces qoippe accipiuntur pro ſois inferioribus ita enumerandis, quomodo verificatnr propoſitio: atqui iſtæ præſatæ propoſitiones verificantur, utriuſque extremi inferiota enumerando diſiunctivè: ergo utrumque earum extremum accipitur diſiuoctivè.

27. *Quæri hic ſolet*: An detut ſuppoſitio diſiunctiva pro ſingulis generum, & pro geoeribus ſingulorum, ſicut dator copulativa? Sive an voces communes accipi poſſint diſinnctivè pro ſolis ſingulis generum, & pro ſolis generibus ſingulorum, ſicut ita accipi poſſunt copnlativè? Et quidem, qnod accipi poſſint pro ſingulis generum, planum eſt, ac in confeſſo apud omnes. Quæſtio ergo ſolummodo eſt: An poſſint diſinactivè accipi pro ſolis genetibus ſingnlorum? Aliqui negant, aliqui affirmant. Ego ſubſcribo aſfirmantibus. *Et probo*: Quia hæ prædications, *Omne animal fuit in arca Noe*, *aliquod animal non fuit in arca Noe*, ſunt verè contradictoriæ; ot eſt manifeſtum: atqni vox *animal* io prima propoſitione univerſali affirmativa accipitor pro generibus ſingulorum ennmerandis copulative; oti in confeſſo eſt apud omnes: ergo in ſe ſecunda particulari negativa accipitor pro eiſdem enumerandis diſinnctivè: adeoque datnt ſnppoſitio diſiunctiva pro ſolis ſingulatis generibus, noa minùs quam dentut copulativa. *Probatur conſeq.* Quia in propoſitionibns contradictoriis ſubjectum in uttaque contradictoria accipi debet pro eiſdem plaoè inferioribus: in nniverſali quidem pro illis enumerandis copulativè, in particulari verò pro illis ennmerandis diſiunctivè. Atqoi in præfatarum contradictoriarum oniverſali vox *animal* accipitor pro ſolis generibus ſingulorum enomerandis copulativè: ergò in particulari accipi debet pro ſolis eiſdem ennmerandis diſinnctivè. *Et ratio à priori eſt:* Quia, ut ſupradixi, ſnppoſitio nihil eſt aliud, quam prolatio vocis cum intentione ſignificandi ejus ſignificata: adeoque ſuppoſitio diſinnctiva nihil eſt aliud, quam prolatio vocis communis cum intentione ſignificandi ſignificata ejns ſecundaria diſiunctivè enumeranda. Acqui poteſt quis proſerre vocem commonem cum intentione ſignificandi ſola ejus genera ſingulorum: formari enim à quopiam loquente talem intentionem, qnid vetat? Ergò dari poteſt ſuppoſitio diſiunctiva pro ſolis ſingulorum generibus.

28. *Obiicies*: Ut jam ſæpè dictnm eſt, ſubjectum propoſitionis affirmativæ ſupponitut pro illis ſuis infetiotibus, quibus quadrat, eoqnè modò enumerandis, quo illis quadrat ſignificatum prædicati formale: atqni in hac prædicatione, *Aliquod animal fuit in arca Noe*, ſignificatum formale prædicati quadrat non ſolis ſingulorum generibus, ſed omnibus inferioribus ſubjecti diſiunctivè enomerandis, tam ſingulis generum, quam genetibus ſingulorum: ergo ſubjectum ejus noo ſuppooitur pro ſolis ſingulorum genetibus diſiunctivè enumerandis. *Probatur minor:* Quia ut ſignificatum formale prædicati quadret omnibus omnino inſetiotibus, tam commnnibus, quam ſingularibus, ſnbjecti diſiunctivè enumerandis, ſatis eſt, ſi quadret vel uni eorum ſeorſim ac diviſim ſumpto: *In alternativis enim ſufficit unum adimpleri*. Atqui io præfata propoſitione ſignificatum prædicati formale, videlicet exiſtentia in arca Noe, quadrat multis ſubjecti inferioribus ſeotſim ac diviſim ſumptis: ergo quadrat omnibus omninò diſinnctivè ennmerandis.

29. *Reſp. negando majorem univerſaliter ſumptam*. Quia, ut ſnpta *diſp.* 14. dixi, regula hæc eſt ſæpè ac ordinariè veta, non tamen ſemper omoinò: claudicare enim poteſt, ac quandoque claudicat; clandicare, inquam, poteſt non tantum de facto, ſed etiam (licet tamen rariùs) de Jute. Iſta enim tam ampla ac extenſa ſubjecti ſuppoſitio limitari ac contrahi poteſt per intentionem loquentis: Qua loqnens velit ſnæ propoſitionis ſnbjectum non applicari ad ſignificanda omnia omninò ſua inſeriora, ſed ſola ejus genera ſingnlorum. Hoc, inquam, fieri poteſt non ſolùm illegitimè ex ordinata loquentis phantaſia, ſed etiam quandoquè legitimè ſervata tota Juris forma; ſi videlicet ex qualitate prædicati, vel alia locutionis circumſtantia qnivis andiens iſtam loqnentis inteotionem ac limitationem ſatis poſſit intelligere.

DUBIUM V.

De ſuppoſitione confuſa, ſeu diſiuncta.

30. HÆc paſſim definitnr hoc modo: Eſt uſurpatio vocis pro ſuis denominatis vel inſerioribus diſiunctim per conjnnctionem diſiunctivam diſiunctim ſumptam ennmerandis. Verb. grat. cum dico, *Aliquis equus requiritur ad equitandum*, *vellem habere aliquem Epiſcopatum*, *omnis homo eſt animal*. Iſtæ voces, *equus*, *Epiſcopatum*, *animal*, accipiuntnr diſinnctim: accipinotnr quippe pro ſuis inſerioribus diſiunctim eoumerandis. Dum namqne di-

co. *Vellem habere aliquem Epiſcopatum*, ſenſus non eſt, quod vellem habere Colonienſem, vel quod vellem habere Iprenſem, vel quod vellem habere Paterbonenſem, &c. ſed quod vellem habere aliquem, vel hunc, vel illum, vel iſtum: non quærendo aliquem determinatè in individuo, ſed ſolummodò vagè ac in confuſo. Et hinc hæc ſuppoſitio vocatur confuſa: Quia videlicet vocem non ſupponit pro aliquo ſuo inferiori determinato, ſed pro omnibus vagè ac confusè ſumptis.

31. *Ex quibus omnibus patet*: Quod hæ quatuor ſuppoſitionis perſonalis communis ſpecies inter ſe diſtinguantur ac ſpecificentur non penes ſignificata, pro quibus vocem communem ſupponunt; ſed penès modum enumerandi ſignificata, pro quibus vocem ſupponunt: *Ratio eſt clara*: Quia omnes hæ quatuor ſuppoſitiones vocem communem ſupponunt pro eiſdam planè ſignificatis; diverſo tamen modò enumerandis; ut hactenus dictum & oſtenſum eſt. Ergo hæ ſuppoſitiones non poſſunt diſtingui ac ſpecificari penès ſignificata, ſed penès modum enumerandi ſignificata, pro quibus vocem communem ſupponunt. *Patet conſeq.* Quia ſpecierum ſpecificatio deſumi debet, non penès id, in quo conveniunt, ſed penès id, in quo diſconveniunt: atqui hæ quatuor ſuppoſitionum ſpecies conveniunt planè in ſignificatis, pro quibus ſupponunt, & diſconveniunt in modo enumerandi illa: ergo earum ſpecificatio deſumi debet, non penès ſignificata, ſed penès modum enumerandi.

32. Dixi ſæpius, harum ſubjectum eſſe vocem communem: eſt, inquam, omnis & ſola vox communis ſubjectum omnium harum quatuor ſuppoſitionum: ſive ſit univerſalis, ſive ſingularis, id nihil refert; dummodò ſit communis, id ſatis eſt. Itaque omnes hæ quatuor ſuppoſitiones habent locum in voce *Deus*, non minùs, quam in voce *animal*, *homo*, aliave ſimili voce univerſali. V. g. in hac propoſitione, *Deus eſt ſapiens*, accipitur copulativè. In hac, *Deus eſt incarnatus*, accipitur diſiunctivè. In hac, *Deus eſt trinus*, *Deus eſt Trinitas*, accipitur copulatim. In hac, *Mediator, ac Redemptor generis humani debuit eſſe Deus*, accipitur diſiunctim. Hoc tamen adverte ex Ariminenſi diverſis in locis, præſertim *in 1. diſt. 4. quæſt.* 1. Quod voci *Deus* non poſſunt præfigi ſignum *omnis* vel *aliquis*; neque dicere licitum eſt, *Omnis Deus eſt ſapiens*, *aliquis Deus eſt incarnatus*; ſed dicendum eſt: *Omne ſuppoſitum, quod eſt Deus, eſt ſapiens*, *aliquod ſuppoſitum, quod eſt Deus, eſt incarnatum, &c.*

33. Etiam pro hac ſuppoſitione nullas aſſigno regulas, niſi hanc unicam generalem: Quotieſcumque ſubjectum propoſitionis affirmativæ accipitur copulativè, tunc ejus prædicatum accipitur diſiunctim. V. g. in his, *Homo eſt animal*, *omnis homo eſt albus*, prædicata accipiuntur confusè. *Ratio eſt clara*: Quia ſupponi confusè eſt ſupponi pro omnibus ſuis inferioribus diſiunctim enumerandis: atqui prædicatum univerſalis affirmationis ſemper accipitur pro ſuis inferioribus diſiunctim enumerandis: ergò ſemper ſupponitur confusè. *Prob. min.* Quia tunc prædicatum affirmatum accipitur pro ſuis inferioribus diſiunctim enumerandis, quando nullum ejus inferius ſeorſim ac diviſim ſumptum poteſt affirmari de ſubjecto, ſed ſolum omnia ſimul ſumpta confusè enumerata: atqui hoc contingit in omni prædicato univerſalis affirmationis: ergò omne illud prædicatum ſupponitur pro omnibus ſuis inferioribus diſiunctim enumerandis.

DISPUTATIO XVII.

De quibuſdam aliis vocum ſuppoſitionibus copulam prædicationis reſpicientibus.

DUBIUM I.

De Ampliatione, ejuſque ſpeciebus.

1. AMpliatio phyſica ac realis eſt alicujus rei extenſio ad occupandum majorem locum. Sic dicimus ampliare veſtem, ampliare aulam, &c. Ampliatio Logica, de qua hic nobis agendum eſt, eſt extenſio vocis ad ſignificanda plura ſignificata, quam antea ſignificabat. Hæc dividitur in ampliationem temporum, & ampliationem ſuppoſitorum. Ampliatio ſuppoſitorum eſt extenſio vocis ad ſignificanda plura inferiora, vel denominata, quam antea ſignificabat: v. g. ſi primò dicam, *Duo homines ſunt docti*, & poſtea dicam, *Omnes homines ſunt docti*, in ſecunda propoſitione amplio vocem *homo* ampliatione ſuppoſitorum: quia à ſignificatione duorum inferiorum extendo illam ad ſignificationem omnium omninò inferiorum ſuorum. Ampliatio temporum eſt extenſio ſeu uſurpatio vocis ad ſignificandum ſignificatum ſuum exiſtere pro pluribus temporum differentiis, quam exigat principalis copula propoſitionis. V. g. in hac propoſitione, *Homo eſt animal*, vox *homo* ampliatur ampliatione temporum: uſurpatur enim non tantùm ad ſignificandum hominem: qui eſt tempore præſenti, ut exigit principalis copula propoſitionis; ſed etiam ad ſignificandum hominem omnem, qui fuit tempore præterito, qui erit tempore futuro, & qui eſſe poteſt in tempore poſſibili: facitque propoſitio hunc ſenſum: Homo, qui eſt, qui fuit, qui erit, qui eſſe poteſt, eſt animal. Et de hac ampliatione ad tempora hic loquemur: illa enim intelligitur, dum de ampliatione Logica loquimur ſine addito.

2. Inter duas autem haſce ampliationes ſunt quædam diſcrimina. *Primum eſt*: Quod ampliatio temporum locum habeat in ſolis enuntiationibus; at verò ampliatio ſuppoſitorum tam in orationibus non-enunciativis, quam in enunciativis locum habet. *Prima pars eſt clara*: Quia ampliatio temporum eſt extenſio ſeu uſurpatio vocis ad ſignificandum ſignificatum ſuum exiſtere pro pluribus temporum differen-

tiis,

tiis, quam exigat principalis copula propoſitionis: adeoque ampliatio temporum locum habet in ſolis orationibus copula conſtantibus. Atqui ſolæ enunciationes ſunt orationes copula conſtantes: ergo ampliatio temporum babere poteſt locum in ſolis enunciationibus. *Claru quoque eſt altera pars*: Quia ampliatio ſuppoſitorum eſt extenſio ſeu uſurpatio vocis ad ſignificanda plura denominata ſeu inferiora, quam anteà ſignificabat: atqni hæc extenſio fieri poteſt in quavis oratione: non in ſola enunciatione: ergo ampliatio ſuppoſitorum habere poteſt locum in quavis oratione. *Probatur minor*: Quia ſicut quandò dico, *Uterque homo eſt doctus*, *& omnis homo eſt doctus*, in propoſitione ſecſida amplio vocem *homo* ampliatione ſuppoſitorom; ſic eadem ampliatione illam amplio, qnando dico, *Uterque homo doctus*, *& omnis homo doctus*.

3. *Alterum diſcrimen eſt*: Quod ſuppoſitorum ampliatio eſt vera ſpecies acceprionis perſonalis; at verò ampliatio temporum eſt ſuppoſitio quædam diverſa (non quidem in re, ſed in modo ſignificandi & concipiendi) ab acceptione ſimplici, materiali, & perſonali. *Psima pars patet*: Qnia ſuppoſitio perſonalis eſt uſurpatio vocis pro ſuis inferioribus ſeu denominaris: adeoque omne illud, quod eſt uſurpatio & uſurpatio vocis pro ſuis inferioribus aut denominatis, eſt ſpecies quædam ſuppoſitionis perſonalis. Atqui ampliatio ſuppoſirorum eſt uſurpatio vocis pro ſuis inferioribus vel denominaris: ergo eſt ſpecies ſuppoſitionis perſonalis. *Altera pars etiam patet:* Quia ſnppoſitio materialis ſupponit vocem pro ſeipſa; ſimplex ſupponit illam pro ſolo ſuo ſignificaro primario: perſonalis verò illam ſupponit pro ſignificatis ſuis ſecundariis. Aſt verò ampliatio temporum ſupponir vocem ad ſignificanda tempora, quibus ſignificatum ejus exiſtit: ergo ampliatio hæc eſt quædam ſuppoſitio vocis diverſa ab illis tribus.

4. Eſt, inquam, ſuppoſitio quædam diverſa ab iſtis tribus, non quidem realiter, ſed ſolo connorato, & ratione; ſeu in ſolo modo concipiendi, & ſignificandi. Ampliatio quippe temporum identificatur quandoque ſuppoſitioni materiali, quandoquè ſimplici, quandoquè perſonali: quandoquè copulativè, quandoquè diſiunctive, &c. pro diverſa occurrentia materiæ. Ampliatio enim temporum habere poteſt locum in omnibus tribus ſuppoſitionum generibus: vox enim extendi & uſurpari poteſt, non ſolùm ad ſignificandum ſuum ſignificatum primarium ſecundarium, ſed etiam ad ſignificandam ſeipſam exiſtere pro pluribus tempotum differentiis, quam exigat principalis copula propoſitionis. Hinc ampliatio, quæ fit in ſuppoſitione materiali, ſimplici, vel perſonali: ſive potius ampliatio, qnæ eſt in voce materialiter, ſimpliciter, vel perſonaliter accepta, identificatur ſuppoſitioni materiali, ſimplici, vel perſonali. *Ratio eſt:* Qnia ſuppoſitio perſonalis eſt prolatio vocis ſimul cum intentione ſignificaodi ſignificata ejus ſecundaria; ampliatio verò vocis perſonaliter acceptæ eſt prolatio vocis ſimul cum intentione ſignificandi ſignificata ejus ſecundaria exiſtere in pluribus temporum differentiis, quam exigat copula propoſitionis: atqui neque hæ prolationes, neque bæ intentiones diſtinguuntur realiter: ergò etiam ampliatio & ſuppoſitio vocis perſonalis realiter non diſtinguuntur. Quod non differant prolationes, *eſt clarum*: Quia prolatio vocis idem eſt, quod productio vocis; adeoque diſtinguitur penes diſiunctionem vocis: & per conſequens ſicut eſt eadem vox ampliata, & perſonaliter accepta; ſic etiam eſt eadem prolario vocis ampliatæ ac perſonaliter acceptæ. Quod neque iſtæ intenriones differant, *etiam eſt clarum*: Quia poteſt loquens eadem volitione, eodemquè actu velle ſignificare ſignificara ſecundaria vocis à ſe prolatæ, ac ſimul eorum exiſtentiam pro pluribus temporum differentiis, quam exigat copula propoſitionis.

5. Pro intelligenda ampliationis diviſione, noviſse oporret: Quod Summuliſtæ quinque aſſignent temporum differentias: tres reales, & duas artificiales. Reales ſunt tempus præſens, præteritum, & ſururum; artificiales verò ſunt poſſibile & imaginarium. Hæc duo tempora vocantur tempora artificialia, quia res in illis realiter, ac verè non exiſtunr, ſed invenra ſolummodo ſunt ab Artis Summuliſticæ Profeſſoribus ad explicandos multos conceptus, quos de rebus formamus, qui per ſola tempora realia non poſſunt ſatis commodè explicari. Tempus poſſibile vocatur illud, in quo exiſtunt res, quæ neque ſunt, neque ſuerunt, neque erunt, tamen eſse poſſunt. V. g. tempus, in quo exiſtit alter mundus. Tempus imaginarium vocatur illud, in quo exiſtunt res, quæ nec ſunt, nec ſuerunt, nec erunt, nec eſſe poſſunt, poſſunt tamen fingi & concipi. V. g. tempus, in quo exiſtit chymera. Hoc poſito. Ampliatio ordinariè aſſignatur quintuplex: videlicet ampliatio ad tempus præſens & præterirum: ad præſens & futurum: ad præſens, præteritum, & ſuturum: ad præſens, præteritum, ſuturum, ac poſſibile: & ad præſens, præteritum, futurum, poſſibile, ac imaginabile.

6. Quidam hic agglomerant magnum regularum numerum. Sed neſcio cui fini: nam à tempore, quo ego in ſcholis verſor, nunquam de illis in exercitio ſcholaſtico mentionem fieri audivi. Taceo ergo & calamum ſiſto. Eſt tamen una regula ſcitu & explicatu digna, quam quandoque in ſcholaſtico exercitio nominari contingit. *Regula eſt hæc*: Subjectum cujuſcumque propoſitionis neceſſariæ ampliatur ad quatuor temporum differentias, præſens, præterirum, ſuturum & poſſibile. Ita ampliantur ſubjecta harum propoſitionum, *Homo eſt animal*, *homo eſt riſibilis*. Faciuntque hunc ſenſum: Homo, qui eſt, qui ſuit, qui erit, & qui eſſe poteſt, eſt animal, eſt riſibilis. *Ratio regulæ eſt*: Quia ſubjectum cujuſcumque prædicationis affirmativæ ampliatur ad omnia iſta tempora, pro quibus illi convenir ſignificatum formale prædicati: atqui in propoſitione quavis neceſſaria ſignificatum formale prædicati convenit ſubjecto pro quatuor illis temporibus: ergo ſubjectum ejus ampliatur ad quatnor iſta tempora. *Minor clara eſt intelligenti terminos: minor probatur*: Quia ſignificatum formale prædicati, quod convenit ſemper, & ubiquè, quodquè oun-

Digitized by Google

nunquam poteſt non convenire, convenit ſubjecto ſuo in omnibus illis quatuor temporibus: atqui ſignificatum formale prædicati neceſſarii convenit ſemper & ubique, neque poteſt ſubjecto ſuo non convenire: ergo convenit in omnibus illis quatuor temporibus. *Probatur minor*: Quia ſignificatum formale prædicati à ſubjecto planè inſeparabile, planèque identificatum nunquam poteſt ſubjecto non convenire: atqui ſignificatum formale prædicati neceſſarii eſt ſubjecto ſuo realiter identificatum: ut dicam infrà. Ergo nunquam poteſt ſuo ſubjecto non convenire.

DUBIUM II.

De Diſtractione, & Statu Logico.

7. Diſtractio moralis ſeu Ethica eſt averſio mentis ab opere agendo, cui deberet attendere, & converſio ejus ad opus: aut rem quandam impertinentem: ſic etiam Diſtractio Logica eſt averſio vocis à tempore copulæ debito, & converſio ejus ad tempus impertinens, & à ſignificatione copulæ alienum. Eſt, inquam, nihil aliud, quam uſurpatio vocis ad ſignificandum ſignificatum ſuum exiſtere pro alio tempore, quam importetur per copulam propoſitionis principalem. V. g. cum dico, *Cæci vident, muti loquuntur, mortui vivunt, &c.* omnia iſta ſubjecta diſtrahuntur, habentque diſtractionem: uſurpantur enim ibi ad ſignificandum aliquod ſignificatum alterius temporis, quam ſit principalis copula propoſitionis. Uſurpantur quippe ad ſignificandum ſignificatum temporis præteriti, cum copula propoſitionis ſit temporis præſentis. Nam iſta ſubjecta *mutus, cæcus, mortuus* non ſignificant cæcos, mutos, aut mortuos temporis præſentis, ſed temporis præteriti: faciuntque hunc ſenſum. Homines, qui fuerunt mortui, ſurdi, muti, cæci, modò vivunt, audiunt, vident, loquuntur. Dividiturque diſtractio in diſtractionem à tempore præſenti, à tempore præterito, & à tempore futuro.

8. Status Logicus nihil eſt aliud, quam uſurpatio vocis ad ſignificandum ſignificatum ſuum exiſtere pro tempore per principalem copulam importato. Undè ſtatus eſt quaſi quid medium inter diſtractionem ac ampliationem: nam ampliatio ſignificationem ſubjecti ultra ſignificationem copulæ extendit, diſtractio ſubjecti ſignificationem à ſignificatione copulæ avertit, & diſtrahit; at verò ſtatus Logicus ſignificationem ſubjecti, ad ſignificationem copulæ coarctat & affigit. V. g. in hac propoſitione, *Petrus eſt albus*, vox *Petrus* habet ſtatum: accipitur enim pro Petro temporis præſentis juxta exigentiam copulæ propoſitionis. Facitque hunc ſenſum: Petrus, qui modò eſt, eſt albus. Dividitur ſtatus ſicut diſtractio, in ſtatum pro tempore præſenti, pro tempore præterito, ac in ſtatum pro tempore futuro. Formare eorum exempla ac definitiones, facilè eſt.

9. Pleraque illa, quæ dixi de ampliatione, locum etiam habent in ſtatu, & diſtractione. Itaque ſtatus & diſtractio ſunt verè vocum ſuppoſitiones. *Ratio eſt*: Quia ſuppoſitio eſt applicatio vocis ad ſignificandum: atqui diſtractio & ſtatus ſunt applicatio & poſitio vocis in contextu orationis ad ſignificandum: ſunt quippe poſitio vocis in orationis contextu ad ſignificandum ſignificatum ſuum exiſtere pro tempore ad ſignificationem copulæ accommodo vel diſcommodo. Ergo ſunt vera vocis ſuppoſitio. In ſuo præciſo conceptu neque ſunt ſuppoſitio materialis, neque ſimplex, neque perſonalis; aſt in re identificantur quandoque ſuppoſitioni materiali, quandoque ſimplici, quandoque perſonali; V. g. in hac propoſitione, *Cæci vident*, diſtractio vocis *cæci* identificatur cum ejuſdem vocis ſuppoſitione perſonali. *Ratio eſt*: Quia ſuppoſitio perſonalis eſt prolatio vocis cum intentione ſignificandi ejus ſignificata ſecundaria; diſtractio verò eſt prolatio ejuſdem vocis cum intentione ſignificandi ſignificata ejus ſecundaria exiſtere pro alio tempore, quam exigat propoſitionis copula: atqui hæ duæ prolationes, idem hæ duæ intentiones ſibi mutuò identificantur: ut *dixi dub.* 1. Ergo vocis diſtractio & vocis perſonalis ſuppoſitio ſibi mutuò realiter identificantur. Eodem modo loquendum eſt de aliis ſuppoſitionum generibus ad diſtractionem, ac etiam ad ſtatum comparatis.

10. Ex quibus omnibus patet, cur ſuprà in titulo hujus diſp. dixerim, ampliationem, ſtatum, ac diſtractionem eſſe vocum ſuppoſitiones reſpicientes propoſitionis copulam. *Ratio, inquam, hujus eſt*: Quia omnis dependens reſpicit illud, à quo dependet: atqui ampliatio, ſtatus, & diſtractio dependent à copula propoſitionis: ergo reſpiciunt copulam propoſitionis, adeoque ſunt ſuppoſitiones reſpicientes copulam propoſitionis. *Probatur minor*: Quia dependere ab aliquo eſt non poſſe eſſe ſine aliquo: atqui ſtatus, diſtractio, & ampliatio eſſe non poſſunt ſine copula propoſitionis; ut ſatis patet ex eorum definitionibus: ergo etiam dependent à copula propoſitionis. In quo differunt ab omni alia vocis ſuppoſitione: Nam omnia ſuppoſitionis genera, omneſque ejus ſpecies, item appellatio & determinatio, eſſe, & fieri poſſunt ſine copula extra propoſitionem; ut patet conſideranti. De his omnibus vide plura apud Laurentium Gyſſene.

DISPUTATIO XVIII.

De aliis vocum ſuppoſitionibus copulam non reſpicientibus.

HÆ ſunt appellatio & determinatio. Quibus diutiùs & longiùs inhærendum eſt, quam ſtatui diſtractioni, & ampliationi inhæſum fuit. Sunt enim hæ magis ordinariæ, magiſque ſcitu neceſſariæ: cum ex earum cognitione pendeat ſolutio multarum difficultatum, & Philoſophicarum, & Theologicarum. Quod verò hæ copulam non reſpiciant,

ſatis

ſatis patebit ex earum definitionibus, aliiſque dicendis.

DUBIUM I.

De natura Appellationis Logicæ.

SECTIO I.

Quid ſit Appellatio Logica?

1. Dico appellatio Logica: Quia non in Jure, ſed in Summulis Logicæ præambolis modò verſor. Appellatio ergo Logica definiri ſolet hoc modo: Eſt applicatio ſignificati formalis unius vocis ſupra ſignificatum alterius. Sive in concreto: Appellare eſt ſignificatum formale unius vocis applicare ſupra ſignificatum alterius. Unde appellatio eſt duplex: Activa videlicet & paſſiva. Activa tenet ſe ex parte vocis appellantis; nihilque eſt aliud, quam activa applicatio & poſitio, qua una vox ſignificatum ſuum formale ponit & applicat ſupra ſignificatum vocis alterius. Sive in concreto, Vocem appellare nihil eſt aliud, quam unam vocem ponere & applicare ſignificatum ſuum formale ſupra ſignificatum vocis alterius. Appellatio paſſiva tenet ſe ex parte vocis appellatæ; nihilque eſt aliud, quam paſſio ſeu receptio, qua una vox ſupra ſignificatum ſuum recipit, ac quaſi patitur ſignificatum formale alterius. Sive in concreto, Unam vocem ab alia appellari nihil eſt aliud, quam unam vocem ſupra ſignificatum ſuum recipere, & quaſi pati ſignificatum formale alterius vocis; v. g. cum dico, *Homo eſt doctus*, in voce *doctus* eſt appellatio activa; in voce verò *homo* eſt appellatio paſſiva: ſive vox *doctus* appellat vocem *homo*, & vox *homo* appellatur à voce *doctus*: Quia videlicet vox *doctus* ponit & applicat ſuum formale ſignificatum, videlicet doctrinam, ſupra ſignificatum vocis *homo*, videlicet ſupra naturam humanam; facitque propoſitio hunc ſenſum; Homo eſt habens doctrinam ſibi applicatam, ac in ſe poſitam.

2. Dixi in definitione, *Appellatio eſt applicatio ſignificati formalis unius vocis ſupra ſignificatum alterius vocis*: Non addendo *ſupra ſignificatum formale alterius vocis*. Quia id nullatenus debet addi: nec enim ad appellationem requiritur, ut una vox ponat ſignificatum ſuum formale ſupra ſignificatum formale alterius; dummodo ponat ſupra alterius vocis ſignificatum, ſive formale, ſive materiale, id parum refert: uti patebit ex dicendis. Immò aliqui volunt ad appellationem in genere ne quidem requiri, ut una vox ponat ſignificatum formale ſuum ſupra ſignificatum alterius vocis; ſed ſolummodò, ut illud ponat vel ſupra aliam vocem, vel ſupra ſignificatum alterius vocis. Adeoque dicunt definitionem jam à me datam non eſſe adæquatam, neque convertibilem. *Et probant hoc modò*. Poteſt dari appellatio, quæ non ſit applicatio ſignificati formalis unius vocis ſupra ſignificatum alterius vocis: ergo illa definitio non eſt convertibilis cum ſuo definito. *Probatur antecedens*: Quia in hac propoſitione, *homo eſt nomen*, vel *homo eſt diſſyllabum*, ſit vera appellatio: ibi enim vox *nomen* ponit ſuum formale ſignificatum ſupra aliud. Atqui non ponit ibi ſuum formale ſignificatum ſupra aliud alterius vocis ſignificatum; ſed ſupra aliam vocem: ergo poteſt dari vera appellatio, quæ non comprehendatur iſta noſtra definitione; quæque non ſit poſitio ſignificati formalis unius vocis ſupra ſignificatum alterius vocis: adeoque appellatio ſumpta in genere, ut adæquatè & convertibiliter definiatur, definiri debet hoc modo: Eſt poſitio ſignificati formalis unius vocis ſupra aliud. *Id eſt*: Vel ſupra aliam vocem, vel ſupra aliud alterius vocis ſignificatum. *Probatur minor*: Quia prædicatum propoſitionis ſemper ponit ſignificatum ſuum formale ſupra illud, pro quo ſupponitur ſubjectum: atqui in præfata propoſitione vox ſubjecta *homo* non ſupponitur pro ſuo ſignificato; ſed pro ſeipſa: ergo etiam vox prædicata *nomen* ſuum formale ſignificatum ponit, non ſupra ſignificatum vocis *homo*, ſed ſupra ipſam vocem *homo*.

3. Argumentum hoc non eſt contemnendum; efficax enim eſt: neque video, quid illi cum fundamento poſſit reſponderi. Probo itaque hanc definitionem. *Appellatio in genere eſt poſitio ſignificati formalis unius vocis ſupra aliud*. Per *aliud* intelligendo vel aliud ſignificatum, vel aliam vocem. Neque dici poteſt, quod appellatio eſſentialiter ſit poſitio ſignificati ſupra ſignificatum. Hoc, inquam, ex capite fingitur, non verò cum ratione dicitur: Quia oportet philoſophari de appellatione, ſicut philoſophamur de prædicatione: omnis enim prædicatio, ſaltem affirmativa, eſt vera appellatio. Atqui prædicatio non debet eſſe poſitio ſignificati ſupra ſignificatum; ſed ſolummodo poſitio ſignificati ſupra aliud: videlicet vel ſupra ſignificatum vel ſupra vocem: nam, uti omnibus notum eſt, prædicationum ſubjecta ſupponuntur quandoque formaliter, quandoque materialiter: Ergo eodem modo philoſophandum eſt de appellatione.

SECTIO II.

Qualitates requiſitæ in voce appellante, & voce appellata.

4. Hinc appellatio Logica non poteſt fieri in unica voce, ſed neceſſariò requirit voces plures: quarum una vocatur vox appellans, alia vocatur vox appellata. Vox appellans eſt illa quæ ponit ſuum formale ſignificatum ſupra aliam vocem, vel ſupra alterius vocis ſignificatum. Vox appellata eſt illa quæ recipit ſupra ſe, vel ſupra ſuum ſignificatum, ſignificatum alterius vocis. Vox appellata nullas requirit certas qualitates, ſed eſſe poteſt ſignificativa, non ſignificativa, abſtracta, concreta, &c. *Et ratio eſt clara*: Quia vox appellata eſt illa, quæ ſupra ſe, vel ſupra ſuum ſignificatum recipit ſignificatum formale alterius vocis: atqui id pati poteſt omnis omninò vox: tam non-ſignificativa, quam ſignificativa: ut facilè patebit conſideranti, & exempla inducere volenti. Ergo omnis omninò vox poteſt appellari,

ri, & eſſe vox appellata: adeoque vox appellata nullas requirit certas qualitates.

5. Attamen, ſi vox appellata fuerit ſignificativa, ac in orationis contextu ſignificativè poſita, debet eſſe ſubſtantiva, vel certè ſubſtantivata: itaque voces adjectivæ adjectivè ſumptæ non poſſunt appellari, neque eſſe voces appellatæ. Ita Scotus *in* 1. *diſt.*12. *quæſt.*1. Ubi dicit inter duo adjectiva addita ſibi mutuo neutrum determinare aliud, ſed ambo determinare aliquod tertium ſubſtantivum. Ubi per τὸ *determinare* Scotus intelligit appellare: multi enim antiqui Philoſophi & Theologi inter determinationem, & appellationem non diſtinxerunt, ſicut diſtinguimus modò, ſed illa inter ſe confuderunt, ac pro eiſdem habuerunt. *Ratio mei dicti eſt*: Quia vocem aliquam ſignificativam appellari eſt illam ſignificatum formale alterius vocis recipere ſupra ſignificatum ſuum: atqui ſicut unum accidens nequit in ſe recipere aliud accidens, ſic etiam unum adjectivum nequit ſupra ſuum ſignificatum recipere ſignificatum alterius adjectivi: ergo unum adjectivum nequit appellari ab alio, neque eſſe vox appellata: adeoque vox appellata, quando eſt ſignificativa, & ſignificativè ſumpta, debet eſſe ſubſtantiva, vel certè ſubſtantivata. Scotus hanc rationem proponit hoc modo: Appellari eſt vocis appellantis dependentiam terminare: atqui unum adjectivum nequit terminare dependentiam alterius, ſed omnis dependentia adjectivi terminari debet ad aliquod ſubſtantivum: ergo vox appellata non poteſt eſſe adjectiva, ſed eſſe debet ſubſtantiva. *Probatur minor*: Quia omne dependens non poteſt terminari ad aliud eadem dependentia dependens; ſed neceſſariò terminari debet ad aliquod ſua dependentia independens: atqui duo adjectiva dependent eadem dependentia: ergo unum non poteſt terminare dependentiam alterius; ſed utriuſque dependentia terminari debet ad aliquod ſubſtantivum, quod eſt iſta dependentia independens.

6. In voce appellante communiter requirunt has qualitates. Ut ſit vox ſignificativa concreta. Poteſt eſſe tam ſubſtantiva, quam adjectiva: ut patebit in exemplis infra adducendis. Non poteſt eſſe abſtracta; ſed planè neceſſariò eſt concreta. *Ratio eſt*: Quia vox appellans eſt illa, quæ ſuum formale ſignificatum ponit ſuprà aliud: adeoque vox appellans debet eſſe vox habens ſignificatum; & quidem ſignificatum formale. Atqui vox habens ſignificatum eſt vox ſignificativa; & vox habens ſignificatum formale eſt vox concreta: ſola quippe concreta vox habet ſignificatum formale & materiale. Ergo vox appellans debet eſſe vox ſignificativa concreta. Sed hoc mihi non placet: Jam enim dixi, omnem prædicationem eſſe appellationem, omnemque vocem prædicatam, ſive ſit concreta, ſive abſtracta, eſſe vocem appellantem: adeoque loquendo conſequenter

7. *Dico*: Vocem appellantem poſſe eſſe tam abſtractam, quam concretam; verb.grat. in his prædicationibus, *Albedo eſt color*, *humanitas eſt rationalitas*, *&c.* Iſta prædicata abſtracta ſunt voces appellantes. *Ratio eſt*: Quia in definitione vocis appellantis, & appellationis non oportet ſuperſtitioſum eſſe, neque per ſignificatum formale intelligere ſignificatum formale præciſiſſimè ſumptum; ſed intelligere oportet ſignificatum vocis principale. Ut definitio faciat hunc ſenſum: Vox apellans eſt illa, cujus principale ſignificatum ponitur ſupra aliud: adeoque omnis vox habens ſignificatum principale ponibile ſupra aliud eſſe poteſt vox appellans. Atqui voces abſtractæ habent ſignificata principalia ponibilia ſupra aliud; uti patet in præfatis prædicatis. Ergo poſſunt eſſe voces appellantes. *Probatur minor*: Quia ſignificatum ponibile ſuprà aliud eſt ſignificatum affirmabile de alio: etenim quid aliud foret? Atqui voces abſtractæ habent ſignificata principalia affirmabilia de aliquo: uti eſt in comperto. Ergo habent ſignificata principalia ponibilia ſupra aliud. Ergo appellare valent, ac eſſe voces appellantes.

8. *Præterea dico*: Vocem appellantem non debere eſſe ſignificativam, ſed poſſe eſſe non-ſignificativam; v.g. in hac propoſitione, *Hoc blictri eſt blictri*, prædicatum *blictri*, quod eſt vox non-ſignificativa, eſt vox appellans. Adeoque appellatio activa in voce ſibi ſubjecta nullas omninò requirit qualitates, aut diſpoſitiones; ſed habere poteſt locum in quacumque, & qualicumque voce. *Ratio eſt*: Quia, ut jam dixi, vox appellans ſolummodò eſſe debet vox habens principale ſignificatum ponibile ſupra aliud: atqui vox *blictri*, aliæque ſimiles voces non-ſignificativæ habent ſignificatum principale ponibile ſupra aliud: ergo poſſunt eſſe voces appellantes. *Probatur minor*: Quia vox *blictri*, omniſque omninò alia vox ſignificativa & non-ſignificativa ſignificat ſuum ſuperius, ſuamque ſpeciem: atqui ſpecies vocis eſt quid in orationis contextu ponibile ſupra aliud: ergo etiam voces non-ſignificativæ habent ſignificatum principale ponibile ſupra aliud. Vide quæ dixi *diſp.* 5. *dub.*2.

9. *Ex quibus omnibus patet*: Quidnam in re ſit appellatio, tam paſſiva, quam activa; & quomodo inter ſe diſtinguantur. Appellatio enim eſt vera ſpecies ſuppoſitionis: appellatio quidem activa eſt ſuppoſitio vocis appellantis; paſſiva verò eſt ſuppoſitio quædam vocis appellatæ. *Ratio eſt*: Quia ſuppoſitio eſt prolatio vocis cum intentione ſignificandi: atqui utraque appellatio eſt prolatio vocis appellantis & appellatæ cum intentione ſignificandi: ergo utraque appellatio eſt vera ſuppoſitio. *Patet minor*: Quia appellatio activa nihil eſt aliud, quam prolatio vocis appellantis cum intentione ſignificandi ſignificatum ejus formale inexiſtere alicui alteri; appellatio verò paſſiva nihil eſt aliud, quam prolatio vocis appellatæ cum intentione ſignificandi, quod ipſi, vel ipſius ſignificato inexiſtat ſignificatum formale vocis appellantis: ergo utraque hæc appellatio nihil eſt aliud, quam vocis prolatio, & ſignificandi intentio. *Patet antecedens*: Quia appellatio activa eſt propoſitio ſignificati formalis unius vocis ſupra aliud; appellatio verò paſſiva

eſt

eſt receptio ſignificati formalis alterius vocis ſupra ſe, vel ſupra ſuum ſignificatum: atqui hæc nihil ſunt, nec eſſe poſſunt aliud, quam prolatio duarum vocum cum intentione ſignificandi, quod ſignificatum formale unius inexiſtat alteri voci, vel alterius vocis ſignificato: per iſtam enim intentionem dicitur una vox ſignificatum ſuum formale ſupra aliam ponere, & alia ſignificatum formale alterius ſuprà ſe recipere. Ergo, &c. Adeoque appellatio, tam activa, quam paſſiva, eſt vera vocis ſuæ ſuppoſitio.

SECTIO III.

Alia quædam de appellatione.

10. TRia adhuc ſuperſunt dubiola. *Primum eſt*: Quomodo appellatio activa & paſſiva diſtinguantur? *Secundum eſt*: An appellatio ſit ſuppoſitio perſonalis, ſimplex, vel materialis? *Tertium eſt*: Quomodo ſeſe habeant appellatio & propoſitio; ſeu prædicatio? *Ad primum dico*: Haſce appellationes in aliquo ſui realiter diſtingui, in aliquo realiter identificari. Appellatio quippe, ut jam dixi, dicit duo: videlicet vocum appellantis & appellatæ prolationem, cum quadam ſignificandi intentione: in prolatione realiter diſtinguuntur; in intentione verò ſignificandi realiter identificantur. *Ratio eſt clara*: Quia appellatio paſſiva importat prolationem vocis appellatæ; appellatio verò activa importat prolationem vocis appellantis: atqui, ſicut vox appellans & vox appellata differunt realiter, ita quoque differunt earum prolationes: ergo ex parte prolationis hæ duæ appellationes differunt realiter. *Sic etiam ratio alterius eſt clara*: Quia appellatio activa dicit intentionem ſignificandi, quod ſignificatum formale vocis appellantis inexiſtat vel voci appellatæ, vel ſignificato ejus; appellatio verò paſſiva dicit intentionem ſignificandi, quod voci appellatæ, vel ejus ſignificato inexiſtat ſignificatum formale vocis appellantis: atqui hæ duæ intentiones non aliter differunt, quam via Colonia Moguntiam, & via Moguntia Coloniam: ergo hæ duæ appellationes in iſta intentione non diſtinguuntur, ſed realiter identificantur.

11. Ad ſecundum reſpondeo eo modo, quo reſpondi *diſp.* 17. de Ampliatione, Statu & Diſtractione. *Dico ergo*: Quod ſub conceptu Appellatio neque ſit ſuppoſitio ſimplex, neque materialis, neque perſonalis; ſed eſt quædam ſuppoſitio à tribus illis diverſa: ut planum eſt examinanti ſingularum definitiones. At verò loquendo prout res ſeſe habet à parte rei, appellatio aliquandò eſt ſuppoſitio ſimplex, aliquandò perſonalis, aliquandò materialis; v. g. cum dico, *Homo eſt animal*, tam appellatio activa vocis *animal*, quam paſſiva vocis *homo*, eſt ſuppoſitio perſonalis. Cum dico, *Blictri eſt blictri*, utraque appellatio eſt ſuppoſitio materialis. Cum verò dico, *Homo eſt ſpecies*, appellatio paſſiva ſubjecti eſt ſuppoſitio ſimplex; appellatio verò activa prædicati eſt ſuppoſitio perſonalis. Cum verò dicò, *Homo eſt nomen*, appellatio paſſiva ſubjecti eſt ſuppoſitio materialis; at verò appellatio activa prædicati eſt ſuppoſitio perſonalis. Quæ omnia clara & manifeſta ſunt ex dictis tum hac, tum diſp. præced.

12. *Ad tertium dico*: Quod appellatio comparari poſſit vel cum prædicatione in genere, vel cum prædicatione affirmativa, vel cum prædicatione negativa. Cum prædicatione affirmativa habet ſe ut magis communis: nam quidem omnis affirmatio eſt appellatio, non tamen è contra omnis appellatio eſt affirmatio: appellationes quippe fieri poſſunt non ſolùm in prædicationibus, ſed etiam in orationibus nonenuntiativis; v. g. cum dico, *Homo albus*, *homo doctus*, *animal rationale*, in iſtis orationibus ſemper eſt appellatio vocis poſterioris ſupra priorem. Cum prædicatione negativa habet ſe ut repugnans: Nam, ut mihi videtur, appellatio fieri nequit in prædicatione negativa: in prædicatione, inquam, negativa nequit prædicatum appellare ſupra ſubjectum. *Ratio eſt*: Quia appellatio eſt applicatio ſignificati formalis unius vocis ſupra ſignificatum alterius vocis: adeoque tunc prædicatum appellat ſupra ſubjectum, quandò ſignificatum formale prædicati applicatur, & ponitur ſupra ſignificatum ſubjecti. Atqui in prædicatione negativa ſignificatum formale prædicati non ponitur, neque applicatur ſupra ſignificatum ſubjecti; ſed tollitur, ac removetur ab eo: ergo in prædicatione negativa prædicatum nequit appellare ſupra ſubjectum. *Deinde*: Unam vocem ſupra aliam appellare eſt unam vocem ſignificare ſuum formale ſignificatum inexiſtere vel alteri voci, vel ſignificato alterius vocis: atqui in prædicatione negativa prædicatum non ſignificat ſuum formale ſignificatum inexiſtere ſubjecto; ſed ſignificat illud abeſſe, & remotum eſſe à ſubjecto: ergo in prædicatione negativa prædicatum nequit appellare ſupra ſubjectum.

13. Dico, *Prædicatum nequit appellare ſuprà ſubjectum*: quia in prædicatione negativa inter voces ejuſdem extremi una poteſt appellare ſupra aliam; v. g. cum dico, *Petrus non eſt homo albus*, vox *albus* appellat ſupra vocem *homo*. Item cum dico, *Equus non eſt animal rationale*, vel *Animal rationale non eſt equus*, vox *rationale* appellat ſupra vocem *animal*. Cum ergo dico, quod in prædicatione negativa nequeat fieri appellatio, nec una vox appellare ſupra aliam; intelligi debet hoc ſenſu: In prædicatione negativa dari non poteſt appellatio prædicati ſupra ſubjectum. Appellatio verò comparata cum prædicatione in communi, eſt excedens & exceſſa: multæ quippe appellationes non ſunt prædicationes; & è contra multæ prædicationes, omnes videlicet negativæ, non ſunt appellationes. Ex quo habes, quod omne prædicatum prædicationis affirmativæ ſit vox appellans; omne verò ejus ſubjectum ſit vox à prædicato ſuo appellata.

14. Hoc uſque de appellationis eſſentia. Diviſiones ejus fingi poſſent variæ: unica eſt nobis neceſſaria, & in ſcholis valde ordinaria, ſine ejus perfecta cognitione ne Theologiam in-

inchoes, niſi in multis propoſitionibus Divinam Trinitatem, ac Incarnationam concernentibus turpiſſimè errare deſideres. *Diviſio eſt hæc*: Dividitur appellatio in materialem & formalem. Appellatio materialis eſt applicatio ſignificati formalis unius vocis ſupra ſignificatum materiale alterius vocis; verb. grat. cum dico, *Album eſt dulce*, vox *dulce* appellat ſupra vocem *album* appellatione materiali: quia vox *dulce* ſuum formale ſignificatum ponit & applicat, ac inexiſtere ſignificat lacti, quod eſt ſignificatum materiale vocis *album*. Appellatio formalis eſt applicatio ſignificati formalis unius vocis ſupra ſignificatum formale alterius; v. gr. cum dico, *Ariſtoteles fuit magnus philoſophus*, vox *magnus* appellat ſupra vocem *Philoſophus* appellatione formali: quia ſuum formale ſignificatum ponit, applicat, ac inexiſtere ſignificat ſignificato formali vocis *philoſophus*, videlicet philoſophiæ; facitque hunc ſenſum: Ariſtoteles habuit magnam philoſophiam. In intellectu harum appellationum latet magna pars ſubtilitatis philoſophicæ. Sed, ut locum habeant, vox appellata (non autem appellans) eſſe debet concreta, habens ſignificatum formale cum materiali.

DUBIUM II.

Regulæ quædam pro dignoſcenda appellatione formali & materiali.

SECTIO I.

Prima & ſecunda Regula.

15. R*Egula prima ſit hæc*: Quando vox concreta prædicatione eſſentiali, vel neceſſaria prædicatur de alia voce concreta, tunc prædicatum appellat ſupra ſubjectum appellatione formali ſimul & materiali; v. g. in hiſce prædicationibus, *Homo eſt animal*, *homo eſt riſibilis*, *&c.* eſt formalis, ſimul & materialis appellatio prædicati ſupra ſubjectum. Quod fiat appellatio materialis, *probatur*: Quia tunc fit appellatio materialis prædicati ſupra ſubjectum, quandò ſignificatum formale prædicati affirmatur, & ſignificatur inexiſtere ſignificato materiali ſubjecti: atqui in prædicationibus concretorum eſſentialibus ſignificatum formale prædicati inexiſtit, ac inexiſtere ſignificatur, & affirmatur materiali ſignificato ſubjecti: ergo in talibus prædicationibus fit appellatio materialis prædicati ſupra ſubjectum. Minor evidens eſt inductiona exemplorum allatorum, aliorumque ſimilium. *Major verò probatur*: Quia appellatio eſt applicatio ſeu poſitio ſignificati formalis vocis appellantis ſupra ſignificatum vocis appellatæ: adeoque tunc prædicatum appellat ſupra ſubjectum appellatione materiali, quandò ſignificatum formale prædicati applicatur, ac ponitur ſupra ſignificatum materiale ſubjecti. Atqui ponere ſeu applicare ſignificatum formale prædicati ſupra ſignificatum materiale ſubjecti nihil eſt aliud, quam affirmare ſeu ſignificare, quod ſignificatum formale prædicati quadret & inexiſtat ſignificato materiali ſubjecti: etenim quid foret aliud? Ergo toties fit appellatio materialis prædicati ſupra ſubjectum, quoties ſignificatum formale prædicati affirmatur, & ſignificatur inexiſtere ſignificato materiali ſubjecti.

16. Quod in talibus prædicationibus quoque fiat formalis appellatio prædicati ſupra ſubjectum, *etiam probatur*: Quia tunc fit appellatio formalis, quandò ſignificatum formale unius vocis ſignificatur quadrare & inexiſtere ſignificato formali alterius vocis: atqui in omni prædicatione neceſſaria ſignificatum formale prædicati quadrat, ac inexiſtit, ac quadrare & inexiſtere ſignificatur & affirmatur ſignificato formali ſubjecti: ergo in tali prædicatione prædicatum appellat ſupra ſubjectum appellatione formali. *Major jam probata eſt*; *minor verò poteſt fieri clara per inductionem*; v.g. cum dico, *Homo eſt animal*, vel *homo eſt riſibilis*, animalitas & riſibilitas, quæ ſunt ſignificata formalia prædicati, inexiſtunt, ac inexiſtere affirmantur, non tantùm humanitatis ſuppoſito, quod eſt ſignificatum materiale vocis *homo*; ſed etiam humanitati, quæ eſt ſignificatum formale: & per conſequens in iſta propoſitione affirmatur non ſolummodò, quod homo habeat animalitatem & riſibilitatem ſibi inexiſtentem; ſed etiam quod humanitas habeat illas. Ergo in iſtis, aliiſque ſimilibus propoſitionibus ſignificatum formale prædicati inexiſtit, ac inexiſtere affirmatur non ſolùm materiali, ſed etiam formali ſignificato ſubjecti.

17. *Dices*: Vox appellans debet poſſe affirmari & prædicari de ſignificato vocis appellatæ, ſupra quod appellat: atqui in dicta propoſitione, *Homo eſt animal*, vox *animal* non poteſt affirmari & prædicari de ſignificato formali vocis *homo*: nec enim dicere poſſumus, *Humanitas eſt animal*. Ergo in iſta, aliíſque ſimilibus propoſitionibus non fit formalis appellatio prædicati ſupra ſubjectum. *Patet major*: Quia appellare eſt ſignificare & affirmare ſignificatum formale unius vocis inexiſtere ſignificato alterius: ergo vox appellans debet poſſe prædicari & affirmari de ſignificato vocis appellatæ, ſupra quod appellat. *Reſp. negando majorem*: Hoc quidem ordinariè & ſæpè fit; non tamen eſt neceſſarium. *Ad probationem nego conſeq.* Quia, ut probatio ipſa aſſumit, appellare non eſt vocem appellantem ſimpliciter affirmare de ſignificato vocis appellatæ, ſupra quod appellat; ſed eſt ſolum formale ſignificatum vocis appellantis, ſive eſt vocem appellantem ſecundum ſolum ſuum ſignificatum formale affirmare de ſignificato vocis appellatæ, ſupra quod appellat: ergo licet ſæpè poſſit, non tamen debet vox appellans ſemper poſſe prædicari de ſignificato vocis appellatæ, ſupra quod appellat. *Probatur conſeq.* Quia voces concretæ non ſemper poſſunt affirmari de illis ſubjectis, de quibus affirmari poſſunt ſola earum ſignificata formalia: ut clarum eſt, & infra pluribus dicam. Atqui ad appellationem non requiritur, ut tota vox appellans ſecundùm utrumque ſuum ſignificatum, neque ut ſecundùm ſignificatum ſuum materiale; ſed ſolummodò ut ſecundùm ſignificatum ſuum formale affirmetur de ſignificato

vocis

Digitized by Google

vocis appellatæ, ſupra quod appellat: ergo non requiritur, ut vox appellans de iſto vocis appellatæ ſignificato affirmari poſſit. Eſt ergo hæc regula uuiverſaliſſimè vera nullam patiens exceptionem.

18. *Regula ſecunda ſit hæc:* Quando concretum accidentale prædicatione accidentali prædicatur de ſuo ſubjecto etiam concretim expreſſo, verb. grat. quando dicimus, *Homo eſt albus*, *homo eſt oſſeus*, *homo audit*, *currit*, &c. prædicatum appellat ſupra ſubjectum appellatione materiali & formali ſimul. Quod appellet appellatione materiali, *probatur*. Quia tunc eſt appellatio materialis, quandò ſignificatum formale vocis appellanti inexiſtit, ac inexiſtere affirmatur & ſignificatur materiali ſignificato vocis appellatæ: atqui in iſtis propoſitionibus ſignificatum formale prædicati inexiſtit, ac inexiſtere affirmatur materiali ſignificato ſubjecti: cum enim dico, *Homo eſt albus*, albedo formaliter ſignificata per vocem *albus* inexiſtit, ac inexiſtere ſignificatur & affirmatur ſuppoſito humano, tamen aliter ſignificato per vocem *homo*. Ergo in iſta, aliiſque ſimilibus prædicationibus fit materialis appellatio prædicati ſupra ſuum ſubjectum

19. Quod quoque fiat appellatio formalis, *etiam proba*: Quia tunc prædicatum appellat ſupra ſubjectum appellatione formali, quando ſignificatum formale prædicati inexiſtit, ac inexiſtere ſignificatur ſignificato formali ſubjecti: atqui in hiſce noſtris prædicationibus hoc fit: ergo fit formalis appellatio prædicati ſupra ſubjectum. *Probatur minor*: Quia in hac v. gr. prædicatione, *Homo eſt albus*, ſubjecti formale ſignificatum eſt humanitas, ſignificatum verò formale prædicati eſt albedo: atqui albedo inexiſtit, ac inexiſtere affirmatur, non ſoli humanitatis ſuppoſito; ſed etiam ipſi humanitati: ergo in iſta prædicatione ſignificatum formale prædicati inexiſtit, ac inexiſtere affirmatur formali ſignificato ſubjecti. *Patet minor:* Quia illud, quod inexiſtit parti eſſentiali humanitatis, hoc inexiſtit humanitati: atqui albedo inexiſtit materiæ primæ, quæ eſt pars eſſentialis humanitatis: ergo inexiſtit humanitati.

SECTIO II.

Tertia & quarta Regula.

20. R*Egula tertia ſit hæc*: Quando plures ejuſdem ſuppoſiti, ſed diverſi ſubjecti formæ concretim expreſſæ de ſeſe mutuo prædicantur, tunc appellatio eſt ſolummodò materialis, non verò formalis; verb. grat. auditio & viſio ſunt formæ ejuſdem ſuppoſiti humani; diverſi tamen ſubjecti: nam (ut vult communis opinio, de qua dicam in libris de anima) auditio eſt in tympano auris; viſio verò eſt in tunica retiformi oculi. Similiter viſio & intellectio ſunt formæ ejuſdem ſuppoſiti humani; diverſi tamen ſubjecti; Si ergo has, aliaſque ſimiles formas concretim exprimas, & ſic de ſeſe mutuo prædices, ac dicas, *Audiens eſt videns*, *videns eſt intelligens*, &c. facies ſolam appellationem materialem prædicati ſupra ſubjectum. Quod fiat ibi appellatio materialis, *eſt clarum:* Quia tunc prædicatum appellat materialiter ſupra ſuum ſubjectum, quandò ſignificatum ejus formale inexiſtit, ac inexiſtere affirmatur materiali ſignificato ſubjecti: atqui in iſtis propoſitionibus hoc fit: nam viſio, quæ eſt ſignificatum formale prædicati *videns*, inexiſtere ſignificatur ſuppoſito humano, quod eſt ſignificatum materiale ſubjecti *audiens*. Ergo in iſtis, aliiſque ſimilibus prædicationibus prædicatum appellat materialiter ſupra ſubjectum.

21. Quod verò prædicatum non appellet formaliter, *eſt æquè clarum*: Quia tunc prædicatum appellat formaliter ſupra ſuum ſubjectum, quandò ſignificatum formale prædicati inexiſtit, ac inexiſtere affirmatur ſignificato formali ſubjecti; atqui in hiſce propoſitionibus id nequaquam fit: ergo non fit appellatio formalis à prædicato ſupra ſubjectum. *Probatur minor*: Quia verb. grat. in hac prædicatione, *Videns eſt intelligens*, ſignificatum formale ſubjecti eſt viſio; formale verò ſignificatum prædicati eſt intellectio: atqui intellectio non inexiſtit viſioni, neque illi inexiſtere affirmatur, aut affirmari poteſt: neque dicere poſſumus, *Viſio eſt intelligens*. Ergo in iſta, aliiſque ſimilibus prædicationibus ſignificatum formale prædicati non inexiſtit, neque inexiſtere affirmatur ſignificato formali ſubjecti: adeoque non fit appellatio formalis.

22. *Regula quarta eſſe poteſt hæc*: Quandò plures ejuſdem ſuppoſiti, ejuſdemque ſubjecti formæ concretim expreſſæ de ſeſe mutuo prædicantur, ordinariè eſt appellatio materialis ſimul & formalis; verb. grat. albedo, & dulcedo, item anima & forma carnis, item albedo & quantitas ſunt formæ ejuſdem ſuppoſiti, ejuſdemque ſubjecti: Nam albedo & dulcedo in lacte, anima & forma carnis in homine, quantitas & albedo in pariete, &c. ſunt ſubjectatæ non ſolùm in eodem ſuppoſito, ſed etiam in eadem ſuppoſiti parte: in eadem, inquam, parte materiæ. Si itaque haſce formas concretim exprimas, ac de ſeſe mutuo prædices, ac dicas, *Album eſt dulce*, *animatum eſt carneum*, *carneum eſt animatum*, *album eſt quantum*, *quantum eſt album*, &c. Omnia iſta prædicata appellant ſupra iſta ſubjecta appellatione materiali, & formali ſimul. Quod appellent appellatione materiali, eſt planum & clarum: probarique facilè poteſt applicando argumentum jam factum ſæpiùs.

23. Quod verò appellent appellatione formali, *hoc opus*, *hic labor eſt*. Negant omnes uno ore: Ego tamen ſemper putavi certum & clarum. *Probatur ergo*: Quia tunc prædicatum ſupra ſuum ſubjectum appellat formaliter, quandò ſignificatum ejus formale quadrat, ac quadrare ſignificatur formali ſignificato ſubjecti: atqui hoc totum fit in iſtis propoſitionibus: ergo fit appellatio formalis. *Probatur minor:* Quia in iſtis prædicationibus ſignificatum formale prædicati eſt dulcedo, & anima; ſignificatum verò formale ſubjecti eſt albedo & for-

ma

ma carnea : atqui dulcedo quadrat non ſoli ſuppoſito lactis ; ſed etiam albedini io lactis ſuppoſito ſuppoſicatæ , ac ſubjectæ : ergo in iſtis prædicationibus ſignificatum formale prædicati quadrat ; ac quadrare ſignificatur tam formali , quam materiali ſignificato ſubjecti. *Probatur minor:* Quia omnia forma, quæ concretim expreſſa qnadrat, ac affirmari poteſt de alia ejuſdem ſubjecti forma expreſſa abſtractim , ita quadrare, ac affirmari etiam poteſt de eadem expreſſa concretim : atqui dulcedo & forma carnea, qnæ ſunt ſignificata formalia vocum *dulce* & *carneum* , concretim expreſſæ quadrare , ac affirmari poſſunt de albedine & anima abſtractim expreſſis: dicendò, *Albedo eſt dulcis*, *anima eſt carnea* , &c. Ergo eadem dulcedo, eademque forma carnea concretim expreſſæ quadrare, ac affirmari etiam poſſunt de eadem albedine, eademque anima concretim expreſſis: dicendo, *Album eſt dulce*, *animatum eſt carneum*. Ergo in iſtis propoſitionibus dulcedo & forma carnea quadrant, ac quadrare affirmantur non ſolis ſuppoſitis lactis & hominis; ſed etiam ipſi lactis albedini ; ipſique ſuppoſiti humani animæ : atque adeo fit appellatio non ſolum materialis ; ſed etiam formalis . Major eſt clara, oſtendique facilè poteſt per inductionem, v.gr. quidquid concretim expreſſum affirmatur de humanitate, animalitate, rationalitate, &c. etiam affirmatur de animali, homine, rationali, &c. Ergo generaliter quidquid concretim expreſſum affirmatur de aliqua forma abſtractim expreſſa, affirmari etiam poteſt de eadem concretim expreſſa. Minor verò eſt valdè controverſa : quam multis probabo inferius.

24. Dixi, *Quidquid concretim expreſſum, ſive omnis forma, quæ concretim expreſſa affirmatur de alia forma abſtractim expreſſa, affirmari quoque poteſt de eadem concretim expreſſa*. Dixi inquam, *Quidquid concretim expreſſum*, &c. Quia non omnis forma, quæ abſtractim expreſſa quadrare & affirmari poteſt de alia forma abſtractim expreſſa, affirmari poteſt de eadem expreſſa concretim : Non enim benè dicimus, *Homo eſt animalitas aut rationalitas*, ſicut bene dicimus, *humanitas eſt animalitas, aut rationalitas*. Dixi etiam, *Quidquid concretim expreſſum affirmari poteſt de aliqua forma abſtractim expreſſa, affirmari quoque poteſt de eadem expreſſa concretim*: Quia ſervari debet hic ordo : non enim quidquid concretim expreſſum affirmatur de aliqua forma expreſſa concretim, affirmari poteſt de eadem expreſſa abſtractim. Nec enim bene dicimus, *Humanitas eſt animal*, licet benè dicimus, *Homo eſt animal*. De quibus omnibus plura inferiùs.

SECTIO III.

Examinatur alia quædam appellationis regula.

25. QUintam *regulam aſſignant communiter Dialectici hanc :* Cum voces ſignificantes numerum cardinalem tribuuntur vocibus concretis adjectivè ſignificantibus, appellant ſuper illas ſola appellatione materiali v. gr. cum dicimus, *Vidi tres albos*, vox *tres* appellat ſupra vocem *albos* appellatione materiali tantùm; facitque hunc ſenſum : Vidi tres habentes albedinem. Cum verò tribuuntur vocibus concretis ſubſtantivè ſignificantibus, appellant ſupra illas appellatione formali. Hinc falſa, ac hæretica eſt propoſitio : *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt tres Dii*. Quia vox *tres* appellat, ac trinitatem à ſe formaliter ſignificatam ponit non ſuper Deitatis ſuppoſita ; ſed ſupra ipſam Deitatem à voce *Dii* de formali ſignificatam : adeoque facit appellationem formalem, ac hunc ſenſum : *In divinis ſunt tres Deitates*. Quod hæreticum eſt.

26. Sumitur hæc regula ex Sancto Thoma *3. part. quæſt. 3. art. 6. ad* 1. Et 1. *part. quæſt.* 39. *art.* 3. *per totum*. Et ex Cajetano ibidem : ſequunturque moderni Philoſophi, ac Theologi communiter. *Probat Sanctus Thomas regulam hoc modo* : Quia termini numerales appellant ſupra ſignificatum principale vocis, cui tribuuntur : atqui voces concretæ adjectivæ pro ſignificato ſuo principali habent ſuppoſitum ſeu ſubjectum ; voces verò concretæ ſubſtantivæ pro ſignificato ſuo principali habent formam ſuppoſitatam : ergo cum voces ſeu termini numerales tribuuntur his vocibus, faciunt formalem ; cum verò tribuuntur iſtis, faciunt appellationem materialem. Hinc ſi eadem albedo informaret tria ſubjecta, verb. grat. tres homines ; rectè dicerentur ibi eſſe tria alba : quia forent tria albedinem habentia ſuppoſita. Non tamen dici poſſunt tres Dii, licet ſint tria Deitatem habentia ſuppoſita : quia non ſunt tres Deitates.

27. Magna apud me ſemper & ubique eſt Auctoritas & Reverentia Sancti Thomæ : interim tamen hac in parte non poſſum illi adhærere. Dico ergo, quod termini numerales, ſive tribuantur vocibus concretis adjectivis, ſive ſubſtantivis, ſemper & ubique ſupra illas appellant ſola appellatione materiali, non verò appellatione formali. Ita Gabriel *in 3. diſt. 1. q. 2. art. 3. dub. 4. ad* 2. Aliique Nominales communiter. *Et probo* : Quia appellare appellatione materiali eſt vocem appellantem ponere ſuum formale ſignificatum ſuper ſignificatum materiale vocis appellatæ : atqui termini numerales, quando tribuuntur vocibus concretis, ſive adjectivis, ſivè ſubſtantivis, ſuum formale ſignificatum applicant, ac quadrare ſignificant, non earum ſignificato formalia ; ſed ſoli materiali : ergo appellant ſupra illas ſolummodò materialiter, ac nullo modo formaliter. *Probatur minor* : Quia termini numerales ponunt ſuum formale ſignificatum ſupra ſignificatum rectum vocis concretæ, quam appellant : atqui in omni omninò voce concreta, ſive ſubſtantiva, ſive adjectiva, ſignificatum rectum eſt ſignificatum materiale : nam, ut ſupra de voce concreta agens dixi, ſignificatum rectum & materiale cujuſcumque vocis concretæ eſt ſubjectum, vel ſuppoſitum formæ principaliter ſignificatæ. Ergo termini numerales ſuum formale ſignificatum ſemper ponunt ſupra ſignificatum materiale vocis concretæ, cui tribuuntur. *Major eſt clara* : Quia omnis omninò vox appellans, de-

ter-

terminans, vel modificans aliam ponit formale ſignificatum ſupra illius ſignificatum rectum: idque verum eſt ſive ponantur in eodem, ſive in diverſis propoſitionis extremis. Ergo etiam termini numerales ponunt, ac ponere debent ſuum formale ſignificatum ſupra ſignificatum rectum concreti, cui tribuuntur.

28. *Et confirmatur*: Quia termini numerales appellant, ac ſuum formale ſignificatum applicant ſupra illud ſignificatum concreti, ad cujus multiplicationem concreta multiplicantur; ut nemo negabit: ſupra quod enim aliud appellarent? Atqui concreta, tam ſubſtantialia, quam accidentalia, tam ſubſtantiva quam adjectiva, multiplicantur, non ad multiplicationem formæ ſubjectatæ vel ſuppoſitatæ; ſed ad ſolam multiplicationem ſubjectorum vel ſuppoſitorum: verb. grat. homines, artifices, alba, ſimiliaque alia concreta non multiplicantur ad multiplicationem humanitatum, artium, & albedinum; ſed ad ſolam multiplicationem ſuppoſitorum aut ſubjectorum humanitatem, artem, & albedinem ſuppoſitantium vel ſubjectantium. Ergo termini numerales, quibuſcumque, ac qualibuſcumque concretis tribuantur, nunquam appellant ſupra formam; ſed ſemper ſupra ſubjectum vel ſuppoſitum: adeoque appellant ſemper appellatione materiali, nunquam formali. *Probatur minor*: Quia concrete multiplicantur multiplicato ſuo ſignificato recto: verb. gr. homines multiplicantur multiplicato recto ſignificato vocis *homo*: hoc quis neget? Atqui ſignificatum rectum & materiale cujuſcumque, ac qualiſcumque concreti non eſt forma; ſed formæ ſubjectum vel ſuppoſitum: ut dixi ſupra. Ergo concreta omnia omninò multiplicantur non ad multiplicationem formæ, ſed ad multiplicationem ſubjecti vel ſuppoſiti. Scio à quibuſdam negari minorem, ac dici, quod concreta ſubſtantiva in recto ſignificent, non ſuppoſitum, ſed formam ſuppoſitatam: At de hoc dixi ſatis ſupra agens de voce concreta.

29. Neque ratio Divi Thomæ aliquid probat. Neganda quippe eſt illius major & minor. *Major hæc eſt*: Termini numerales ponunt ſuum ſignificatum formale ſupra ſignificatum principale vocis, cui tribuuntur. *Minor verò eſt hæc*: Atqui voces concretæ adjectivæ pro principali ſuo ſignificato habent ſubjectum vel ſuppoſitum formæ. Utraque, inquam, hæc propoſitio eſt neganda: Minor quidem, quia in quavis voce concreta, ſive adjectiva ſeu ſubſtantiva, verb. gr. in vocibus, *Homo*, *Deus*, *artifex*, *albus*, *doctus*, &c. ſignificatum principale eſt earum ſignificatum obliquum & formale: atqui ſignificatum formale non eſt ſubjectum vel ſuppoſitum, ſed forma ſubjectata vel ſuppoſitata; ut clarum eſt: quis enim neget albedinem & artem eſſe ſignificata formalia, ac principalia vocum *albus* & *artifex*? Ergo ſignificatum vocis concretæ principale non eſt ſubjectum, ſed forma. Neque poteſt, aut debet hic diſtingui inter concreta adjectiva & ſubſtantiva: quia omnium eſt eadem planè, ac pariformis ratio.

30. *Neganda ſimiliter eſt major*: Quia, ſi termini numerales appellarent ſuprà vocis appellatæ ſignificatum principale, in his propoſitionibus, *Vidi tres artifices*, *vidi tria alba*, &c. termini numerales *tres* & *tria*, appellarent ſupra artes, & albedines, facerentque hunc ſenſum: Vidi tres artes, & tres albedines. Atqui conſequens hoc abſurdum eſt, & contra Sanctum Thomam: ergo & antecedens. *Probatur ſequela majoris*: Quia iſti termini numerales appellare debent ſupra ſignificata principalia vocum *albus* & *artifex*: atqui harum vocum ſignificata formalia & principalia ſunt ars & albedo: ergo, ſi termini numerales appellare debent ſupra ſignificatum principale, in iſtis propoſitionibus appellare debent ſupra artem, ac albedinem.

SECTIO IV.

Quædam hujus regulæ corollaria.

31. EX *hac regula ſequitur primò*: Falſam ac malam eſſe hanc communem regulam: Ad multiplicationem concreti adjectivi requiritur, ac ſufficit ſola multiplicatio ſubjecti; at verò ad multiplicationem concreti ſubſtantivi requiritur multiplicatio tam formæ quam ſubjecti; verb. grat. concreta ſubſtantiva ſunt *homo* & *Deus*: ut ergo dicantur plures Dii, vel plures homines, debent eſſe plures Deitates, pluresque humanitates; ac etiam plura plurium Deitatum ac humanitatum ſuppoſita. Nihil hac regula eſt in modernis ſcholis communius. Interim tamen, ſalva pace magnorum Theologorum hanc regulam adſtruentium, dico illam eſſe malam & vitioſam. Nam hac in parte concreta adjectiva & ſubſtantiva ejuſdem Juris ſunt, eodem Jure reguntur, eademque regula regulantur: & ad multiplicationem tam horum, quam iſtorum impertinens eſt multiplicatio formæ, ac ſolius ſubjecti multiplicatio eſt neceſſaria. *Probatur*: Quia *homo*, *equus*, *brutum*, *animal*, &c. ſunt concreta ſubſtantialia ſubſtantiva: atqui hæc multiplicantur ad ſolam multiplicationem ſuppoſiti, neque requirunt multiplicationem formæ: pone quippe eandem humanitatem, equinitatem, animalitatem, &c. in tribus ſuppoſitari creatis vel increatis ſuppoſitis, verè erunt tres homines, tres equi, tria animalia, &c. Ergo concreta ſubſtantiva ad ſui multiplicationem non requirunt multiplicationem ſubjecti ſimul & formæ; ſed ſolius ſubjecti, uti requirunt adjectiva. *Probatur minor*: Quia homines, equi, & animalia multiplicantur ad multiplicationem illius, quod verè, realiter, ac in recto eſt homo, equus, & animal: atqui id, quod verè, realiter, ac in recto eſt homo, equus, animal, non eſt humanitas, equinitas, animalitas; ſed eſt humanitatis, equinitatis animalitatis ſuppoſitum; ut dixi ſupra de voce concreta agens, & infra adhuc dicam. Ergo homines, equi, animalia non multiplicantur, neque ad ſui multiplicationem requirunt multiplicationem formæ; ſed ſolius ſuppoſiti. *Et ratio à priori eſt*: Quia, ut *ſect.* 3. dixi, ad multiplicationem cujuſcumque & qualiſcumque concreti requiritur ſola multiplicatio ſignificati recti: atqui concreta ſubſtantiva in recto ſignificant ſolum ſubjectum vel

ſuppo-

ſuppoſitum: ergo ad multiplicationem concreti ſubſtantivi non requiritur multiplicatio formæ; ſed multiplicatio ſubjecti vel ſuppoſiti.

32. *Sequitur ſecundò*: Si eadem humanitas aſſumeretur à tribus perſonis divinis, deberent dici tres homines, ut jam dixi: ſi verò idem ſuppoſitum aſſumeret tres humanitates, unam Romæ, alteram Coloniæ, tertiam Goæ, deberet dici unus homo; non verò tres homines. *Ratio eſt*: Quia non poſſunt multiplicari concreta, niſi multiplicato ſignificato ſuo recto: atqui in dicto caſu quidem foret multiplicatum ſignificatum obliquum, non tamen ſignificatum rectum vocis *homo*: ergo deberet dici unus homo, non tres homines. *Patet minor*: Quia rectum ſignificatum vocis *homo* eſt ſuppoſitum: atqui in dicto caſu quidem multiplicantur humanitates, non tamen humanitatum ſuppoſita: ergo multiplicatur quidem ſignificatum vocis *homo* obliquum, non tamen ſignificatum ejus rectum. Vide Gabrielem tota quæſtione ſupra citata. *Et ratio ulterior eſt*: Quia homo eſt ſuppoſitum habens in ſe humanitatem: atqui in priori caſu forent tria habentia humanitatem ſuppoſita; in caſu verò poſteriori foret unicum habens humanitatem vel humanitates ſuppoſitum: ergo in caſu priori forent homines tres; in caſu poſteriori non foret niſi homo unicus.

33. *Sequitur tertiò*: Cur idem homo habens tres artes, vel tres ſcientias dicatur unus ſciens, & unus artifex, & non poſſit vocari tres ſcientes, aut tres artifices. *Ratio, inquam, hujus eſt*: Quia non multiplicantur artifices, niſi quandò multiplicatur ſignificatum rectum vocis *artifex*: atqui ſignificatum ejus rectum non eſt ars, ſed homo habens artem: ergo unus homo tres habens artes nequit dici tres artifices, ſed dici debet unus artifex. Unde, ſi tres homines haberent eandem numero artem, ſcientiam, vel albedinem, vocari deberent tres artifices, tres ſcientes, tres albi; non verò unus artifex, unus ſciens, unus albus. *Ratio eſt eadem*: Quia licet tunc non multiplicetur ſignificatum obliquum; multiplicatur tamen ſignificatum rectum vocis *artifex*, *ſciens*, *albus*: quod ſatis eſt ad multiplicationem totius concreti. Fitque hic ſenſus: Sunt tria ſuppoſita habentia albedinem, quod verum eſt.

34. *Dices*: Multiplicata forma multiplicantur compoſita: atqui artifex eſt compoſitum ex homine & arte; ex homine tamquam ex ſubjecto, ex arte tamquam ex forma: ergo multiplicatis artibus multiplicantur artifices: ergo, ubi ſunt tres artes, ſunt tres artifices. *Reſpondent quidam diſtinguendo majorem*: Multiplicata forma ſubſtantiali multiplicantur compoſita ſubſtantialia: *ſic verum eſt*. Multiplicata forma accidentali multiplicantur compoſita accidentalia: *ſic falſum eſt*. Sed major eſt univerſaliſſimè vera, & diſtinctio nihil facit ad rem. Quia forma accidentalis ita per omnia ſe habet ad compoſitum ſuum accidentale, ſicut forma ſubſtantialis ſe habet ad ſuum compoſitum ſubſtantiale: atqui hæc multiplicat compoſitum: cur ergo non & illa? Et ſanè mirum foret, compoſitum ex lacte & albedine non eſſe diverſum, ſaltem inadæquatè, à compoſito ex eodem lacte & dulcedine. De quo aliquid dixi ſupra *diſp.*10. *dub.*1.

35. *Reſp. ergo negando conſeq.* Quia, ut multiplicentur homines, aut ſcientes, aut artifices, non ſufficit multiplicari compoſita humana, ſcientifica, vel artificialia; ſed debent inſuper multiplicari ſuppoſita, quæ hujuſmodi compoſita in ſe ſuſtentent. Nam ſi duæ, vel plures humanitates ſuppoſitarentur in eodem ſuppoſito, ibi eſſent plura diverſa compoſita, non forent tamen plures homines; ſed unicus homo: quia non forent plura ſuppoſita, ſed unicum ſuppoſitum. Similiter ergo, licet plures diverſæ ejuſdem hominis artes aut ſcientiæ faciant cum illo plura accidentalia compoſita, non poſſunt tamen dici plures ſcientes; neque plures artifices: quia non ſunt plura ſuppoſita. *Cujus ratio à priori eſt*: Quia non multiplicantur concreta, niſi multiplicato ſignificato ſuo recto: atqui ſignificatum rectum vocis concretæ *ſciens* non eſt ſcientia, neque compoſitum ex homine & ſcientia; ſed eſt ſuppoſitum habens ſcientiam: ergo, ut dicantur plures ſcientes, impertinens eſt multiplicatio ſcientiarum, vel compoſitorum ex homine & ſcientia; ſed attendi debet ſola multiplicatio ſuppoſitorum. Unde hic notari debet quoddam diſcrimen inter vocem concretam ſubſtantialem & accidentalem: Nam vox ſubſtantialis in obliquo ſignificat compoſitum ſubſtantiale; in recto verò ſignificat iſtius compoſiti ſuppoſitum; v. g. vox *homo* in obliquo ſignificat humanitatem, quæ quoddam ſubſtantiale phyſicum compoſitum eſt; in recto verò ſuppoſitum, ſeu perſonam iſtius compoſiti ſignificat. At verò vox, *albus*, *ſciens*, *doctus*, aliæque ſimiles voces concretæ accidentales in obliquo non ſignificant totum accidentale compoſitum, neque in recto aliquod ſpeciale iſtius compoſiti ſuppoſitum; ſed in obliquo ſignificant ſolam compoſiti accidentalis formam, & in recto ſuppoſitum, cum quo forma in obliquo ſignificata accidentale compoſitum componit; verb. grat. vox *ſciens* in obliquo non ſignificat compoſitum ex homine & ſcientia; ſed ſolam ſcientiam: hominem verò ſignificat in recto.

36. Neque mirari quis debet, quod dicam in eodem ſuppoſito reperiri poſſe plura compoſita: adeoque ad multiplicationem compoſitorum non ſequi multiplicationem ſuppoſitorum. Hoc quippe verum eſt non ſolùm de compoſitis accidentalibus, ſed etiam de ſubſtantialibus. Nam verb. grat. Ego ſum unicus homo, & unicum ſuppoſitum: atqui tamen in me ſunt plura compoſita, tam ſubſtantialia, quam accidentalia, quorum aliqua diſtinguuntur inadæquatè, aliqua diſtinguuntur etiam adæquatè: ergo in eodem ſuppoſito eſſe poſſunt plura compoſita, etiam ſubſtantialia, etiam adæquatè diſtincta. De compoſitis accidentalibus eſt clarum: in me enim eſt compoſitum ex anima & intellectione, ex oculo & viſione, ex manu & calore, &c. Quæ ſunt compoſita accidentalia adæquatè diſtincta: ut notum eſt intelligenti terminos. De compoſitis ſubſtantialibus eſt æque clarum in meis principiis: Quia in me eſt compoſitum ex materia & forma carnis, ex materia & forma oſſis,

oſſis, ex materia, & forma nervi, &c. Atqui hæc ſunt compoſita ſubſtantialia adæquatè diſtincta: ergo in eodem ſuppoſito eſſe poſſunt plura compoſita ſubſtanrialia adæquatè diſtincta. De quo latiſſimè in Phyſica.

SECTIO V.

Solutio quarumdam objectionum contrà ſectionem tertiam & quartam militantium.

37. OBjicies primo: Si ad multiplicationem concreti ſufficeret ſola multiplicatio ſignificati recti, deberent dici tres Dii: conſequens abſurdum, ac hæreticum eſt: ergò & antecedens. *Probatur ſequela majoris:* Quia, ſi ad multiplicationem ſolius ſignificati recti ſequatur multiplicatio totius concreti, tot debent eſſe Dii, quot ſunt ſignificata recta vocis *Deus*: atqui hæc ſignificata ſunt tria: ergo, ſi ad multiplicationem totius concreti ſufficiat multiplicatio ſolius ſignificati recti, debebunt dici tres Dii. *Patet minor*: Quia ſignificatum rectum vocis *Deus* eſt Deitatis in obliquo ſignificatæ ſuppoſitum: atqui illa ſuppoſita ſunt tria: ergo ſignificata recta vocis *Deus* ſunt tria. *Reſpondeo negando ſequelam majoris, & diſtinguendo majorem probationis*: Tot debent eſſe Dii, quot ſunt ſignificata recta proxima vocis *Deus*: *ſic concedo*. Quot ſunt ſignificata recta remota: *ſic planè nego*. Concreta enim non multiplicantur ad multiplicationem ſignificati recti remoti; ſed ad multiplicationem ſignificati recti proximi. At verò ſignificatum rectum proximum vocis *Deus* non ſunt tria ſuppoſita, ſive tria ſubſiſtentia incommunicabilia relativa; ſed eſt ſubſiſtens communicabile abſolutum: quod in Divinis non eſt trinum, ſed unicum: ideoque non ſunt tres Dii, ſed unicus ſolummodò Deus. Magna namque differentia eſt inter vocem *Deus*, & alias voces concretas ſubſtantivas, verb. grat. voces; *Homo*, *equus*, *brutum*, *animal*, &c. Quia hæ in recto ſignificant ſuppoſitum immediate, ideoque multiplicatis ſuppoſitis multiplicantur homines, equi, bruta, animalia, &c. quantumvis non multiplicentur formæ ſuppoſitatæ. At vero vox *Deus* in recto immediatè non ſignificat ſuppoſitum: ſed ſubſiſtens in Deitate abſolutum: adeoque non multiplicantur Dii ad multiplicationem ſuppoſitorum, ſed ad ſolam multiplicationem hujus ſubſiſtentis abſoluti, quod in Divinis unicum eſt, ideoque etiam unicus Deus. Vide quæ dixi ſuprà *diſp.* 8. *dub.* 6. *ſect.* 4.

38. *Ex quo patet*: Cur tam rectè dicamus in divinis eſſe tres æternos, tres immenſos, tres omnipotentes, tres ſapientes, &c. quam etiam eſſe unum æternum, unum immenſum, unum omnipotentem, unum ſapientem, &c. Quod utraque modò rectè loquamur, & utraque phraſis Canonica & Catholica ſit, patet ex omnibus Theologis, ac etiam Sanctis Patribus utroque modo loquentibus. Nam & Sanctus Athanaſius in ſuo Symbolo, utroque locutus eſt modo: primò dicens, *Unus immenſus, non tres immenſi, unus æternus, non tres æterni*, & poſtea ſubdens, *Omnes tres perſonæ coæternæ ſunt, & coæquales.* Utraque ergo hæc phraſis legitima eſt, ac Canonica. *Cujus rationem paſſim aſſignant hanc:* Quia iſta concreta aliquando capiuntur adjectivè, aliquando ſubſtantivè: quando adjectivè capiuntur, dici poſſunt tres ſapientes: quando vero capiuntur ſubſtantivè, dicit debet unus ſapiens, non tres ſapientes. *Rationem putant eſſe hanc:* Quia ad multiplicationem concreti adjectivi requiritur, & ſufficit ſola multiplicatio ſubjecti, ſeu ſuppoſiti; at vero ad multiplicationem concreti ſubſtantivi requiritur tam formæ, quam ſuppoſiti multiplicatio: atqui in Divinis multiplicantur ſuppoſita ſapientiam, æternitatem, &c. ſuppoſitantia; non tamen multiplicatur ſapientia, æternitas, &c. in iſtis ſuppoſitis ſuppoſitata: ergo, ſi vox *ſapiens* capiatur adjectivè, in divinis dici poterunt tres ſapientes; at vero, ſi ſubſtantivè capiatur, dici debebit unus ſapiens. *Sed hæc ratio nihil probat:* Quia, ut jam oſtendi ad multiplicationem concreti cujuſcumque, & qualiſcumque, ſive adjectivi, ſive ſubſtantivi, nullo modo requiritur multiplicatio formæ ſignificatæ in obliquo; ſed ſola multiplicatio ſubjecti, vel ſuppoſiti ſignificati in recto: adeòque ſive vox *ſapiens* capiatur ſubſtantivè, ſive adjectivè, ſi multiplicetur ejus ſignificatum rectum, poterunt in divinis dici tres ſapientes, æterni, &c.

39. *Ratio ergo utriuſque hujus phraſis, ac locutionis eſt hæc*: Quia hæ concretæ voces, *ſapiens*, *æternus*, *immenſus*, *&c.* ad Deum applicatæ quandoque in recto ſignificant ſuppoſita, quandoque abſolutum ſubſiſtens. Cum ita ſumuntur, ut in recto ſignificent ſuppoſita, tunc dici poſſunt tres ſapientes, tres æterni, &c. Cum verò ita ſumuntur, ut in recto ſubſiſtens abſolutum ſignificent, dici debet unicus ſapiens, unicus æternus, &c. Nam concreta multiplicantur multiplicato ſuo ſignificato recto: atqui hæc concreta ad Deum applicata quandoque ita ſumuntur, ut eorum ſignificatum rectum multiplicetur, quandoquè ita, ut illud non multiplicetur: multiplicantur quippe divina ſuppoſita, non verò ſubſiſtens abſolutum. Ergò pro diverſa harum concretorum acceptione, dici poſſunt quandoque tres ſapientes, quandoque dici debet unus ſapiens. Deſumitur hæc ratio ex Symbolo Sancti Athanaſii: Athanaſius quippe per totum ſuum de Sanctiſſima Trinitate tractatum uſque ad verſiculum, *Et in hac Trinitate nihil prius, aut poſterius*, *&c.* ſemper dicit, unus ſapiens, unus æternus, unus immenſus, &c. ſicut dixerat unus Deus. Adeoque omnia illa concreta appellare facit ſupra vocem *Deus:* adeoque in recto idem, quod ſignificat vox *Deus*, ſignificare; vox quippe appellans, & vox appellata in recto ſignificare debent idem. At verò in iſto verſiculo dicens, *Hæ tres perſonæ ſunt ſibi coæquales, & coæternæ*, hæc concreta pluralia ſupra vocem *perſonæ* appellare fecit, & in recto idem cum illa ſignificare: adeoque ex mente & contextu Sancti Athanaſii omninò habetur, quod illa concreta ad Deum applicata quandoque ita ſumantur, ut in recto ſignificent ſignificatum rectum vocis *Deus*, quandoque ita, ut in recto ſignificent ſigni-

ſignificatum tectum vocis perſona,adeoque quod eorum ſignificatum rectum qoandoquè plurificetur, quandoque non plurificetur.

40. *Et hujus acceptionis ratio à priori eſt*: Quia concreta accidentalia, vel quaſi accidentalia, ſive ſubſtantiva ,ſine adjectiva ſint, in recto proximè ac immediatè ſignificant omne illud; cui inexiſtit eorum ſignificatum formale: atqui hæc concreta, *ſapiens*, *juſtus*, *immenſus*, *æternus*, *&c.* etiam ad Deum applicata, licet non ſint verè accidentalia, ſed verè ſubſtantialia, ſunt tamen quaſi accidentalia: ſunt, inquam, accidentalia, non quidem ob rem ſignificatam; ſed ob modum ſignificandi. Eorum quippe ptima impoſitio, ac originaria & quaſi nativa ſignificatio eſt eſſe concretum accidentale: quem originarium ſignificandi modum retinent, etiam dum applicantut ad Deum. Ergo in recto proximè nc immediatè ſignificant omne illud, cui inexiſtit eorum ſignificatum formale. Atqui eorum fotmale ſignificarum inexiſtit tam ſubſiſtenti abſoluto, quam etiam ſubſiſtentibus relativis: uti clarum eſt. Ergò in recto proximè & immediatè ſignificant tam hæc, quam illud.

41. Neque hoc argumentum applicari poteſt ad vocem *Deus*, & dici, quod vox *Deus* in recto etiam immediatè ſignificet ſuppoſita,ſimul & ſubſiſtens abſolutum, cum ejus formale ſignificatum inexiſtat tam ſuppoſitis, quam ſubſiſtenti abſoluto. Hoc, inquam, dici nequaquam poteſt. Quia ſignificatio, & ſignificandi modus vocis *Deus* eſt planè diverſus à ſignificandi modo iſtorum concretorum. Vox quippe *Deus* non eſt concretum accidentale; ſed eſt concretum ſubſtantivum: adeoque in recto ſignificat immediatè & proximè illud ſubſiſtens, per quod ſubſiſtit ſignificatum ejus formale: atqui vocis *Deus* ſignificatum formale non ſubſiſtit per perſonas, aut perſonalitates:ſubſiſtit quidem in perſonis & perſonalitatibus, non tamen per illas: ut tradit eleganter Joannes Rada *Tom. 3. controverſ. 2.* Sed ſubſiſtit per ſubſiſtens, ſeu per ſubſiſtentiam abſolutam: ergo etiam in recto proximè & immediatè non ſignificat ſuppoſita; ſed ſubſiſtens abſolutum. Vide *diſp. 8. jam citatam*.

42. *Obiicies ſecundò*: Si ad multiplicationem concreti ſubſtantivi requiratur, ac ſufficiat ſola multiplicatio immediati ſignificati recti, jam in divinis dici poterunt tres creatores: item Pater & Filius dici poterunt duo Spiratores, ac duo principia Spiritus Sancti: conſequens abſurdum eſt, ac hæreticum: utpote expreſsè damnatum in Cap. *fideli. De ſumma Trinit. in* 6. Ac contra omnium Theologorum, ac SS. Patrum phraſim ac loquendi modum, admittentium quidem in Divinis tres creantes, & duos ſpirantes; ac principiantes; non verò tres creatores, neque duos ſpiratores, neque duo principia. Ergo etiam abſurdum ac hæreticum eſt iſtud antecedens. *Sequela majoris patet*: Quia hæc concreta, *creator*, *principium*, *ſpirator*, in recto ſignificant immediatè ſuppoſitum: ergo ſi ad plurificationem concreti ſubſtantivi ſufficiat ſola plurificatio proximi ſignificati recti, poterunt in Divinis dici tres creatores, duo principia, ac duo ſpiratores. Argumentum hoc valdè difficile eſt: adeoque diverſi diverſimodè ad illud reſpondent.

43. Gabriel *in 1. diſt. 12. quæſt. 1. art. 2.* & Occam ibidem, negant ſequelam majoris, & antecedens probationis; dicuntque vocem *Spirator*, & vocem *principium* in recto non ſignificare immediatè ſuppoſita, ſed ſubſiſtens quoddam commune Patri & Filio, ex communi eſſentia & communi activa ſpiratione conſtitutum; quod ſubſiſtens, quia in Divinis non plurificatur, ideò neque plurificantur Spiratores, neque principia Spiritus Sancti. Philoſophantur ergo hi de voce *Spirator*, ſicut nos philoſophati ſumus de voce *Deus*. Sicut enim apud nos vox *Deus* in recto ſignificat immediatè ſubſiſtens commune omnibus tribus perſonis ex communi eſſentia, & communi ſubſiſtentia conſtitutum; ſic apud illos vox *Spirator* in recto ſignificat immediatè ſubſiſtens ſoli Patri & Filio commune, ex communi eſſentia, & communi illis activa ſpiratione, quæ aliqua ſubſiſtentia eſt, conſtitutum. Speculatio hæc elegans eſt, & facilis: ſed non vera. Vox quippe *Spirator* in recto immediatè ſignificat Patris & Filii ſuppoſita: non verò hoc commune ſubſiſtens. *Cujus rei ratio breviter eſt*: Quia vox *Spirator* in recto immediate ſignificat illud ſubſiſtens, a quo exit Spiritus Sanctus, & ſpiratio paſſiva, ac productio ejus: atqui productio Spiritus Sancti immediatè exit à ſuppoſito Filii & Patris; non autem ab hoc ſubſiſtente abſoluto: ergo etiam vox *Spirator* in recto ſignificat illa ſuppoſita immediatè; non verò illud commune ſubſiſtens. *Patet minor*: Quia productio Spiritus Sancti eſt origo & actio notionalis: atqui origines & actiones notionales egrediuntur immediatè à ſuppoſitis: ergo productio Spiritus Sancti exit immediatè à ſuppoſitis Patris, & Filii. De quò plura Theologus.

44. *Reſp. ergo negando minorem*: Et dico cum Gregorio Ariminenſi *in 1. diſt. 12. quæſt. 1.* Gerardo Senenſi *in 1. diſt. 12. quæſt. 1. art. 3. num. 7.* & cum Eximio ac Clariſſimo Viro Gabriele Foſco, Sacræ Theol. Doctore, ac Profeſſore, necnon celeberrimi ac doctiſſimi noſtri Gymnaſii Bononienſis Regente digniſſimo, qui hoc ipſum Bononiæ anno 1638. 25. Novembris in feſto Sanctæ Catharinæ publicè ſuſtinuit. Dico ergò, ſine ullo periculo erroris in Divinis poſſe dici tres Creatores, duo Spiritus Sancti Principia; ac duos Spiratores. Quod, inquam, tribus iſtis Ordinis noſtri clariſſimis Magiſtris placuit, mihi nullo modo poteſt diſplicere. Nam Sanctus Hilarius 2. *de trinitate*, Patrem & Filium vocat Spiritus Sancti Auctores, quare dici non poſſent Spiratores. Poſſunt ſanè dici omninò. Item S. Auguſtinus in ſermone quodam de verbis Domini, vel de verbis Apoſtoli (locum diu quæſivi, ſed invenire non potui: interim in fide boni viri mihi credas) Auguſtinus Filium & Spiritum Sanctum vocat Patris cooperatores: ſi cooperatores, quare vocari non poſſunt creatores, ſpiratores, &c. *Et ratio eſt*: Quia nullus mihi falſificabit hanc propoſitionem: Ad multiplicationem qualiſcumque concreti requiritur, ac ſufficit ſola multiplicatio immediati ſignificati recti;

atqui

atqui ſignificatum rectum immediatum vocis *ſpirator* eſt ſuppoſitum; quod in Deo multiplicatur: ergo etiam multiplicari poteſt Spirator, ac dici duo Spiratores. Quod ipſum etiam aſſerit Durandus, ac etiam ipſe Sanctus Thomas in 1. *diſt.* 11. Et 29. *art. ult.*

45. Neque etiam obeſt definitio Cap. *fidelis*. Quia Capitulum iſtud ſolummodo definire & docere intendit, quod Pater & Filius non ſpirent Spiritum Sanctum duabus ſpirationibus, neque duabus virtutibus ſeu principiis ſpirativis; ſed planè eadem. Definitio ergo Capituli intelligi debet de principiis *qua*, non de principiis *quod*. Capitulum enim damnat Hæreticos, Patris & Filii ſubſtantiam, ac virtutem ſpirativam ſeparantes; non veró docet modum loquendi Grammaticum, vel Summuliſticum. De quo plura Theologus. Interim tamen ob periculum malevoli, vel incauti intellectus, Divinæ Perſonæ ordinariè dicuntur unus Creator, unus Spirator; non tres Creatores, aut duo Spiratores.

DUBIUM III.

De Determinatione Logica, ejusque ſpeciebus.

SECTIO I.

Explicatur natura determinationis in communi.

46. Sicut ſuprà diſtinxi vocem appellantem, & vocem appellatam, item appellationem activam & paſſivam; ſic hic diſtingui debet vox determinans: & vox determinata, item determinatio activa & paſſiva. Determinatio quippe, & appellatio ſunt affectiones vocis, quæ non poſſunt habere locum in unica voce; ſed pro ſuo ſubjecto eſſentialiter requirunt ad minùs duas voces. De appellatione eſt clarum: Quia appellatio eſt applicatio ſignificati formalis unius vocis ſupra ſignificatum alterius: quæ applicatio fieri nequit, niſi inter duas ad minùs voces; uti ex terminis eſt manifeſtum. De determinatione veró facilè patebit ex iis, quæ hoc dubio ſunt à me dicenda. In quo differunt hæ duæ affectiones ab acceptione perſonali, ſimplici, materiali, &c. Hæ quippe in unica voce ſubjectari poſſunt, neque requirunt plures, ut planum eſt conſideranti.

47. Vocem determinantem, ac determinatam, earumque determinationes definire in genere, valdè difficilè eſt: & credo ægrè poſſe fieri. Hic quippe locum habet Regula Juris: *Omnis definitio periculoſa eſt: parum eſt enim, ut non ſubverti poſſit:* Optimæ ergo definitiones videntur mihi eſſe hæ: *Vox determinans eſt vox, quæ ſua ſignificatione ſignificationem alterius vocis, ſibi in eodem prædicationis extremo adjunctæ, certo modo afficit & modificat: utpote illam reſtringendo, alienando, ampliando, &c. Vox verò determinata eſt vox, cujus ſignificatio à ſignificatione alterius vocis, ſibi in eodem propoſitionis extremo adjunctæ, certo modo afficitur & modificatur.* Fateor, hæ definitiones parum ablongæ ſunt; ſed quid faciam? Non poſſum ſpeculari breviores, aut commodiores: id tu, ſi poſſis fac, & magnas habebo gratias. V.g. cum dico, *Petrus eſt homo albus*, vel *Cadaver eſt homo mortuus*, vox *homo* eſt vox determinata; voces veró *albus*, & *mortuus* ſunt voces determinantes vocem *homo*. Quia videlicet illius ſignificationem modificant, ac certo modo afficiunt: vox enim *mortuus*, ſignificationem vocis *homo* alienat, vox vero *albus* illam reſtringit.

48. Dixi in definitionibus: *Vocis in eadem propoſitionis extremò ſibi adjunctæ, &c.* Hæc enim eſt aliqua differentia vocis determinatæ, & determinantis à voce appellata & appellante. Neque enim prædicatum poteſt determinare ſubjectum, ſicut poteſt appellare ſupra illud; ſed vox determinans & determinata eſſe debent partes ejuſdem extremi: poni debent in eodem propoſitionis extremo. *Cujus ratio poteſt eſſe hæc:* Quia vocem determinare eſt ejus ſignificationem aliquo modo immutare & alterare: eſt enim illam reſtringere, extendere, alienare, diminuere, &c. Quæ ſunt veræ immutationes ac alterationes; uti clarum eſt. Atqui prædicatum nequit alterare ſignificationem ſui ſubjecti; nequit illam reſtringere, extendere, alienare, vel diminuere, &c. Ergo nequit illam determinare: adeoque vox determinans, & determinata nequeunt poni in diverſis extremis; ſed poni debent in eodem propoſitionis extremo. *Probatur minor:* Quia prædicatum in ſuum ſubjectum nihil valet, niſi illi applicare ſuum ſignificatum formale: atqui per hujuſmodi applicationem non alteratur, neque immutatur ſubjecti ſignificatio: neque talis applicatio eſt ſignificationis commutatio aut alteratio. Ergo prædicatum nequit ſubjecti ſui ſignificationem immutare, aut alterare, reſtringere, vel diminuere, &c. *Prob. min.* Quia philoſophari oportet de applicatione ſignificati formalis prædicati ſuprà ſubjectum prædicationis, ſicut philoſophamur de applicatione caloris vel frigoris ſuprà ſubjectum calefactionis, vel frigefactionis: atqui per harum formarum applicationem natura & eſſentia ſubjecti non immutatur, neque alteratur: ergo ſimiliter per iſtam applicationem ſignificati non alteratur ſignificatio ſubjecti.

49. *En quo patet:* In quo ſita ſit præciſa, eſſentialiſque differentia determinationis ab appellatione: item differentia vocis determinantis ac determinatæ à voce appellante & appellata. Meo judicio, ſita eſt in hoc: Quod determinatio ſit ſignificationis alteratio; appellatio verò non eſt alteratio, ſed ſola ſignificati ſuprà ſignificatum applicatio: item vox determinans eſt vox alteriùs vocis ſignificationem alterans, & vox determinata eſt vox, cujus ſignificatio eſt per aliam vocem alterata; at verò vox appellata & appellans ſunt vox ſignificatum ſuprà ſignificatum recipiens & applicans: quæ ſunt valdè diverſa. Sunt, inquam, diverſa, non quidem ſemper in re; ſed in ratione, in modo concipiendi, & ſignificandi. In re enim determinatio ſæpè eſt appellatio & vox determinata, & determinans ſæpè ſunt vox appellata & appellans. V.g. cum dico, *Petrus eſt homo doctus*, in vocibus *homo doctus*, eſt ſimul appellatio & determinatio: vox *homo* eſt appellata, ſimul & determinata; vox verò *doctus* eſt

ſimul determinans & appellans: ut facile patebit conſideranti. Er hoc ordinariè evenit, quotieſcumque vox appellata & appellans ponuntur in eodem propoſitionis extremo: tunc, inquam, vox ordinariè vox appellata & appellans ſunt ſimul determinata, & determinans.

50. Hæc de voce determinante ac determinata. Determinatio verò in abſtracto definiri debet conformiter, hoc modo: Determinatio eſt quædam plurium vocum affectio, quia ſignificario unius vocis alteratur, ac immuratur per ſignificarionem alterius vocis illi in eodem propoſitionis extremo adjunctæ. Quæ dividitur in determinationem activam & paſſivam. Determinatio activa tenet ſe ex parte vocis determinantis, nihilquè eſt aliud, quam forma illa, qua una vox altetat ſignificationem alterius. Determinatio paſſiva tenet ſe ex parte vocis determinatæ, eſtquè illa, qua ſignificatio unius alteratur per ſignificationem alterius vocis. Quæ duæ determinationes diſtinguuntur realiter; non ramen adæquatè: ſed ſolummodo inadæquatè: ur dixi ſuprà in ſimili de appellatione activa & paſſiva. Determinatio enim eſt vera ſuppoſitio: activa quidem eſt ſuppoſitio vocis determinantis; paſſiva vero eſt ſupppoſirio vocis determinatæ: quas duas ſuppoſitiones ſupra dixi; & modo dico diſtingui realiter inadæquatè.

51. *Ratio eſt clara*: Quia illa diſtinguuntur realiter inadæquatè, quæ partim diſtinguuntur, partim idenrificantur: quæ in aliqua ſui eſſentiali parte identificantur, & in alia diſtinguuntur. Atqui determinario activa & paſſiva ita ſe habent: ergo realiter inadæquatè diſtinguuntur. *Probatur minor:* Quia determinatio activa & paſſiva in re nihil ſunt aliud, quam prolatio vocis determinantis, & determinatæ, ſimul cum intentione ſignificationem unius alterandi & immutandi per aliam: adeoque in ſua eſſentia includunt prolationem vocis ſimul cum iſta intentione alterandi ſignificationem unius per aliam. Atqui prolatio vocis determinantis, & prolatio vocis determinatæ realiter diſtinguuntur: iſta vero præfata intentio eſt planè realiter eadem: ergo determinatio activa & paſſiva in aliqua ſui eſſentiali parte realiter diſtinguuntur; in alia realiter identificantur: adeoque diſtinguuntur realiter inadæquatè. Vide *dub.* 1. *ſect.* 3.

SECTIO II.

Explicatur diviſio determinationis, & natura alienationis.

52 VOx determinans, vox determinata, & determinatio, tam activa, quam paſſiva quinque habent ſpecies. Vox quippe determinans dividitur in vocem reſtringentem, ampliantem, explanantem, alienantem, ac diminuentem. Similiter vox determinata dividitur in vocem reſtrictam, vocem ampliatam, explanatam, alienatam, ac diminutam. Item determinatio activa & paſſiva dividitur in activam & paſſivam reſtrictionem, ampliationem, explanationem, alienationem, & diminutionem. Oportet itaque in ſingulis hiſce quinque ſpeciebus diſtinguere illa quatuor, quæ diſtinxi in determinationa in genere. V. g. in alienatione diſtinguere oportet vocem alienantem, vocem alienatam, alienationem activam, & alienationem paſſivam. Eodemquè modo faciendum eſt de aliis quatuor. Vocem determinantem, alienantem, reſtringentem; &c. hoc tempore magis communiter vocant particulam, vel terminum determinantem: alienantem, &c. Sed parum eſt de nomine, dummodo conſtet de re. Hac lectione explicabo alienationem: in ſequenti quatuor alias ſpecies. Noto hic autem uno verbo, quod antiqui Philoſophi ac Theologi alienationem vocarint diſtractionem: vocem vero alienantem vocarunt diſtrahentem: vocem autem alienatam vocavere vocem diſtractam. Ita patet ex Guilielmo Occam *in* 1. *diſt.* 2. *q.* 7. §. *ſi dicatur*. Verum hoc tempore aliud eſt alienatio, aliud eſt vox alienans, aliud vox diſtrahens: aliud eſt vox alienata, aliud vox diſtracta: uti patet ex *diſp* 17. *dub.* 2.

53. Eſt ergo vox alienans quædam, quæ vocem ſignificatione ſua propria transfert ad ſignificationem alienam, ac planè diverſam. Vox alienata eſt illa, quæ per vocem aliam ſibi adjunctam à ſignificatione ſua propria transfertur ad ſignificationem alienam. Alienatio eſt unius vocis per aliam vocem ſibi adjunctam à ſignificatione propria ad alienam facta translatio. Quæ, quatenus ſe tenet ex parte vocis alienantis vocatur alienatio activa, quatenùs vero ſe tenet ex parte vocis alienatæ, vocatur alienatio paſſiva. Sicut quippe in Jure rei translatio ab unius dominio in alius dominium vocatur rei alienatio; ſic etiam hic translatio vocis à ſignificatione unius rei ad ſignificationem alterius, vocatur vocis alienatio. Verb. grat. cum dico, *Cadaver eſt homo mortuus*, vel *Pictura eſt homo pictus*, vox *homo* eſt vox alienata; voces vero *mortuus*, & *pictus*, ſunt voces vocem *homo* alienantes. Transferunt quippe vocem *homo* à ſignificatione ſua propria, & originaria ad ſignificationem planè diverſam, & alienam: transferunt enim illam à ſignificatione hominis ad ſignificationem picturæ, vel cadaveris; quæ ſunt ſignificationes planè diverſæ, ac diſparatæ, ſicut ſunt ſignificata planè diverſa ac diſparata.

54. Alienatio, ſicut & determinatio in genere, eſt vera ſuppoſitio: activa quidem eſt ſuppoſitio vocis alienantis; paſſiva vero eſt ſuppoſitio vocis alienatæ: nihilque in re ſunt aliud, quam prolatio vocis alienantis, & vocis alienatæ, ſimul cum intentione unam vocem transferendi per aliam à ſignificatione ſua propria ad ſignificationem alienam. Sive, quod in idem cadit, cum intentione unam vocem uſurpandi in ſignificatione planè diverſa, & aliena à ſua ſignificatione originaria. Vocem enim ad alienam ſignificationem transferre nihil eſt aliud, quam vocem in aliena ſignificatione uſurpare. Hæ duæ alienationes diſtinguuntur realiter inadæquatè, ſicut jam dixi de determi-

minationibus. Quod etiam in quatnor aliis determinationis ſpeciebus obſerva: non enim ampliùs dicam.

55. Aliqui Alienationem Logicam cum Metapbora, vel Cathacreſi Retborica conſundunt, moti bac ratione: Alienatio eſt translatio vocis ſignificatione propria ad alienam: atqui hoc ipſum eſt Metaphora, & Cathacreſis: ergo alienatio Logica idem omninò eſt cum Metapbora, ſeu Cathacreſi. *Sed errant longè*. Quia Metapbora & Catbacreſis non ſunt Tropi orationis, ſed dictionis: id eſt, ſunt Tropi, qui in unica dictione reperiuntur, ac ſubjectantur. Atqui alienatio non poteſt reperiri ac ſubjectari in nnica voce; ſed pro ſuo ſubjecto eſſentialiter requirit ad minùs duas voces: unam quæ alienet, aliam quę alienetur. Ergo Alienatio neque Metapbora, neque Cathacreſis eſſe poteſt; licet cum illis aliquam ſimilitudinem habeat: iam enim Alienatiò, quam Cathacreſis & Metaphora ſunt vocis à propria ad ſignificationem alienam tranſportatio. Diverſo tamen modo: Nam Alienatio eſt talis tranſportatio mediante aliqua voce alienante; at verò Metaphora, & Catbacreſis ſunt talis tranſportatio ſine miniſtetio alicujus vocis alienantis. V. g. cum dico, *Prata rident, equus ædificatur*, &c. iſtæ voces *rident*, & *ædificatur* habent Metaphoram, aut Cathacreſim; non tamen Alienationem: Quia tranſportantur à ſignificatione propria ad alienam ſine miniſterio vocis alienantis. Nam vox *prata*, & vox *equus*, nequaquam voces alienantes ſunt. Licet tamen Cathacteſis, & Metaphora non ſint veræ alienationes, ſunt tamen veræ vocum ſuppoſitiones: ut facilè patebit conſideranti.

SECTIO III.

Explicantur altæ determinationis ſpecies.

56. Vox reſtringens aſt vox, quæ ſignificationem alterius vocis reſtringit & limitat: *Id eſt:* Eſt vox, quæ aliam vocem ſibi adjunctam panciora ſignificata babere facit. Vox reſtricta eſt illa, cujus ſignificatio ab alia voce reſtringitur, & limitatur. Reſtrictio verò eſt ſignificationis unius vocis per aliam vocem facta limitatio. Quæ, quatenus ſe tenet ex parte vocis reſtringentis, vocatur reſtrictio paſſiva. Eſtquè vera vocis utrinſque ſuppoſitio: uti jam diai aliquoties, v. g. cum dico, *Petrus eſt bomo albus, eſt animal rationale*, &c. Voces *bomo*, & *animal* ſunt voces reſtrictæ, voces verò *albus*, & *rationale* ſunt voces reſtringētes: Nam ſignificationem vocis *bomo* indifferentem ad homines albos & nigros, item ſignificationem vocis *animal* comprehendentem tam animalia irrationalia, quam rationalia, reſtringunt ac limitant ad ſolos bomines albos, ac ad ſola animalia rationalia.

57. *Ex quo patet:* Quod vox reſtringens aliquando ſit vox purè accidentalis; aliquandò verò eſt vox ſignificans differentiam eſſentialem: ita enim ſit in hoc exemplo, *Homo eſt animal rationale*. Ibi vox reſtricta eſt *animal*, vox verò reſtringens eſt *rationale*, quæ reſpectu animalis non eſt vox purè accidentalis, cum ſignificet differentiam eſſentialem animalis diviſivam. Et talis vox ordinariè non vocatur generali nomine vox reſtringens; ſed vocatur vox ſpecificans: & vox per per illam reſtricta vocatur vox ſpecificata, iſtaque reſtrictio vocatur activa & paſſiva ſpecificatio. Specificatio activa eſt ſuppoſitio quædam vocis ſignificantis, paſſiva verò eſt ſuppoſitio vocis ſpecificatæ: uti jam dixi aliquoties.

58. Vox amplians eſt vox ſignificationem alterius vocis extendens & ampliorem faciens; vox verò ampliata eſt vox, cujus ſignificatio ab alia voce ampliatur, & extenditur: ampliatio autem eſt ſignificationis unius vocis per aliam vocem facta extanſio & ampliatio. Ampliatio activa eſt ſuppoſitio vocis ampliantis, paſſiva verò eſt ſuppoſitio vocis ampliatæ. V. g. cum dico, *Mons ſine valle eſt mons imaginabilis*, ibi vox *imaginabilis* ampliat vocem *Mons*: Nam vox *mons* in ſua originaria ſignificatione comprehendit ſolos montes præſentes, præteritos, futuros, ac poſſibiles; at verò à voce *imaginabilis* extenditur ad etiam ſignificandos montes impoſſibiles, ac purè fingibiles & imaginabiles. Ita quidem dicitur communiter: qui tamen diceret vocem *Mons* à voce *imaginabilis* non ampliari, ſed alienati, meo Judicio diceret longè melius, & veriùs: Sed in re ſutili nolo eſſe longior: relinquo id judicio, & diſcuſſioni providi, ac curioſi Lectoris. Quidquid ergò ſit, hæc ampliatio non eſt ampliatio temporum, ſed ampliatio ſuppoſitorum; ut clarum eſt intelligenti terminos.

59. Vox explanans ordinariè adhibetur vocibus æquivocis, & amphibologicis, dubias ac diſparatas principales ſiguificationes habentibus. Nihilque eſt aliud, quam vox dubiam ac ambiguam alterius vocis ſignificationem explanans; vox explanata eſt vox, cujus dubia & ambigua ſignificatio per aliam vocem explanatur: explanatio eſt dubiæ ſignificationis alicujus vocis per aliam vocem explicatio. Alia eſt activa, alia paſſiva: activa eſt ſuppoſitio vocis explanantis, paſſiva verò eſt ſuppoſitio vocis explanatæ. V. g. cum dico, *Lupum piſcem non vidit Italia. Lupum terreſtrem oderunt oves, canis terreſtris eſt animal domeſticum*, &c. Iſtæ voces *Lupus*, & *canis* ſunt voces explanatæ; voces verò *piſcem*, *terreſtrem*, & *terreſtris* ſunt voces explanantes. Neſcio tamen, cur pro ordinario harum vocum exemplo adſerant hoc ſplendidum mendacium, *Lupum piſcem non vidit Italia*: cum lupum piſcem tam frequentem babeant Itali, quam babeamus nos Germani.

60. Vox diminuens eſt illa, quæ ſignificationem alterius vocis diminuit, & ſolummodò ſecundùm quid attribuit; vox diminuta eſt illa, cujus diminuitur, & ſolummodò ſecundum quid attributio: diminutio verò eſt ſignificationi alicujus vocis ſolummodò ſecundum quid attributio. Alia eſt activa, alia paſſiva: bæc eſt ſuppoſitio vocis diminuentis. V. g. cum dico, *Æthiops eſt albus ſecundùm dentes, aliquos Germanus eſt niger ſecundùm capillos*, voces *albus*, & *niger* diminuuntur: quia earum ſignificatio non impliciter, ſed ſolummodò ſecundùm quid Æthiopi & Germano attribuitur. At verò vo-

ces *ſecundum dentes*, *& ſecundum capillos* ſunt voces diminuentes; quia ſunt voces ſignificationem vocis ſibi adjunctæ tantùm ſecundùm quid alicui attribuentes.

DISPUTATIO XIX.

De Oratione & Propoſitione vocalibus.

EXplicata natura, ſignificatione, ſuppoſitione, appellatione, aliiſque affectionibus vocum ſimplicium, tranſitus faciendus eſt ad voces complexas, ad orationes, & propoſitiones vocales. Dico, *Ad vocales*: Quia de mentalibus non agit Summuliſta Grammaticus; ſed Phyſicus & Logicus; hic quidem practicè, ille vero ſpeculativè.

DUBIUM I.

Quid ſit oratio vocalis in genere?

1. ORatio triplex eſt, videlicet mentalis, ſcripta, & vocalis. Quid ſit vocatio mentalis, modò non curo: quia hic non phyſicum, ſed Summuliſtam, & Grammaticum ago. Quid ſit oratio ſcripta, facilè ſcit, qui ſcit, quid ſit oratio vocalis. Hanc Ariſtoteles *lib 1. de interpr.* definit hoc modo: *Oratio eſt vox ſignificativa ex inſtituto, cujus partes ſeparatæ ſignificant ut dictio; non ut affirmatio, aut negatio.* Definitionem non culpo; interim; hæc eſt brevior & melior: *Oratio vocalis eſt debita plurium vocum inter ſe conſtructio. Ut homo doctus, animal rationale, homo eſt animal, utinam eſſem beatus, &c.* Quæ definitio exponi debet per Syntaxim intranſitivam hoc modo: Oratio vocalis ſunt plures voces inter ſe debito modo conjunctæ ac conſtructæ. Sicut cum dicimus, *Eccleſia* eſt congregatio fidelium, &c. ſenſus eſt intranſitivus: Eccleſia ſunt fideles inter ſe legitimè congregati ſub obedientia Romani Pontificis Capitis ſui viſibilis, &c.

2. Movetur hic ordinaria quæſtio, & quæſitur: Quæ ſit forma orationis vocalis. Alii dicunt eſſe nexum Grammaticalem; alii dicunt vocem poſteriorem eſſe formam vocis prioris: adeoque prædicatum eſſe formam prædicationis vocalis. Alii dicunt adhuc aliquid aliud. Sed ſalva pace, nunquam audivi quæſtionem hac quæſtione ſtultiorem. In oratione vocali enim nulla eſt forma, nullaque materia: Nam oratio vocalis non eſt compoſitum quoddam ſubſtantiale, vel accidentale ex potentia & actu; ſed eſt qualitas quædam, vel potiùs plures qualitates de tertia ſpecie ſimul ſumptæ. Eſt enim nihil aliud, quam plures voces, aut plures ſoni ore humano prolati conformiter ad regulas Grammaticorum. Qui ſoni ſunt veræ qualitates de tertia ſpecie, ſicut ſunt albedo, nigredo, dulcedo, &c. Adeoque ſicut ſtultum eſſet quærere, quidnam ſit albedinis forma, quid ejus materia; ita ſtultum eſt quærere, quid ſit orationis, ac iſtorum ſonorum forma, quid eorum materia.

3. Nexus enim Grammaticalis nihil eſt diverſum à vocibus; nihil enim eſt aliud, quam vocum conformitas ad regulas Grammaticales, quæ à vocibus nequit eſſe ſeparabilis, aut realiter diſtincta: adeoque nequit eſſe vocum, aut orationis vocalis forma. Dicere, quod vox poſterior ſit forma prioris, abſurdius eſt, quam ut indigeat refutatione. Dicere quis poſſet, quod ſignificatio ſit forma vocis; ſed ſignificatio ad ſummum eſſe poteſt forma orationi adveniens, non autem forma orationem conſtituens: hic autem movetur quæſtio de forma conſtituente, non de adveniente; adeoque ſignificatio nihil facit ad hanc rem.

4. Oratio varias habet ſpecies; variiſque dividi poteſt diviſionibus. Primò, uti jam dixi, dividi poteſt in orationem vocalem, ſcriptam, & mentalem. Oratio vocalis ſunt plures voces, oratio ſcripta ſunt plures ſcripturæ inter ſe conjunctæ, & conſtructæ conformiter ad regulas grammaticales; oratio verò mentalis eſt conceptus loquentis iſtis vocibus, & ſcripturis correſpondens, ac per eas ſignificatus. Item dividitur in perfectam, & imperfectam. Perfecta generat ſenſum completum, & abſolutum: *ut homo eſt doctus, utinam eſſem beatus, &c.* Imperfecta ſenſum inchoat, ſed non abſolvit: talis eſt oratio Neptuni ad Ventos, *lib 1. Æneid. Quos ego: ſed motos, &c.* Oratio perfecta dividitur in orationem enunciativam, ſeu indicativam, imperativam, optativam, conjunctivam, & Infinitivam. Enunciativa eſt illa, quæ conſtat verbo indicativi modi: ut *ego curro, tu cucurriſti, ille currit.* Imperativa eſt illa, quæ conſtat verbo imperativi modi: ut, *fac tibi arcam, vade in Indiam.* Et ſic de aliis.

5. *Petes primò:* An diviſio orationis in vocalem, ſcriptam, & mentalem, ſit univoca, vel analoga? *Reſp.* Eſſe analogam. *Probatur*: Quia diviſio analoga eſt illa, in qua membra dividentia ſunt analogata diviſi: atqui oratio mentalis, ſcripta, & vocalis, ſunt analogata orationis in communi: ergo hæc orationis diviſio eſt analoga. *Probatur minor*: Quia analoga analogata ſunt illa, quæ in principali ſignificato vocis analogantis partim conveniunt, partim diſconveniunt; conveniunt quidem in forma habita, diſconveniunt verò in modo habendi illam, ut dixi ſuprà *diſp.10. dub.6.* Atqui oratio mentalis, ſcripta, & vocalis in principali ſignificato vocis *oratio* partim conveniunt, partim diſconveniunt; conveniunt in forma habita, & diſconveniunt in modo habendi. Ergò ſunt analogata ejus. *Prob. min.* Quia ratio principaliter ſignificata per vocem *oratio* in oratione mentali reperitur verè, ac realiter; in ſcripta verò & vocali ſolummodò ſimilitudinariè ac apparenter: ſicut ſignificatum in ſigno, ſicut humanitas reperitur in pictura, vel ſtatua. Unde oratio ſcripta & vocalis dicuntur orationes, eo modò quo homo pictus, & lapideus dicuntur homines: Ergò licet illæ tres orationes conveniunt in re habita, diſconveniunt tamen in modo habendi illam. *Probatur antecedens*: Quia oratio eſſentialiter eſt conceptus, & actus mentis: atqui ratio conceptus, & actus mentalis in oratione mentali reperitur verè & realiter, ſicut genus in ſua ſpecie; in ſcripta verò & vocali, ſive in vocibus & ſcripturis,

repe-

reperitur ſolummodò ſimilitudinariè, ſicut ſignificatum in ſigno: voces enim, & ſcripturæ ſunt ſigna ſignificantia, & manifeſtantia conceptum, ac mentis actum. Ergo ratio principaliter ſignificata per vocem *oratio* in mentali verè; in ſcripta, ac mentali reperitur ſolummodò ſimilitudinariè.

6. Eodem modo philoſophandum eſt de diviſione propoſitionis, ſyllogiſmi, demonſtrationis, modi ſciendi, aliorumque ſimilium, in ſcriptum, vocalem, & mentalem. Omnes quippe hæ diviſiones ſunt analogi in ſua analogata. *Ratio eſt eadem*: Quia ratio principaliter ſignificata per vocem *propoſitio*, *ſyllogiſmus*, *demonſtratio*, *&c.* in mentali reperitur verè, ſicut genus in ſua ſpecie; in ſcripta verò, & vocali ſolummodò ſimilitudinariè, ſicut ſignificatum in ſigno. Propoſitio enim, ſyllogiſmus, demonſtratio, non ſunt voces, aut ſcripturæ; ſed ſunt operationes quædam intellectus, quæ per voces, & ſcripturas ſignificantur, ac manifeſtantur: adeoque propoſitio, aut demonſtratio vocalis non eſt vera propoſitio, aut demonſtratio; ſed vocatur ſolummodò propoſitio, aut demonſtratio, quia eſt ſignum propoſitionis, aut demonſtrationis veræ in mente latentis. Sicut homo pictus vocatur homo, quia eſt ſignum hominis veri. Ergo omnia iſta non poſſunt eſſe univocata; ſed ſolummodò ſunt analogata.

7. *Petes ſecundò*: An vox *Nemo*, aliæque ſimiles voces mixtæ ſint orationes vocales? Paſſim dicunt eſſe orationes vocales apud Logicos, non tamen apud Grammaticos. Sed abſolutè dicendum eſt nullo modo eſſe orationes vocales, neque apud Grammaticos, neque apud Logicos. *Ratio breviter eſt*: Quia oratio vocalis debet eſſe plures voces inter ſe debito modo, & ordine conſtructæ: atqui vox *Nemo*, aliæque ſimiles non ſunt voces plures, ſed unica vox: ergo nulla ratione eſſe poſſunt vocales orationes. *Ratio majoris eſt*: Quia vocalis oratio idem omninò eſt, quod vocalis conſtructio: atqui vocalis conſtructio eſſe nequit ſine pluribus vocibus: ergo oratio vocalis eſſe debent plures voces. Neque valet iſta diſtinctio de Logico, & Grammatico: Quia, ut jam aliquoties dixi, de voce ſimplici & complexa, de adjectiva & ſubſtantiva, de recta & obliqua, de oratione & conſtructione vocali, &c. philoſophari debent Logici, Phyſici, Juriſtæ, Theologi, &c. ſicut philoſophantur Grammatici: Quia hanc philoſophiam non faciunt nomine ſuo; ſed illam mutuantur à Grammatico.

DUBIUM II.

Quid ſit propoſitio vocalis in genere?

8. PRopoſitio vocalis varia habent nomina: vocatur enim propoſitio, enuntiatio, prædicatio, oratio enuntiativa, &c. Item varias habet definitiones. Prima eſſe poteſt hæc: Eſt oratio verum vel falſum ſignificans. Sed definitio hæc non eſt eſſentialis; ſed ſolummodò deſcriptiva & accidentalis. *Ratio eſt clara*: Quia illa definitio eſt accidentalis, quæ datur per accidentia definiri: atqui iſta definitio datur per accidentia propoſitionis definitæ: ergo eſt definitio accidentalis, non eſſentialis. *Probatur minor*: Quia definitio hæc datur per veritatem & falſitatem: atqui veritas & falſitas ſunt quædam propoſitionis accidentia: ſunt enim à propoſitione realiter ſeparabilia, poſſuntque illi adeſſe, ac abeſſe ſine propoſitionis corruptione. Ergo iſta definitio datur per accidentia definiti. *Probatur minor*: Quia poteſt eadem propoſitio invariata de vera in falſam, ac de falſa tranſire in veram: ergo veritas & falſitas ſunt à propoſitione ſeparabilia ſine ejus corruptione. *Patet antecedens*: Quia verb. grat. hæc propoſitio, *Homo eſt albus*, conſervetur à Deo, vel ab homine per mediam horam invariata; ac interea temporis homo ex albo fiat niger, & denuo ex nigro albus, iſta propoſitio ex vera fiet falſa, & ex falſa rurſus vera: ergo poteſt eadem propoſitio invariata de vera in falſam, ac de falſa tranſire in veram. De quo plura in Libris de Anima.

9. *Petes*: An omnis omninò propoſitio ſit vera vel falſa; ita ut nulla ſit, quæ neque ſit vera, neque falſa? *Reſp.* Nullam eſſe talem; ſed omnem omninò propoſitionem, qualiſcumque demum ſit, ſive vocalis, ſive ſcripta, ſive mentalis, ſive affirmativa, ſive negativa, &c. eſſe vel veram, vel falſam. *Ratio eſt clara*: Quia in omni omninò propoſitione ſignificatum prædicati formale vel ſubjecto convenit vel diſconvenit: nequit enim ſubjecto ſimul convenire, & ſimul diſconvenire; vel neque convenire, neque diſconvenire: ſed neceſſario ſub disjunctione vel convenit, vel diſconvenit. Si conveniat, prædicatio eſt vera: ſi diſconveniat, prædicatio eſt falſa, ut pluribus oſtendam infra. Ergo omnis prædicatio vel eſt vera, vel falſa, nullaque eſt, quæ neque ſit vera, neque falſa, vel quæ ſit ſimul vera & falſa.

10. [illegible]meo, licet omnis prædicatio ſit vera vel falſa, non tamen omnis eſt verax vel mendax: veracitas enim & mendacitas non cadunt in propoſitionem mentalem: ſed ſolummodò in ſcriptam & vocalem. Notanda quippe hæc eſt differentia inter propoſitionem mentalem ex una parte, ac ſcriptam & vocalem ex alia parte. Quod prædicatio ſcripta & vocalis poſſint eſſe veræ, & falſæ, veraces, & mendaces; mentalis verò eſſe poteſt quidem vera & falſa, non tamen verax aut mendax. *Ratio eſt clara*: Quia eſſe prædicationem veram vel falſam eſt illam eſſe conformem vel difformem rei ſignificatæ; illam verò eſſe mendacem vel veracem eſt illam eſſe difformem vel conformem interno Judicio mentis: atqui propoſitio mentalis quidem conformari vel difformari poteſt rei ſignificatæ, non tamen interno Judicio mentis: ipſa enim eſt internum Judicium mentis. Ergo quidem eſſe poteſt vera vel falſa, non tamen verax vel mendax. At verò prædicatio ſcripta & vocalis conformari poſſunt tam rei, quam interno Judicio mentis: utrumque enim ſignificant. Ac per ordinem ad rem dicuntur veræ vel falſæ; per ordinem verò ad internum mentis Judicium à ſe ſignificatum dicuntur eſſe veraces vel mendaces. Quod eſt bene notandum.

11. Alii

11. Alii propoſitionem definiunt hoc modo: *Eſt oratio affirmativa vel negativa unius de alio: vel eſt affirmatio aut negatio unius de alio.* Sed definitio non valet. *Ratio eſt*: Quia nullum genus definiri poteſt per ſpecies ſuas diſiunctivè enumeratas: malè enim definiretur animal, quod ſit vivens rationale vel irrationale. Atqui illa definitio eſt talis: datur enim per affirmationem & negationem diſiunctim enumeratas, quæ ſunt ſpecies propoſitionis. Ergo iſta definitio nequit eſſe congrua & legitima. Minor eſt clara, fierque clarior ex infra dicendis; *Major verò probatur*: Quia definitio dari debet per eſſentialia definiti: atqui ſpecies non ſunt eſſentiales ſuo generi; ut clarum eſt: genus enim in ſuo conceptu abſtrahit à ſpeciebus & differentiis ſibi ſubordinatis. Ergo nullum genus legitimè definiri poteſt per ſuas ſpecies diſiunctim, aut diſiunctivè enumeratas.

12. *Obiicies*: Quidquid eſt de eſſentia omnium inferiorum ſub genere contentorum, hoc eſt de eſſentia generis: verb. grat. quidquid eſt de eſſentia omnium animalium particularium, hoc eſt de eſſentia animalis in genere. Quidquid eſt de eſſentia omnium hominum ſingularium, hoc eſt de eſſentia hominis in communi. Ergo ſimiliter quidquid eſt de eſſentia omnium propoſitionum in ſingulari, hoc eſt quoque de eſſentia propoſitionis in communi. Atqui de eſſentia omnis propoſitionis ſingularis eſt eſſe affirmativam, vel negativam alicujus de aliquo: ergo hoc ipſum eſt de eſſentia propoſitionis in communi: ergo dicta definitio data eſt per eſſentialia definiti: adeoque eſt legitima & bona. Vidi aliquos, qui hoc argumento premerentur, & vix exitum invenirent; exitus tamen inventu facilis eſt: negari quippe debet aſſumptum, licet enim ſæpè verum ſit, non tamen ſemper & ubique. Et do tibi duas inſtantias. *Prima eſt hæc*: De eſſentia cujuſcumque animalis in ſingulari eſt ſingularitas: illa tamen non eſt de eſſentia animalis in communi. *Secunda eſt hæc, facitque ad præſens propoſitum*: De eſſentia cujuscumque animalis, ſive individui, ſive ſpecifici, eſt eſſe rationale, vel irrationale; nullum enim aſſignabis animal, quod non ſit eſſentialiter rationale, vel irrationale: hoc tamen non eſt de eſſentia animalis in genere: cum animal in genere ab utraque illa differentia abſtrahat; adeoque neutra ſit illi eſſentialis. Generaliter enim differentiæ, adæquatè dividentes aliquod genus, diſiunctim enumeratæ ſunt de eſſentia cujuſcumque inferioris; non tamen ſunt de eſſentia generis diviſi; ut facilè patebit conſideranti, & per ſingula diſcurrenti. Similiter ergo hic, *Affirmativum vel negativum alicujus de aliquo*, quæ ſunt differentiæ adæquate dividentes propoſitionem in genere, ſunt quidem de eſſentia cujuſcumque propoſitionis ſingularis; non tamen de eſſentia propoſitionis in genere: illa enim ab utroque abſtrahit; adeoque iſta definitio non datur per propoſitionis eſſentialia: & ſic non eſt bona & legitima. Itaque iſta propoſitio aſſumpta eſt quidem ſæpè vera, non tamen ſemper; ut patet per jam dicta.

13. *Reſp. itaque & dico*: Propoſitio vocalis in genere definiri debet hoc modo: *Eſt oratio enuntiativa, ſeu judicativa unius de alio.* Vel etiam hoc modo: *Eſt oratio conſtans verbo indicativi modi.* Hæc quippe definitio convenit omni, & ſoli propoſitioni, affirmativæ, negativæ, ſimplici, complexæ, abſolutæ, modali, &c. Item in hac definitione notari non poſſunt illa incommoda, quæ notavimus in duabus præcedentibus: datur enim definitio non per propoſitionis accidentia, neque per differentias ejus diviſivas; ſed per differentiam ejus conſtitutivam, quæ eſt *eſſe Judicativum unius de alio*. Nam propoſitio vocalis idem eſt, quod Judicium vocale: atqui differentia judicii conſtitutiva, & diſiunctiva à ſimplici apprehenſione, & diſcurſu eſt *eſſe judicativum unius de alio*: ergo hæc eadem eſt differentia conſtitutiva, & diſtinctiva propoſitionis vocalis.

14. *Dices*: Poteſt dari vocalis propoſitio, quæ non ſit oratio: utpote quæ non ſit plures voces, ſed ſolommodo unica & ſimplex vox. Ergo malè dicuntur in hac noſtra definitione, quod propoſitio debeat eſſe oratio. *Probatur antecedens*: Quia omnis vox ſignificativa Judicii, & propoſitionis mentalis, eſt propoſitio vocalis: atqui poteſt unica ſimplex vox eſſe ſignificativa propoſitionis mentalis; neque ad hujuſmodi ſignificationem requiruntur voces plures: ergo dari poteſt vocalis propoſitio, quæ non ſit oratio. *Probatur minor*: Quia hæ voces, *Curro, amo, loquor, &c.* ſingulæ ſunt vox unica ſimplex: atqui ſingulæ ſignificant internam propoſitionem mentalem: ergo poteſt unica ſimplex vox eſſe ſignificativa propoſitionis mentalis. Similiter dum quis me rogat. *Vidiſti Romanum Pontificem?* Et ego reſpondeo, *Non*; iſta ſimplex dictio, *Non*, ſignificat meam propoſitionem mentalem: ergo interna propoſitio ab unica ſimplici voce ſignificari poteſt. *Probatur antecedens*: Quia illa vox ſignificat internam propoſitionem mentis, per cujus prolationem quis cenſetur vocaliter affirmare, vel negare: atqui per iſtam vocis *Non* in tali concurrentia prolationem, ergo cenſeor vocaliter negare, vereque vocaliter nego: ergo iſta ſimplex dictio *Non* in iſta concurrentia eſt ſignificativa internæ meæ propoſitionis mentalis. *Reſp. negando antecedens*: ad probationem dico, iſtas voces ſimplices eſſe quidem propoſitiones vocales implicitas, & virtuales; non tamen explicitas, veras, & formales. Omnis quippe expreſſa, veraque vocalis propoſitio eſſe debet formalis, ac expreſſa oratio, pluriumque vocum conſtructio.

DUBIUM III.

Quid ſit propoſitio ſimplex, quid compoſita?

15. PRopoſitio vocalis ordinariè, ac benè dividitur in propoſitionem ſimplicem ſeu categoricam, ac in complexam ſeu hypotheticam. Propoſitio compoſita ſeu hypothetica eſt illa, quæ componitur ex pluribus ſimplicibus aliquo nexu Grammaticali inter ſe connexis. Nexus Grammaticalis idem eſt, quod conjunctio Grammaticalis: qualis eſt, *Et, vel, neque,*

ergo,

ergo, *ſi*, *quia*, *&c.* Iſtæ ergo omnes orationes, quæ conſtant pluribus propoſitionibus ſimplicibus tali conjunctione inter ſe conjunctis, vocantur & ſunt propoſitiones compoſitæ, & hypotheticæ. Ut, *Petrus eſt homo, & Bucephalus eſt equus*. *Si viceris, fies Cæſar*. *Ipræ ſunt in Flandria: ergo ſunt in Belgio*. Debet, inquam, propoſitio hypothetica eſſe compoſita ex pluribus ſimplicibus: non quidem expreſsè & formaliter; ſed vel expreſsè & formaliter, vel ſaltem implicitè, ac virtualiter. Nam hæ orationes, *Si viceris, dabo tibi vitam æternam*. *Cum venerit Paraclitus, docebit vos omnem veritatem, &c.* Sunt & habentur ab omnibus pro propoſitionibus hypotheticis: & tamen non conſtant ex propoſitionibus ſimplicibus actu, ſed ſola virtute pluribus: ut clarum eſt intuenti.

16. Simplex itaque & categorica propoſitio eſt illa, quæ ex pluribus ſibi mutuò grammaticaliter conjunctis, neque actu, neque virtute compoſita eſt. Ut, *Petrus eſt homo*, *Joannes, qui currit, eſt animal*, *&c.* Differt ergo propoſitio ſimplex à compoſita, non in eo, quod ſimplex includat ſolummodo unicam enuntiationem, compoſita verò includat plures. Utrumque enim falſum eſt. Fieri quippe poteſt, ut propoſitio ſimplex includat propoſitiones plures, uti fit in hac, *Petrus, qui currit, eſt animal*; & ut propoſitio complexa non includat plures, uti fit in hac, *Si viceris, dabo tibi vitam æternam*. Differentia ergo harum propoſitionum deſumi debet ex copula principali: Nam propoſitionis ſimplicis copula principalis eſt verbum; complexæ verò copula principalis eſſe debet aliqua Grammaticalis conjunctio. Et hinc propoſitio complexa definiri non debet hoc modo: Eſt propoſitio includens propoſitiones plures; Sed hoc modo: Eſt propoſitio includens propoſitiones plures aliqua conjunctione Grammaticali ſibi mutuo connexas.

17. De ſpeciebus & diviſionibus propoſitionis categoricæ latiſſimè dicam infra: de ſpeciebus verò & diviſionibus propoſitionis hypotheticæ breviſſimè dicam hic. Propoſitio itaque hypothetica varias habet ſpecies & diviſiones. Dividi enim poteſt in propoſitionem copulativam, disjunctivam, conditionalem, rationalem, cauſſalem, &c. Quarum omnium eſſentialis differentia deſumi debet ex conjunctione Grammaticali, quæ eſt principalis copula. Propoſitio itaque copulativa eſt illa, cujus copula eſt conjunctio copulativa. *Et*, *atque*, *nec*, *neque*, aut alia æquivalens. Ut, *Papa eſt Italus, & Rex noſter eſt Hiſpanus*. Propoſitio disjunctiva eſt illa, cujus copula eſt conjunctio disjunctiva *Vel*, *ſive*, *aut*, aliavè ſimilis. Ut, *Petrus eſt equus, vel Joannes eſt animal*. Propoſitio conditionalis eſt illa, cujus copula eſt conjunctio conditionalis. *Si*, *niſi*, aliavè æquivalens. Ut, *Si viceris, fies Cæſar*. Rationalis propoſitio eſt illa, cujus copula eſt conjunctio rationalis: *Ergo*, *igitur*, *itaque*, *&c.* Ut, *Petrus eſt homo, ergo eſt rationalis*. Propoſitio cauſſalis eſt illa, cujus copula eſt conjunctio cauſſalis. *Quia*, *quoniam*, *&c.* Ut, *Homo eſt riſibilis, quia eſt rationalis*. Et ita conſequenter philoſophandum eſt de aliis multis propoſitionis complexæ ſpeciebus, quæ facilè poſſunt fingi, & excogitari.

18. *Petes primò*: Quid requiratur ad veritatem ſingularum harum enuntiationum? *Reſp.* Ad veritatem copulativæ requiritur veritas utriuſque propoſitionis ſimplicis. *Ratio eſt*: Quia utraque ſimul & copulativè ſumpta enuntiatur, aſſeritur, vel negatur: adeoque, ut tota propoſitio copulativa ſit vera, veræ eſſe debent omnes ejus partes. Hoc tamen intelligi debet de illis propoſitionibus, in quibus copula copulativa ſumitur copulativè: Nam copula, ſeu conjunctio copulativa (quod ſupra *diſp.* 15. *dub.* 1 dicere oblitus ſum) ſumitur non ſolummodo copulatim, & copulativè; ſed etiam frequentiſſimè in Jure ſumitur disjunctivè, & alternativè: ut obſervat Gloſſa Cap. *Ex parte*. *De Reſcriptis*, 1. *V. Et perpetua*. Et Gloſſa Cap. *In alternativis*. *De Reg. Juris in* 6. Propoſitiones ergo copulativæ, in quibus conjunctio copulativa ſumuntur disjunctivè, ad ſui veritatem non requirunt veritatem omnium ſimplicium; ſed ſolummodò unius, ut jam dicam. Tales quippe propoſitiones licet voce ſint copulativæ; ſenſu tamen ſunt disjunctivæ: adeoque ſequuntur normam, & regulam disjunctivarum, non autem copulativarum propoſitionum.

19. Ad veritatem propoſitionis disjunctivæ non requiritur veritas omnium ſimplicium; ſed ſolùm unius. Forma ergo aliquam hypotheticam disjunctivam conſtantem centum ſimplicibus, quarum nonaginta novem ſint falſæ, & unica ſit vera, tota iſta hypothetica erit vera. *Ratio eſt*: Quia *in alternativis, ſeu disjunctivis, ſufficit unum adimpleri*: ut habet Regula Juris in 6. Gloſſa marginalis hujus Capituli limitat Regulam ad propoſitiones disjunctivas affirmativas, qualis verb. grat. eſt hæc: *Petrus eſt equus, vel Bucephalus eſt equus*. In negativis verò, qualis v. g. eſt hæc: *Neque Petrus eſt equus, neque Bucephalus eſt equus*, dicit Regulam claudicare: Quia, ut ait, *In negativis requiritur, quod neutrum fiat*. Sed errat: Regula enim eſt univerſaliter vera, etiam in negativis. Errat, inquam, non quidem in ſuo dicto; ſed in ſuo ſuppoſito. Supponit enim illas propoſitiones complexas, quarum copula eſt conjunctio *Neque*, eſſe disjunctivas; cum tamen ſint copulativæ: adeoque bene dicit ad veritatem earum requiri quod neutrum fiat; ſed errat dicens, ac ſupponens illas eſſe disjunctivas. In disjunctivis itaque etiam negativis ſufficit alterum adimpleri: v. g. hic: *Vel Petrus non eſt homo, vel Petrus non eſt brutum*.

20. Ad veritatem propoſitionis rationalis requiritur, quod utraque pars ſit vera; & præterea, ut poſterior rectè inferatur ex priori: ſive ut fiat bona conſequentia. Propoſitio enim rationalis idem omninò eſt, quod argumentatio: ad cujus bonitatem, & veritatem requiritur veritas antecedentis, ac conſequentis, cum bonitate conſequentiæ. De quo dicam in Logica. Ad veritatem cauſſalis etiam requiritur veritas utriuſque partis; ac præterea, ut propoſitio prior ſit cauſſa poſterioris. Hinc falſa eſt hæc propoſitio cauſſalis: *Quia homo eſt riſibilis, eſt rationalis*. Licet enim homo ſit & riſibilis, & etiam rationalis &

per

per conſequens utraque pars iſtius complexæ vera ſit; quia tamen prior propoſitio non continet cauſſam poſterioris, tota complexa eſt falſa. Ad veritatem propoſitinnis conditionalis etiam requiritur veritas utriuſque ſimplicis; ac præterea, ut una dependeat ab alia, tamquam à ſua conditione.

21. *Petes ſecundò*: An diviſio propnſitionis in ſimplicem & complexam ſit univoca? *Reſp. affirmativè*. *Ratio eſt*: Quia propoſitio ſimplex & complexa ſunt univocata vocis *propoſitio*: ergo hæc diviſio eſt univoca. *Probatur antecedens*: Quia univocata ſunt illa, quæ ſignificatum formale alicujus vocis habent in ſe eodem modo: atqui propoſitio ſimplex & complexa babent in ſe ſignificatum formale vocis *propoſitio* eodem habendi modo: ergo ſunt univocata ejus. *Probatur minor*: Quia propoſitio eſt oratio judicativa unius de alio: adeoque ſignificatum formale vocis *propoſitio* eſt judicatio unius de alio. Atqui judicatio unius de alio reperitur in utraque hac propoſitione: item reperitur in utraque eodem modo, eo videlicet modo, quo ſignificatum formale generis reperiri ſoler in ſuis ſpeciebus. Ergo utraque hæc propoſitio habet in ſe idem ſignificatum formale vocis *propoſitio* eodem habendi modo. Minor facilè patebit illam examinanti.

DISPUTATIO XX.

De Partibus Propoſitionis categoricæ.

BRevis ſum circa propoſitionem hypothetiicam: quia omnia, quæ circa illam controvetti poſſunt, facilè eruentur ex illis, quæ dicam de propoſitione categorica. Hic inquiro partes ejus, quæ ſunt prædicatum, ſubjectum, copula, nomen, verbum, &c. Quæro ergo hæc omnia, quid ſint.

DUBIUM I.

Quid & quotuplex ſit terminus propoſitionis Categoricæ.

1. TErminus varius eſt pro varietate rerum terminatarum. Alius eſt terminus anni, alius terminus vitæ humanæ, terminus agri, terminus Archi-diocœſis Colonienſis, &c. Hi omnes termini ad noſtrum propoſitum vel nihil faciunt, vel valdè parum. Nos hic de termino propoſitionis agimus: & quidem de termino propoſitionis categoricæ. Nam de termino propoſitionis hypotheticæ nihil video dicendum: illius enim propoſitionis terminus eſt propoſitio categorica, de qua dixi *diſp. præcedenti*, & dicturus ſum uſque ad finem hujus operis. Quo verò modo, & qua ratione dicatur categorica propoſitio eſſe terminus propoſitionis hypotheticæ, facilè patebit ex dicendis de termino propoſitionis categoricæ.

2. *Ubi ante omnia notandum eſt*: Terminum ordinariè dividi in terminum formalem, & objectivum. Sicut quippe propoſitio dividitur in formalem & objectivam, conceptus in formalem & objectivum, ſpes, timor, amor, fides, in formalem & objectivam, &c. Ita eadem diviſione dividi debet terminus. Propoſitio formalis ſunt conceptus, voces, vel ſcripturæ enuntiantes unum de alio; propoſitio verò objectiva eſt iſtorum conceptuum, vocum, vel ſcriptorarum objectum: nihil, inquam, eſt aliud, quam res, quæ de alia enuntiatur, & res de qua alia enuntiatur. Exempla fingere Lectori erit facile: hæc quippe diſtinctio in ſcholis eſt valdè vulgata. Eodem modo philoſophandum eſt de termino. Terminus formalis eſt conceptus, ſcriptura, vel vox aliqua; terminus verò objectivus eſt res per conceptum, vocem, vel ſcripturam iſtam ſignificata, verb.g. in hac propoſitione vocali, *Homo eſt animal*, voces *homo* & *animal* ſunt termini formales; ſuppoſitum verò humanitatis, & ſuppoſitum animalitatis, per voces iſtas ſignificata ſunt termini objectivi. Vocantur termini objectivi, quia ſunt objectum terminorum formalium: ſigni enim ſignificatum propriiſſimè vocatur ſigni objectum, ut dixi jam aliquoties. Quid & quotuplex ſit terminus objectivus, parum ad nos facit: nos ergo hic inquirimus de ſolo termino formali; ac præſertim de termino vocali. Agimus quippe hic de vocali propoſitione, ejuſque vocalibus partibus.

3. Et ex hac termini diviſione, ac diſtinctione benè intellecta concordari poteſt quædam ſententia Nominalium, cum quadam repugnanti ſententia Realium. Reales quippe dicunt res de ſeſe mutuò verè prædicari, vereque ſibi mutuò ſubjici: verè in prædicationibus eſſe terminos, verè eſſe prædicatum & ſubjectum. Nominales verò è contra negant hæc omnia: negant res de ſeſe mutuò prædicari poſſe, aut ſubjici: negant res eſſe propoſitionum terminos, prædicatum, aut ſubjectum. Sed dicunt propoſitionum terminos, prædicatum, & ſubjectum, eſſe ſolas voces, ſcripturas, & conceptus. Hæ, inquam, duæ ſententiæ repugnare videntur, & à Trivialibus Philoſophis in lectione Nominalium nunquam verſatis, repugnare cenſentur; ſed videntur & cenſentur tantum: Non enim verè repugnant. Reales enim loquuntur de termino, ſubjecto, & prædicato objectivo: dicunt res in propoſitionibus eſſe terminos, eſſe prædicatum, & ſubjectum objectivum. Nominales verò loquuntur de termino, prædicato, ac ſubjecto formalibus: dicunt res non poſſe eſſe terminom, ſubjectum, vel prædicatum formale; ſed illa debere eſſe voces, ſcripturas, vel conceptus. Et hoc etiam veriſſimum eſt, & à Realibus nunquam negatum. Adeoque Nominales hic, ſicut & alibi ſæpè, non repugnant realibus. His poſitis

4. *Reſp. & dico primò*. Terminus (intellige formalis) eſt extremum propoſitionis. Eſt, inquam, propoſitionis extremum, non extrinſecum eo modo, quo lapis eſt extremum agri; ſed intrinſecum eo modo, quo Italia eſt extremum Europæ. Eſt ergo extremum, id eſt, extrema pars alicujus propoſitionis; v.g. cùm dico, *Homo eſt animal*, voces *homo* & *animal* ſunt termini iſtius propoſitionis: quia ſunt ejus extremæ partes illam ex utraque parte concludentes. Debet autem

defi-

definitio intelligi non de extremitate quoad locum, propoſitionem, vel prolationem, quaſi verò terminus ſemper ſit extrema propoſitionis vox: ſed de extremitate quoad ſenſum & ſignificationem. Nam in hac propoſitione, *Joannes eſt filius Zebedæi*, vox *Zebedæi*, non eſt iſtius propoſitionis terminus: quia quamtumvis ſit extrema quoad poſitionem; non eſt tamen extrema quoad ſenſum.

5. *Dico ſecundò*: Terminus dividi debet in terminum vocalem, & ſcriptum. Terminus vocalis eſt vox; terminus verò ſcriptus eſt ſcriptura. Terminus vocalis eſt extremum propoſitionis vocalis; terminus vero ſcriptus eſt extremum propoſitionis ſcriptæ. Ordinariè addunt tertium diviſionis membrum: videlicet terminum mentalem. Sed iſtum ego repudio; & dico omnem omninò terminum eſſe vel ſcriptum, vel vocalem, nullumque dari terminum mentalem. *Ratio eſt*: Quia terminus eſt extrema pars propoſitionis: adeoque terminus mentalis foret extrema pars propoſitionis mentalis. Atqui in propoſitione mentali nulla eſt extrema pars, nullaque pars nullumque ſubjectum diſtinctum realiter à prædicato: propoſitio quippe mentalis eſt qualitas & conceptus quidam ſimplex, nullas omninò habens partes: ut eleganter tradit Ariminenſis *in prologo*, *quæſt.*1. *art.*3. Ergo nullus datur terminus mentalis; ſed omnis omninò eſt vel ſcriptus, vel vocalis.

6. *Petes*: An ſcripturæ, & voces extra propoſitionem formatæ, & prolatæ ſint termini? Aliqui affirmant; ſed eſt omninò negandum. *Ratio eſt*: Quia oporter philoſophari de termino propoſitionis, ſicut philoſophamur de termino agri, Regni, Diocœſis, &c. Atqui lapis non vocatur, neque eſt agri terminus, niſi ſit actu & de facto in agro poſitus: alioquin lapis jacens in agro Iprenſi vocari poſſet, & eſſe terminus agri Colonienſis. Ergo ſimiliter ſcriptura, & vox nequeunt eſſe, & vocari propoſitionis termini, niſi actu ponantur intra propoſitionem. *Et ratio à priori eſt*: Quia terminus non eſt id, quod terminare poteſt; ſed quod actu terminat: adeoque tunc aliquid vocatur alicujus rei terminus, quandò illam actu terminat. Ergo tunc voces, ac ſcripturæ vocantur, & ſunt propoſitionum termini, quando illas actu terminant. Atqui illas actu non terminant, niſi quandò actu in illis ponuntur: ergo voces, & ſcripturæ extra propoſitionem prolatæ vel poſitæ vocari non poſſunt propoſitionis termini. Vide dubium ſequens: omnia quippe, quæ dicam de prædicato, & ſubjecto formali, & objectivo, etiam applicari poſſunt, ac debent ad terminum formalem, ac objectivum in communi ſumptum.

DUBIUM II.

Quid ſit Subjectum & Prædicatum?

7. SIcut terminus formalis dividitur in vocem & ſcripturam, ita quoque dividi debet in prædicatum & ſubjectum. Cum hac tamen differentia: Quod hæc diviſio videatur eſſe generis in ſpecies; iſta verò accidentis in ſubjecta. Quod tamen relinquo examini & Judicio Lectoris. Ubi advertere debes, quod prædicatum & ſubjectum dividi debeant, ſicut diviſus eſt terminus, in formale & objectivum. Prædicatum & ſubjectum formale ſunt voces & ſcripturæ componentes, & concludentes propoſitionem ſcriptam, & vocalem. Prædicatum verò & ſubjectum objectivum ſunt res per voces, & ſcripturas iſtas ſignificatæ. Nos hic agimus de formalibus: Dicemus tamen etiam aliquid de objectivis,

8. Et profecto hæc diſtinctio eſt bene notanda, & obſervanda. Nam in his vocibus *terminus*, *ſubjectum*, *prædicatum*, in communi colloquio, ac exercitio Scholaſtico terribiliter, ac frequenter æquivocamus. Quæ frequens æquivocatio, niſi bene calleatur, hominem detrudet in frequentes, ac infames errores. Sæpiſſimè enim, ac ferè continuò dum iſtis vocibus utimur, tranſimus ab una ſignificatione in aliam: modo accipimus pro termino, ſubjecto, & prædicato formalibus; modò pro objectivis. Dicimus enim: *In prædicatione affirmativa prædicatum & ſubjectum debent eſſe realiter identificata*. Ibi *prædicatum* & *ſubjectum* accipiuntur pro objectivis. Rurſus dicimus: *Prædicatum & ſubjectum identificari debent in ſuo ſignificato recto*. Ibi accipiuntur pro formalibus. Item dicimus: *Significatum formale prædicati debet quadrare & inexiſtere ſubjecto*. Ibi *prædicatum* accipitur pro formali; *ſubjectum* verò accipitur pro objectivo. Et ita fit ſæpiſſimè: Quam æquivocationem niſi quis cautè advertat, facilè fiet, ut incautè in errorem decidat. Quo poſito

9. *Reſp. & dico*: Prædicatum objectivum eſt res illa, quæ de alia re affirmatur, vel negatur; ſubjectum verò objectivum eſt res illa, de qua aliqua alia res affirmatur, vel negatur; verb. gr. cum dico, *Homo eſt animal*, ſuppoſitum humanitatis eſt objectivum ſubjectum; de hoc enim affirmatur ſuppoſitum animalitatis, quod ideo ibi eſt objectivum prædicatum. Prædicatum verò formale eſt vox, vel ſcriptura ſignificans rem illam, quæ de alia affirmatur, vel negatur. Subjectum verò formale eſt vox, vel ſcriptura ſignificans rem illam, de qua alia res affirmatur, vel negatur; verb. grat. in præfata propoſitione, *Homo eſt animal*, vox *homo* eſt formale ſubjectum; vox verò *animal* eſt formale prædicatum.

10. *Dices*: Quomodo voces, & ſcripturæ eſſe poſſunt propoſitionis ſubjectum, vel prædicatum? Etenim prædicatum eſt illud, quod de alio affirmatur, vel negatur; ſubjectum eſt illud, de quo aliud affirmatur, vel negatur: atqui ſcripturæ, & voces neque ſunt illud, de quo aliud affirmatur, vel negatur; neque etiam illud, quod de alio affirmatur, vel negatur: hæc omnia enim quadrant rebus ſignificatis, non vocibus ſignificantibus. Ergo voces, & ſcripturæ eſſe non poſſunt ſubjectum, vel prædicatum. *Reſp.* Definitiones iſtas pro majori aſſumptas eſſe definitiones prædicati, & ſubjecti objectivi; non verò prædicati, & ſubjecti formalis: dixi autem voces, & ſcripturas eſſe ſubjectum, ac prædicatum, non objectivum; ſed formale. Nam prædicatum, ac ſubjectum formale

male vocantur ſigna illa, per quæ nos unam rem de alia affirmamus, & negamus; vel potiùs per quæ nos unam rem de alia affirmari, & negari ſignificamus: atqui illa ſigna ſunt ſcripturæ, & voces: ergo ſcripturæ & voces eſſe poſſunt ſubjectum, & prædicatum: non quidem objectivum; ſed formale.

11. Itaque tam voces, quam res ſignificatæ per voces dicuntur eſſe termini, extrema, prædicatum, & ſubjectum. Voces quidem dicuntur termini formales; res verò ſignificatæ dicuntur eſſe termini objectivi. Sed hinc oritur difficultas, ac controverſia: Quales ſint hæ denominationes, *Eſſe terminum*, *eſſe extremum*, *eſſe prædicatum*, *eſſe ſubjectum*, *&c.* tam reſpectu rerum, quam reſpectu vocum? An ſint denominationes reales, vel rationis? Extrinſecæ, vel intrinſecæ, &c. Et quidem Thomiſtæ, aliique nonnulli Philoſophi putant eſſe denominationes rationis. Sed errant, meo quidem judicio. Sunt quippe denominationes verè reales: rebus quidem totaliter extrinſecæ; vocibus verò partim intrinſecæ, partim extrinſecæ. Oportet ſingula probare ſigillatim.

21. Quod ergo reſpectu rerum iſtæ denominationes ſint verè reales, *ſic probo*: Quia rem eſſe prædicatum eſt illam eſſe de alia re affirmatam, vel negatam: atqui rem eſſe affirmatam vel negatam eſt illi denominatio verè realis: ergo ſimiliter, *Eſſe prædicatum*, eſt illi denominatio verè realis. *Major eſt clara*: Quia prædicatio eſt unius de alio affirmatio, vel negatio: adeoque rem eſſe prædicatam nihil eſſe poteſt aliud, quam illam de alia re eſſe affirmatam, vel negatam. *Minor verò probatur*: Quia illa denominatio eſt verè realis, cujus ſignificatum formale eſt verè reale: ut dicam pluribus infra. Atqui horum prædicatorum, ſive harum denominationum, *Eſſe affirmatum*, *eſſe negatum*, ſignificatum formale eſt quid verè reale: ſignificatum quippe earum formale eſt affirmatio, & negatio, quæ eſt aliquid verè reale: eſt enim realis qualitas, realis intellectio, realis operatio potentiæ intellectivæ. Ergo etiam iſtæ denominationes ſunt vere reales.

31. Eodem modo philoſophandum eſt de hac denominatione, *Eſſe ſubjectum*: Quia eſſe ſubjectum eſt eſſe id, de quo aliud affirmatur, vel negatur: eſt eſſe habens affirmationem, vel negationem alicujus alterius de ſe. Sicut enim eſſe prædicatum eſt habere affirmationem, vel negationem ſui de alio; ita eſſe ſubjectum eſt habere affirmationem, vel negationem alterius de ſe. Atqui hæc denominatio eſt verè realis: habet enim reale ſignificatum formale; ſignificatum enim ejus formale eſt negatio, & affirmatio. Ergo etiam *Eſſe ſubjectum*, eſt rebus denominatio verè realis. *Ex quo patet*: Quod hæ duæ denominationes, *Eſſe ſubjectum*, & *Eſſe prædicatum*, habeant idem omninò ſignificatum formale: & quod ab eadem forma, ab eodem intellectus actu una res denominetur prædicatum, & alia ſubjectum. Per illum quippe intellectus actum, per quem una res de alia affirmatur, una etiam alii ſubjicitur; adeoque unius rei ſubjectio, & alterius prædicatio ſunt duæ voces, ſed unica res.

41. Quod hæ denominationes ſint etiam denominationes rebus totaliter extrinſecæ, *ſic probo*: Quia denominatio totaliter extrinſeca eſt illa, cujus ſignificatum formale eſt totum extrinſecum ſubjecto: ut dicam pluribus infra. Atqui ſignificatum formale harum denominationum, *Eſſe prædicatum*, *eſſe ſubjectum*, eſt rebus prædicatis, & ſubjectis totaliter extrinſecum; ergo iſtæ denominationes ſunt rebus totaliter extrinſecæ. *Probatur minor*: Quia ſignificatum formale iſtarum denominationum eſt prædicatio, & ſubjectio: eſt actus quidam intellectus, quo una res de alia affirmatur, & una alteri ſubjicitur. Atqui hic actus eſt intrinſecus homini prædicanti, & ſubjicienti; rebus verò ab homine prædicatis & ſubjectis eſt planè extrinſecus: ut clarum eſt. Ergo ſignificatum formale iſtarum denominationum eſt rebus totaliter extrinſecum. Adeoque hæ denominationes non ſunt denominationes rationis; ſed verè reales extrinſecæ, ſicut ſunt *eſſe viſum*, *eſſe honoratum*, &c.

15. Quod hæ eædem denominationes vocibus ſint reales; ac partim intrinſecæ, partim extrinſecæ, *etiam probo*: Quia vocem eſſe prædicatum, vel ſubjectum nihil eſt aliud, quam vocem eſſe poſitam in orationis enuntiativæ contextu ad ſignificandam rem prædicatam, vel ſubjectam: atqui illa poſitio eſt aliquid voci poſitæ partim intrinſecum, partim extrinſecum ergo ſimiliter vocem eſſe prædicatum, vel ſubjectum, eſt voci denominatio partim intrinſeca, partim extrinſeca. Major clara eſt ex hactenus dictis; vel ſi illud non ſit, dic mihi, quid ſit aliud. *Minor verò probatur*: Quia talis vocis in oratione poſitio eſt vera vocis ſuppoſitio; ut nemo negabit, qui ſanus eſt. Atqui ſuppoſitio eſt voci ſuppoſitæ aliquid partim intrinſecum, partim extrinſecum: ut dictum eſt ſupra. Ergo etiam iſta vocis poſitio eſt vocis aliquid partim intrinſecum, partim extrinſecum.

DUBIUM III.

Quid ſit nomen Logicum?

16. Longam Nominis definitionem texit nobis Ariſtoteles: *Eſt vox ſignificativa ad placitum, cujus nulla partium ſeparata ſignificat, finita, recta, ſine tempore*. Sed definitio hæc, ut Ariſtoteli parcam, ac cætera ejus vitia taceam, tam longa eſt, ut etiam feliciſſimam facilè poſſit turbare memoriam. Sic ergo definies: *Eſt categorema ſignificativum ſine tempore*. Vel uti Grammatici definiunt: *Eſt vox declinabilis per caſus, ſignificativa ſine tempore*. Huic tamen definitioni unum obeſt: Quod ſcilicet etiam comprehendat voces ſyncategorematicas, *nullus*, *omnis*, *aliquis*, *&c.* Hæc quippe omnia ſunt voces declinabiles per caſus; ſignificantes ſine tempore. Atqui illæ voces non comprehenduntur ſub definito: non enim ſunt nomina. Ergo iſta Grammaticorum definitio non videtur ſuo definito eſſe adæquatè adæquata; ſed illud nonnihil excedere, aliquaque comprehendere ſub illo non comprehenſa. Melior ergo erit hæc definitio: Eſt categorema ſignificativum ſine tempore.

17. Ge-

17. Genus deficiti eſt Categorema. Omne enim nomen eſt categorema; non tamen è contra omne categorema eſt nomen. Nam verbum, & participium ſunt categoremata; non ſunt tamen nomina. *Ratio hujus eſt*: Quia nomen debet eſse terminus, & extremum propoſitionis vocalis: nam, ut ordinariè cum Philoſopho dicimus, *Ex nomine, & verbo componitur vocalis propoſitio*: ex verbo quidem tamquam ex copula; ex nomine verò tamquam ex termino & extremo. Atqui extrema propoſitionis debent eſſe categoremata: ut clarum eſt. Ergo etiam nomina debent eſſe categoremata. Hinc nomina obliqua non ſunt vera nomina Logica: cum neque categoremata ſint, neque extrema vocalium propoſitionum eſſe poſſint; ut dixi ſupra ſuo loco. Adeoque vox *obliqua* vocem *nomina* noe reſtringit, aut explanat; ſed omninò pervertit, ac alienat.

18. Differentia definiti eſt *ſignificare ſine tempore*. Per hoc enim diſtinguitur nomen à verbo, & participio. Utrumque quippe hoo ſignificat cum tempore. Poteſt quidem nomen ſignificare tempus; item poteſt conſignificara tempus: ſed nullatenus poteſt ſignificare cum tempore. *Pro quo adverte*: Quomodo hæc tria diſtinguantur. Significare tempos eſt pro ſuo principali ſigeificato habere aliquod tempus, aliquamve temporis differentiam; verb. grat. voces, *Hora*, *dies*, *annus*, *cras*, *heri*, *modo*, &c. ſignificant tempus: Quia earum principale ſignificatum eſt tempus. Conſignificare tempus eſt tempos connotare, ſive eſt habere tempus pro ſuo connotato, ſuoque ſignificato ſecundario. Ita voces, *Cœna*, *prandium*, *jentaculum*, *veſperæ*, *completorium*, &c. conſignificant tempos: Habeet enim tempus pro ſuo connotato, & ſignificato ſecundario: ſignificant quippe iſtæ voces actionem, ſeu functionem aliquam, connotando, ac conſignificando tempus, in quo fieri ſolent, ac debent. Significare verò cum tempore, eſt ſignificare aliquam actionem, ſeu functionem actu fieri, & exerceri in certo aliquo tempore; v. gr. cum dico, *Petrus ivit Neapolim*, vox *ivit* ſignificat cum tempore: ſignificat eeim itionem actu fieri & exerceri in tempore præterito. Et hoc ſignificare repugnat nomini: nomen etenim poteſt pro ſuo ſignificato primario, vel ſecundario habere tempus; adeoque poteſt tempus vel ſignificare, vel conſignificare: non poteſt tamen ſignificare, quod aliqua actio, vel functio actu in tempore fiat, & exerceatur; adeoque non poteſt ſignificare cum tempore.

19. *Ex quibus omnibus ſequitur*: Quod nomina debeant eſſe voces rectæ; non tamen voces finitæ, poſſunt enim etiam eſſe voces infinitæ: adeoque Philoſophus in ſua definitione benè dixit, *Nomen eſt vox recta*; malè tamen dixit, *Eſt vox finita*. Quod debeat eſſe rectum, jam dixi: Quia debet eſſe categorema, quod non poteſt eſſe obliquum. Quod poſſit eſſe infinitum, *ſic probo*: Quia omne categorema ſignificativum ſine tempore eſt nomen: atqui voces infinitæ, v. g. *Non homo*, *non brutum*, *non lapis*, &c. ſunt categoremata ſignificantia ſine tempore: ergo ſunt nomina. Quid enim illis deeſt? Deinde, tales voces poſſunt eſſe extrema, & termini propoſitionum vocalium; & non ſignificant cum tempore: debes ergo illas intra ſeriem nominum admittere.

20. A nomine non longè abeſt participium. Quod quidam inepte definiebat eſſe *Categorema ſignificativum cum tempore*. Nam verbum non eſt participium; eſt tamen categorema cum tempore ſignificativum. Defini ergo hoc modo. *Eſt categorema cum tempore ſignificativum, & declinabile per caſus*. Per primam partem differt à nomine; per alteram differt à verbo, quod non eſt per caſus declinabile; ſed per tempora, modos, & perſonas conjugabile. Scire tamen debes, participia omnia tam paſſiva, quam activa, ſumi poſſe duobus modis. Aliquando ſumuntur in vigore participii, quatenus participia ſunt, prout ſunt quid medium inter nomen & verbum. Aliquando ſumuntur in vigore participialis: & tunc non vocantur participia; ſed nomina participialia: immò tunc non ſunt participia; ſed vera, ac perfecta nomina.

21. Inter has quippe duas participii acceptiones, ſeu ſignificationes multæ ac magnæ ſunt differentiæ. Primò enim participium regit caſum ſui verbi, & ſignificat cum tempore, non minùs quàm verbum ipſum, cujus eſt participium. At verò participiale non regit caſum verbi, neque ſignificat cum tempore; ſed conſtruitur cum nomine ſubſtantivo intranſitivè, ſicut alia adjectiva, regitque caſum nominum adjectivorum: ut novit omnia bonus Grammaticus. Secundò, & magis ad rem noſtram, participium habet idem ſignificatum formale cum ſuo verbo; ita ut, ſi ſignificatum formale verbi fuerit actio, paſſio, operatio, habentia, tendentia, &c. id ipſum etiam ſit ſignificatum formale participii. At verò participiale non habet idem ſignificatum formale cum verbo; nec enim de formali ſignificat actionem, aut paſſionem; ſed habitum, inclinationem, conſuetudinem, aut aliud quid ſimile pro occurrentia & diverſa qualitate participialis, & verbi, à quo derivatur. Vide diſp. 9. dub. 3.

DUBIUM IV.

Quid, & quotuplex ſit Verbum Logicum?

22. HÆc vox *verbum* plurimas, eaſque diverſiſſimas habet ſignificationes. Illas omnes enumerare non eſt meæ intentionis: præſtabo id accuratè in Libris de Anima. Sumo hic ergo Verbum prout eſt ſpecies quædam vocis ſignificativæ, & prout opponitur Nomini jam definito. A Philoſopho definitur hoc modo: *Eſt vox ſignificativa ex inſtituto, ſimplex, finita, & recta, quæ inſuper tempus ſignificat, & ſemper eorum, quæ de altero dicuntur, eſt ſignum*. Definio ego breviùs hoc modo: *Eſt categorema ſignificativum cum tempore, & conjugabile per tempora, modos, & perſonas*. Per primam particulam excluduntur omnia ſyncategoremata; per ſecundam nomina: per tertiam excluduntur participia: hæc enim non conjugantur, ſed per caſus declinantur.

44. *Dices*: Verbum quandoque abſolvitur à tempore: ergo verbum non ſemper ſignificat cum tempore: ergo id in definitione verbi malè eſt poſitum. *Reſpond. negando utramque conſequent.* Quia verbum à tempore abſolvi non eſt ver-

bum ſine tempore ſignificare : hoc omnino falſum eſt. Verbum enim verè cum tempore ſignificat, etiam in his propoſitionibus, in quibus ampliari, & à tempore abſolvi dicitur. Verbum ergo à tempore abſolvi non eſt verbum abſolvi à ſignificatione cum tempore; ſed eſt veritatem propoſitionis abſolvi, ac independentem fieri à tempore per verbum ſignificato : eſt veritatem propoſitionis ad nullum ſpeciale tempus coarctari; ſed ad omnes quatuor temporis differentias ampliari; v. g. dicunt ordinariè : *In propoſitione contingenti verbum tempori alligatur ; In neceſſaria verò à tempore abſolvitur.* Utrobique tamen ſignificat cum tempore : utrobique enim ſignificat aliquam actionem, functionem, vel paſſionem actu fieri & exerceri in tempore. Senſus ergo iſtius communis axiomatis eſt hic : Veritas propoſitionis contingentis tempori per verbum importato alligatur; neceſſariæ verò veritas ab iſto temporis ligamine libera eſt, ad quatuor temporis differentias extenſa, & ampliata.

24. Verbum varias habet diviſiones. Primò dividi poteſt in verbum ſubſtantivum, & adjectivum. *Cui diviſioni hæc obeſt dubitandi ratio* : Verbum ſubſtantivum debet eſſe vox ſubſtantiva : atqui omne omninò verbum eſt vox adjectiva : ergo nullum datur verbum ſubſtantivum : ergo mala & inepta eſt hæc diviſio. *Patet minor* : Quia, ut ſupra dixi, vox ſubſtantiva eſt illa, quæ ſe ſola perfectum ſenſum gignere poteſt : atqui id non poteſt ullum verbum, ſed omne verbum, ut ſenſum perfectum gignat, requirit conſortium alicujus nominis : & quidem alicujus nominis ſubſtantivi. Ergo omne omninò verbum eſt vox adjectiva; nullumque eſt vox ſubſtantiva : adeoque diviſio in ſubſtantivum, & adjectivum ſoli nomini quadrat; nec applicari poteſt verbo.

25. Nihilominus tamen dico diviſionem eſſe bonam & congruam, ſi rectè intelligatur. Verbum ſubſtantivum vocatur verbum *ſum* per omnia tempora, modos & perſonas; omnia alia verba, activa, paſſiva, neutra, deponentia, ſubſtantialia, accidentalia, &c. vocantur verba adjectiva. Verbum *ſum*, inquam, vocatur verbum ſubſtantivum : non quia ſit vox verè ſubſtantiva : nam, ut oſtendit optimè poſita ratio dubitandi, hoc falſum eſt; & verbum *ſum* eſt vox verè adjectiva. Vocatur itaque verbum ſubſtantivum, quia inter verba imitatur qualitatem, & conditionem vocis ſubſtantivæ inter nomina. Illud enim nomen vocatur ſubſtantivum, quod complet, ac ſuſtentat ſignificationem nominum aliorum; illa verò, quorum ſignificatio completur, & ſuſtentatur ab alio, vocantur nomina adjectiva : ergo ſimiliter inter verba, illud quod complet, ac ſuſtentat ſignificationem omnium aliorum, rectè vocari poteſt verbum ſubſtantivum, omniaque iſta vocari debent verba adjectiva : atqui verbum *ſum* complet, ac ſuſtantat ſignificationem omnium aliorum verborum; omnia enim omninò alia verba in ſua ſignificatione includunt ſignificationem verbi *ſum*, ac per verbum *ſum* exponi, ac explicari debent : ergo verbum *ſum* rectè ſubſtantivum; omniaque alia rectè vocantur verba adjectiva.

26. Verbum adjectivum dividitur in activum, paſſivum, neutrum, deponens, neutro-paſſivum, &c. Quæ diviſiones explicari ſolent longè aliter ab inferioribus Grammaticis, aliter à Summuliſtis, & Philoſophis. Grammatici magis attendunt verbi terminationem; nos autem neglecta terminatione, totos nos convertimus ad verbi ſignificationem; ac præſertim ad ejus ſignificatum formale. Itaque verbum deponens, neutrum, paſſivum, & ſimilia relinquo Grammaticis. Ego Philoſophus aſſumo activum, paſſivum, & neutrum. Verbum activum apud nos vocatur illud, cujus ſignificatum formale eſt aliqua actio : ut, *Creo, doceo, ambulo, calefacio, loquor, &c.* Verba paſſiva vocantur illa, quorum formale ſignificatum eſt aliqua paſſio : ut, *Calefio, fio, feror, producor, creor, generor, &c.* Verbum neutrum eſt illud, cujus formale ſignificatum neque actio, neque paſſio eſt; ſed ſimplex habentia alicujus formæ. Ut, *Amo, intelligo, video, iraſcor, luceo, fulgeo, delector, triſtor, &c. Amo* enim non ſignificat produco amorem; ſed habeo amorem : *Luceo* non ſignificat produco lucem; ſed habeo lucem, &c. Nos ergo Logici pro invenienda qualitate verbi relinquimus qualitatem terminationis, & attendimus ſolam qualitatem ſignificati formalis.

27. Sicut nomina adjectiva aliquandò ſubſtantivantur, & ſubſtantiva quandoque adjectivantur, ita etiam fit in verbis : verba enim neutra aliquandò activantur & activa aliquando neutrizantur; verb. grat. *Luceo, fulgeo* apud omnes tam Logicos, quam Grammaticos ſunt verba neutra; ſæpè tamen activantur, ac ſumuntur in ſignificatione activa. Nebuloſo enim tempore benè, ac verè dicimus. *Sol modò non lucet, non ſplendet, non fulget, non radiat, &c.* Ubi iſta verba neutra non poſſunt ſumi in ſignificatione neutra : tunc enim propoſitiones forent falſæ; facerentque hunc ſenſum : Sol modò non habent lucem, non habet ſplendorem, non habet fulgorem, &c. Quod planè falſum eſt. Activari ergo debent iſta verba, ac ſumi in ſignificatione activa, facereque hunc ſenſum verum, ac legitimum : Sol modò non cauſſat lucem, fulgorem, ſplendorem, &c. Aliaque adducere exempla bono Grammatico non erit difficile.

28. Secundò dividi poteſt verbum in verbum ſecundò adjacens, & verbum tertiò adjacens. Quæ diviſio, licet in rigore attribui poſſit omni verbo, magis ordinariè tamen attribuitur ſoli verbo ſubſtantivo *ſum*. Verbum ergo ſecundò adjacens eſt illud, poſt quod non ſequitur aliud prædicatum; ſed ipſum eſt prædicatum; v. g. cum dico, *Homo eſt, Deus eſt, Papa eſt*, Verbum *eſt* ibi ſecundò adjacere dicitur : Quia poſt ipſum non ſequitur aliud propoſitionis prædicatum, ſed ipſum eſt prædicatum. Sic etiam cum dico, *Homo currit, Deus vivit, equus valet*, &c. iſta verba ſecundò adjacent : Quia ſunt ipſum prædicatum, & non ſolum copula prædicati. Verbum ergo tertiò adjacens eſt illud, quod non eſt propoſitionis prædicatum, ſed ſolummodo copula ſubjecti cum prædicato ſequenti; verb. gr. cum dico, *Homo eſt animal, homo fuit albus, Petrus erit doctus, &c.*

Iſta verba tertiò adjacent: Quia non ſunt propoſitionis prædicatum; ſed ſolummodò copula vocalis ſubjecti vocalis cum ſuo vocali prædicato. Ex quo patet verbum interdum eſſe copulam, interdum etiam prædicatum propoſitionis: interdum eſſe, interdum non eſſe propoſitionis terminum.

50. Eſt autem magna differentia inter ſignificatum verbi *ſum* ſecundò adjacentis, & ſignificata verbi *ſum* tertiò adjacentis. Verbum enim *ſum* ſecundò adjacens de formali ſignificat exiſtentiam; v.g. cum dico, *Deus eſt*, *Antichriſtus erit*, *Petrus fuit*, *&c.* ibi verba iſta ſignificant de formali exiſtentiam, faciuntque hunc ſenſum: Deus eſt habens exiſtentiam, Antichriſtus erit habens, Petrus fuit habens exiſtentiam, &c. At verò verbum *ſum* tertiò adjacens de formali non ſignificat exiſtentiam; ſed ſimplicem connexionem prædicati cum ſubjecto; v.g cum dico, *Homo eſt animal*, *homo eſt albus*, *homo eſt riſibilis*, *&c.* verbum *eſt* non ſignificat de formali exiſtentiam, neque facit hunc ſenſum, Homo eſt exiſtens animal, homo eſt exiſtens albus; ſed ſignificat ſolam connexionem & unionem prædicati cum ſubjecto, facitque hunc ſenſum: Homo eſt habens ſibi conjunctam animalitatem, albedinem, riſibilitatem, &c.

51. *Ratio primæ partis eſt hæc*: Quia verbum *ſum* ſecundò adjacens eſt prædicatum vocale: adeoque eſt vox ſignificans rem de alia re affirmatam, vel negatam: & per conſequens ſignificatum formale ejus eſt illa forma, quæ de ſubjecto affirmatur, vel negatur. Atqui forma, quæ per propoſitionem de *eſt* ſecundò adjacente de ſubjecto affirmatur, vel negatur, eſt exiſtentia: ut omni Grammatico notum eſt. Ergo verbum *ſum* ſecundò adjacens ſemper ſignificat de formali exiſtentiam. *Ratio verò ſecundæ partis eſt hæc*: Quia verbum *ſum* tertiò adjacens non eſt propoſitionis prædicatum; ſed ſola prædicati copula: adeoque de formali non debet ſignificare formam, quæ de ſubjecto affirmatur, vel negatur; ſed ſolam copulationem, vel connexionem prædicati cum ſubjecto: uti patet in exemplis jam ſtatim aſſignatis.

DISPUTATIO XXI.

De quibuſdam Propoſitionis categoricæ diviſionibus deſumptis ex qualitate prædicati.

Qualitas prædicati ſæpè refunditur in totam propoſitionem, ſeu prædicationem; taliſque dicitur tota prædicatio, quale eſt prædicatum, v.g. à prædicato eſſentiali, accidentali, contingenti, neceſſario, intrinſeco, &c. tota prædicatio vocatur eſſentialis, accidentalis, contingens, &c. De hiſce ergo prædicationibus agit hæc præſens diſputatio. Ubi & hoc adverte (quandoque enim occurrit): Quod hæc vox *denominatio* ſupponat quandoque pro tota prædicatione; quandoque pro ſolo prædicato. Ita dicimus, *Eſſe album*, *eſſe doctum*, *&c.* eſſe denominationes accidentales intrinſecas: id eſt, prædicata accidentalia intrinſeca.

DUBIUM I.

Quid ſit prædicatio eſſentialis? Quid accidentalis?

1. ADverte primò: Quid ſit unam rem eſſe de eſſentia alterius. Aliqui dicunt nihil eſſe aliud, quam unam rem non poſſe eſſe, nec concipi ſine alia. *Sed malè*: Etenim licet omne illud, quod de eſſentia eſt, ſit tale, ut ſine illo res nec eſſe poſſit, nec concipi; multa tamen ſunt, ſine quibus res nec eſſe, nec concipi poteſt, quæ tamen nullo modo ſunt de eſſentia; v.g. actio ſine termino, item ſine ſuo effectivo principio; unio ſine extremis, paſſio ſine ſubjecto, nec eſſe poteſt, nec concipi; terminus tamen & principium actioni, ſubjectum paſſioni, extrema unioni non ſunt eſſentialia; ergo iſta definitio non eſt convertibilis; ſed eſt nimis larga. *Patet minor*: Quia forma eſſentialis ab eo, cui eſſentialis eſt, non poteſt diſtingui realiter adæquatè. Dico, *Realiter adæquatè*: Quia diſtingui poteſt realiter inadæquatè. Anima enim mea eſt mihi eſſentialis; à quo tamen realiter inadæquatè diſtinguitur. Atqui terminus ab actione, ſubjectum à paſſione, extrema ab unione diſtinguuntur realiter adæquatè: ut notum eſt ſanioribus Phyſicis. Ergo illa non poſſunt illis eſſe eſſentialia. *Ratio majoris eſt*: Quia omnis forma eſſentialis debet eſſe inſeparabilis ab eo, cui eſſentialis eſt: atqui omnia realiter adæquatè diſtincta ſunt à ſeſe mutuo realiter ſeparabilia: ergo inter duo realiter adæquatè diſtincta, neutrum poteſt alteri eſſe eſſentiale.

2. Ego ergo dicere ſoleo hoc modo: Unam rem eſſe alteri eſſentialem eſt unam rem in ſuo eſſe conſtituere aliam; & forma eſſentialis idem eſt, quod forma conſtituens; v.g. materia prima, anima, & unio ſunt mihi eſſentialia: nonnè quia me in meo eſſe conſtituunt? Item de eſſentia albi eſt ſubjectum, & albedo; quia hæc duo album conſtituunt in eſſe albi: *Et ratio à priori eſt*: Quia eſſentiale idem eſt, quod eſſentia; idem eſt, quod rei entitas: atqui eſſentia rei, ſeu entitas rei eſt id, quod rem in ſuo eſſe diſtinguit, & conſtituit: ergo etiam eſſentiale, ſeu forma eſſentialis eſt illud, quod rem in ſuo eſſe conſtituit. De quo alibi fortan plura.

3. *Adverte ſecundò*: Quid ſit prædicatum eſſentiale, quid accidentale. Hoc autem facilè poteſt erui ex illis, quæ dixi ſupra *diſp* 8. *dub.* 1. Prædicatum itaque eſſentiale eſt illud, cujus utrumque ac adæquatum ſignificatum, tam materiale videlicet, quàm formale (ſi prædicatum concretum fuerit, utrumque hoc ſignificatum habens) eſt de eſſentia ſubjecti, de quo prædicatur, aut ad quod comparatur. Prædicatum verò accidentale eſt illud, cujus alterutrum ſignificatum, vel materiale videlicet, vel formale, non eſt de eſſentia ſubjecti; v.g. *animal* reſpectu hominis eſt prædicatum eſſentiale: quia tam ſignificatum ejus materiale, quod eſt ſuppoſitum, quàm formale, quod eſt animalitas, eſt de eſſentia hominis. *Album* verò reſpectu hominis eſt prædicatum accidentale: Quia albedo, quæ eſt ſignificatum ejus formale, non eſt de hominis eſſentia. Similiter in hac prædicatione, *Irra-*

tionale eſt animal, *Animal* reſpectu irrationalis eſt prædicatum accidentale: Quia licet animalitas formaliter ſignificata à voce *animal*, ſit de eſſentia irrationalis, uti in Logica dicam; non tamen ſuppoſitum, quod eſt ſignificatum materiale, eſt de eſſentia irrationalis. Neque enim irrationale eſſentialiter eſt ſuppoſitum: cum dentur aliqua irrationalia, quæ non ſunt ſuppoſita; v. g. brutalitas, equinitas, leoninitas, &c. ſunt irrationales; non ſunt tamen ſuppoſita. Vide quæ dixi ſupra *loco citato*.

4. *Adverte tertiò*: Quod idem prædicatum poſſit eſſe eſſentiale, ſimul & accidentale: non ſolùm reſpectu ſubjectorum diverſorum; ſed etiam reſpectu ſubjecti ejuſdem. Hoc prima fronte quibuſdam apparebit mirum; eſt tamen clarum & certum. *Sic ergo oſtendo*: Quia *vivens*, *ſubſtantia*, *corpus*, *ens*, ſunt aliqua prædicata; *homo* verò eſt aliquod idem, unumque ſubjectum: atqui omnia iſta prædicata ſunt eidem homini eſſentialia, & accidentalia: ergo idem prædicatum poteſt eidem ſubjecto eſſe ſimul eſſentiale, & accidentale. Quod iſta prædicata homini eſſentialia ſint, nemo eſt, qui dubitet: Eſt enim certum & clarum. *Et ratio eſt*: Quia *Vivens*, *corpus*, *ſubſtantia*, *ens*, prædicantur de homine, eo modo quo *Animal* prædicatur de illo: atqui *Animal* de homine prædicatur eſſentialiter: uti norunt omnes. Ergo iſta alia prædicata prædicantur de illo etiam eſſentialiter. *Probat. major*: Quia, ut habet prima Regula Ante Prædicamentalis, certiſſima ac indubitata: Omnia eſſentialia prædicata prædicati dicuntur de iſtius prædicati ſubjecto, eo modo quo prædicatum dicitur de illo: adeo ut, ſi prædicatum dicatur de ſuo ſubjecto eſſentialiter, etiam prædicata eſſentialia prædicati dicantur de illo eſſentialiter; ſi verò de ſuo ſubjecto prædicatum dicatur accidentaliter, etiam prædicata eſſentialia prædicati dicantur de illo eodem modo, Atqui *Vivens*, *corpus*, *ſubſtantia*, *ens*, ſunt prædicata eſſentialia animalis: uti quoque norunt omnes. Ergo prædicata hæc debent prædicari de homine, eo modo quo *Animal* prædicatur de illo: adeoque eſſentialiter. Verum de pulcherrima iſtac Philoſophi Regula alibi latius.

5. Quod iſta omnia prædicata ſint homini quoque accidentalia *ſic proba*: Hoc enim putant quidam eſſe ſtultum & paradoxum. *Probo ergo*: Quia *riſibile* eſt homini prædicatum accidentale, ac prædicatur de illo accidentaliter: ergo etiam *vivens*, *corpus*, *ſubſtantia*, *ens*, prædicantur de homine accidentaliter. *Antecedens eſt clarum, ac in confeſſo apud omnes*. *Conſeq. verò probatur*: Quia, ut jam dixi ſtatim, omnia eſſentialia prædicata prædicati dicuntur de prædicati ſubjecto, eo modo quo prædicatum dicitur de illo: atqui in hoc caſu prædicatum eſt *Riſibile*; ſubjectum verò eſt *homo*: ergo omnia prædicata eſſentialia *Riſibilis* dicuntur de homine, eo modo quo *Riſibile* dicitur de homine: atqui *Riſibile* de homine dicitur accidentaliter: ergo etiam omnia eſſentialia prædicata *Riſibilis* de homine dicuntur accidentaliter: atqui eſſentialia prædicata *Riſibilis* ſunt *Vivens*, *corpus*, *ſubſtantia*, *ens*: ergo hæc prædicata de homine dicuntur accidentaliter. In hoc diſcurſu omnia ſunt clara præter primam majorem, quæ eſt prima regula ante-prædicamentalis: de qua dicam in ante-prædicamentis. Ac præter ultimum ſubſumptum, quod videlicet *Vivens*, *corpus*, *ſubſtantia*, *ens*, ſint *Riſibilis* prædicata eſſentialia: hoc enim quis Trivialis Philoſophus facilè negaret: negari tamen non poteſt. De quo in Logica.

6. Ne tamen hic omninò taceam, cape hanc brevem; ſed efficacem rationem: Quia vivens eſt principium elicitivum actionis vitalis: atqui riſibile eſt eſſentialiter principium elicitivum actionis vitalis: ergo riſibile eſſentialiter eſt vivens; adeoque vivens eſt riſibili prædicatum eſſentiale. *Probatur minor*: Quia riſibile eſt principium elicitivum riſionis: atqui principium elicitivum riſionis eſſentialiter eſt principium elicitivum actionis vitalis: ergo riſibile eſt eſſentialiter principium elicitivum actionis vitalis. *Patet minor*: Quia riſio eſt eſſentialiter actio vitalis: ut notum eſt intelligenti terminos. Ergo principium elicitivum riſionis eſſentialiter eſt principium elicitivum actionis vitalis; adeoque riſibile eſſentialiter eſt vivens. Quod ſi eſſentialiter vivens: etiam eſſentialiter eſt corpus, ſubſtantia, & ens, juxta regulam jam datam: Omnia eſſentialia prædicata prædicati dicuntur de prædicati ſubjecto, eo modo quo prædicatum dicitur de illo. Sed de his omnibus dicam plura in Logica.

7. Confirmari poſſunt hæc omnia aliis adhuc exemplis: adducam unicum quod audivi ex ore cujuſdam Profeſſoris egregiè docti; v. g. *ens* de Petro & Paulo albis prædicatur eſſentialiter, ac ſimul accidentaliter: ergo idem prædicatum reſpectu ejuſdem ſubjecti eſſe poteſt ſimul eſſentiale & accidentale. Quod *ens* de Petro eſſentialiter prædicetur, nolo probare, quia non puto id à quopiam fore negandum. Quod prædicetur accidentaliter, probo eodem argumento, quo ſupra, quo etiam utebatur iſte Profeſſor: Quia *albedo* ſive *album* prædicatur de Petro accidentaliter: ergo etiam *ens* prædicatur de illo accidentaliter. *Patet conſeq.* Quia eſſentialia prædicata prædicati dicuntur de prædicati ſubjecto, eo modo quo prædicatum dicitur de illo: atqui *albedo*, ſive *album* dicitur de homine accidentaliter: ergo etiam *ens*, quod eſt prædicatum eſſentiale *albi*, de homine dici debet accidentaliter.

8. *Objicies*: Prædicatum eſſentiale eſt illud, cujus formale ſignificatum eſt intra eſſentiam ſubjecti; prædicatum accidentale eſt illud, cujus formale ſignificatum eſt extra eſſentiam ſubjecti: atqui implicat idem ejuſdem prædicati formale ſignificatum eſse eidem ſubjecto ſimul intrinſecum, & extrinſecum: eſse ſimul extra eſſentiam, & intra eſsentiam ejuſdem ſubjecti. Ergo implicat idem prædicatum eidem ſubjecto eſse ſimul eſsentiale, & accidentale. Argumentum hoc magni ſit à quibuſdam; Ego illud rideo. *Reſp. ergo diſtinguendo minorem*: Implicat idem prædicatum eidem ſubjecto eſse ſimul intrinſecum & extrinſecum ratione ejuſdem ſui ſubjicibilis: *ſic concedo*. Ratione diverſorum ſubjicibilium: *ſic planè nego*. Etenim ſicut idem homo poteſt eidem domui eſse ſimul intrinſecus ratione diver-

ſarum

Digitized by Google

ſarum partium, poteſt eſſe intrinſecus ſecundùm unam partem, & extrinſecus ſecundum aliam; poteſt eſſe intrinſecus ſecundùm pedes, & extrinſecus ſecundùm caput: ita quoque idem prędicatum, ſive idem ejuſdem prędicati ſignificatum formale poteſt ſimul eſſe intra & extra ejuſdem ſubjecti eſsentiam ratione diverſorum ſuorum ſubjicibilium, ſive ſecundùm diverſas ſuas partes ſubjectivas. Poteſt eſſe intra eſsentiam ſecundùm unum ſuum ſubjicibile, & ſecundùm aliud eſſe extra eſsentiam: adeoque poteſt eidem ſubjecto eſſe ſimul eſsentiale, & accidentale. Ita fit in exemplis ſupra adductis; verb. grat. *ens* diverſa ſubjicibilia habet: videlicet animalitatem, brutalitatem, albedinem, &c. Ratione animalitatis eſt intra Petri eſsentiam; ratione albedinis eſt extra illam. Item ſubjicibilia viventis ſunt homo, brutum, riſibile, hinnibile, &c. Ratione hominis eſt Petro intrinſecum; ratione riſibilis eſt illi extrinſecum. Quid ergo contradictionis eſt dicere, quod idem prędicatum ſit eidem ſubjecto eſsentiale, & accidentale? Dicere, quod ſit intra & extra ejuſdem ſubjecti eſsentiam? Hoc enim non fit ratione ejuſdem, ſed ratione diverſorum. His poſitis

9. *Reſp. & dico primò*: Propoſitio eſsentialis eſt illa, in qua prędicatum eſt de eſsentia ſubjecti: in qua utrumque prędicati ſignificatum eſt de eſsentia ſubjecti. Propoſitio verò accidentalis eſt illa, in qua prędicatum non eſt de eſsentia ſubjecti: in qua alterum prędicati ſignificatum non eſt de eſsentia ſubjecti; v.g. hę prędicationes, *Homo eſt animal*, *Petrus eſt homo*, *eſt rationalis*, *&c.* ſunt prædicationes eſsentiales: in illis quippe utrumque prædicati ſignificatum, ram ſcilicet formale, quam materiale, eſt de eſsentia ſubjecti: ut planum eſt conſideranti. At verò hæ prædicationes, *Homo eſt riſibilis*, *rationale eſt animal*, *Petrus eſt albus*, *&c.* quia in illis ſignificatum formale prædicati non eſt de eſsentia ſubjecti, ſunt prædicationes accidentales. Accidentales quoque ſunt hę, *Irrationale eſt animal*, *ſenſitivum eſt animal*, *&c.* Quia licet in illis ſignificatum formale prędicati ſit de eſſentia ſubjecti; non ita tamen eſt de ſignificato materiali prædicati. Nam ſignificatum materiale prædicati *animal* eſt ſuppoſitum, quod non eſt de eſſentia ſenſitivi, aut irrationalis: ut fiet clarum & planum ex dicendis in logica. Hic quippe dici ad longum non poſſunt hæc omnia. Vide etiam *diſp.* 8. *dub.* 1.

10. *Dico ſecundò*: Eadem propoſitio poteſt eſſe ſimul eſſentialis, & accidentalis. Tales enim ſunt omnes hæ, *Homo eſt vivens*, *homo eſt ſubſtantia*, *homo eſt ens*, & ſimiles multæ. *Ratio eſt*: Quia prædicatio eſſentialis eſt illa, in qua ſignificatum utrumque prædicati, ſive in qua totum prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti; prædicatio accidentalis eſt illa, in qua prædicatum non eſt de eſſentia ſubjecti: atqui poteſt idem prædicatum eſſe, ac ſimul non eſſe de eſſentia ejuſdem ſubjecti: atque ita fit in prædicationibus iſtis allatis. Ergo poteſt eadem prædicatio eſſe ſimul eſſentialis, & accidentalis; ac allatæ iſtæ prædicationes ſunt tales. Minor ſatis probata eſt ſtatim ſupra. Non video ergo quidnam his opponere valeant: vel ſi quid habeant, id opponant.

DUBIUM II.

Quid ſit prædicatio ſubſtantialis? Quid accidentalis?

11. Prædicatio accidentalis duplex eſt, ſicuti & prædicatum accidentale. Una, quæ opponitur prædicationi eſſentiali; altera, quæ opponitur prædicationi ſubſtantiali. De iſta dixi jam *dubio* 1. De altera dicam *dubio præſenti*. Similiter inter prædicata accidentalia unum eſſentiali, alterum opponitur ſubſtantiali: de quorum differentia dixi ſatis ſupra *diſp.* 8. *dub.* 1. *Adverte hic ergo primò*: Quid ſit prædicatum ſubſtantiale, quid accidentale illi oppoſitum. Prædicatum ſubſtantiale eſt illud, cujus formale ſignificatum eſt ſubſtantia. V. *Homo*, *animal*, *riſibile*, *&c.* ſunt prædicata ſubſtantialia: quia eorum ſignificatum formale eſt verè ſubſtantia. Oportet ergo in hoc prædicato negligere ſignificatum rectum ac materiale, ac attendere ſolum obliquum ac formale. Si enim hoc fuerit ſubſtantia, qualecumque fuerit illud, ſive ſubſtantia, ſive accidens, parum refert, prædicatum eſt ac vocatur ſubſtantiale; v. g. cum dico, *Albedo eſt parietata*, iſta vox *parietata* eſt prædicatum ſubſtantiale; ut nemo negabit: & tamen ſolum ejus ſignificatum formale eſt ſubſtantia; ſignificatum enim ejus rectum ac materiale eſt albedo, quæ eſt accidens. Ergo in prædicato ſubſtantiali negligere oportet ſignificatum materiale, & attendere ſolum formale.

12. Eodem modo philoſophandum eſt de prædicato accidentali: Eſt enim illud, cujus formale ſignificatum eſt accidens; v. g. *Album*, *dulce*, *ſtans*, *amans*, *intelligens*, *videns*, *&c.* ſunt prędicata accidentalia. Eorum quippe ſignificata formalia ſunt vera, & prędicamentalia accidentia. Oportet etiam in hoc prędicato negligere ſignificatum materiale, ac attendere ſolum formale. Dummodò enim hujus formale ſignificatum ſit accidens, ſignificatum materiale poteſt eſſe ſubſtantia. Quis enim neget, *Albus*, *dulce*, *ſtans*, *&c.* eſſe prędicata accidentalia? Nonne tamen eorum rectum, ac materiale ſignificatum eſt vera prędicamentalis ſubſtantia? Ergo etiam in hoc prędicato neglige materiale, & attende ſolum ſignificatum formale. Vide quę dixi ſupra *diſp.* 8. *dub.* 1.

13. *Adverte ſecundò*: Hęc duo eſſe valdè diverſa. *Eſſe prædicatum ſubſtantiale*, & *prædicari ſubſtantialiter*. Hęc duo, inquam, non ſunt convertibilia; ſed magis & minus communia. Magis commune eſt *Eſſe prædicatum ſubſtantiale*, *prædicari verò ſubſtantialiter* eſt minùs commune: Nam quidem omne illud, quod prędicatur ſubſtantialiter, eſt prędicatum ſubſtantiale; non tamen è contra omne prędicatum ſubſtantiale prędicatur ſubſtantialiter: v.g. cum dico, *Homo eſt veſtitus*, *eſt palliatus*, *eſt ocreatus*, *eſt gladiatus*, *&c.* iſta prędicata, *Veſtitus*, *palliatus*, *ocreatus*, *&c.* ſunt prędicata ſubſtantialia: cum tam eorum ſignificatum materiale, quam formale ſit vera ſubſtantia. Atqui tamen non prędicantur ibi ſubſtantialiter: ergo poteſt aliquod prędicatum eſſe prędicatum ſubſtantiale,

& tamen non prædicari ſubſtantialiter. *Probatur minor*: Quia illud prædicatum prædicatur de ſubjecto ſubſtantialiter, cujus ſotmale ſignificatum pertinet ad ſubſtantiale complementum, ac ad ſubſtantialem petfectionem ſui ſubjecti; atqui in iſtis præſatis prædicationibus ſignificatum formale prædicati non pertinet ad ſubſtantiale complementum, neque ad ſubſtantialem perfectionem ſui ſubjecti: ut conſideranti facilè fiet planum. Ergo in iſtis prædicationibus prædicatum, licet ſit ſubſtantiale, non tamen prædicatur ſubſtantialiter.

14. *Et hujus diſcriminis ratio à priori eſt*: Quia eſse prædicatum ſubſtantiale, eſt eſse prædicatum de formali ſignificans ſubſtamiam; prædicatom verò aliquod prædicati ſubſtantialiter eſt prædicatum eſse tale, ac de tali prædicari ſubjecto, ut ſignificatum ejus formale pertineat ad ſubſtantiale complementum, ſubſtantialemque perfectionem ſni ſubjecti; verb. g. in his prædicationibus, *Homo eſt capitatus, bomo eſt brachiatur, bomo eſt carueur, oſſeur, nervoſur, &c.* prædicata iſta prædicantur ſubſtantialiter: quia caput, brachia, earo, nervi, oſsa, quæ ſunt eorum formalia ſignificata, licet non pertineant ad hominis eſsentiam, pertinent tamen ad hominis ſubſtantiam: pertinent ad bominis ſubſtantialem petſectionem, ac ſubſtantiale complementum. Homo enim ſine illis eſt ſubſtantialiter incompletus, ac ſubſtantialiter impeiſectus. Atqui poteſt aliqood prædicatum pro formali ſignificato habere ſubſtantiam, quæ tamen non pertineat ad ſubſtantiale complementum, neque ad ſubſtantialem peiſectionem ſubjecti, de quo prædicatum eſse prædicatum ſubſtantiale, non tamen prædicari ſubſtantialiter.

15. Et hinc *prædicari ſubſtantialiter* eſt quid medium inter *prædicari eſſentialiter & prædicari accidentaliter*. Eſt quid minos, quam prædicari eſsentialiter, & qnid majus, quam piædicari accidentalitet. Prædicari enim eſsentialiter eſt ſignificatum formale prædicati ſpectare non ſolum ad ſubſtantiam, ſed etiam ad eſsentiam ſubjecti; prædicati verò accidentaliter eſt ſignificatum formale prædicati ſpectare neque ad eſſentiam, neqoe ad ſubſtantiam ſubjecti: inter quæ mediat prædicari ſubſtantialiter. Eſt enim nihil aliud, quam ſignificatum fotmale prædicati ſpectare, non quidem ad eſſeetiam, ſed ad ſubſtantiam, ſeu ad ſubſtantiale complementum ſubjecti; verb. g. bic, cnm dico, *Homo eſt capitatus*, prædicatum iſtud *capitatus* non prædicatur de bomine eſſentialiter: quia non pertinet ad eſſentiam ejus. Neque eriam prædicatur purè aceidentaliter: qoia non eſt purum accidens ejns. Prædicatur ergo medio modo: prædieatur, inquam, ſubſtantialitet: quia *capus*, ſignificatum ejus formale eſt quid medium inter eſſentiam & purum accidens: eſt enim quid pertinens ad ſubſtantiale bominis complementom, ſubſtantialemque bominis perfectionem.

16. Eodem modo pbiloſopbandum, ac diſtinguendum eſt inter bæc duo: *Eſſe prædicatum accideutale oppoſitum ſubſtantiali*, & *Prædicari accidentaliter*. Hæc etenim duo etiam non ſunt convertibilia; ſed magis & minùs communia. Minùs commune eſt prædicatom aecidentale; prædicari verò aceidentaliter eſt magis commune. Nam quidem omne prædicatum accidentale prædicatur accidentaliter; nullum enim prædicatum accidentale, cum prædicamentale accidens ſit, eſſe poteſt ſubſtantiale complementum, aut ſubſtantialis perfectio ſui ſubjecti. Non tamen omnn illud, qnod prædicatur accidentaliter eſt prædicatum accidentale; poteſt enim eſſe piædicatum ſubſtantiale; v. g. cum dico, *Home eſt loricatus, eſt ocreatus*, &c. iſta prædicata ſunt prædicata ſubſtantialia; non tamen prædicantur ſubſtantialiter, ſed accidentaliter: ut patet eu jam dictis, & adhuc magis patebit eu ſtatim dicendis.

17. *Dices*: Nulla eſt differentia, nullumque diſcrimen inter *Eſſe prędicatum eſſentiale*, ac inter *Prædicari eſſentialiter*: ergo etiam nollum conſtitui debet, aut poteſt diſcrimen inter *Eſſe prædicatum ſubſtantiale*, ac *Prædicari ſubſtantialiter*. *Conſeq. tenet à pari*; *autecedens verò patet*: Quia ſi tale diſcrimen ſit, illod aſſignetur nobis. *Reſp. negaudo conſeq.* Et dico eſle magnam diſparitatem. Quæ ſita eſt in hoc: quod prædicatum dicatut ſubſtantialn à ſolo ſuo ſignificato ſnrmali, ſine ullo ordine ad ſubjectum, de quo prædicator; dicitur verò ſubſtantialiter prædicari non à ſolo ſuo ſnrmali ſignificato, ſed à ſuo formali ſignificato certo modo ad ſnbjectum compatato: ideoque, quia aliud eſt ordo, ſeu babitudo prædicati ad ſubjectum, aliud formale prædicati ſignificatum, hinc eriam aliud eſt prædicatum aliqnod eſſe ſubſtantiale, aliud verò illud ſubſtantialitet prædicaii. At verò prædicatum non dicitur eſſentiale à ſolo ſuo formali ſignificato abſolutè ſecundùm ſe conſiderato; ſed à ſuo formali ſignificato, ut babenti certum ordinem ad ſuum ſubjectum: prædicatum quippe eſſentiale eſt illud, cujus formale ſignificaium eſt de eſſentia ſubjecti. Ac ſic ex eadem radiee dicitur prædicatum eſse eſsentiale, ac eſsentialiter prædicari: adeoque non poſsunt hæc duo diſtingui, ac diſcriminari, ſicut diſcriminantur illa. Quibus ita poſitis

18. *Reſp. & dico primò*: Prædicatio ſubſtantialis non eſt illa, quæ conſtat prædicato ſubſtantiali, ſive cujus prædicati formale ſignificaium eſt ſubſtantia; v. g. hæ prædicationes, *Homo eſt calceatur, bomo eſt calcariatus, eſt baltbeatus, &c.* non ſunt apnd Logieos prædicationes ſubſtantiales, ſed accidentales: licet interim habeant prædicatum, cujus formale ſignificatum eſt vera ſubſtantia. Prædicatio itaque ſubſtantialis definiti ſolet hoc modo: Eſt illa, in qua prædicatum prædicatnr ſubſtantialiter de ſubjecto. Sive eſt illa, in qna ſignificatum prædicati formale, licet non ſit de eſsentia ſubjecti, eſt tamen de ſubſtantia ſubjecti, pertinetque ad ſubjecti complementum, ac perfectionem ſubſtantialem: ita ut ſine illo ſubjectum foret ſubſtantialiter incompletum, ac ſubſtantialiter imperfectum: otpote carens aliqoa parte, aliqoaque perſectione ſubſtantiali ſibi propria, ſibique naturalitet debita; v. g. hæ prædicationes, *Homo eſt capitatus, eſt barbatur, eſt carneus, eſt oſſeue, &c. Bos eſt cornutus, eſt caudatus, eſt quadruper, &c.* ſunt prædieationes ſubſtantiales: in illis quippe omnibus

ſigni-

ſignificatum formale prædicati, licet non ſit de ſubjecti eſsentia, eſt tamen de ſubjecti ſubſtantia; ita ut ſine illo ſubjectum foret ſubſtantialiter imperfectum, ſubſtantialiterque incompletum: ut conſideranti, ac ſingula examinanti facilè fiet planum.

19. Eodem modo definienda eſt prædicatio accidentalis oppoſita ſubſtantiali; Eſt prædicatio, in qua prædicatum de ſubjecto non prædicatur ſubſtantialiter. Sive eſt illa, in qua ſignificatum formale prædicati neque eſt de eſſentia, neque de ſubſtantia ſubjecti. Poteſt hujus prædicationis prædicatum eſſe ſubſtantiale; ſed non poteſt ſubſtantialiter prædicari; v.g. omnes hæ, *Homo eſt veſtitus, eſt calceatus, homo eſt albus, equus currit*, aliæque ſimiles ſunt prædicationes accidentales: Quia in illis ſignificatum formale prædicati neque eſt de eſſentia, neque de ſubſtantia ſui ſubjecti; v.g. veſtes & calcei neque ſunt de eſſentia, neque ſubſtantia hominis. Illud quippe eſt de hominis ſubſtantia, quod pertinet ad hominis ſubſtantialem perfectionem, ac ſubſtantiale complementum, ſine quo homo foret ſubſtantialiter imperfectus ac incompletus: atqui calcei, aliæque veſtes non ſpectant ab hominis ſubſtantiale complementum: alioquin homo nudus, aut diſcalceatus foret ſubſtantialiter imperfectus, ac incompletus. Ergo veſtes, & calcei de formali per iſta prædicata ſignificati non ſunt de ſubſtantia hominis: adeoque iſtæ prædicationes non ſunt ſubſtantiales; ſed accidentales.

20. *Objicies*: Si prædicatio ſubſtantialis foret illa, in qua ſignificatum formale prædicati eſt de ſubſtantia ſubjecti, hæc prædicatio, *Deus eſt homo, & homo eſt Deus*, non foret prædicatio ſubſtantialis, ſed accidentalis: conſequens hoc abſurdum eſt, ac contra omnes Theologos, uno ore propoſitionem illam ſubſtantialem eſſe affirmantes: ergo abſurdum quoque eſt antecedens: definiendaque eſt prædicatio ſubſtantialis hoc modo: Eſt prædicatio conſtans prædicato ſubſtantiali. Hæc enim definitio quadrat iſti prædicationi. *Probatur ſequela majoris*: Quia in iſtis prædicationibus ſignificatum formale prædicati non eſt de ſubſtantia ſubjecti: ſubjectum quippe eſt *Deus*, de cujus ſubſtantia non eſt humanitas, quæ eſt ſignificatum formale prædicati; ergo, ſi prædicatio ſubſtantialis foret illa, in qua ſignificatum formale prædicati eſt de ſubſtantia ſubjecti, iſtæ præfatæ prædicationes non forent ſubſtantiales, ſed accidentales. *Patet antecedens*: Quia aliquid eſſe de ſubſtantia alterius eſt unum pertinere ad ſubſtantiale complementum alterius, ita ut iſtud ſine hoc foret ſubſtantialiter incompletum, ac imperfectum: atqui humanitas non pertinet ad ſubſtantiale Dei complementum: neque Deus ſine humanitate ſubſiſtens foret ſubſtantialiter incompletus, aut imperfectus. Ergo humanitas non eſt de ſubſtantia Dei. *Reſp.* In rigore Logico loquendo, iſtas prædicationes non eſſe ſubſtantiales, ſed accidentales: uti argumentum hoc efficaciſſimè probat. Neque hoc eſt contra omnes Theologos: id enim etiam aſſerit Gabriel *in* 3. *diſt.*7.*quæſt.* unica, *art.*3. *dub.*3. aliique Nominales communiter. Theologi verò, qui iſtas prædicationes putant eſſe ſubſtantiales, & non accidentales, prædicationem ſubſtantialem putant eſſe omnem illam, quæ conſtat prædicato ſubſtantiali. Sed male: Quia, uti jam dixi, & dicit quoque Gabriel jam citatus, prædicata ſubſtantialia non prædicantur ſemper ſubſtantialiter, neque ſemper faciunt prædicationem ſubſtantialem; ſed prædicantur quandoque ſubſtantialiter, quandoque accidentaliter, faciuntque prædicationem modo ſubſtantialem, modo accidentalem. De quo inferiùs adhuc aliquid.

21. *Dico ſecundò*: Eadem prædicatio poteſt eſſe ſimul ſubſtantialis, & accidentalis. Immò eſſe poteſt ſimul eſſentialis, ſubſtantialis, & accidentalis; v.g. hæc prædicatio, *Homo eſt corpus*, eſt ſimul ſubſtantialis & eſſentialis. Hæc verò, *Homo eſt ens*, eſt ſimul eſſentialis, accidentalis, & ſubſtantialis. *Probatur*: Quia prædicatio eſſentialis eſt illa, in qua ſignificatum formale prædicati pertinet ad eſſentiam ſubjecti; accidentalis eſt illa, in qua formale prædicati ſignificatum neque ad eſſentiam, neque ad ſubſtantiam ſubjecti pertinet: atqui formale ſignificatum prædicati *ens* ſimul pertinet, & non pertinet ad eſſentiam hominis: ut dixi *dub.*1 Ergo hæc prædicatio, *Homo eſt ens*, eſt eſſentialis, & ſimul accidentalis. Quod quoque ſubſtantialis ſit, *etiam probo*: Quia prædicatio ſubſtantialis eſt illa, in qua ſignificatum formale prædicati, licet non ſit de eſſentia, eſt tamen de ſubſtantia ſui ſubjecti: atqui ens, & ſignificatum formale ejus ſunt de ſubſtantia hominis: ergo hæc prædicatio, *Homo eſt ens*, eſt etiam prædicatio ſubſtantialis. *Probatur minor*: Quia caro, os, nervus, item carneum, oſſeum, nervoſum, &c. ſunt de ſubſtantia hominis: ſunt, inquam, prædicata ſubſtantialia, quę de homine prędicantur ſubſtantialiter: ut patet ex jam dictis. Ergo etiam *ens* eſt de ſubſtantia hominis, eſtque prędicatum ſubſtantiale, quod de illo prędicatur ſubſtantialiter. *Patet conſeq* Quia omnia eſſentialia prędicata prædicati prædicantur de prædicati ſubjecto, eo modo quo prædicatum prædicatur de illo: atqui *ens* eſt prædicatum eſſentiale carnis, oſſis, nervi, &c. Ergo prædicatur de homine eo modo, quo caro, os, nervus, &c. prædicantur de homine: atqui caro, os, nervus, &c. de homine prædicantur ſubſtantialiter: ergo etiam ens prædicatur de illo ſubſtantialiter. Argumentum, quod contra hanc concluſionem formari poſſet, formatum ac ſolutum eſt *dub.*1. Vide illud ibi.

DUBIUM III.

Quid ſit prædicatum neceſſaria? Quid contingens?

SECTIO I.

Definitio prædicati neceſſarii.

22. **A**Dverte primò: Quid ſit prædicatum neceſſarium, quid prædicatum contingens. Prædicatum itaque neceſſarium eſt illud, cujus formale ſignificatum eſt realiter identificatum cum ſubjecto; v.g. *Rationale, riſibile, intellectivum, volitivum, animal, corpus, &c.* reſpectu hominis ſunt prædicata neceſſaria: quia ratio-

rationalitas, riſibilitas, intellectus, voluntas, animalitas, corporeitas, &c. quæ ſunt eorum ſignificata formalia, ſunt ab homine realiter indiſtincta, illique realiter identificata. Sic etiam, *immenſus*, *æternus*, *ſapiens*, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, &c. reſpectu Dei ſunt prædicata neceſsaria: Quia eorum formale ſignificatum eſt Deo realiter identificatum; ut clarum eſt omni Catbolico attendenti. *Ratio hujus eſt:* Quia prædicatum neceſsarium eſt prædicatum inſeparabile realiter à ſubjecto. Sive in terminis noſtris manendo eſt prædicatum habens ſignificatum formale realiter inſeparabile à ſuo ſubjecto. Atqui habere formale ſignificatum à ſubjecto realiter inſeparabile eſt habere ſignificatum formale cum ſubjecto realirer identificatum: ergo prædicatum neceſsarium rectè definitur eſse illud, quod habet formale ſignificatum cum ſubjecto realiter identificatum. *Minor eſt clara*: Quia licet fortaſse realis inſeparabilitas, & realis identificatio non ſunt ſynonima, ſunt tamen in rebus creatis planè convertibilia: ita ut omnia realiter identificata ſint realiter inſeparabilia, & omnia realiter inſeparabilia ſint realiter indiſtincta; ac identificata. De quo ſemel aliàs. Ergo habere ſignificatum formale à ſubjecto realirer inſeparabile, in re idem planè eſt, quod habere ſignificatum formale cum ſubjecto realiter identificatum. *Major verò probatur*: Quia prædicatum neceſsarium eſt illud, quod à ſuo ſubjecto nulla ratione poteſt abeſse. Sive manendo in terminis noſtris: Eſt illud, cujus formale ſignificatum nullo modo poteſt abeſse; ſed illi ſemper, & ubique neceſsario adeſt: nam ſecundum Porphyriſtas eſt illud, quod omni, ſoli, ſemper, & ubique convenir. Atqui à ſubjecto non poſse abeſſe eſt à ſubjecto non poſſe ſeparari: & habere formale ſignificatum, quod à ſubjecto non poteſt abeſse: eſt habere formale ſignificatum, quod à ſubjecto non poteſt ſeparari: ut notum eſt capienti terminos. Ergò prædicatum neceſsarium eſt illud, quod non poteſt ſeparari à ſubjecto, ſivè cujus formale ſignificatum eſt inſeparabile à ſubjecto. *Et confirmatur hoc:* Quia prædicatum neceſsarium eſt prædicatum directè ex diametro oppoſitum prædicato contingenti: atqui prædicatum contingens eſt illud, cujus formale ſignificatum eſt realiter diſtinctum à ſubjecto: cujus formale ſignificatum eſt à ſubjecto, vel per Deum, vel per naturam, naturaliter, vel ſupernaturaliter ſeparabile: ut dicam ſtatim. Ergo prædicatum neceſsarium debet eſse illud, cujus formale ſignificatum à ſubjecto neque per Deum, neque per hominem, neque naturaliter, neque ſupernaturaliter ſeparari poteſt; ſed eſt ab illo planè, ac omnino, omnibuſque modis inſeparabile. Atqui prædicatum, cujus formale ſignificatum eſt à ſubjecto omnibus modis inſeparabile, eſt prædicatum, cujus formale ſignificatum eſt cum ſubjecto realiter identificatum: ergo prædicatum neceſsarium rectè dicitur eſse illud, cujus formale ſignificatum eſt ſuo ſubjecto realiter identificatum.

23. Prædicatum, inquam, neceſsarium eſt illud; cujus formale ſignificatum eſt identificatum cum ſubjecto, non quidem ſemper ac neceſsario realiter adæquatè; ſed vel adæquatè, vel inadæquatè, eo modo quo pars ſolet identificari ſuo toti. *Ratio hujus eſt:* Quia multa prædicata verè neceſsaria ſubjectis ſuis identificantur non adæquatè, ſed ſolummodo inadæquatè, eo modo quo pars ſolet identificari ſuo toti: ergo de eſsentia prædicati neceſsarii non eſt habere ſignificatum formale adæquatè identificatum ſubjecto: ſed ſolummodò identificatum adæquatè vel inadæquatè, eo modò quo ſolet pars identificari ſuo toti compoſito. *Probatur antecedens:* Quia *Eſſe animatum*, *eſſe materiatum*, reſpectu hominis ſunt prædicata non tantùm neceſsaria: ſed etiam verè eſsentialia: atqui tamen habent ſignificatum formale homini identificatum, non adæquatè; ſed ſolummodo inadæquatè: ut clarum eſt. Significata quippe eorum formalia ſunt anima, & materia quæ homini ſolummodò inadæquatè: identificantur. Ergò dantur aliqua prædicata verè neceſsaria, habentia ſignificatum formale ſuo ſubjecto ſolùm inadæquatè identificatum. Similiter *Rationale* reſpectu hominis eſt prædicatum verè neceſsarium: cum ſit prædicatum verè eſsentiale, ac unica mea differentia. Atqui ſignificatum ejus formale, videlicet rationalitas, identificatur homini ſolùm inadæquatè: ut tradit Gregorius Ariminenſis, & Gabriel, aliique Nominales. Ergò dantur prædicata verè neceſſaria, quorum ſignificatum formale identificatur ſubjecto ſuo ſolummodò inadæquatè. De quo latius in Logica. *Et ratio hujus à priori eſt:* Quia, ut prædicatum aliquod ſit neceſsarium, ſatis eſt perfecta ac omnimoda inſeparabilitas ſignificati formalis: atqui, ut ſignificatum formale habeat omnimodam inſeparabilitatem à ſubjecto, non debet illi identificari adæquatè; ſed ſatis eſt, ſi identificetur realiter inadæquatè, eo modo quo ſoler pars identificari ſuo toti. Ergò, ut aliquod prædicatum ſit verè neceſsarium, non opus habet ſignificato formali adæquatè identificato; ſed ſatis eſt, ſi habeat identificatum inadæquatè, eo modo quo pars identificatur ſuo toti.

24. Dixi jam ſæpius, *Eo modo, quo pars identificatur ſuo toti*, &c. Quia non ſolum pars identificatur inadæquatè ſuo toti, ſed etiam vice verſa totum identificatur inadæquatè ſuæ parti. Verb. grat. non tantum anima homini, ſed etiam homo animæ ſuæ identificatur realiter inadæquatè. Identificatio enim eſt relatio; vel quaſi relatio quædam æquiparantiæ, quæ proindè ejuſdem rationis, ejuſdemque nominis eſt in utroque extremo. Cum ergo dico, ad prædicatum neceſsarium ſufficere, ut habeat ſignificatum formale identificatum ſuo ſubjecto inadæquatè, hoc accipi & intelligi non poteſt de identificatione inadæquata, qua totum identificatur parti; ſed de illa, qua pars identificatur toti. Sive ſignificatum formale prędicati neceſsarii non poteſt eſse totum ſui ſubjecti; ſed debet eſse pars ſubjecti. *Ratio eſt clara*: Quia, ſi talis identificatio ſufficeret ad prędicatum neceſsarium, jam *homo* reſpectu rationalis, item reſpectu materiati, & animati foret prędicatum neceſsarium: habet enim ſignificatum formale iſtis ſubjectis inadęquatè

Digitized by Google

quatè identificatum, eo modo quo totum identificatur ſuæ parti. Atqui hoc abſurdum eſt: ergo & id, unde ſequitur: ergò cum ſignificatum formale prædicati neceſſarii identificatur ſuo ſubjecto, ſolùm inadæquatè identificari debet, non tamquam totum parti, ſed tanquam pars toti.

25. Ex quo patet, quid ſit ſenſus hujus Axiomatis Summuliſtici: *Inter duo prædicata realiter diſtincta neutrum poteſt eſſe de eſſentia alterius.* Hoc axioma facere & habere poteſt duo ſenſus; unum de diſtinctione adæquata, alium de diſtinctione inadæquata. Primus eſt hic: *Inter duo prædicata realiter adæquatè diſtincta, neutrum poteſt eſſe eſſentiale alteri.* Et hic eſt veriſſimus, ac ſolus à politioribus Summuliſtis intentus. *Et ratio eſt clara*: Quia prædicatum eſſentiale debet de formali ſignificare entitatem ſui ſubjecti; vel totam, vel partem ejus: atqui inter prædicata realiter adæquatè diſtincta neutrum ſignificare poteſt entitatem alterius; neque totam, neque partem ejus: ut manifeſtum eſt attendenti. Ergo inter duo prædicata realiter adæquatè diſtincta, neutrum poteſt eſſe de eſſentia alterius. *Minor*, uti dixi, *clara eſt attendenti. Clara quoque eſt major*: Quia prædicatum eſſentiale debet de formali ſignificare eſſentiam ſubjecti; vel totam, vel partem ejus: ut notum eſt ex terminis. Atqui eſſentia rei idem eſt, quod entitas rei: ut paucis dixi *dub.* 1. Ergo prædicatum eſſentiale debet de formali ſignificare entitatem ſubjecti, vel totam, vel partem ejus.

26. Alter axiomatis ſenſus eſt hic: *Inter duo prædicata realiter inadæquatè diſtincta neutrum poteſt eſſe eſſentiale alteri.* Et hic ſenſus eſt illegitimus, falſus, ac à bonis Summuliſtis nullatenus intentus. Quàm optimè enim fieri poteſt, ut inter duo prædicata realiter inadæquatè, ſicut totum & pars, ſicut incluſum ac includens, diſtincta, unum ſit alteri eſſentiale. Totum quidem non poteſt eſſe eſſentiale ſuæ parti; pars tamen non ſolum poteſt, ſed & debet eſſe eſſentialis ſuo toti, ut jam oſtendi. *Et ratio eſt clara*: Quia omne conſtituens eſt eſſentiale ſuo conſtituto: conſtituens enim & eſsentiale, forma conſtituens & forma eſſentialis, idem planè ſunt: ut facilè planum fiet attendenti. Atqui omnis pars eſt conſtituens ſuum totum: ergo eſt eſſentialis ſuo toti.

27. Ex quo etiam reſolvi poteſt, ac explicari aliud quoddam Axioma Summuliſticum ſcitu, ac explicatu dignum: *Inter prædicata dari nequit eſſentialitas mutua.* Id eſt: Non poſſunt dari duo prædicata, quæ ſint ſibi mutuò eſſentialia. Quære enim ubique, in cælo, in terra, in creatis, in increatis, extra vel intra myſterium Trinitatis, nuſquam dun talia invenies. *Ratio hujus eſt*: Quia prædicatum eſſentiale reſpectu iſtius ſubjecti, cujus eſſentiale eſt, ſemper ſe habet tamquam pars ad ſuum totum: habet ſe, inquam, ad ſuum ſubjectum non quidem ut pars phyſica, vel metaphyſica ſeu logica. Diſcurre enim per omnia, & ſemper ita reperies. Atqui inter totum & partem nunquam eſſe poteſt eſſentialitas mutua: ut jam dixi. Licet enim pars ſit eſsentialis toti; nunquam tamen totum eſſe poteſt eſsentiale ſuæ parti. Quod verum eſt non tantùm in parte & toto phyſicis realiter à ſeſe mutuò diſtinctis; ſed etiam in toto & parte Logicis ſibi mutuò realiter identificatis. Ergo inter prædicata dari nunquam poteſt eſsentialitas mutua.

SECTIO II.

Definitio Prædicati contingentis.

28. CONformiter ac conſequenter philoſophandum eſt de prædicato contingenti. Definio illud hoc modo: *Eſt prædicatum, cujus formale ſignificatum eſt realiter diſtinctum à ſubjecto.* V. g. omnia hæc prædicata, *Albus*, *Epiſcopus*, *Sacerdos*, *Chriſtianus*, *doctus*, *carneus*, *aſſeus*, *&c.* reſpectu hominis; item, hæc, *Homo*, *animal*, *creans*, *juſtificans*, *puniens*, *&c.* reſpectu Dei ſunt prædicata contingentia: Quia habent formale ſignificatum à ſubjecto realiter diſtinctum; ut attendenti & examinanti facilè patebit. Significata quippe formalia prædicatorum, *Albus*, *Epiſcopus*, *Sacerdos*, *Chriſtianus*, *&c.* ſunt albedo, character Epiſcopalis, character Sacerdotalis, character Baptiſmalis, &c. ab homine realiter ſeparabilia, ac diſtincta. *Ratio hujus eſt*: Quia prædicatum contingens eſt illud, cujus ſignificatum formale eſt realiter ſeparabile à ſubjecto: atqui ſignificatum formale à ſubjecto realiter ſeparabile idem eſt, quod ſignificatum formale à ſubjecto realiter diſtinctum: ſicuti enim omnia realiter inſeparabilia ſunt realiter indiſtincta, & omnia realiter indiſtincta ſunt realiter inſeparabilia; ita quoque omnia realiter ſeparabilia ſunt realiter diſtincta, omniaque realiter diſtincta ſunt realiter ſeparabilia: Ergo prædicatum contingens rectè definitur eſſe illud, quod habet formale ſignificatum à ſuo ſubjecto realiter diſtinctum. *Prob. maj.* Quia, ut habet definitio Porphyrii, omniumque Porphyriſtarum, Prædicatum contingens eſt illud, quod adeſt atque abeſt ſine ſubjecti corruptione. *id eſt*: Eſt prædicatum, cujus formale ſignificatum poteſt vel ſubjecto adeſse, vel ſubjecto abeſſe. Atqui ſignificatum potens adeſse, & abeſse, eſt ſignificatum ſeparabile, & potens ſeparari: ergo prædicatum contingens eſt illud, quod habet formale ſignificatum realiter ſeparabile à ſuo ſubjecto.

29. Debet ergò prædicatum contingens habere formale ſignificatum à ſuo ſubjecto realiter diſtinctum. Debet, inquam, habere formale ſignificatum realiter diſtinctum, non quidem ſemper realiter adæquatè, ſed vel realiter adæquatè, vel realiter inadæquatè, eo modo quo diſtingui ſolet totum à ſua parte. Totum enim ſuæ parti partim realiter identificantur, partim ab illa realiter diſtinguitur: diſtinguitur, inquam, ab illa realiter inadæquatè. Atqui totum de ſua parte prædicatur contingenter; eſtque illius prædicatum contingens: ergo prædicatum contingens non debet à ſuo ſubjecto ſemper eſse realiter adæquatè diſtinctum; ſed ſufficit, ſi diſtinguatur realiter inadæquatè, quomodò diſtingui ſolet totum à ſua parte. *Ac ratio à priori eſt*: Quia ad prædicatum contingens ſatis eſt,

ſi ha-

ſi habeat formale ſignificatum à ſubjecto realiter ſeparabile : à ſubjecto poiens abeſſe & adeſſe. Atqui tale ſignificatum non eſt ſolùm illud, quod diſtinguitur realiter adæquatè; ſed etiam illud, quod diſtinguitur realiter inadæquatè, quomodo diſtingui ſolet totum à parte : ergo prædicatum contingens non debet neceſſariò habere ſignificatum formale à ſubjecto diſtinctum adæquatè; ſed ſatis eſt ſi habeat diſtinctum inadæquatè, quomodo diſtingui ſolet totum à ſua parte. Quare ſemper addam, *Quomodo diſtingui ſolet*, *&c.* patere poteſt ex iis, quæ dixi ſtatim ſuprà.

30. Ex quibus omnibus erui poteſt aliquod ſcitu dignum diſcrimen prædicati contingentis à prædicato neceſſario. Prædicatum enim neceſſarium eſſe poteſt tam concretum, quam abſtractum, tam abſtractum, quam concretum: at vero prædicatum contingens debet neceſſariò eſſe concretum, neque ullo modo poteſt eſse abſtractum. *Primum patet :* Quia omnes hæ prædicationes. *Homo eſt animal*, *homo eſt riſibilis*, *homo eſt rationalitas*; *humanitas eſt rationalitas*, *humanitas eſt animalitas*, *eſt riſibilitas*, *&c.* Omnes, inquam, hæ prædicationes ſunt prædicationes veræ, ac neceſsariæ; earumque prædicata ſunt prædicata verè neceſſaria, ut clarum eſt. Aliqua tamen ſunt concreta, aliqua ſunt abſtracta : ergò prædicatum neceſsarium indifferenter eſse poteſt vel concretum, vel abſtractum.

31. Quod prædicatum contingens poſſit eſſe concretum, clariùs eſt, quam ut probetur. Quod verò debeat eſse concretum, neque poſſit eſse abſtractum, etiam eſt clarum; *Et probo*: Quia prædicatum contingens eſse debet prædicatum habens ſignificatum formale realiter diſtinctum ab illo ſubjecto, de quo prædicatur, vel prædicari poteſt : atqui nullum abſtractum habere poteſt formale ſignificatum diſtinctum realiter à ſubjecto, de quo poteſt prædicari; ſed hoc ſolis concretis proprium ac ſpeciale eſt : ergò nullum abſtractum poteſt eſse prædicatum contingens; ſed prædicatum contingens neceſsariò eſse debet concretum. *Prob. min. Major enim eſt clara*: Quia nullum abſtractum habere poteſt ſignificatum rectum realiter diſtinctum à ſubjecto, de quo prædicatur: ut enim infra dicam pluribus, in omni prædicatione affirmativa prædicatum & ſubjectum identificari debent realiter in ſuis ſignificatis rectis. Ergo etiam nullum abſtractum habere poteſt ſignificatum formale, ſeu principale diſtinctum realiter à ſubjecto; de quo prædicatur. *Patet conſ.* Quia, ut ſuprà dixi *diſp. 2. dub.* 8. *& diſp. 9. dub. 2.* in voce abſtracta ſignificatum formale, ſeu principale non eſt ſignificatum obliquum; ſed eſt ejus ſignificatum rectum : in hoc quippe inter cætera differt vox abſtracta à voce concreta, quod in voce concreta ſignificatum principale ſit ſignificatum obliquum; in abſtracta verò eſt ſignificatum rectum. Atqui prædicatum abſtractum nequit habere ſignificatum rectum diſtinctum realiter à ſuo ſubjecto: ergò neque poteſt habere ſignificatum formale diſtinctum realiter ab illo.

32. *Ratio ergo fundamentalis, & à priori eſt hæc*: Quia prædicatum contingens debet eſse prædicatum habens ſignificatum rectum cum ſuo ſubjecto realiter identificatum, ac ſignificatum formale à ſuo ſubjecto realiter diſtinctum : atqui hæ duæ conditiones non cadunt in prædicatum abſtractum, cujus ſignificatum rectum eſt etiam ſignificatum formale : cadunt tamen in prædicatum concretum, cujus ſignificatum rectum eſt à formali diſtinctum. Ergo prædicatum contingens nequit eſse abſtractum; ſed poteſt, ac debet eſse prædicatum concretum. V. g. hoc concretum, *Album* reſpectu hominis eſt prædicatum contingens : quia habet ſignificatum rectum homini identificatum, ac ſignificatum formale ab homine realiter diſtinctum. At verò hoc abſtractum *Albedo* non eſt hominis prædicatum contingens; immò non eſt hominis prædicatum; quia cum ſignificatum rectum homini identificatum non habeat, non poteſt de homine prædicari, nec eſse ejus prædicatum; prædicatum enim eſt illud, quod poteſt de alio prędicari.

33. *Adverte ſecundò*. Hic non poſse diſtingui inter *Eſſe prędicatum neceſſarium* vel *contingens*, *& Prędicari neceſſariò* vel *contingenter*, ſicut ſuprà diſtinxi inter *Eſſe prędicatum ſubſtantiale*, *& prędicari ſubſtantialiter*. Sed hæc duo ſunt planè convertibilia ac coincidentia : omne enim prædicatum neceſsarium neceſsariò, omneque prædicatum contingens prædicatur contingenter. Ac è contrà omne illud, quod neceſsariò, vel contingenter prædicatur, eſt etiam prædicatum neceſsarium, vel contingens. *Ratio hujus eſt :* Quia hæc duo *Eſſe prędicatum tale*, *& Taliter prędicari*, ſolummodo poſsunt diſtingui in iſtis prædicatis, in quibus ex alia habitudine deſumitur ratio prædicati; ex alia verò ratio prædicationis. V. g. dicimus aliud quid eſse *Eſſe prædicatum ſubſtantiale*, aliud verò *Prędicari ſubſtantialiter :* Quia ex alia habitudine deſumitur ratio prædicati ſubſtantialis : ex alia verò ratio ſubſtantialis prædicationis. Prædicatum quippe dicitur ſubſtantiale ex habitudine ſui ad ſuum ſignificatum formale : dicitur verò prædicari ſubſtantialiter ex habitudine ſui formalis ſignificati ad ſuum ſubjectum : ut dixi *dub. pręced.* Ergò generaliter hæc duo, *Eſſe prędicatum tale*, *& taliter prędicari* ſolummodo poſsunt diſtingui in prædicatis, in quibus alia habitudo dat rationem prædicati; alia verò rationem prædicationis. Atqui prædicatum non dicitur ex una habitudine eſse contingens, vel neceſsarium, & ex alia contingenter, vel neceſsariò prædicari; ſed eadem plane habitudo dat illi rationem neceſsarii vel contingentis prædicati, & neceſsariæ vel contingentis prædicationis. Ergo hic diſtingui nequit inter *Eſſe prædicatum contingens* vel *Neceſſarium*, *& Contingenter* vel *neceſſariò prædicari*. *Prob. min.* Quia prædicatum dicitur contingenter, vel neceſsario prædicari ex habitudine ſui ſignificati formalis ad ſubjectum, uti eſt clarum. Prædicari enim contingenter, vel neceſsariò eſt ſignificatum formale prædicati eſse realiter diſtinctum, vel realiter identi-

tificatum cum ſubjecto; uti huc uſque dixi. Atqui ex eadem illa habitudine ſignificati formalis ad ſubjectum dicitur prædicatum eſſe contingens, vel neceſſarium: ergo eadem habitudo dat prædicato rationem contingentis, vel neceſſarii prædicati, ac etiam rationem contingentis, vel neceſſariæ prædicationis. *Probatur minor*: Quia prædicatum non dicitur eſſe contingens, vel neceſſarium ex habitudine ſui ad ſuum formale ſignificatum: non enim prædicatum contingens, vel neceſſarium eſt illud, cujus formale ſignificatum eſt forma ſimpliciter contingens, vel neceſſaria; ſed prædicatum contingens, vel neceſſarium dicitur eſſe illud, cujus formale ſignificatum eſt forma contingens, vel neceſſaria ſubjecto. Manifeſtum ergo eſt, quod prædicatum dicatur eſſe contingens, vel neceſſarium ex habitudine ſignificati ſui formalis ad ſuum ſubjectum. His ita poſitis.

SECTIO III.

Reſolutio propoſitæ quæſtionis.

34. R*Eſp. & dico primò*: Prædicatio neceſſaria eſt illa, quę conſtat prædicato neceſſario. *Id eſt*: Eſt illa, in qua ſignificatum formale prędicati eſt realiter identificatum cum ſubjecto. Identificatum, inquam, vel realiter adęquatè, vel realiter inadęquatè eo modo quo pars identificari ſolet ſuo toti. Tales ſunt hę, *Homo eſt rationalis, homo eſt riſibilis, homo eſt animatus, &c.* Examina enim illas, & invenies ſignificatum formale prędicati eſſe ſemper in illis modo dicto identificatum cum ſubjecto. Prædicatio vero contingens eſt illa, quæ conſtat prædicato contingenti. *Id eſt*: Eſt illa, in qua ſignificatum formale prædicatum eſt diſtinctum realiter à ſubjecto. Diſtinctum, inquam, vel realiter adæquatè, vel realiter inadæquatè, eo modo quo totum diſtingui ſolet à ſua parte. Tales ſunt hæ, *Homo eſt albus, homo currit, homo ſtudet*, & aliæ ſimiles. Examina quippe illas, ac reperies ſignificatum formale prędicati eſſe diſtinctum, ac ſeparabile realiter à ſubjecto:

35. Itaque, ut habeas prædicatum neceſſarium, neceſſariamque prædicationem, non ſatis eſt habere prædicatum, cujus materiale ſignificatum ſit identificatum cum ſubjecto; ſed habere oportet prædicatum, cujus formale ſignificatum, immo cujus tam formale, quam ſignificatum materiale (ſi concretum fuerit) ſit realiter identificatum ſubjecto. Quod debeat ſignificatum ejus materiale, ac rectum eſſe ſubjecto identificatum, nihil eſt prædicato neceſſario proprium, aut peculiare: Hoc enim omni omnino prædicato commune eſt. Omne quippe prędicatum, contingens, neceſſarium, intrinſecum, extrinſecum, &c. quodcumque, ac qualecumque tandem fuerit, habet, & habere debet ſignificatum rectum ſuo ſubjecto identificatum; ut ex profeſſo dicam, & oſtendam infra. Prędicato ergo neceſſario proprium, ac eſſentiale eſt habere ſignificatum formale, ac principale identificatum ſubjecto. Quod quamvis ſatis huc uſque probaverim, adhuc tamen hanc rationem illi adiicio: Quia prędicatum neceſſarium habere debet aliquod ſignificatum identificatum cum ſuo ſubjecto: atqui non ſufficit identificatio ſignificati materialis recti: ergo requiritur identificatio ſignificati formalis. Major eſt clara ex hactenus dictis, & à nemine qui terminos capit, neganda. *Minor probatur*: Quia, ſi ad prędicatum neceſſarium ſufficiens foret identificatio ſolius ſignificati materialis, tunc omne prędicatum concretum habens ſignificatum materiale identificatum ſuo ſubjecto, foret prædicatum neceſſarium: adeoque etiam ipſum prædicatum contingens foret prædicatum neceſſarium: hoc quippe etiam habet ſignificatum materiale ſuo ſubjecto identificatum: ut infra ſuo loco patebit. Atqui hoc omninò falſum, & abſurdum eſt: ergo etiam abſurdum eſt dicere, quod ad prædicatum neceſſarium ſufficiens ſit identificatio ſolius ſignificati materialis.

36. Eodem modo philoſophandum eſt de prædicato contingenti, contingentique contingentis prædicati prædicatione; ac dicendum. Quod ad prædicatum contingens non requiritur realis diſtinctio ſignificati materialis, ſed ſolius ſignificati formalis. Prædicatum quippe contingens non ſolum non debet, ſed neque poteſt habere ſignificatum materiale diſtinctum realiter à ſubjecto. Uti enim infra dicturum me promiſi, omne omnino prædicatum debet ſignificatum ſuum materiale rectum habere cum ſuo ſubjecto realiter identificatum. Ad prædicatum ergo contingens requiritur, ac ſufficit realis diſtinctio ſolius ſignificati formalis. Adeoque pro inveniendà, ac cognoſcenda qualitate prædicati neceſſarii, ac contingentis, negligere oportet ſignificatum materiale, ac attendere ſolum formale.

37. *Dico ſecundò*: Eadem propoſitio eſſe poteſt contingens, ſimul & neceſſaria. Tales ſunt hæ, *Homo eſt ens, homo eſt ſubſtantia, homo eſt corpus*, aliæquè ſimiles. *Probatur*: Quia propoſitio neceſſaria eſt illa, in qua ſignificatum formale prædicati realiter identificatur ſubjecto; propoſitio verò contingens eſt illa, in qua ſignificatum formale prædicati realiter diſtinguitur à ſubjecto: atqui in iſtis propoſitionibus ſignificatum formale prædicati realiter ſubjecto identificatur, realiterque ab illo diſtinguitur: ergò illæ prædicationes ſunt ſimul neceſſariæ, ac contingentes, adeoque idem prædicatum reſpectu ejuſdem ſubjecti poteſt ſimul eſſe contingens, ac neceſſarium; eademque prædicatio ſimul contingens, ac neceſſaria, quod in iſtis prædicationibus, *Entitas, ſubſtantialitas, & corporeitas*, quæ ſunt ſignificata formalia prædicati, homini, qui eſt ſubjectum, realiter identificentur, *ſic probo*: Quia animalitas homini realiter identificatur: ergo etiam corporeitas, ſubſtantialitas, entitas, aliaque animalitatis eſſentialia prædicata, identificantur homini realiter. *Patet conſeq.* Quia eſſentialia prædicata prædicati inſunt prædicati ſubjecto, eo modo quo prædicatum eſt in illo: atqui animalitas ineſt homini per realem identificationem: ut nemo, qui ſanus eſt, auſit negare. Ergo etiam corporeitas, ſubſtantialitas, entitas, aliaque omnia animalitatis eſſentialia prædicata inſunt homini per realem identificationem.

38. Quod autem iſta formalia ſignificata ab homine quoque diſtinguantur realiter, *ſic probo*: Quia caro, os, nervus, ſeu potius, forma carnea, oſſea,

oſsea, nervoſa, &c. ab homine diſtinguuntur realiter: de quibus modò nibil dico, habeo quid dicendnm in Phyſica: quod nonnulli fortè Pbiloſophi carpent, ac non inrelligent: ego tamen tuo, quia ingenium habes, benevole Lector, relinquam judicio dijudicandum. Ergò etiam corporeitas, ſubſtantialitas, entitas, aliaque omnia carnis, ſeu formæ carneæ eſsentialia prædicata ab homine diſtinguuntur realiter. *Conſequentia probatur eodem modo, quo iſta alia*: Quia eſsentialia prædicata prędicati inſunt prędicati ſubjecto, eo modo quo prędicatum eſt in illo. Atqui forma carnea, ſeu caro eſt in homine com reali diſtinctione: ergo etiam corporeitas, ſubſtantialitas, entitas, aliaque omnia eſſentialia carnis prędicata inſunt homini cum reali diſtinctione: adeoque hęc formalia ſignificata ſunt homini realiter identificata, ſimulque ab illo realiter diſtincta: ideoqnn eorum concreta ſunt homini ſimul prędicata contingentia, ac neceſsaria, faciuntque cum homine prędicationem contingentem, ſimul ac neceſsariam. Argumentum, quod contra hęc militare poſset, formatum ac ſolutum eſt ſupra *dubio* 1. Ne tamen quis dicat, quod concluſionem hanc paradoxam in paradoxis formis partialibus fundem; abſtrahamus ab illis: veritas enim hujus concluſionis ab illis non pendet. Cape hanc propoſitionem, *Homo eſt ens*: Hęc, inquam, propoſitio eſt contingens, ſimul & neceſſaria, licet planè negentur, & quam longiſſimè ablegentur omnes formę partiales. Significatum enim formale prędicati, *ens*, eſt homini contingens, ſimul & neceſsarium: eſt homini realiter identificatum, ac ſimul ab illo realiter diſtinctum, quantumvis abiiciantur formę omnes partiales. Eſt, inquam, homini identificatum ratione animalitatis, aliarumque ſimilium formarum homini eſsentialium; ratione verò albedinis, aliarumque ſimilium formarum homini prędicamentaliter accidentium, eſt ab homine realiter diſtinctum: Uti facilè deduci poteſt ex efficacibus diſcurſibus tum hoc, tum 1. & 2. *dub.* à me factis.

DUBIUM IV.

Regulæ quædam ad dignoſcendas propoſitiones contingentes, & neceſſarias.

39. PRimam regulam, eamque elegantiſſimam, ac in tota Philoſophia frequentiſſimam aſſignat nobis Doctor Angelicus 1. *part. quæſt.* 76. *art.* 3. *in corpore*, Cajetanus ibidem, *Et lib.* 2. *contra Gentes cap.* 58. Ac Ferrarienſis ibidem. Regula itaque Sancti Thomę eſt hęc. *Omnis prædicatio, in qua plures realiter diſtinctæ ejuſdem ſuppoſiti formæ concretim expreſsæ prædicantur de ſeſe mutuò, eſt prædicatio contingens*. V. g. omnes hę prędicationes, *Homo eſt albus, album eſt muſicum, oſſeum eſt carneum, homo eſt oculatus, eſt pedatus, &c.* ſunt prædicationes contingentes. In illis quippe ſemper realiter diſtinctę ejuſdem ſuppoſiti formę concretim expreſsę prædicantur de ſeſe mutuò: ut clarum eſt attendenti. Hę, aliæquè ſimiles prędicationes à nobis Nominalibus vocantur contingentes; à Thomiſtis frequentius vocantur prædicationes per accidens: ſed parum eſt de nomine, dummodò nobis conſtet de re. *Ratio Regulæ eſt clara*: Quia prædicationes contingentes ſunt illæ, in quibus ſignificatum formale prædicati eſt realiter diſtinctum, realiterque ſeparabile à ſubjecto: atqui omnes illæ præfatæ prædicationes ſunt tales: uti clarum eſt attendenti. Ergo omnes tales prędicationes ſunt contingentes.

40. Regula ſecunda: *Omnis prædicatio ſubſtantialis, omniſque accidentalis ſubſtantiali oppoſita, eſt prædicatio contingens*. V. g. omnes hæ: *Homo eſt carneus, homo eſt capitatus, bos eſt corneus, eſt quadrupes, &c.* Item omnes hæ *Homo eſt creatus, eſt albus, eſt palliatus, &c.* ſunt prędicationes contingentes. *Ratio regulæ eſt*: Quia in omni prædicatione ſubſtantiali ſignificatum formale prædicati eſt diſtinctum realiter à ſubjecto: ergo omnis prædicatio ſubſtantialis eſt prædicatio contingens. *Probatur antecedens*: Quia prædicatum prædicationis ſubſtantialis eſt illud, cujus formale ſignificatum eſt extra eſsentiam ſubjecti; pertinet tamen ad ſubſtantialem integritatem, ſubſtãtialeque complementum ejus: atqui omne tale ſignificatum eſt à ſubjecto realiter diſtinctum: ergò in omni prædicatione ſubſtantiali ſignificatum formale prædicati eſt realiter diſtinctum à ſubjecto. Similiter in omni prædicatione accidentali, quæ ſubſtantiali opponitur, ſignificatum formale prædicati eſt diſtinctum realiter à ſubjecto: ergo etiam omnis talis prædicatio eſt contingens. *Probatur antecedens*: Quia prædicatio accidentalis eſt illa, in qua ſignificatum formale prędicati neque ad eſsentiale, neque ad ſubſtantiale ſubjecti complementum ſpectat: atqui omne tale ſignificatum eſt à ſuo ſubjecto realiter diſtinctum: ergo in omni prędicatione accidentali ſignificatum formale prędicati eſt à ſubjecto realiter diſtinctum.

51. Tertia Regula: *Omnis omninò prædicatio eſſentialis eſt neceſſaria*. Prędicatio quippe eſsentialis eſt quędam ſpecies prędicationis neceſsariæ. *Ratio eſt*: Quia in omni eſsentiali prædicatione ſignificatum formale prædicati eſt realiter identificatum ſubjecto, realiterque inſeparabile ab illo: ergo omnis prædicatio eſsentialis eſt quoque neceſsaria. *Antecedens probatur*: Quia in prædicatione eſsentiali ſignificatum formale prædicati eſt ipſa eſsentia, ipſaque entitas, vel totalis, vel partialis, ſui ſubjecti: uti patet ex dictis *dub.* 1. Atqui eſsentia, ſeu entitas eſt realiter inſeparabilis, realiterque identificata illi, cujus entitas, & eſsentia eſt: ergo in omni prædicatione eſsentiali ſignificatum formale prædicati eſt realiter identificatum ſubjecto, realiterquè inſeparabile ab illo.

42. Quarta regula: *Prædicatio accidentalis oppoſita eſſentiali, quandoque eſt contingens, quandoque eſt neceſsaria*. Patet hoc inductione: Nam hæ prædicationes, *Homo eſt albus, homo eſt doctus, Petrus eſt Epiſcopus*, & ſimiles aliæ, ſunt accidentales oppoſitæ eſsentiali: atqui hæ propoſitiones ſunt quoque contingentes: in illis quippe ſignificatum formale prædicati eſt realiter diſtinctum à ſubjecto: ut planum eſt attendenti.

Ergo

Ergò inter propoſitiones accidentales oppoſitas eſſentiali, aliquæ ſunt contingentes. Similiter hæ prædicationes, *Homo eſt riſibilis*, *homo eſt admirativus*, *equus eſt hinnibilis*, *&c.* ſunt prædicationes accidentaliter oppoſitę eſſentiali: atqui tamen ſunt prædicationes neceſſariæ; in illis quippe ſignificatum formale prædicati eſt realiter identificatum ſubjecto: ut conſideranti facilè patebit, & in Logica ex profeſso oſtendam. Ergo inter prædicationes accidentales eſſantiali oppoſitas, quædam ſunt neceſſarię.

43 Ex quibus omnibus colligi poteſt, quid ſit materia contingens, quid materia neceſſaria, quid materia impoſſibilis. Item, quid ſit propoſitio de materia contingenti, de materia neceſſaria, & de materia impoſſibili. Dicunt enim paſſim Summuliſtæ quod materia propoſitionum de ineſſe ſit triplex: videlicet neceſsaria, contingens, & impoſſibilis. Item dicunt propoſitionem ratione materiæ dividi in tres ſpecias, ſeu in tria membra; videlicet in contingentem, quæ materia contingenti conſtat. In propoſitionem neceſsariam, quæ materia neceſſaria conſtat. Ac in impoſſibilem, quæ conſtat materia impoſſibili. Hæc, inquam, omnia clara ſiunt ex hactenus dictis. Nam mateita contingens nihil eſt aliud, quam ſubjectum, ac prædicatum illi contingens; ac propoſitio tali ſubjecto, & prędicato conſtans vocatur propoſitio contingens, vel de mataria contingenti. Materia neceſsaria nihil aliud eſt, quam ſubjectum, & prędicatum illi neceſsarium; ac propoſitio tali ſubjecto, & prædicato conſtans vocatur propoſitio neceſſaria, vel de materia neceſsaria. Materia impoſſibilis eſt ſubjectum, ac prædicatum illi impoſſibile; propoſitioque tale ſubjectum, & prædicatum habens vocatur propoſitio impoſſibilis, vel de materia impoſſibili. De quo fortaſse adhuc aliquid infrà.

44. *Pro quo ſciendum eſt breviter*: Quid ſit prędicatum impoſſibile. Eſt, inquam, illud, cujus formale ſignificatum non poteſt quadrare, aut inexiſtere ſubjecto. Tale v. g. prædicatum eſt *brutum* reſpectu hominis, aut *homo* reſpectu bruti, *album* reſpectu nigri, *nigrum* reſpectu albi, &c. Hæc enim omnia prædicata ſunt talia, ut eorum formale ſignificatum inexiſtere non poſſit iſti ſubjecto, ad quod comparantur. *Ratio hujus eſt*: Quia non agimus hic de prædicato impoſſibili quoad exiſtentiam: ſic enim ſola chymera hircocervus, mons ſine-valle, aliaque ſimilia entia rationis ficta forent prædicata impoſſibilia. Agimus ergo de prædicato impoſſibili quoad convenientiam: adeoquè rectè definitur eſſe illud, cujus formale ſignificatum nequit quadrare, aut convenire ſubjecto, ad quod comparatur.

45. Et hinc prædicatum impoſſibile dividi debet in prædicatum impoſſibile reſpectu ſolius creaturæ, ac in prædicatum impoſſibile reſpectu creatoris. Prædicatum impoſſibile reſpectu ſolius creaturæ voco illud, cujus formale ſignificatum nequit quadrare, ac ineſse ſubjecto per potentiam creaturæ. Tale prædicatum eſt *Deus* reſpectu hominis, *homo* reſpectu Dei, *calidum* reſpectu frigidi, *frigidum* reſpectu calidi &c. Et generaliter omne prædicatum concretum reſpectu alterius concreti ſibi repugnantis. Hæc enim concreta ſemper ſe ita habent, ut ſignificatum formale unius nequeat per potentiam creaturæ inexiſtere, aut quadrare alteri; adeoque reſpectu ſui mutuo ſunt prædicata impoſſibilia per naturam: licet interim ſint poſſibilia apud Deum. Prędicatum impoſſibile reſpectu Dei voco illud, cujus formale ſignificatum ne quidem per omnipotentiam Creatoris poteſt quadrare ſubjecto, aut prædicari de illo. Tale eſt *humanitas* reſpectu brutalitatis, *Albedo* reſpectu dulcedinis, viredinis, &c. Et generalitar omne abſtractum reſpectu alterius abſtracti à ſe realiter diſtincti. Deus enim licet poſſit verificare has propoſitiones, *Homo eſt brutum*, *album eſt nigrum*, *frigidum eſt calidum*, aliaſque ſimiles concretas; verificare tamen non poteſt has, *Humanitas eſt brutalitas*, *calor eſt frigus*, *calor eſt ſapor*, aliaſque ſimiles abſtractas. *Ac ratio eſt*: Quia ad verificationem propoſitionis affirmativæ neceſsaria eſt identificatio extremorum quoad ſignificata recta; adeoque Deus nequit verificare iſtas propoſitiones affirmativas, quarum extrema nequit identificare quoad eorum ſignificata recta: atqui in præfatis affirmativis prædicationibus nequit Deus identificare ſignificata recta extremorum; uti patet ſcienti, quænam ſint eorum recta ſignificata. Ergo Deus etiam nequit iſtas propoſitiones verificare. Sed de his latius infra.

DUBIUM V.

Quid ſit prædicatio in quid? *Quid prædicatio* in quale? *Quid prædicatio* in quale quid?

46. Hic contra Porphyrium, ac Porphyriiſtas luctandum eſt. Eorum calumnias prævideo, ſed negligo. Quod veritatem dicam, me non jacto, neque jactavi unquam; ſed illam inquiro, meiſque auditoribus ac lectoribus illam inquirendi media propono. Sed putant Porphyriſtę ſe in Porphyrio illam inveniſſe? Fieri poteſt; attamen ego non credo. Oro ergò illos ut hominem veritatis inquiſitioni deditum non abſtrahant, neque laceſſant: nulli ego, nulliuſque ſententiæ prejudicium irrogo, ſed ſolummodò veritatem inquiro. Et quis ſcit, an non invenio? Itaque ut verbis Sancti Patris mei Auguſtini utar in Pſalm. 75. circa finem, *veritas omnibus communis eſt. Non eſt mea, neque tua: non eſt illius, aut illius, omnibus communis eſt*, *&c.* Inveniri poteſt tam benè à Petro, quam à Paulo, tam benè à Chriſtiano, quam à Porphyrio Pagano. Neque putandum, quod illum magis ſua directione deſtituat, quam hunc apoſtatam; quem in reprobum ſenſum tradidit, & in Paganiſmum, Judaiſmum, alioſque infames errores deviare permiſit. Audite ergò modò hominem Chriſtianum, qui audiſtis hactenùs impium Sycophantam, & reprobum Paganum.

SECTIO I.

Prædicari in quid, *& in* quale *non eſt idem, quod prædicari eſſentialiter, & accidentaliter.*

47. R*Eſp. itaque & dico primò: Prædicari in quid* non eſt idem, quod *prædicari eſſentialiter*. Hoc eſt contra Porphyrium, eſt tamen certiſſimè verùm. *Probatur:* Quia poſſunt prædicata de aliquo ſubjecto prædicari *in quid*, & tamen de illo non prædicari eſſentialiter; ſed accidentaliter: ergo prædicari *in quid* non eſt idem, quod prædicari eſſentialiter, ſed quid longè ab illo diverſum. *Conſeq. eſt evidens*; *antecedens ergo probatur*: Quia prædicata harum prædicationum, *Deus eſt homo*, & *Homo eſt Deus*, prædicantur *in quid*; ac etiam accidentaliter: ergo poteſt aliquod prædicatum prædicari *in quid*, & tamen non prædicari eſſentialiter; ſed accidentaliter & contingenter. Quod prædicata iſtarum prædicationum non prædicentur eſſentialiter, notum eſt apud omnes: neque credo reperiri Philoſophum ita trivialem, aut ſtolidum, qui illa aſſerat eſſentialiter prædicari. Quod prædicentur contingenter, ac accidentaliter, ſatis patet ex dictis hac *diſp. dub.* 2. & 3. Nam omne illud prædicatum, cujus formale ſignificatum eſt realiter diſtinctum, ac ſeparabile à ſubjecto, prædicatur accidentaliter, ac contingenter: atqui in iſtis prædicationibus ſignificatum formale prædicati eſt realiter diſtinctum à ſubjecto: ergò prædicatur accidentaliter, ac contingenter: uti etiam concedit, & aſſerit Ferrarienſis *lib. 4. contra Gentes, cap.* 45. §. *ultimò*: Quod iſta prædicata, quæ ibi prædicantur contingenter, etiam prædicentur *in quid*, concedit, ac aſſerit Ferrarienſis ibidem. *Ac ratio eſt*: Quia omne illud prædicatum prædicatur *in quid*, per quod rectè reſpondetur quæſtioni factæ per *quid*: ut dicit ipſemet Apoſtata Porphyrius, ac Porphyriani omnes. Atqui iſta prædicata ſunt talia: quærenti enim, Quid eſt Deus, ſeu Verbum Divinum? Rectè reſpondeo, Eſt homo. Item quærenti, Quid eſt iſte homo, qui dicitur Jeſus? Rectè repono, Eſt Deus. Ergo iſta prædicata prædicantur *in quid*. *Et confirmatur*: Quia prædicari *in quid* eſt prædicari, ac ſignificare ad modum per ſe ſtantis: ut dicunt paſſim. Atqui hæc prædicata, *Homo & Deus* ſignificant ad modum per ſe ſtantis: ergo prædicantur *in quid*. *Patet minor*: Quia omne concretum in recto ſignificans ſuppoſitum ſolum, ſignificat ad modum per ſe ſtantis: ut certum eſt, & ſuprà *diſp.* 8. à me ſatis diſcuſſum. Atqui hæc concreta, *Homo & Deus* in recto ſignificant ſolum ſuppoſitum, aut certè ſolum ſubſiſtens: ut dixi ibidem. Ergo ſignificant ad modum per ſe ſtantis, ac prædicantur *in quid*. Atqui tamen prædicantur contingenter, & accidentaliter: ergo illa, quæ prædicantur *in quid*, prædicari poſſunt accidentaliter: adeoque prædicari *in quid* nullatenus eſſe poteſt idem, quod prædicari eſſentialiter.

48. *Confirmo hoc ipſum aliis adhuc exemplis*: Quia omne prædicatum abſtractum prædicatur *in quid*: atqui inter prædicata abſtracta, quædam prædicantur accidentaliter; ita enim prædicantur hæc: *Animalitas eſt rationalitas, rationalitas eſt riſibilitas, Deitas eſt paternitas, &c.* Hæ, inquam, prædicationes ſunt accidentales, & veræ: ut patebit facilè ex illis, quæ dixi ſupra *dub.* 1. Ergo prædicata, quæ prædicantur accidentaliter, prædicantur quandoque *in quid*. *Probatur major*: Quia, ut dicit Porphyrius, Ferrarienſis, Porphyrianique omnes, omne illud prædicatum, per quod aptè ſatisfit quæſtioni factæ per *quid*, prædicatur *in quid*: atqui omne prædicatum abſtractum eſt tale: Quærenti enim, Quid eſt rationalitas? Aptè reſpondeo, Eſt animalitas, eſt riſibilitas. Si verò quis quærat: Qualis eſt rationalitas? Reſpondere non poſſum per abſtractum, Eſt riſibilitas; ſed concreto uti oportet ac dicere, Eſt riſibilis, eſt talis, vel talis. Idemque reſpondendi, ac loquendi jus eſt de omnibus aliis. Ergo omne prædicatum abſtractum prædicatur *in quid*. Similiter hæc prædicata, *Papa, Epiſcopus, Profeſſor, Cæſar, Conſul, Senator, artifex*, ac infinita alia ſimilia prædicantur *in quid*. Quære tu enim à me, Quid es tu. Ego congruentiſſimè tibi reſpondebo, Ego ſum Philoſophiæ Profeſſor, ego ſum Papa, ſum Epiſcopus, ſum Cæſar, &c. (nec enim in exemplis veritate opus eſt.) Atqui tamen iſta prædicata prædicantur accidentaliter; ut clarum eſt. Ergo illa, quæ prædicantur accidentaliter, quandoque prædicantur *in quid*: adeoque non video, quo colore aſſeri poſſit, quod prædicari *in quid* ſit prædicari eſſentialiter. Indignor profecto ac ſtomachor totus, quod infamis ille Apoſtata tam infamem errorem in Chriſtianam philoſophiam intulerit, quodque hic infamis error tam diu (neſcio quo colore) in Chriſtianis Scholis defenſus, ac manu-tentus fuerit. Aperite ergo oculos veſtros, errorem veſtrum adſpicite, erroriſque veſtri infamem Patronum.

49. *Prætereà*: Prædicari *in quid* habet ſe ad prædicari eſſentialiter, ſicut prædicari *in quale* habet ſe ad prædicari accidentaliter. Ego profectò non video, in quo hæ duæ proportiones diſproportionentur. Atqui prædicari *in quale* non eſt prædicari accidentaliter: ergo neque prædicari *in quid* eſt prædicari eſſentialiter. Major videtur mihi clara & certa; neque poteſt à quoquam rationabiliter negari: patebitque ampliùs ſtatim infrà: *Major ergo probatur*: Quia multa prædicata prædicantur *in quale*, quæ tamen non prædicantur accidentaliter, ſed verè eſſentialiter: ergo prædicari *in quale* nullatenus eſt prædicari accidentaliter. *Conſeq. patet: antecedens probatur*: Quia *Rationale, ſenſitivum, animatum, &c.* de homine prædicantur eſſentialiter: ut extra controverſiam eſt. Atqui prædicantur de homine *in quale*: ut dico non ſolus ego; ſed & ipſe Porphyrius, ac qui unus pro mille millibus eſt, ſanctus Parens meus Auguſtinus *libro de categoriis cap.* 7. Dicit, inquam, ſanctus Auguſtinus, non ut dicit Apoſtata Porphyrius, quod *Rationale* de homine prædicetur *in quale-quid*; ſed quod ſimpliciter prædicetur *in quale*. Ergo aliqua prædicata, quæ prædicantur *in quale*, prædicantur eſſentialiter. *Ratio minoris eſt*: Quia omne prædicatum, per quod aptè ſatisfit quæſtioni factæ per *quale*, prædicatur in *quale*: atqui

præ-

præfata iſta prædicata ſunt talia: Quærenti enim à me, Qualis es tu? Recte repoιo, Sum rationalis, ſenſitivus, animatus, &c. Ergò hæc prædicata prædicantur *in quale*. Adeoque prædicari *in quale* nullatenus eſt prædicari accidentaliter; neque prædicari *in quid* eſt prædicari eſsentialiter.

50. Neque ego hæc primus invenio; ſed deduco ex Patronis ac Magiſtris omni exceptione majoribus, Franciſco Ferrarienſi, ſancto Thoma, ac Sanctiſſimo Patre meo Auguſtino. Ferrarienſis enim *loco ſupra citato* dicit Deum de homine, & hominem de Deo prædicari *in quid*, ac contingenter: adeoque manifeſtè fatetur, quod prædicari *in quid* non ſit prædicari eſſentialiter; item quod prædicari contingenter, ac accidentaliter non ſit prædicari *in quale*. Sanctus Thoma verò 1. *part. quæſt.* 36. *art.* 4. *ad* 7. et ſequitur Vaſquez *diſp.* 156. *cap.* 8. *num.* 35. dicit hoc prædicatum *Spirator* eſse ſubſtantivum, ac de Patre & Filio prædicari ſubſtantivè; adeoque prædicari *in quid*. Prædicari enim *in quid* idem omnino eſt, quod prædicari ſubſtantivè, ut ſtatim dicam. Atqui *Spirator* de Patre & Filio non prædicatur eſſentialiter: ergo adſerit Sanctus Thomas aliquid poſſe prædicari *in quid*, & tamen non prædicari eſſentialiter: adeoque apud ſanctum Thomam prædicari *in quid* non eſt idem, quod prædicari eſſentialiter. Similiter ſanctus Auguſtinus *loco jam citato* dicit *Rationale* de homine prædicari *in quale*, ac ſimul prædicari eſſentialiter: ergo apud Patrem meum prædicari *in quid* non eſt prædicari eſſentialiter, neque prædicari *in quale* eſt prædicari accidentaliter. Adeoque illa, quæ jam dixi, ex capite meo non finxi, ſed ex bonis Magiſtris hauſi, ac didici.

SECTIO II.

Solutio aliquorum argumentorum.

51. OBiicies primò: Prædicari *in quid* eſt ſignificare quidditatem ſubjecti, ac de illo prædicari quidditativè: atqui prædicari quidditativè eſt prædicari eſſentialiter: ergo prædicari *in quid* eſt prædicari eſsentialiter. Minor eſt certiſſima apud omnes; major verò clara eſt attendenti etymologiam terminorum. *Nihilominus tamen reſpondeo negando majorem.* Quidem hactenus in Scholis ita fuit dictum, & dictitatum; aſt ego dico fuiſſe erratum. Quod ergò prædicari *in quid* non ſit prædicari quidditativè, hoc uſque ſatis oſtendi: oſtendi enim multa prædicata prædicari *in quid*, quæ non prædicantur quidditativè; ac è contrà multa prædicari quidditativè, quæ tamen non *in quid*, ſed *in quale prædicantur*.

52. *Obiicies ſecundò*; Multa prædicata, quæ prædicantur *in quid*, etiam prædicantur eſsentialiter: *Animal* de homine *in quid*, ſimul ac eſſentialiter prædicatur; ergò prædicari *in quid* eſt prædicari eſsentialiter. Ita mihi ſemel quidam objecit. Sed hæc conſequentia eſt ſimilis huic: *Multa alba ſunt etiam dulcia: ergo eſse album eſt eſſe dulce.* Reſp. ergo negando conſeq. Quia non ſemper valet conſequentia à concretis ad abſtracta. Non enim ſequitur, *Album eſt: ergo albedo eſt dulcedo.* Vel, *Album eſt dulce: ergo eſſe album eſt eſse dulce.* Hæ, inquam, conſequentiæ nihil valent: quomodo ergo valet hæc, *Aliquod prædicatum, quod prędicatur* in quid, *prædicatur eſsentialiter: ergo prædicari* in quid *eſt prædicari eſſentialiter?* Eſt enim per omnia planè ſimilis iſtis conſequentiis aliis.

53. Et pro ſolutione primi argumenti, pro eo ſcilicet, quod dixi, prædicatum *in quid* hactenus malè confuſum fuiſſe cum prædicato quidditativo; & prædicari *in quid* cum prædicari quidditativè: pro hoc, inquam, meo dicto *occurrit mihi adhuc hæc ratio*: Quia, ſi prædicari *in quid* foret ſignificare quidditatem, ac prædicari quidditativè; tunc etiam prædicari *in quale* foret ſignificare qualitatem, & prædicari qualitativè; atqui conſequens hoc abſurdum eſt: ergo & antecedens. Sequela majoris videtur manifeſta; utriuſque enim iſtius eadem eſt ratio, neque ulla aſſignari poteſt ratio diverſitatis. *Minor ergo probatur*: Quia Rationale, ſenſitivum, animatum, materiatum, &c. de homine prędicantur *in quale*: atqui non ſignificant hominis qualitatem, neque prędicantur qualitativè: ergo abſurdum eſt dicere, quod prędicari *in quale* ſit ſignificare ſubjecti qualitatem, ac de illo prædicari qualitativè: adeoque etiam abſurdum eſt dicere, quod prædicari *in quid* ſit ſignificare quidditatem, ac prædicari quidditativè.

54. Itaque prædicatum *in quid*, & prædicatum eſſentiale; item prædicatum *in quale*, & prædicatum accidentale non ſunt ſynonima, aut convertibilia; ſed ſunt excedentia & exceſſa. Aliqua enim prædicata *in quid* ſunt, aliqua non ſunt prædicata eſſentialia: item inter prædicata eſſentialia, aliqua prædicantur, aliqua non prædicantur *in quid*, ſed *in quale*. V. g. *Animal* de homine *in quid*, ſimul ac eſſentialiter prædicatur; *ſenſitivum* vero de homine prædicatur quidem eſſentialiter, non tamen *in quid*, ſed *in quale*. Similiter inter prædicata *in quale*, aliqua eſſentialiter, aliqua prædicantur accidentaliter: ac inter prædicata accidentalia, aliqua *in quid*, aliqua prædicantur *in quale*. Exempla fingere ex huc uſque dictis, & adhuc dicendis, facile eſt. Itaque hæc non ſunt convertibilia; ſed excedentia & exceſſa.

SECTIO III.

Quid ergo ſit prædicari in quid, *& in* quale?

55. DIco ſecundò: Prædicari *in quid* idem eſt, quod prædicari ſubſtantivè, ac prædicatum *in quid* idem eſt, quod prædicatum ſubſtantivum. Similiter prædicari *in quale* idem eſt, quod prædicari adjectivè, & prædicatum *in quale* idem omnino eſt, quod prædicatum adjectivum. Ita deduco ex Gregorio Ariminenſi *in* 1. *diſt.* 8. *quæſt.* 2. *art.* 3. Ubi dicit, *Prædicari in quid* eſſe oppoſitum τῷ *prædicari de-*

nominativè: atqui apud Gregorium, alioſque pleruſque tam antiquiores, quam noviores Philoſophos, prædicari denominativè eſt prædicari adjectivè; & prædicata denominativa debent eſſe prædicata adjectiva, ac *in quale* prædicabilia: ergo ex mente Gregorii τῷ *prædicari in quid* opponitur τῷ *prædicari adjectivè*: atqui id, quod opponitur τῷ *prædicari adjectivè*, eſt τῷ *prædicari ſubſtantivè*: uti ex terminis patet. Ergo prædicari *in quid* apud Gregorium idem eſt, quod prædicari ſubſtantivè, ac prædicari *in quale* idem, quod prædicari adjectivè, ſeu denominativè. Dixi, *Apud Gregorium prædicari denominativè eſt prædicari adjectivè*, &c. Quia licet id communiter ita dicatur; ego tamen ſuprà *diſp.* 10. *dub.* 11. dixi contrarium. Dixi, Prædicari denominativè etiam quandoque eſse prædicari ſubſtantivè, & prædicatum denominativum poſse eſse ſubſtantivum, ac prædicabile *in quid.* Hæc itaque noſtra concluſio eſt Gregorii Ariminenſis.

56. *Quam probo hoc modo*: Quia prædicari *in quid* eſt prædicari ad modum per ſe ſtantis; prædicari verò *in quale* eſt prædicari ad modum adjacentis: atqui prædicari ad modum per ſe ſtantis eſt prædicari ſubſtantivè; prædicari verò ad modum adjacentis eſt prædicari adjectivè: ut patet ex iis, quæ dixi ſuprà *diſp.* 8. *dub.* 2. & 3. Ergo prædicari *in quid* eſt prædicari ſubſtantivè, ac prædicari *in quale* eſt prædicari adjectivè. Deindè, Omne illud prædicatum prædicatur *in quid* vel *in quale*, per quod aptè ſatis fit quæſtioni factæ per *quid*, vel per *quale*: ut dixi jam aliquoties, & dicunt omnes, etiam Porphyriani. Atqui per omne, & ſolum prædicatum ſubſtantivum rectè reſpondetur quæſtioni factæ per *quid*; quæſtioni verò factæ per *quale* reſponderi debet per omne, ac ſolum prædicatum adjectivum: ergo omne prædicatum adjectivè *in quale*, ac omne prædicatum ſubſtantivum prædicatur *in quid*: adeoque prædicari *in quid* eſt prædicari ſubſtantivè; & prædicari *in quale* eſt prædicari adjectivè. Minor probari debet inductione: experire enim, & diſcurre per omnes omninò voces ſubſtantivas, & adjectivas, ac reperies ita eſse; ut jam dixi: reperies, inquam, omnem vocem ſubſtantivam eſse aptam ſolutionem quæſtionis factæ per *quid*, & omnem vocem adjectivam eſse aptam ſolutionem quæſtionis factæ per *quale*. Quære benè, & ſi inſtantiam contrariam repereris, eris mihi magnus Apollo.

57. Ex quo patet ratio à priori, cur prædicari *in quid* non ſit prædicari eſsentialiter; item cur prædicari *in quale* non ſit idem, quod prædicari accidentaliter; *Ratio*, inquam *hujus à priori eſt*: Quia prædicari *in quid* eſt prædicari ſubſtantivè: prædicari vero *in quale* eſt prædicari adjectivè: atqui prædicari ſubſtantivè non eſt prædicari eſſentialiter, neque prædicatum ſubſtantivum idem eſt, quod prædicatum eſsentiale. Illa enim, quæ prædicantur ſubſtantivè, prædicantur quandoque eſſentialiter, quandoque accidentaliter. Item inter prædicata ſubſtantiva, quædam eſſentialia, quædam accidentalia ſunt. Similiter prædicari adjectivè non eſt idem, quod prædicari accidentaliter, neque prædicatum adjectivum eſt idem, quod prædicatum accidentale. Quoniam illa adjectivè prædicantur, quædam prædicantur accidentaliter, quædam eſsentialiter; ac inter prædicata adjectiva, quædam ſunt accidentalia, quædam eſsentialia. Ut dixi ſatis latè *diſp.* 8. Ergò prædicari *in quid* non eſt prædicari eſſentialiter, neque prædicari *in quale* eſt idem, quod prædicari accidentaliter.

58. Item patet ratio iſtius, quod ſupra dicebam, videlicet omne prædicatum abſtractum ſemper, & ubique prædicari *in quid*. *Ratio*, inquam, *hujus clara eſt ex jam dictis*: Quia prædicari *in quid* eſt prædicari ſubſtantivè; adeoque omne prædicatum ſubſtantivum prædicatur *in quid*: atqui omne prædicatum abſtractum eſt ſubſtantivum, nullumque eſt, aut eſſe poteſt adjectivum; ut enim prædicatum aliquod adjectivum ſit, concretum eſse debet; ut dixi ſupra *diſp.* 8. *dub.* 5. Ergo omne prædicatum abſtractum prædicatur *in quid*, ſolumque concretum prædicatum prædicari poteſt *in quale*. Dico, *Solum concretum*; Nec enim poteſt omne concretum prædicari *in quale*; ſed ſolùm illud, quod eſt concretum ſimul ac adjectivum; concreta enim ſubſtantiva, ac ſubſtantivata prædicantur *in quid*.

SECTIO IV.

Quid ſit prædicari in quale-quid?

59. Dico *tertiò*: Quid ſit prædicari *in quale-quid*, nunquam bene intellexi. Terminum hunc invenio in Apoſtata Porphyrio; ſed nullibi in ſancto Patre meo Auguſtino. Porphyrius dicit, *Rationale* de homine prædicari *in quale-quid*; Auguſtinus dicit illud prædicari *in quale*. Si tu malis credere iſti Veteratori, ac Sycophantæ; ego malo credere Divino Doctori ac ſummo Chriſtiani Nominis Patriarchæ. Dico ergo, quod prædicari *in quale quid* ſit mera fabula, contradictionem implicans, ac ſeipſam mactans. *Ratio eſt clara & facilis*: Quia prædicari *in quid* eſt prædicari ſubſtantivè, prædicari *in quale* eſt prædicari adjectivè; adeoque prædicari *in quale-quid* deberet eſſe prædicari adjectivè, ſubſtantivè. Atqui implicat idem prædicatum prædicari adjectivè, ſimul & ſubſtantivè: ergo quoque implicat idem prædicatum prædicari *in quale*, ſimul & *in quid*, ſeu *in quale quid*. *Patet minor*: Quia prædicatum, quod prædicatur ſubſtantivè, debet eſse ſubſtantivum; quod prædicatur adjectivè debet eſſe adjectivum: atqui implicat idem prædicatum eſſe adjectivum, ſimul & ſubſtantivum: ergo implicat quoque idem prædicatum prædicari adjectivè, ſimul & ſubſtantivè.

60. Reſpondit mihi ſemel quidam Philoſophus non impolitus; Quod prædicari *in quale quid* non ſit prædicari adjectivè, ſimul & ſubſtantivè; ſed adjectivè & eſſentialiter. Prædicari enim *in quale*, inquiebat, eſt prædicari adjectivè; prædicari verò *in quid* eſt prædicari eſſentialiter: adeoque prædicari *in quale-quid* eſt prædicari adjectivè eſsentialiter: quæ duo non ſunt repugnantia; ſed quàm optimè ſibi mutuo cohærentia. Verùm tamen hæc reſponſio refutatione

non

non indiget; ſatis enim refutata eſt, ac refutari poteſt ex omnibus illis, quæ huc uſque dixi. Prædicari enim *in quid*, nullo modo eſt prædicari eſſentialiter; ſed prædicari ſubſtantivè; adeoque prædicari *in quale-quid* non eſt prædicari adjectivè eſſentialiter, ſed adjectivè ſubſtantivè. Quæ duo non ſunt cohærentia; ſed repugnantia.

61. Interim tamen, quia ſectam, qua quis à puero imbutus eſt, ſubitò deponere, ac totam ex animo delere, admodum difficile, ac fermè impoſſibile eſt: nam, ut rectè Cicero citatus à ſancto Patre meo *Epiſt.* 3. quæ eſt 2. ad Voluſianum: *Magni ingenii, & animi eſt ſevocare mentem à ſenſibus, & cogitationem à conſuetudine abducere*: Dabo tibi modum, quo ſectam tuam retineas; quo aliquod prædicatum *in quale-quid* prædicari adhuc cum veritate dicas. Modum hunc maginatus ſum, dum alias caput ſeptimum ſancti Auguſtini de Categoriis attentè volutarem. Dico ergo, licet idem prædicatum ſimplex nequeat *in quale-quid* prædicari; poſſunt tamen ita prædicari prædicata complexa, ex ſubſtantivo, ac altero adjectivo compoſita: qualia ſunt, *Animal rationale, homo doctus, brutum elegans, &c.* De his, inquam, prædicatis videtur mihi rectè dici, quod *in quale-quid* prædicentur. *Ratio eſt*: Quia prædicari *in quale quid* eſt prædicari adjectivè ſubſtantivè: atqui hæc prædicata prædicantur adjectivè ſubſtantivè: nam ratione unius ſuæ partis prædicantur adjectivè; ratione verò alterius prædicantur ſubſtantivè. Ergo prædicantur *in quale quid*.

62. *Ex quibus omnibus patet*: Quid ſit prædicatio *in quid*, quid prædicatio *in quale*, quid prædicatio *in quale-quid*. Prædicatio *in quid* non eſt idem, quod prædicatio eſſentialis; ſed eſt idem, quod prædicatio ſubſtantiva. Eſt, inquam, prædicatio conſtans prædicato ſubſtantivo: ſive interim ſit eſſentiale, ſive accidentale, hoc parum refert. Tales ſunt hæ, *Petrus eſt homo, Petrus eſt Epiſcopus, eſt Rex, eſt artifex, &c.* Prædicatio *in quale* non eſt idem, quod prædicatio accidentalis; ſed eſt idem, quod prædicatio adjectiva. Eſt, inquam, prædicatio conſtans prędicato adjectivo: ſive interim hoc accidentale, ſive eſſentiale fuerit, parum refert. Tales ſunt hæ, *Petrus eſt rationalis, Joannes eſt albus, equus eſt ſenſitivus, &c.* Prædicatio *in quale-quid* eſt illa, quæ conſtat prædicato complexo, ex uno ſubſtantivo, & altero adjectivo nomine compoſito. Tales ſunt hæ, *Petrus eſt animal rationale, leo eſt animal forte, &c.* Per prædicatum autem ſubſtantivum, & adjectivum ſemper etiam intelligi debet prædicatum ſubſtantivatum & adjectivatum: hæc enim illis per omnia æquivalent.

DUBIUM VI.

Quid ſit prædicatio completa? Quid incompleta?

SECTIO I.

Quid ſit prædicari completè, & incompletè?

63. ADverte primò: Quid ſit prædicari completè, quid prædicari incompletè. Prædicari completè, ſeu adæquatè eſt prædicatum dicere totam eſſentiam ſubjecti: ſive eſt prędicatum importare omnia eſſentialia importata per ſubjectum; verb. grat. in his prædicationibus: *Hic homo eſt homo, Bucephalus eſt equus, hoc animal eſt animal, &c.* prædicata iſta prædicantur completè. *Ratio eſt*: Quia *homo* dicit totam eſſentiam, importatque omnia eſſentialia hujus hominis: *homo* enim importat animalitatem & rationalitatem, quæ duo ſunt tota eſſentia hujus hominis: nam hæcceitas, ſeu ſingularitas, quæ ultra iſta duo per ſubjectum *hic homo* importatur, non eſt quid ad eſſentiam pertinens, neque eſt prædicatum eſſentiale: ut dicunt paſſim Logici, & nos ſuo tempore, & loco idem abundè dicemus. Similiter *equus* dicit totam eſſentiam Bucephali: dicit enim brutalitatem, ſimul & equinitatem, pręter quę in Bucephalo nihil eſt eſſentiale.

64. Prędicari verò incompletè, ſeu inadęquatè eſt prędicatum non dicere totam eſſentiam ſubjecti: ſive eſt prędicatum non importare omnia eſſentialia importata per ſubjectum; v. g. in his prędicationibus: *Homo eſt animal, homo eſt rationalis, &c.* prędicata prędicantur incompletè: Quia non dicunt totam eſſentiam ſui ſubjecti, neque important omnia eſſentialia importata per ſubjectum. *Animal* enim importat ſolam animalitatem: at verò tota hominis eſſentia non eſt ſola animalitas; ſed animalitas ſimul, ac rationalitas. Et hinc prędicari completè, vel incompletè ſunt ſpecies quędam τῦ *prædicari eſſentialiter*. Neque enim prædicationes accidentales; ſed ſolę eſſentiales dicuntur eſſe completę, vel incompletę. Item ſola prędicata eſſentialia; non autem accidentalia dicuntur eſſe completa, vel incompleta. *Et ratio eſt clara*. Quia prędicari completè, vel incompletè eſt dicere totam eſſentiam, vel ſolam partem eſſentię ſui ſubjecti: adeoque prędicata illa, quę prędicantur completè, vel incompletè, debent dicere vel totam eſſentiam, vel partem eſſentię ſui ſubjecti. Atqui prędicata, quæ vel totam ſubjecti ſui eſſentiam, vel ejus aliquam partem dicunt, ſunt prędicata eſſentialia: uti eſt clarum. Ergo prędicata illa, quæ complete vel incompletè prædicantur, debent eſſe prædicata eſſentialia, ac prædicari eſſentialiter: adeoque prædicari completè, & incompletè ſunt ſpecies quædam τῦ *prædicari eſſentialiter*.

65. Ad prædicationem ergo completam non requiritur, ut prædicatum dicat omnia eſſentialia, quæ ſunt in ſubjecto; ſed ſatis eſt, quod dicat, ſeu ſignificet omnia eſſentialia, quæ dicuntur, ſeu ſignificantur per ſubjectum; v.g. in his prædicationibus, *Hoc animal eſt animal, hoc vivens eſt vivens, hoc ens eſt ens, &c.* Prædicata prædicantur complete, faciuntque prædicationem completam. Quia licet non importent omnia eſſentialia, quæ ſunt in ſubjecto, important tamen omnia eſſentialia, quę importantur per ſubjectum. Quod iſta prędicata non importent omnia eſſentialia, quę ſunt in ſubjecto, *probatur*: Quia prędicatum eſt *animal*; ſubjectum eſt *hoc animal*: atqui in hoc animali ſunt aliqua eſſentialia, quę non importantur, neque ſignificantur per prædicatum *animal*: ergo prędicatum

non importat omnia eſsentialis, quæ ſunt in ſubjecto. *Probatur minor*: Quia boc animal eſt aliquod animal ſingulare; cape quod ſit Petrus, vel Bucephalus. Atqui in Petro ſunt aliqua eſsentialia, videlicet rationalitas, corporeitas organica, &c. quæ non importantur per prædicatum *animal*: ergo etiam in boc animali ſunt aliqua eſsentialia, quæ non importantur, per ſubjectum; *etiam probatur*: Quia prædicatum importare omnia, quæ importat ſubjectum, nibil eſt aliud, quam vocem illam, quæ eſt prędicatum, ſignificare omnia illa, quæ ſignificantur per vocem, quæ eſt ſubjectum, atqui vox *Animal* ſignificat omnia eſſentialia, quæ ſignificat vox *boc animal*: ergò in præfatis prædicationibus prædicatum importat omnia eſſentialia, quæ importantur per ſubjectum. *Patet minor*; Quia vox *Animal* ſignificat ſolam animalitatem; vox verò *Hoc-animal* ſignificat animalitatem ſimul cum hęcceitate: atqui, ut dicam ſuo loco, hæcceitas non eſt quid eſsentiale: ergò omnia eſsentialia, quæ importantur, ſeu ſignificantur per vocem *boc-animal*, etiam ſignificantur per vocem *Animal*.

66. *Ratio verò*, cur ad prædicationem completam ſufficiat, ut prædicatum ſignificet omnia eſſentialia, quæ ſignificantur per ſubjectum, *videtur eſſe bæc*: Quia res non prædicantur de ſeſe mutuò prout ſunt à parte rei; ſed prout à nobis concipiuntur, ac per voces ſignificantur: res enim de ſeſe mutuò prædicantur per conceptus & voces. Ergò, ut prædicatio aliqua dicatur eſſe completa, ac ut prædicatum aliquod dicatur prædicari completè, non requiritur, ut ſignificet omnia eſſentialia quæ ſunt à parte rei in ſubjecto; ſed ſatis eſt, ut ſignificet omnia eſsentialia, quæ ſignificantur per ſubjectum. Sicut, ut prædicatio aliqua dicatur eſse eſsentialis, vel accidentalis; item ut prædicatum aliquod dicatur eſse eſsentiale, vel accidentale, non requiritur, ut ſit eſsentiale, vel accidentale iis, quæ ſunt à parte rei in ſubjecto; ſed ſatis eſt, ut ſit eſsentiale, vel accidentale iis, quæ ſignificat ſubjectum. Similiter ergo, ut prædicatum aliquod dicatur prædicari completè, non opus eſt, ut dicat, & ſignificet omnia eſsentialia, quæ ſunt à parte rei in ſubjecto: ſed ſatis eſt, ſi ſignificet omnia eſsentialia, quæ ſignificantur per ſubjectum. *Ant. patet inductione*. V.g. bæc propoſitio, *Homo eſt riſibilis*, eſt propoſitio accidentalis: non quia riſibilitas ſit à parte rei hominis accidens; hoc enim falſum eſt; cum homo, ejuſque riſibilitas ſint in re eadem planè res. Eſt igitur iſta prædicatio accidentalis, quia riſibilitas eſt accidens hominis, prout ſignificatur per vocem *bomo*. Prædicata itaque dicuntur prædicari eſsentialiter, accidentaliter, completè, incompletè, &c. non ex ordine illo, quem habent ad ſubjectum, prout eſt à parte rei; ſed ex illo, quem habent ad ſubjectum, prout ſubeſt modo concipiendi, ſignificandi, ac prædicandi, adeoque, ut judicemus aliquod prædicatum prædicari, completè, vel incompletè, non oportet attendere, an dicat omnia eſsentialia, quæ ſunt in ſubjecto; ſed an dicat omnia, quæ dicuntur, & ſignificantur per ſubjectum.

SECTIO II.

Quid, & quotuplex ſit prędicatum completum, ac prædicatum incompletum.

67. ADverte ſecundo: Quid, & quotuplex ſit prædicatum completum, ac prædicatum incompletum? Prædicatum completum idem eſt, quod prædicatum ultimò perfectum. Eſt, inquam, prædicatum, quod habet ſuum ultimum eſsentiale, vel ſubſtantiale complementum, ac perfectionem. Prædicatum incompletum idem eſt, quod prædicatum imperfectum, ac adhuc perfectibile. Eſt, inquam, prædicatum non habens ſuam ultimam eſſentialem, aut ſubſtantialem perfectionem; ſed adhuc aliqua tali perfectione perfectibile. Talia ſunt, *Animal*, *rationale*, *materia*, *forma*, & id genus alia. *Animal* enim per *Rationale*, & *Rationale* perficitur per *Animal*, tamquam per ſui perfectionem eſsentialem. Item materia per formam, ac forma per materiam perficitur, tamquam per perfectionem ſui ſubſtantialem. Voco autem hic perfectionem ſui eſsentialem, & ſubſtantialem, non eam, quæ eſt de eſsentia, aut ſubſtantia ſui perfectibilis: nam *Rationale* eſt perfectio eſsentialis animalis, & forma eſt perfectio ſubſtantialis materiæ; neque tamen hæc eſt de ſubſtantia materiæ, neque illud de eſsentia eſt animalis. Illa ergo perfectio vocatur hic ſubſtantialis, vel eſsentialis, quæ cum ſuo perfectibili conſtituit novam eſsentiam, aut ſubſtantiam. Uti *Rationale* cum *Animali* conſtituit eſsentiam hominis, & forma cum materia eſsentiam compoſiti phyſici. Diſtinguiturque contra perfectionem accidentalem; ut ſunt ſcientia, albedo, riſibilitas, &c. Quæ cum ſuo perfectibili non componunt novam eſsentiam, aut ſubſtantiam. Nam ex homine & ſcientia componitur homo ſciens: qui non eſt nova ſubſtantia: Ex homine & riſibilitate componitur homo riſibilis, qui non eſt nova eſsentia: ſed eadem eſsentia ſumpta cum ſua proprietate.

68. Prædicatum completum dividi debet in prædicatum completum Pbyſicè, & in prædicatum completum Metaphyſicè, ſeu Logicè. Similiter prædicatum incompletum dividi debet in prædicatum Pbyſicè incompletum, & in prædicatum Logicè ſeu Metaphyſicè incompletum. Prædicatum Logicè, ſeu Metaphyſicè incompletum eſt prædicatum adhuc perfectibile aliqua perfectione eſsentiali Metapbyſica, ſeu Logica. Ut, *Animal*, *vivens*, *rationale*, *&c.* Et generaliter omne genus, omniſque vera differentia. Omne quippe genus eſt perfectio eſsentialis ſuæ differentiæ, omniſque differentia eſt perfectio eſsentialis ſui generis. Prædicatum Metapbyſicè, ſeu Logicè completum eſt illud, quod habet ſuam ultimam perfectionem eſsentialem Metaphyſicam: ſive quod non ampliùs ulla eſsentiali perfectione Metapbyſica, ſeu Logica perfectibile eſt. Ut homo, brutum, equus, materia

tia prime, enima retionelis, &c. Et generaliter omnis ſpecies infima. Species quippe in ordine Logico, ſeu Metaphyſico perfici ſolummodò poſſunt per individualitates, ſeu ſingularitates: quæ, ut jam dixi, non ſunt perfectiones eſſentiales. Vocantur verò hic perfectiones Metaphyſicæ, ſeu Logicæ, illæ quæ à ſuo perfectibili diſtinguuntur, non diſtinctione reali, ec Phyſica; ſed ſole diſtinctione rationis, ſeu Logica.

69. Prædicatum Phyſicè incompletum eſt illud, quod edhuc perfectibile eſt alique perfectione ſubſtantieli Phyſica. Voco autem hic perfectiones Phyſicas, illas quæ à ſuo perfectibili realiter, ſeu Phyſicè diſtinguuntur. Hujuſmodi prædicata ſunt enima, meterie prima, homo, brutum, &c. Anima enim ſubſtantialiter perficitur per materiem, & materia per animam. Brutum phyſicè, ec ſubſtentieliter perficitur per formas partieles leoninas, equinas, bovinas, &c. Homo ſubſtantialiter phyſicè perficitur per formas partieles humenas. De quibus tibi mirebilem & novam, pulchtem tamen, Philoſophiam dabo in mea Phyſica. Prædicetum phyſicè completum eſt illud, quod habet totem, ac omnem ſuam ſubſtentialem phyſicem perfectionem. Ut equus, bos, leo, ignis, eque, lapis, &c.

70. Et hæ duæ completiones ſunt valdè diverſæ. Sæpè etenim ea, quæ logicè completa ſunt, ſunt phyſicè incompleta. Ut materia, Anima rationalis, homo, brutum, &c. ſunt prædicate logicè completa: ſunt quippe prædicata ſpecifica, ſolùm contrahibilie, & perfectibilie per differentias individuales, quæ non ſunt perfectiones eſſentiales. Phyſicè verò ſunt prædiceta incomplete: quie poſſunt perfici per phyſicas perfectiones ſubſtantiales. Humanitas quippe, & brutalitas perficiuntur, ac in ſuo eſſe complentur per formas partiales, tamquam per ultimum ſuum ſubſtentiale phyſicum complementum. De quo latiſſimè differam in Phyſica. Attamen cum in Logice de prædiceto completo, vel incompleto agimus, de completione, ec incompletione Logica intelligi volumus. De completione enim, ac incompletione Logice Logicus, de Phyſice agit Phyſicus.

71. Addi poteſt & elie quædem diviſio prædicati incompleti, quæ nec inutilis, nec incongrue eſt. Dividi ergo poteſt prædicatum incompletum in prædicatum incompletum materieliter, ec in prædicatum incompletum formeliter. Sive in prædicatum incompletum incompletione formali, ac in prædicatum incompletum incompletione materiali. Prædicatum incompletum, uti jam dixi, eſt prædicatum complebile, ac perfectibile aliqua perfectione eſſentiali, vel ſubſtantiali. Hinc ergo prædicetum incompletum materialiter eſt illud, quod eſt complebile, ac perfectibile alique perfectione ſubſtantiali, vel eſſentiali, quæ eſt ſui materia. Ita in ordine phyſico forma eſt ens meterialiter incompletum: Quia eſt perfectibilis per ſubjectum, tamquem per perfectionem ſubſtantialem, quæ ſit ſui materia. Et in ordine Logico differentia eſt hoc modo prædicatum incompletum: Quie eſt perfectibilis per genus à ſe contrectum, tamquam per ſui meteriam, ac Logicum ſubjectum. Prædicatum formeliter incompletum eſt illud, quod eſt perfectibile alique perfectione eſſentiali, vel ſubſtantiali, quæ ſit ſui forme. Ita in ordine Phyſico materia prima eſt ens incompletum incompletione formali: Quia perfectibilis eſt per formas ſubſtantiales. Et in ordine Logico omne genus eſt hoc modo prædicatum incompletum: Quia eſt perfectibile, ac contrahibile per differentias eſſentiales, quæ ſunt illius formæ.

SECTIO III.

Quid differant prædicari completè, & eſſe prædicatum completum?

72. ADverte tertiò: Hæc duo, *Prædicari completè*, & Eſſe *prædicatum completum*, eſſe longè diverſa. Similiter planè diverſa ſunt *Prædicari incompletè*, & *Eſſe prædicatum incompletum*. Nam poteſt aliqua res eſſe prædicatum completum, & tamen prædicari incompletè; ac è contra poteſt aliqua res prædicari completè, & tamen eſſe prædicatum incompletum. Quod poſſit aliquod prædicatum eſſe completum, & tamen prædicari incompletè, *probatur:* Quie *homo* ſine dubio eſt prædicatum completum; item *brutum* eſt prædicatum ſpecificum, & completum (. De quo dabo tibi pulchram, ec novam Philoſophiam partim in Logica, partim in Phyſica). Atqui tamen hæc prædicata prædicantur quandoque incompletè; ergo poteſt aliquod prædicatum eſſe completum, & tamen prædicari incompletè. *De majori non credo eſſe difficultatem:* Nam omne prædicatum ſpecificum, ſeu omnis ſpecies infima eſt prædicatum completum: uti jam dixi. Atqui *Homo* & *brutum* ſunt ſpecies infimæ: ut alibi probaturus ſum efficaciſſimè. Ergo ſunt prædicata complete.

73. *Minor ergo probatur:* Quie prædicari incompletè eſt prædicatum non importare omnia eſſentialia, quæ importentur per ſubjectum: atqui in his prædicationibus, *Petrus eſt homo*, *Faunus eſt homo*, *leo eſt brutum*, *equus eſt brutum*, *&c.* prædicata non important omnia eſſentialia, quæ importantur per ſubjectum: ergo prædicete iſta prædicantur incompletè. *Probatur minor:* Quie *Homo* (de formali videlicet) importat ſolam humanitatem; *Petrus* verò, & *Faunus* non ſolem humanitatem cum ſua hæcceitate; ſed & formas ſuas partiales organicas, ſeu ſuam organeitatem (liceet ita barbarizare) ſibi eſſentialem important. Similiter *Brutum* importet ſolam brutalitatem; at vero *Leo*, *equus* non ſolam brutalitatem, ſed inſuper equinitatem, ac leoninitatem, ſive formas partiales equinas, & leoninas ſibi eſſentiales important. De quo, iterum dico, dabo tibi pulchram Philoſophiam in Phyſica. Ergo *Homo* non importat omnia eſſentialie, quę important *Petrus* & *Faunus*, neque *Brutum* omnia eſſentialia, quæ important *Leo* & *equus*. Unde cautè diſtingui debet inter hes prædicationes, *Petrus eſt homo*, & *Hic homo eſt homo*. Nam prima eſt incompleta, ut jam dixi; altera verò eſt completa, ut dixi in capite hujus dubii. Ratioque diverſitatis deſumi debet ex diverſa ſignificatione

vocum

vocum *Petrus*, & *Hic homo*: Nam vox *Hic homo* importat ſolam humanitatem una cum hæcceitate; vox verò *Petrus* præter hæc importat quoque formas partiales organicas, ſeu organeitatem, quæ eſt quid Petro eſſentiale. Ex quo etiam patet has prædicationes, *Hic homo eſt Petrus*, aut *Petrus eſt hic homo*, non eſſe prædicationes identicas; ſed verè formales: cum earum extrema non ſint ſynonima. De quo alibi latiùs.

74. Similiter, quod aliquod prædicatum poſſit eſſe incompletum, & tamen prædicari complete, *etiam probatur*: Quia *Animal*, *vivens*, *rationale*, *&c.* ſunt ſine dubio prædicata incompleta: atqui tamen hæc prædicata prædicari poſſunt completè: ita enim prædicantur in his prædicationibus, *Hoc vivens eſt vivens*, *hoc animal eſt animal*, *hoc rationale eſt rationale*. Ergo poteſt aliquod prædicatum eſſe incompletum, & tamen prædicari completè. *Minor*, licet clara ſit, *probatur tamen*: Quia in iſtis prædicationibus prædicatum ſignificat omnia eſſentialia, quæ ſignificantur per ſubjectum: ut patet intuenti. Ergo in iſtis prædicationibus prædicatum prædicatur completè. *Clara ſimiliter eſt major*: Quia iſta omnia prædicata ſunt adhuc perfectibilia per aliquam eſſentialem perfectionem Logicam: ut facilè patebit conſideranti hactenus dicta. Ergo ſunt prædicata incompleta. Atqui tamen prædicantur completè: ergo longè aliud eſt prædicari completè, aliud eſſe prædicatum completum; aliud eſt prædicari incompletè, aliud eſt prædicatum incompletum.

57. *Et ratio à priori eſt*: Quia prædicari completè eſt prædicatum importare, ſeu ſignificare omnia eſſentialia, quæ ſignificantur per ſubjectum; Eſſe verò prædicatum completum eſt eſſe prędicatum habens ſuum ultimum eſſentiale complementum, cui nihil eſſentiale poteſt addi. Atqui longè aliud eſt prædicatum eſſe ultimò eſſentialiter completum; aliud verò prædicatum importare omnia eſſentialia, quæ importantur per ſubjectum: ergo quoque longè aliud eſt eſſe prædicatum completum, aliud prædicari completè. Similiter prædicari incompletè eſt prædicatum non importare omnia eſſentialia ſubjecti; eſſe verò prædicatum incompletum eſt eſſe prædicatum non habens ſuum ultimum eſſentiale complementum, cui adhuc aliquid eſſentiale poteſt addi: atqui hæc duo ſunt longè diverſa: ut facilè patebit illa attentè conſideranti. Ergo ſimiliter longè diverſa ſunt prædicari incompletè, ac eſſe prædicatum incompletum. Quod enim prædicatum completum, vel incompletum ſit, à ſeipſo habet; habet à ſolo ſuo ſignificato formali: quod verò completè, vel incompletè prædicetur, habet ex ordine & habitudine ſui formalis ſignificati ad ſubjectum. Vide quæ dixi *dub.* 3.

SECTIO IV.

Reſolutio propoſitæ quæſtionis.

76. R*Eſp. & dico primò*: Prædicatio completa non eſt illa, quæ conſtat prædicato. Multæ quippe prædicationes conſtant prædicato completo, quæ non ſunt completæ; ſed incompletæ; v.g. hæ, *Petrus eſt homo*, *Faunus eſt homo*, *equus eſt brutum*, *Leo eſt brutum*, *&c.* Hæ, inquam, prædicationes conſtant prædicato completo: atqui tamen non ſunt prædicationes completæ, ſed incompletæ: ergo prædicationes conſtantes prædicato completo non ſunt ſemper completæ; ſed ſunt quandoque incompletæ. *Major patet ex hactenus dictis*: Quia, ut prædicatio ſit completa, debet prædicatum ejus prædicari completè: debet prædicatum ejus importare omnia eſſentialia, quæ importantur per ſubjectum. Atqui in iſtis prædicationibus prædicatum non importat omnia eſſentialia, quæ importantur per ſubjectum: uti etiam patet ex dictis. Ergo iſtæ prædicationes non ſunt completæ, ſed incompletæ.

77. Quia tamen exempla iſta non ſolùm dubia ſunt, & ambigua; ſed apud quoſdam etiam paradoxa, adduco alia certa apud omnes. Neque enim veritas hujus concluſionis dependet à veritate iſtorum, quæ tu fortè dicis, vel cogitas eſſe paradoxa. Hæ prædicationes, *Homo eſt materiatus*, *Leo eſt materiatus*, *&c.* ſunt prædicationes incompletæ: in illis quippe prædicatum non dicit omnia eſſentialia, quæ dicuntur per ſubjectum. Atqui tamen conſtant prædicato completo: *Materiatum* quippe eſt verè prædicatum logicè completum. Ergo poſſunt prædicationes conſtare prædicato completo, & tamen non eſſe completæ, ſed incompletæ. *Probatur minor*: Quia omne prædicatum eſt completum, cujus formale ſignificatum eſt completum: atqui hoc prædicatum *Materiatum* habet ſignificatum formale completum: ergo ipſum eſt prædicatum completum. *Patet minor*: Quia ſignificatum iſtius prædicati formale eſt materia: atqui materia eſt quid completum: non quidem phyſicè; ſed logicè. Materia enim ſpecies infima eſt: materias quippe ſpecie diverſas putavi ſemper eſſe à veritate alienas. Omnis autem infima ſpecies eſt prædicatum logicè completum: adeoque etiam materia eſt prædicatum logicè completum: Ergo iſtud prædicatum *Materiatum* habet ſignificatum formale, quod eſt logicè completum: adeoque eſt prædicatum veræ completum.

78. Prædicatio itaque completa definiri debet hoc modo: Prædicatio completa eſt illa, in qua prædicatum de ſubjecto prędicatur completè. Eſt, inquam, illa, in qua prædicatum ſignificat omnia eſſentialia, quæ ſignificantur per ſubjectum. Tales ſunt hæ: *Hic homo eſt homo*, *hic equus eſt equus*, *hoc ens eſt ens*, *Bucephalus eſt equus*, & ſimiles aliæ. In omnibus quippe illis prædicatum ſignificat omnia eſſentialia, quæ dicuntur per ſubjectum: ut planum eſt attendenti. *Ratio eſt hæc*: Quia qualitas prædicationis deſumi debet ex habitudine prædicati ad ſubjectum: adeoque, ut prædicatio dicatur completa, vel incompleta, non ſatis eſt prædicatum ejus eſſe completum; ſed debet completè ineſſe ac prædicari. Sicuti, ut prædicatio dicatur eſſe ſubſtantialis, vel accidentalis, non ſatis eſt prædicatum ejus eſſe ſubſtantiale, vel accidentale; ſed debet ſubſtantialiter, vel accidentaliter prædicari. Ut ſupra *dub.* 2. dixi latiùs.

79. *Dico ſecundò*: Similiter prædicatio incompleta non eſt illa, quæ conſtat prædicato incompleto;

pleto; ſed eſt illa, in qua prædicatum prædicatur incompletè de ſubjecto. Eſt, inquam, illa, in qua prædicatum non ſignificat omnia eſſentialia, quæ ſignificantur per ſubjectum. Quales ſunt hæ, *Homo eſt ens*, *homo eſt ſubſtantia*, *homo eſt vivens*, *homo eſt animal*, *homo eſt rationalis*, & aliæ ſimiles. *Ratio eſt:* Quia, uti jam dixi, multæ prædicationes in completæ conſtant prędicato completo: ac è contra multæ prędicationes completæ conſtant prędicato incompleto: ergo prædicatio incompleta nequit definiri eſſe illa, quæ conſtat prędicato incompleto; ſed definiri debet eſſe illa, in qua prædicatum prędicatur incompletè: in qua, inquam, prædicatum non dicit, neque ſignificat omnia eſsentialia, quæ dicuntur, vel ſignificantur per ſubjectum. Prima pars antecedentis jam ſatis oſtenſa eſt, & probata. *Altera verò ejus pars etiam probatur:* Quia hæc prædicatio, *Hoc ens eſt ens*, *hoc vivens eſt vivens*, ſimileſque aliæ, ſunt prædicationes completæ: in illis quippe prædicatum dicit omnia eſsentialia, quæ dicuntur per ſubjectum. Atqui tamen conſtant prædicato incompleto: *Ens* enim, & *vivens* ſunt prædicata manifeſtè incompleta: cum per multas eſsentiales differentias, ſeu quaſi differentias ſint contrahibilia ac perſectibilia. Ergo prædicatio completa conſtare poteſt prædicato incompleto.

80. *Ex quibus omnibus collige:* Quod inter prædicata, quædam ſint completa, ac ſimul completè prædicentur. Ut *Homo* reſpectu hujus & iſtius hominis, *Equus* reſpectu Pegaſi, & bucephali, &c. Quædam ſunt quidem completa; at incompletè prædicantur. Ut *Homo* reſpectu Petri & Fauni, *Brutum* reſpectu equi & leonis, *Materiatum* reſpectu hominis, & lapidis, &c. Quædam ſunt incompleta; ac ſimul incompletè prædicantur. Ut *Animal* reſpectu hominis & bruti, *Rationale* reſpectu Petri & Pauli. Quædam ſunt quidem incompleta; attamen completè prædicantur. Ut *Animal* reſpectu hujus & iſtius animalis, *Ens* reſpectu hujus & iſtius entis, &c. Quæ omnia ſunt bene notanda, ob illa, quæ dicturus, & hinc illaturus ſum in mea Logica.

DUBIUM VII.

Quid ſit prædicatio intrinſeca? Quid extrinſeca? Quid partim intrinſeca, partim extrinſeca?

81. PRo reſolutione adverte: Non poſse hic diſtingui inter τὸ *prædicari intrinſecè*, *vel extrinſecè*, & τὸ *eſſe prædicatum intrinſecum*, *vel extrinſecum*. Hæc duo, inquam, non debent hic diſtingui, ſed planè inter ſe converti, ac confundi: ſunt enim omninò eadem: ſicut ſupra dixi de τῷ *prædicari eſſentialiter*, & τῷ *eſſe prædicatum eſſentiale*. Quidquid ergo prædicatur intrinſecè, hoc eſt prædicatum intrinſecum, & quidquid eſt prædicatum intrinſecum, hoc prædicatur intrinſecè. *Ratio jam dicta eſt aliquoties:* Quia inter hæc duo ſolummodò poteſt diſtingui, ubi ex alio ſumitur qualitas prædicati, ex alio qualitas prædicationis; ubi qualitas prædicati deſumitur ex qualitate ſignificati formalis, qualitas verò prædicationis deſumitur ex habitudine ſignificati formalis ad ſubjectum. Ubi verò tam qualitas prædicati, quàm qualitas prædicationis deſumitur ex habitudine ſignificati formalis ad ſubjectum, inter hæc duo non poteſt diſtingui; ſed tunc eſse tale prædicatum idem omninò eſt, quod taliter prędicari. Atqui in hoc propoſito tam prædicati, quàm prędicationis qualitas deſumitur ex habitudine ſignificati formalis ad ſubjectum: Nam, uti ſtatim dicam, prædicari intrinſecè eſt ſignificatum formale prædicati eſse intrinſecum ſubjecto; item prædicatum intrinſecum eſt illud, cujus formale ſignificatum eſt intrinſecum ſubjecto. Ergo nequit hic diſtingui inter τὸ *prædicari intrinſecè*, & τὸ *eſſe prædicatum intrinſecum*; ſed hæc duo planè idem ſunt, planè inter ſe confunduntur, ac convertuntur. Quo poſito

82. *Reſp. & dico primò:* Prædicatio intrinſeca eſt illa, quæ conſtat prædicato intrinſeco. Eſt, inquam, illa, in qua ſignificatum formale prædicati eſt intrinſecum ſubjecto: illud enim prædicatum eſt intrinſecum, cujus ſignificatum formale eſt intrinſecum ſubjecto. Talia ſunt *Album*, *nigrum*, *coloratum* reſpectu parietis, *Stans*, *ſedens*, *homo*, *animal*, *rationale*, *riſibile* reſpectu hominis, &c. Omnia quippe horum prædicatorum formalia ſignificata ſunt homini, aut parieti intrinſeca, ac intrinſecè conjuncta: ut clarum eſt attendenti. Itaque omnes hæ prædicationes, *Homo ſtat*, *homo ſedet*, *homo eſt animal*, *homo eſt riſibilis*, *paries eſt albus*, &c. ſunt prædicationes intrinſecæ: conſtant quippe prædicato intrinſeco: conſtant, inquam, prædicato, cujus formale ſignificatum eſt intrinſecum ſubjecto.

83. Dixi, *Prædicatum intrinſecum eſt illud*, *cujus ſignificatum formale eſt intrinſecum ſubjecto;* Quia ad prædicatum intrinſecum nequaquam ſatis eſt, ſi ejus ſignificatum rectum, ac materiale ſit intrinſecum ſubjecto; ſed debet ſignificatum formale, debet, inquam, tam formale, quàm materiale ſignificatum ejus (ſi concretum fuerit) eſse intrinſecum ſubjecto. Nam, ut ſtatim dicam, etiam prædicata adæquatè extrinſeca habent; ac habere debent ſignificatum rectum, ac materiale intrinſecum ſubjecto: adeoque, ut prædicatum aliquod dicatur eſse intrinſecum, non ſatis eſt, ut habeat ſignificatum materiale; ſed inſuper habere debet ſignificatum formale intrinſecum ſubjecto: uti etiam patet in omnibus exemplis jam adductis.

84. *Dico ſecundò:* Prædicatum extrinſecum eſt illud, cujus formale ſignificatum eſt extrinſecum ſubjecto. Qualia ſunt, *Viſum*, *auditum*, *intellectum*, reſpectu parietis, *Honoratum*, *adoratum*, *oratum* reſpectu Dei, *Calefaciens*, *illuminans*, *creans* reſpectu ignis, ſolis, Dei, &c. Viſio enim, auditio, intellectio, quę ſunt iſtorum prædicatorum ſignificata formalia, non ſunt intrinſeca, ſed extrinſeca parieti viſo, aut intellecto: viſio enim non eſt in re viſa, ſed in re vidente. Et ita eſt de omnibus aliis: ut facilè fiet planum attendenti. Itaque prædicatio extrinſeca, quæ eſt prædicatio conſtans prædicato extrinſeco, eſt illa, in qua ſignificatum formale prædicati eſt extrinſecum ſubjecto. Quales ſunt hæ, *Homo eſt viſus*, *homo eſt auditus*, *Deus honoratur*, *Deus adoratur*, &c. Honor enim, & adoratio

non

non ſunt in honorato, & adorato, ſed in honorante, & adorante; ut clarum eſt.

85. Dixi, *Prædicatum extrinſecum eſt illud, cujus formale ſignificatum eſt extrinſecum ſubjecto*: Quia ejus ſignificatum materiale, & rectum nequit eſſe ſubjecto extrinſecum. Hoc enim quàm maximè debet eſſe ſubjecto intrinſecum: adeoque prędicatum extrinſecum eſt illud, cujus ſignificatum materiale eſt ſubjecto intrinſecum; formale verò eſt ſubjecto extrinſecum. Talia enim ſunt omnia prædicata adducta: ut facilè videbis, ſi conſideres. *Et ratio eſt*: Quia prædicatum extrinſecum debet habere ſignificatum rectum, & materiale cum ſubjecto realiter identificatum: atqui ſignificatum ſubjecto identificatum eſt ſubjecto intrinſecum; ut clarum eſt: hoc enim eſt ipſum ſubjectum, quod ſibi ipſi non poteſt non eſſe intrinſecum. Ergo prædicatum extrinſecum debet habere ſignificatum rectum, ſeu materiale ſubjecto intrinſecum. *Probatur major*: Quia prædicatum debet eſſe prædicabile de ſuo ſubjecto: debet de ſuo ſubjecto poſſe prædicari: alioquin enim quomodò prædicatum foret? Ergo debet habere ſignificatum rectum cum ſubjecto realiter identificatum. *Patet conſeq.* Quia in omni prædicatione affirmativa extrema identificari debent in ſuis ſignificatis rectis: debet, inquam, ſignificatum rectum prædicati eſse identificatum ſubjecto. Atqui prædicatum extrinſecum prędicatur de ſuo ſubjecto: ergo habere debet ſignificatum rectum ſubjecto identificatum.

86. *En qua patet*: Quod prædicatum extrinſecum debeat ſemper eſſe concretum. In quo differt à prædicato intrinſeco, quod indifferenter vel abſtractum, vel concretum eſſe poteſt: uti patet in hiſce prædicationibus, *Homo eſt animal, humanitas eſt animalitas, album eſt coloratum, albedo eſt color*, &c. Omnia enim iſtarum prædicationum prædicata ſunt intrinſeca: aliqua autem concreta, aliqua abſtracta ſunt. At verò prædicatum extrinſecum nequit eſſe abſtractum, ſed neceſſariò eſt concretum. *Ratio eſt*: Quia prædicatum extrinſecum debet eſſe prædicatum habens ſignificatum rectum ſubjecto intrinſecum, formale verò ſignificatum ſubjecto extrinſecum: atqui prædicatum abſtractum, in quo ſignificatum rectum eſt ſimul ſignificatum formale, nequit habere ſignificatum rectum ſubjecto intrinſecum, formale verò ſubjecto extrinſecum: ſic etenim idem ſignificatum eidem ſubjecto ſimul intrinſecum, ac extrinſecum eſſe deberet. Ergo prædicatum extrinſecum nequit eſſe prædicatum abſtractum.

87. *Dico tertiò*: Prædicatio partim intrinſeca, partim extrinſeca eſt illa, quæ conſtat prædicato partim intrinſeco, partim extrinſeco. Eſt, inquam, illa, in qua ſignificatum formale prædicati eſt ſubjecto partim intrinſecum, partim extrinſecum. Hujuſmodi enim prædicatum à Summuliſtis partim intrinſecum, partim extrinſecum vocatur; v. g. hæ prædicationes, *Vox ſupponitur, vox prædicatur*, &c. ſunt partim intrinſecę, partim extrinſecæ: ut dixi ſupra *diſp.* 13. *dub.* 2. *ſect.* 4. Item tales ſunt hæ, *Homo eſt ſpecies, animal eſt genus, album eſt univerſale*. Univerſalitas quippe eſt forma quædam rebus univerſalibus partim intrinſeca, partim extrinſeca: ut dicam pluribus in Logica. Item tales ſunt hæ, *Petrus eſt ſimilis Paulo, Paulus eſt diſſimilis Joanni*. Similitudo enim, & diſſimilitudo, quæ ſunt ibi ſignificatum formale prædicati, ſunt ſubjecto quid partim extrinſecum, partim intrinſecum. Uti enim Philoſophi ordinariè docent, ſimilitudo dicit fundamentum, ſimul & terminum fundamento extrinſecum: adeoque eſt fundamento ſibi in prædicatione ſubjecto partim intrinſeca, partim extrinſeca. De quo latè in Metaphyſica.

DUBIUM VIII.

Quid ſit prædicatio, ſeu denominatio realis? Quid rationis?

88. EOdem planè modo philoſophandum eſt de prædicatione reali, & rationis, ſicut jam philoſophabar de prędicatione intrinſeca, ac extrinſeca. Prædicatio itaque realis eſt illa, quæ conſtat prædicato reali; & prædicatio rationis eſt illa, quæ conſtat prædicato rationis. Vocatur verò prædicatum reale illud, quod pro ſuo ſignificato formali habet aliquid reale. Qualia ſunt, *Homo, Deus, albus, niger, ſtans, ſedens, cognitus, intellectus*, &c. Dico, *Eſt illud, cujus formale ſignificatum eſt aliquid reale*: Quia ſignificatum ejus rectum, & materiale non debet eſſe reale: hoc enim poteſt eſſe quid rationis, & fictum; v. g. cum dico, *Mons ſine-valle eſt à me confictus, Chymæra eſt à me intellecta, cognita, ficta*, &c. iſta prædicata ſunt prædicata realia: eorum quippe ſignificata formalia, videlicet confictio, intellectio, cognitio, fictio, &c. ſunt formæ verè reales; & tamen eorum ſignificata recta, ſeu materialia, videlicet mons-ſine-valle, & chymæra ſunt entia rationis ficta. Ergo prædicati realis ſignificatum rectum, ac materiale eſſe poteſt quid rationis; ſolumque requiritur, ut ejus ſignificatum formale ſit verè reale.

89. *En quo patet*: Quod entia rationis ficta poſſint denominari denominatione verè reali. Sive quod de ſubjectis à ratione fictis prædicari, ac affirmari poſſint formæ verè reales. Ita enim ſit in propoſitionibus jam ſtatim adductis. *Ac ratio eſt*: Quia omnis forma, quæ alicui ſubjecto quadrat, poteſt de illo affirmari, ac prædicari: prædicari enim conſequitur eſſe. Atqui aliquæ formæ reales poſſunt quadrare aliquibus ſubjectis à ratione fictis: ergo iſtæ formæ poſſunt affirmari de iſtis ſubjectis à ratione fictis. *Probatur minor*: Quia intellectio, fictio, conceptio, &c. ſunt formæ verè reales: ſunt reales actus, ac operationes intellectus. Atqui iſtæ quadrant entibus à ratione fictis, non minùs quam entibus realibus: entia enim ficta intelligi, ac concipi poſſunt, uti poſſunt realia. Ergo formæ reales quadrare ſuo modo poſſunt entibus à ratione fictis.

90. Prædicatum verò rationis diſtingui debet duplex, ſicut duplex diſtingui ſolet ens rationis. Ens enim rationis aliud eſt à ratione fi-

ctum,

ctum, aliud eſt à ratione factum. Quæ diſtinctio non eſt mea, neque nova; ſed Sancti Thomæ: ut oſtendam multis in Logica. Ens à ratione fictum eſt ens ſactu impoſſibile, fictu verò poſſibile: eſt, inquam, ens quoddam, quod à parte rei neque eſt, neque per Deum fieri poteſt; poteſt tamen à ratione fingi. Talia ſunt chymæra, mons-ſine-valle & ſimilia: talia enim entia Deus ne quidem poteſt facere; noſtra tamen ratio poteſt illa ſibi fingere: Ideoque vocantur entia à ratione ficta, vel fingibilia. Ens rationis factum vocatur illud, quod eſt à ratione productum, ſeu factum; v.g. intellectio, propoſitio, judicium, diſcurſus, definitio, diviſio, demonſtratio, &c. vocantur entia rationis facta: quia ſunt entia à ratione phyſicè cauſata, & producta. Et hæc non ſunt figmenta, ſed ſunt entia verè realia. Item de his loquitur ſanctus Thomas, dum entia rationis objectum Logicæ appellat. Qua in re modernos Thomiſtas à ſancto Thoma deviare, pulchrè tibi, ni fallar, oſtendam in Logica.

91. Prædicatum itaque rationis etiam eſt duplex. Aliud vocari poteſt prædicatum rationis fictum, aliud prædicatum rationis factum. Prædicatum à ratione fictum eſt illud, cujus formale ſignificatum eſt ens à ratione fictum. Qualia ſunt chymera, mons ſine-valle, & ſimilia. Prædicatum rationis factum eſt illud, cujus formale ſignificatum eſt ens quoddam à ratione factum & productum. Talia ſunt. *Subjectum, prædicatum, definitum, diviſum, enuntiatum, demonſtratum, &c.* Eorum enim ſignificata formalia ſunt ſubjectio, prædicatio, definitio, &c. quæ non ſunt figmenta, ſed entia verè realia, à ratione, ſeu intellectu facta & producta: ut clarius eſt ipſa luce. Dico, *Cujus ſignificatum formale, &c.* Quia ejus ſignificatum rectum, ac materiale nullatenus debet eſſe tale. Hoc enim eſſe poteſt qualecumque ens; poteſt eſſe ens reale, ens rationis factum, vel fictum: ut facilè patebit conſideranti. Ex quo patet, quod hoc prædicatum non ſit prædicatum verè rationis, ſed verè reale: ſicut ens rationis factum à prædicato hoc de formali ſignificatum, eſt ens verè reale. Poſſet hic inquiri de multis prædicatis. An ſint prædicata rationis ficta, an rationis facta? Sed hæc huic loco importuna ſunt. Hic enim ſola principia generalia expono. Quæſtiones iſtæ ſpeciales habent ſua ſpecialia loca.

DISPUTATIO XXII.

De aliis quibuſdam propoſitionis ſimplicis diviſionibus.

DUBIUM I.

Quid ſit propoſitio de ineſſe? Quid propoſitio modalis?

1. PRopoſitio modalis eſt propoſitio conſtans modo. *Id eſt*: Propoſitio modalis eſt propoſitio, quæ non ſolummodo ſignificat prædicatum ineſſe ſubjecto; ſed inſuper ſignificat modum, quo illud ineſt. Talis; v.g. eſt hæc, *Homo eſt eſſentialiter animal*. Hæc, inquam, propoſitio eſt modalis; quia ſignificat non ſolummodo animalitatem, quæ eſt prædicatum, vel certè formale prædicati ſignificatum, ineſſe homini; ſed inſuper ſignificat modum, quo animalitas homini ineſt: ſignificat enim animalitatem homini ineſſe eſſentialiter. Propoſitio de ineſſe eſt propoſitio non conſtans modo. Eſt, inquam propoſitio, quæ ſolummodo ſignificat ſuum prædicatum ineſſe ſubjecto, non autem ſignificat modum, quo ineſt. Talis eſt hæc, *Homo eſt animal*: ſignificat enim ſolummodo, quod animalitas homini inſit; non verò ſignificat modum, quo ineſt. Pro quo

2. *Adverte*: Quid in hac materia vocetur modus. Modus ergo apud Summuliſtas accipitur tribus modis. Primò latiſſimè, pro quocumque termino determinante alium. Ut cum dico, *Petrus eſt homo doctus*, vox *doctus* eſt modus vocis *homo*. Secundò accipitur ſtrictiùs, pro voce determinante ſeu modificante ſignificationem verbi. Ut quando dico. *Petrus diſputat doctè bucephalus currit celeriter*. Vox *doctè* modificat actionem ſignificatam per verbum *diſputat*, & vox *celeriter* modificat actionem ſignificatam per verbum *currit*: adeoque ſunt iſtorum verborum modi. Tertiò ſumitur ſtrictiſſimè, pro voce modificante, & determinante copulam propoſitionis ad ſignificandum modum, quo prædicatum ineſt ſubjecto. Tales ſunt hæ voces, *Eſſentialiter, contingenter, poſſibiliter, &c* Hæ enim copulam propoſitionis trahunt, ac determinant ad ſignificandum modum, quo prædicatum inexiſtit ſuo ſubjecto: ut facilè patebit conſideranti, ac exempla formanti. Et ab his modis vocatur propoſitio modalis.

3 *Sed quæritur nunc*: Quotuplex ſit modus, ac quotuplex propoſitio modalis? Ubi ante omnia refutandi ſunt illi, qui putant voces *verè* & *falsè* eſſe modos, ac has propoſitiones, *Petrus verè eſt homo, Petrus falsè eſt homo, Petrum eſſe hominem eſt verum, Petrum eſſe equum falſum*, eſſe propoſitiones modales. Hi, inquam, non ſunt admittendi. *Ratio eſt*: Quia modus eſt vox ſignificans aliquem ſpecialem modum, quo prædicatum inexiſtit ſubjecto; atqui voces *verè* & *falsè* non ſignificant talem aliquem modum: ergo non ſunt modi, qui faciant propoſitionem eſſe modalem. *Probatur minor*: Quia vox *verè* ſignificat inexiſtentiam veram; vox *falsè* ſignificat inexiſtentiam falſam: atqui inexiſtentia vera non eſt aliqua ſpecialis inexiſtentia, neque verè inexiſtere eſt aliquo ſpeciali modo inexiſtere: omnia enim inexiſtentia eſt vera inexiſtentia: quæ enim non eſt inexiſtentia vera, non eſt etiam inexiſtentia: vox enim *vera* vocem *inexiſtentia* non reſtringit, neque ſpecificat; ſed ſolummodo exponit, & explanat. Similiter verè inexiſtere non eſt aliquo ſpeciali modo inexiſtere: omne enim inexiſtere eſt verè inexiſtere; & prædicatum ſubjecto ſuo non verè quadrans, aut inexiſtens, nullo modo illi quadrat aut inexiſtit: vox enim *verè* vocem *inexiſtere* non ſpecificat; ſed ſolummodo explanat. Ergo vox *verè* non ſignificat ſpecialem inexiſtendi, aut conveniendi modum; ſed modum inexiſtendi, ſeu

con-

conveniendi in genere ſolummodo explanat & exponit : adeoque non eſt modus, qui faciat propoſitionem eſſe modalem.

4. Similiter vox *falsè* non ſignificat ſpecialem aliquem modum inexiſtentiæ, ſeu convenientiæ; ſed ſignificat non convenientiam, ſeu negationem convenientiæ: falsè enim convenire idem eſt, quod non convenire; & dicere, *Petrus falsè eſt equus*, idem eſt, quod dicere, *Petrus non eſt equus*. Ergo vox *falsè* non eſt modus faciens propoſitionem eſſe modalem. *Ex quo & alia ſumi poteſt confirmatio*: Quia hæ prædicationes, *Petrus eſt homo*, & *Petrus eſt vere homo*; item hæ, *Petrus non eſt equus*, & *Petrus eſt falsè equus*, ſunt ſynonimæ, ejuſdemque per omnia ſignificationis: ergo voces *verè* & *falsè* non ſunt modi. *Probatur conſequentia:* Quia inter prædicationes ſynonimas vel utraque, vel neutra conſtat modo: atqui iſtæ præfatæ prædicationes ſunt ſynonimæ: ergo vel neutra, vel utraque conſtat modo: atqui hæc prædicatio, *Petrus eſt homo*, non conſtat modo: ergo neque hæc, *Petrus eſt verè homo*, conſtat modo: atqui tamen hæc conſtat voce *verè*. Ergo vox *verè* non eſt modus faciens propoſitionem modalem.

5. Communis ſententia ponit quatuor modos; videlicet *contingenter*, *poſſibiliter*, *neceſſariò* & *impoſſibiliter*. *Ratio motiva eſt hæc:* Quia modus eſt vox ſignificans ſpecialem aliquem modum, quo prædicatum inexiſtit, quadrat ſeu convenit ſubjecto: atqui iſtæ quatuor voces ſunt tales: ergo ſunt modi facientes propoſitionem modalem. Concedo hæc omnia: concedo has quatuor voces eſſe modos, facereque propoſitionem eſſe modalem; ſed nego illas ſolas eſſe modos. Dico præter illas eſſe adhuc alias voces, quæ propoſitionem faciant eſſe modalem. Tales ſunt *eſſentialiter*, *ſubſtantialiter*, *accidentaliter*, *intrinſecè*, *extrinſecè*, *completè*, *incompletè*, *&c.* Quid ni enim? Modus quippe eſt vox ſignificans certum modum conveniendi, quo prædicatum convenit ſubjecto: atqui iſtæ voces taliter ſignificant, non minùs quam quatuor iſtæ voces ordinariæ: ergo ſunt verè modi. Sed de his nihil amplius. Multa, immò plurima dicunt Summuliſtæ de propoſitione modali. De ejus oppoſitione, converſione, æquipollentia, &c. Sed iſtis omnibus chartam non maculo: video enim à modernis Philoſophis pro vanitatibus, & ſuperſtitionibus Summuliſticis contemni. Maneamus ergo in propoſitione categorica de ineſſe.

DUBIUM II.

Quid ſit propoſitio ſingularis, particularis, univerſalis, & indefinita?

6. Propoſitio rectè dividitur in ſingularem, particularem, univerſalem, ac indefinitam. Diviſionem hanc tradit, & explicat Covarruvias *Tom 2. variar. lib. 1. cap. 13.* Propoſitio ſingularis eſt illa, quæ conſtat ſubjecto ſingulari. Quales ſunt hæ, *Petrus eſt homo*, *homo animal eſt homo*, *Filius Virginis eſt filius Dei*, *Filius Philippi Macedonis domuit mundum*, *&c.* Dico, *Eſt illa, quæ conſtat ſubjecto ſingulari*. Quia non debet conſtare prædicato ſingulari; poteſt enim conſtare prædicato univerſali: uti patet in exemplis adductis. Dummodo ergo ſubjectum fuerit ſingulare, tota propoſitio eſt ſingularis. Poteſt, inquam, propoſitio ſingularis conſtare prædicato univerſali, accepto non ſolùm particulariter, ſed etiam accepto univerſaliter. Ita ſit hic, *Petrus non eſt brutum*, *Bucephalus non eſt homo*, *Joannes non eſt doctus*, *&c.* Iſtæ propoſitiones ſingulares negativæ ſunt, in quibus prædicatum ſemper diſtribuitur: ut dixi ſupra *diſp. 16. dub. 2.*

7. Propoſitio univerſalis non eſt illa, quæ conſtat ſubjecto univerſali. Nam etiam hæ propoſitiones, *Homo eſt albus*, *aliquis homo eſt animal*, *&c.* conſtant ſubjecto univerſali: atqui tamen non ſunt univerſales, ſed particulares: ergo propoſitio univerſalis non eſt illa, quæ conſtat ſubjecto univerſali. Conſtare enim ſubjecto univerſali ſoli propoſitioni ſingulari repugnat; convenit verò non ſoli propoſitioni univerſali, ſed etiam particulari, ac indefinitæ: adeoque propoſitio conſtans ſubjecto univerſali non ſemper eſt univerſalis. Covarruvias definit illam hoc modo; *Propoſitio univerſalis eſt illa, quæ termino communi ſignum univerſale apponit*. Id eſt: Propoſitio univerſalis eſt illa, quæ conſtat ſubjecto communi habente ſibi ſignum univerſale præfixum. Ut *Omnis homo eſt animal*, *omnis homo currit*, *nullus homo eſt brutum*, *&c.*

8. Sed, ſalva reverentia iſtius ſummi mei in Jure Patroni & Magiſtri, definitio illa non eſt convertibilis, & adæquata. Nam dantur propoſitiones univerſales, quæ tamen non conſtant ſubjecto communi habente ſibi univerſale præfixum: ergo iſta definitio non eſt ſuo definito adæquata, & convertibilis. *Probatur antecedens:* Quia hæ propoſitiones, *Homo eſt animal*, *animal eſt vivens*, *homo eſt riſibilis*, & aliæ ſimiles indefinitæ in materia neceſſaria, ſunt propoſitiones univerſales: atqui tamen iſtæ propoſitiones termino communi ſignum univerſale non apponunt: ergo dantur propoſitiones verè univerſales, quæ tamen termino communi non apponunt ſignum univerſale: adeoque hæc definitio non convenit omni propoſitioni univerſali, neque eſt convertibilis cum ſuo definito. *Patet major:* Quia, ut habet Gloſſa communiter recepta Cap *Ut circa. De Elect. in 6.* verbo *aliorum.* Et fatetur Covar. *loco jam citato, n. 6. & ſeqq.* Propoſitio indefinita in materia neceſſaria, vel in materia Legis aut Canonis regulam tradere intendentis, æquipollet univerſali: atqui propoſitio æquipollens univerſali eſt verè univerſalis: ergo iſtæ præfatæ propoſitiones indefinitæ ſunt verè univerſales. *Probatur minor:* Quia propoſitio æquipollens alteri idem eſt, quod propoſitio alteri ſynonima; adeoque propoſitio æquipollens univerſali idem eſt, quod propoſitio ſynonima propoſitioni univerſali: atqui propoſitio ſynonima propoſitioni univerſali eſt verè univerſalis; ut planum eſt intelligenti terminos. Ergo etiam propoſitio æquippollens propoſitioni univerſali eſt propoſitio verè univerſalis.

9. Novi Philoſophum Summulis benè familiarem, qui mihi negavit majorem; dixitque propoſitiones non eſſe propoſitiones ſynonimas; adeo-

Digitized by Google

adeoque neque has propoſitiones, *Omnis homo eſt animal*, & *homo eſt animal*, eſſe propoſitiones ſynonimas. Verum tamen harum propoſitionum ſynonimiam puto eſſe tam certam, ut de illa non poſſit dubitari. *Ratio eſt:* Quia propoſitiones conſtantes eodem ſubjecto, eodemque prædicato, eodem modo acceptis, ſunt propoſitiones ſynonimæ: atqui iſtæ duæ prææallegatæ propoſitiones, & generaliter omnes propoſitiones æquipollentes, conſtant eodem ſubjecto, eodemque prædicato, eodem modo acceptis: ergo ſunt propoſitiones ſynonimæ. *Major eſt clara*: Quia propoſitiones ſynonimæ ſunt propoſitiones idem eodem modo ſignificantes: quid enim ſorent aliud? Atqui propoſitiones eodem ſubjecto, eodemque prædicato, eodem modo acceptis conſtantes, ſunt propoſitiones idem eodem modo ſignificantes, ut clarum eſt. Diverſa enim propoſitionum ſignificatio vel ex diverſitate ſubjecti, vel ex diverſitate prædicati, vel ex diverſo modo accipiendi prædicatum, vel ſubjectum, deſumi debet. Ergo propoſitiones eodem ſubjecto, eodemque prædicato, eodem modo acceptis conſtantes, ſunt propoſitiones ſynonimæ. Quod verò iſtæ prææallegatæ propoſitiones eodem ſubjecto, eodemque prædicato conſtent, patet ad oculum. Quod earum prædicatum, & ſubjectum eodem modo accipiantur, *etiam patet:* Nam *homo*, qui eſt ſubjectum, utrobique capitur univerſaliter, ſeu copulativè; *Animal* verò, quod prædicatum eſt, utrobique capitur diſjunctim, vel confusè: ut clarum eſt ex illis, quæ dixi ſupra de ſuppoſitionibus agens.

10. Recapitulando ergo jam dicta, *ſic pono argumentum:* Inter duas propoſitiones ſynonimas impoſſibile eſt unam eſſe, alteram non eſſe univerſalem; ſed neceſſariò vel utraque, vel neutra eſt univerſalis: atqui hæ propoſitiones, *Omnis homo eſt animal*, & *homo eſt animal*, ſunt propoſitiones ſynonimæ: ergo vel utraque, vel neutra eſt univerſalis: atqui prima eſt univerſalis: ergo & altera eſt univerſalis: atqui tamen illa ſubjecto ſuo communi non apponit ſignum univerſale: ergo dantur propoſitiones univerſales, quæ ſubjecto ſuo communi non apponunt ſignum univerſale: ergo illa definitio non eſt adæquata, & convertibilis cum ſuo definito: ergo oportet quærere aliam, quæ ſit convertibilis, ac definito ſuo adæquata.

11. *Ego do tibi hanc*: Propoſitio univerſalis eſt illa, quæ conſtat ſubjecto communi univerſaliter accepto. Quales ſunt hæ, *Omnis homo eſt animal*, *omnis homo currit*, *homo eſt animal*, *equus eſt brutum*, & ſimiles aliæ. Itaque ad propoſitionem univerſalem duæ præcisè requiruntur conditiones. *Prima eſt:* Ut conſtet ſubjecto communi. Et hæc conditio communis etiam eſt propoſitioni particulari, ac indefinitæ: hæ enim etiam ſubjecto communi, ſeu univerſali conſtare debent: ut dicam ſtatim. *Altera conditio eſt*: Ut conſtet ſubjecto communi univerſaliter accepto. Per quam diſtinguitur à propoſitione particulari, quæ conſtat ſubjecto communi particulariter accepto; ut dicam ſtatim. Itaque ad propoſitionem univerſalem impertinens eſt quantitas, ac acceptio prædicati, attendique debet ſola quantitas, & acceptio ſubjecti. Prædicatum enim eſſe poteſt vel univerſale, vel ſingulare; uti patet in his, *Nullus homo eſt equus*, *nullus homo eſt Bucephalus*, *nullus equus eſt Petrus*, &c. Satis ergo eſt, ut ſubjectum ſit commune, vel univerſale. Similiter prædicatum poteſt accipi tam particulariter, diſjunctivè, vel diſjunctim, quam etiam univerſaliter; adeoque ad propoſitionem univerſalem non requiritur, ut conſtet prædicato univerſali univerſaliter accepto; ſed ſolummodò, ut conſtet ſubjecto univerſali univerſaliter accepto.

12. *Dices*: Propoſitio univerſalis eſt illa, in qua prædicatum de ſubjecto prædicatur univerſaliter; ut dicunt paſſim Summuliſtæ: adeoque in propoſitione univerſali debet prædicatum univerſaliter prædicari de ſubjecto: atqui prædicari univerſaliter idem eſt, quod accipi, ſeu ſupponi univerſaliter: ergo in propoſitione univerſali debet non ſolum ſubjectum, ſed & prædicatum ſumi univerſaliter. *Probatur minor*: Quia prædicatum prædicari idem eſt, quod prædicatum ſupponi: ut dixi ſupra *diſp.*20. *dub.*2. *numero* 15. Ergo prædicatum prædicari univerſaliter eſt illud ſupponi univerſaliter. *Reſpond. negando majorem:* Et dico, quod prædicatum prædicari univerſaliter non ſit prædicatum univerſaliter ſumi, ſed eſt prædicari de ſubjecto univerſaliter ſumpto. Sic enim ſuum Axioma intelligunt omnes Summuliſtæ; verb. grat. in his prædicationibus, *Homo eſt animal*, *omne animal eſt vivens*, iſta prædicata *Animal* & *Vivens* de ſubjectis ſuis prædicantur univerſaliter: non quia ipſa univerſaliter accipiantur; ſed quia de ſubjectis univerſaliter ſumptis prædicantur: Atqui poteſt prædicatum de ſubjecto univerſaliter ſumpto prædicari, quamvis ipſum univerſaliter non ſumatur; uti clarum eſt: in præfatis enim prædicationibus, ubi de ſubjecto univerſaliter ſumpto prædicatur, non ſumitur univerſaliter, ſeu copulativè; ſed ſumitur diſjunctim, ſeu confusè. Ergo longè aliud eſt prædicatum univerſaliter ſumi, aliud univerſaliter prædicari; adeoque licet opus ſit, ut in propoſitione univerſali prædicatum univerſaliter prædicetur, non tamen opus eſt, ut univerſaliter ſumatur, ſupponatur, ſeu accipiatur.

13. *Ad minoris probationem* (hæc enim in ſpeciem bene concludit) *reſpondeo diſtinguendo conſequens*: Ergo prædicatum univerſaliter ſumptum prædicari eſt prædicatum univerſaliter ſupponi: *ſic concedo*. Ergo prædicatum prædicari de ſubjecto univerſaliter ſumpto eſt illud univerſaliter ſupponi: *ſic planè nego*. Ac hujus meæ negationis ratio ſatis patet ex jam dictis. Quando ergo dicimus, *Prædicatum prædicatur univerſaliter de ſubjecto*, iſta vox *univerſaliter* ſumi poteſt duobus modis. Primò ſumi poteſt, ut appellet ſupra prædicatum, faciatque hunc ſenſum: Prædicatum univerſaliter ſumptum prædicatur de ſubjecto. Et hoc nullo modo requiritur ad prædicationem univerſalem: quidem prædicationi univerſali non repugnat; non tamen ad illam requiritur: uti ſatis patet ex dictis. Secundò vox iſta ſumi poteſt, ut appellet ſupra ſubjectum, faciatque hunc ſenſum: Prædicatum prædicatur de ſubjecto univerſaliter ſumpto. Et hoc requiritur ad hoc,

ut propoſitio univerſalis ſit. Sed ex hoc concludi non poteſt, quod prædicatum ſupponi debeat univerſaliter: uti ſtatim dicebam.

14. Propoſitio particularis apud Covarruviam eſt illa, quæ termino communi ſignum particulare apponit. Ut, *Quidam homo currit*, *aliquis homo legit*. Sed hæc definitio eodem laborat vitio, quo alia: non eſt convertibilis, nec adæquata ſuo definito. Dantur enim propoſitiones particulares, quæ termino communi, ſeu univerſali non apponunt ſignum particulare: ergo iſta definitio non eſt adæquata ſuo definito. *Conſeq. eſt clara*: *Antecedens probatur*: Quia hæ propoſitiones, *Homo currit*, *homo eſt albus*, *animal eſt coloratum*, & aliæ ſimiles indefinitæ in materia contingenti, ſunt verè particulares: atqui tamen ſubjecto communi ſignum particulare non apponunt: ergo dantur propoſitiones particulares, quæ ſubjecto communi non apponunt ſignum particulare. *Probatur major*: Quia, ut habet præfata Gloſſa communiter recepta Cap. *Ut circa* in 6. Propoſitio indefinita in materia contingenti æquipollet particulari: atqui propoſitio æquipollens particulari eſt verè particularis: ut probari poteſt per eaſdem rationes, quibus id probavi de propoſitione æquipollente propoſitioni univerſali. Ergo iſtæ prææallegatæ propoſitiones ſunt verè particulares.

15. Propoſitionem ergo particularem definio hoc modo: Eſt illa, quæ conſtat ſubjecto univerſali particulariter (id eſt diſiunctivè, vel diſiunctim) ſumpto. Ut, *Homo eſt albus*, *aliquis homo eſt albus*, *aliquis homo eſt animal*, *aliquis homo eſt Petrus*, &c. Itaque ad propoſitionem particularem duæ etiam requiruntur conditiones. *Prima eſt*: Ut conſtet ſubjecto communi, ſeu univerſali. *Secunda eſt*: Ut conſtet ſubjecto univerſali diſiunctim, vel diſiunctivè ſumpto. Unde oportet in hac propoſitione etiam contemnere quantitatem, & ſuppoſitionem prædicati, ac æſtimare quantitatem, & ſuppoſitionem ſolius ſubjecti. In hac quippe prædicatione prædicatum poteſt eſſe tam ſingulare, quam univerſale: uti patet in exemplis ſupra adductis. Poteſt ſumi vel univerſaliter, vel particulariter; id parum refert; verb.grat. in his, *Aliquis homo non eſt equus*, *aliquis equus non eſt homo*: iſtæ, inquam, propoſitiones ſunt particulares. Atqui tamen eorum prædicata accipiuntur univerſaliter: ergo prædicatum propoſitionis particularis poteſt accipi univerſaliter; adeoque in propoſitione particulari oportet contemnere ſuppoſitionem prædicati, ac attendere ſuppoſitionem ſolius ſubjecti.

16. Propoſitionem indefinitam definio cum Covarruvia hoc modo: Propoſitio indefinita eſt illa, in qua terminus communis apponitur ſine aliquo ſigno. Ut, *Homo currit*, *animal ſedet*. Id eſt: Propoſitio indefinita eſt ea, quæ conſtat ſubjecto communi, ſeu univerſali nullum ſibi ſignum præfixum habenti. Vocatur hujuſmodi propoſitio indefinita, ſeu indeterminata, quia per appoſitum ſubjecto ſuo ſignum ad univerſalitatem, vel particularitatem non eſt determinata; ſed eſt ad utramlibet indifferens. Semper tamen ad alterutram determinatur per qualitatem ſuæ, qua conſtat, materiæ. Semper, inquam, propoſitio indefinita pro diverſa ratione materiæ ſuæ eſt vel univerſalis, vel particularis. Qua in re non poſſum ego tibi meliorem dare regulam, quam ſit illa, quæ habetur in præfata Gloſſa Cap. *Ut circa de Elect. in 6.* Quæ eſt talis: Propoſitio indefinita Legis, vel canonis regulam tradere intendentis, æquippollet univerſali. Item apud Logicos indefinita in materia neceſſaria æquipollet univerſali. Ut, *Homo eſt animal*: ergo *omnis homo eſt animal*. In materia verò contingenti, indefinita æquipollet particulari. De quibus multa Covarruvias *loco jam citato*.

DUBIUM III.

Aliæ quædam propoſitionis diviſiones.

17. R*Eſp. & dico primò*: Propoſitio rectè dividitur in affirmativam, & negativam. Affirmativa eſt illa, in qua prædicatum affirmatur quadrare ſubjecto: ut *Homo eſt animal*, *homo currit*. Propoſitio negativa eſt illa, in qua prædicatum negatur quadrare ſubjecto: ut *Homo non eſt equus*, *homo non ſedet*, &c. Eſtque hæc diviſio univoca, ac generis in ſpecies; *Ratio eſt*: Quia diviſio generis in ſpecies eſt illa, in qua membra dividentia ſunt ſpecies diviſi: atqui propoſitio affirmativa, & propoſitio negativa ſunt ſpecies propoſitionis in genere: ergo hæc diviſio eſt generis in ſpecies. *Probatur minor*: Quia propoſitio in genere idem eſt, quod judicium, ſeu enuntiatio: propoſitio affirmativa idem eſt, quod affirmatio: propoſitio negativa idem eſt, quod negatio. Atqui affirmatio, & negatio ſunt diverſæ ſpecies Judicii, ſeu enuntiationis: ergo ſunt diverſæ ſpecies propoſitionis. *Patet minor*: Quia affirmatio eſt Judicium compoſitivum, ſeu copulativum prædicati cum ſubjecto; negatio verò eſt Judicium diviſivum, ſeu ſeparativum prædicati à ſubjecto: atqui hæc ſunt manifeſtè Judicia ſpecie diverſa: ergo etiam affirmatio & negatio ſunt judicia ſpecie diverſa.

18. *Dico ſecundò*: Propoſitio etiam dividitur in cauſſalem, concomitantem, & identicam. Propoſitio identica eſt illa, quæ ſignificat realem extremorum ſuorum identificationem. Ut *Homo eſt animal*, *homo eſt albus*, *homo currit*, &c. Generaliter ergo omnis illa propoſitio, in qua prædicatum, ac ſubjectum in ſignificatis rectis realiter identificantur, eſt propoſitio identica, cauſſali, ac concomitanti oppoſita. Propoſitio concomitans eſt illa, quæ non ſignificat extremorum ſuorum in ſignificatis rectis identificationem; ſed ſolam eorum concomitantiam. Ut *Generatio unius eſt corruptio alterius*, *ver eſt adventus hirundinum*, *ver eſt frondificatio & florificatio arborum*, & ſimiles. In his quippe propoſitionibus prædicatum ſubjecto non identificatur; ſed ſubjectum ſolummodo concomitatur. Propoſitio cauſſalis eſt illa, quæ non ſignificat prædicatum identificari ſubjecto; ſed eſſe cauſſam ſubjecti. Ut, *Dies eſt præſentia ſolis ſupra horizontem*. Neque enim in re dies eſt illa ſolis præſentia; ſed eſt illuminatio hemiſphærii noſtri facta per ſolis præſentiam, ſeu per ſolem præſentem. Extrema ergo

iſtius

iſtius propoſitionis inter ſe uon identificantur, ſeu prædicatum eſt cauſſa ſubjecti.

19. Adverte tamen bic propoſitionem ideuticam adhuc eſſe triplicem, ſeu ſumi tribus modis. Primò ſumitur latiſſimè in ſenſu, quem jam dedi; prout ſcilicet opponitur propoſitioni cauſſali, & concomitanti: Pro omui illa propoſitione, cujus extrema quoad ſignificatum rectum ſunt realiter eadem; ſive interim ſint etiam eadem formaliter, ſive non. Secundò ſumitur propoſitio identica prout opponitur propoſitioni formali. Et boc duobus modis: Nam propoſitio formalis duplex eſt. Alia eſt illa, quæ conſtat extremis non ſynonimia. Ut, *Homo eſt animal*, *animal eſt ſenſitivum*, *bomo eſt albus*, *&c.* Propoſitio ergo ideutica huic formali oppoſita eſt illa, quæ conſtat extremis planè ſynonimis. Ut, *Petrus eſt Petrus*, *bomo eſt bomo*, *enſis eſt gladius*, *&c.* Alia propoſitio formalis eſt illa, cujus extrema identificantur in ſignificatis rectis, & ſecundùm rem, & ſecundùm rationem, ſeu modum noſtrum concipiendi. Sive eſt illa, cujus extrema identificantur nou tantùm realiter; ſed etiam formaliter. Ut, *Homo eſt animal*, *bumanitas eſt animalitas*, *bumanitas eſt rationalitas*, *&c.* Propoſitio verò ideutica buic formali oppoſita eſt illa, cujus extrema in ſuis ſignificatis rectis identificantur quidem ſecundùm rem; non tamen ſecundùm rationem, ſeu modum noſtrum concipiendi. Sive eſt illa, cujus extrema identificantur quidem realiter: nou tamen formaliter. Ut, *Animalitas eſt rationalitas*, *rationalitas eſt riſibilitas*, *&c.* Et bæ, ſimileſque aliæ propoſitiones dicuntur ordinariè eſſe veræ in ſenſu identico, non in ſenſu formali. Ex quo patet, quod propoſitio identica, & formalis ſint valdè æquivocæ, diverſoſque ſenſus faciant, qui inter ſe diſtinguendi ſunt ex materia, & re, de qua agimus. Nam propoſitio iu uno ſenſu formalis, iu alio dicitur ideutica; v. g. hæc propoſitio, *Animalitas eſt rationalitas*, eſt propoſitio identica diſtincta contra concomitantem & cauſſalem. Eſt tamen formalis in ſecunda acceptione. In tertia acceptione rurſus eſt identica. Magna ergo opus hic eſt diſcretione, & prudentia.

DSPUTATIO XXIII.

De requiſitis ad veritatem propoſitionum ſimplicium.

DUBIUM I.

Quænam requirantur ad veritatem propoſitionis concomitantis, & cauſalis?

PRo fundamento omnium dicendorum, *Adverte primo*: Quod, uti ſupra de uomine & verbo agens dicebam, Verbum *Sum* in propoſitione ſecundò adjacens ſignificat de formali exiſtentiam, ut cum dico, *Deus eſt*, *bomo eſt*, *Petrus eſt*, *Sanctus Auguſtinus fuit*, *Anti-Chriſtus erit*, *&c.* ſignificatum formale vocum *eſt*, *fuit*, *erit*, eſt exiſteutia, faciuntque dictæ propoſitiones bunc ſenſum: Deus habet exiſtentiam, Sanctus Auguſtinus habuit, Anti-Chriſtus habebit exiſteutiam. At verò in propoſitione tertiò adjacens non ſignificat exiſteutiam. Pro qua re non oportet multas, ac maguas adducere rationes, ſed ſolummodo dicere, quod ea ſit impoſitio, ac communis iſtius verbi uſurpatio.

2. *Sed dices*: ſi verbum *Sum* tertiò adjacens non ſignificet exiſtentiam, quid ergo ſignificat? Eſt etenim vox categorematica; adeoque aliquid ſignificare debet. *Reſpondeo*: Hoc verum eſſe. Omninò aliquid ſignificat. In propoſitionibus enim negativis ſignificat remotionem, ſeu ſeparationem prædicati à ſubjecto. Ut cum dico, *Homo non eſt albus*, ſenſus eſt: Albedo non conjungitur homini, ſive eſt ſeparata ab homine. In affirmativis verò propoſitionibus ſignificat conjunctionem prædicati cum ſubjecto; Ut cum dico, *Homo eſt animal*, ſenſus eſt: Animal conjungitur homini, ſive animal eſt in homine. Non tamen ſemper ſignificat conjunctionem eandem: ſed interdum ſignificat conjunctionem realis identificationis, interdum conjunctionem cauſalitatis, interdum conjunctionem nudæ concomitantiæ: ſecundùm diverſitatem propoſitionum. Nam in propoſitione identica ſignificat conjunctionem prædicati cum ſubjecto per realem identificationem. In propoſitione cauſali ſignificat conjunctionem cauſſalitatis. In propoſitione verò concomitanti ſignificat conjunctionem nudæ concomitantiæ. Ut patere poteſt ex iis, quæ dixi ſupra *diſp. 22. dub. 3.*

3. *Ratio borum eſt*: Quia propoſitio affirmativa ab Ariſtotele, aliiſque Philoſophis, vocatur paſſim compoſitio; propoſitio verò negativa vocatur diviſio. Propoſitio, inquam, affirmativa eſt compoſitio, ſeu conjunctio prædicati ſui cum ſuo ſubjecto; negativa verò propoſitio eſt diviſio, ſeu ſeparatio prædicati à ſuo ſubjecto. Sunt, inquam, compoſitio & diviſio, non Phyſica & realis, ſed Logica ſeu mentalis: *Id eſt*: Propoſitio affirmativa eſt oratio ſignificans compoſitionem, ſeu conjunctionem prædicati cum ſubjecto; propoſitio verò negativa eſt oratio ſignificans diviſionem, ſeu ſeparationem prædicati à ſubjecto. Ergo in propoſitione affirmativa debet eſſe aliqua vox iſtam ſignificans compoſitionem, & in negativa eſſe debet aliqua vox iſtam ſignificans diviſionem. Atqui hæc vox nequit eſſe alia, quam verbum *Sum* explicitè; vel implicitè poſitum: quæ enim foret alia? Ab hac enim ſignificatione hoc verbum ſolet vocari copula. Ergo verbum *Sum* in propoſitione tertiò adjacens, iu negativa quidem diviſionem, ſeu ſeparationem; iu affirmativa verò ſignificat prædicati cum ſubjecto conjunctionem, ſeu compoſitionem.

4. *Adverte ſecundò*: Quod ad veritatem cujuſcumque propoſitionis requirantur omnia illa, & ſola illa; quæ per propoſitionem ſignificantur. Ad veritatem, inquam, propoſitionis requiruntur omnia hæc, & nibil requiritur præter hæc; hæc enim ſola ſufficiunt. *Ratio eſt clara*: Quia, ut propoſitio vera ſit, debet eſſe talis in ſignificando, quale eſt, ſeu qualiter ſe habet objectum ejus in eſſendo: ex eo enim, quod res eſt,

vel non eſt, dicitur oratio vera, vel falſa. Atqui propoſitio non poteſt ſe ita habere in ſignificando, qualiter ſe habet objectum in eſſendo, niſi adſint omnia, quæ à propoſitione ſignificantur: ſi enim aliquid eorum deſit, tunc propoſitio non ſic ſignificabit, quomodo res eſt; neque res ita erit, quomodo propoſitio ſignificat. Si veró hæc omnia adſint, tunc neceſſario res ita eſt, quomodo propoſitio ſignificat, & propoſitio ita ſignificat, quomodo res eſt. Ergo ad cujuſcumque propoſitionis veritatem planè requiritur, planeque ſatis eſt, ſi adſint omnia, quæ à propoſitione ſignificantur. Huic notabili majus lumen afferetur ab illis, quæ ſtatim dicturus ſum in *dubio ſequenti*.

5. *Dices:* Quomodo ſufficiat ad veritatem propoſitionis, ſi adſint omnia, quæ per propoſitionem ſignificantur? *Et ratio dubitandi eſt*: Quia ad veritatem propoſitionis contingentis intrinſecæ, qualis eſt hæc, *homo eſt albus*, requiritur exiſtentia actualis tam ſubjecti, quam prædicati: ut dicam infra. Atqui hæc exiſtentia per propoſitionem non ſignificatur: uti enim jam dixi, verbum *Sum* tertiò adjacens nunquam ſignificat exiſtentiam. Ergo aliqua ad propoſitionis veritatem requiruntur, quæ tamen per propoſitionem non ſignificantur. *Reſpondeo*: Ad veritatem propoſitionis nihil requiri directè, ac per ſe, præter ea, quæ ſignificantur; v. g. ad veritatem propoſitionis contingentis intrinſecæ nihil directè, ac per ſe requiritur, præter intrinſecam conjunctionem prædicati cum ſubjecto per propoſitionis terminos ſignificatam. Hinc omnis propoſitio contingens habens talem extremorum conjunctionem, abſolutè vera eſt; nihilque aliud ad ejus veritatem directè eſt neceſſarium. Quia tamen talis extremorum conjunctio haberi non poteſt ſine actuali eorum exiſtentia, quæ tamen per terminos propoſitionis non ſignificatur; hinc dicitur aliquid requiri ad propoſitionis iſtius veritatem, quod per eam non ſignificatur. Dicitur, inquam, requiri ſolummodo indirectè, & quaſi remotè. Quo poſito

6. *Reſp. & dico*: Ad veritatem propoſitionis concomitantis non requiritur realis identificatio extremorum in ſignificato recto, vel obliquo; ſed ſola requiritur extremorum concomitantia. Solummodo, inquam, requiritur, ut prædicatum ſit aliquid concomitans ſubjectum. Ita ſit in his: *Generatio unius eſt corruptio alterius*: *Parietis calefactio eſt ejus disfrigefactio*. *Expulſio frigoris eſt introductio caloris*. *Vere eſt adventus hirundinum*, *&c.* In quibus propoſitionibus extrema realiter non identificantur; ſed ſolummodo ſeſe mutuo concomitantur: ut non aſſumo hic mihi probandum, ſed relinquo Lectori meo conſiderandum: earum quippe propoſitionum examen ſpectat ad tribunal Phyſicum, non ad Summuliſticum. *Ratio verò concluſionis eſt*: Quia ad veritatem propoſitionis requiruntur, & ſufficiunt ea, quæ per propoſitionem ſignificantur: atqui propoſitio concomitans non ſignificat extremorum ſuorum realem identificationem; ſed ſolummodo eorum concomitantiam: ſi quippe extremorum identificationem ſignificaret, jam non concomitans, ſed propoſitio identica foret. Ergo ad veritatem propoſitionis concomitantis non requiritur realis extremorum identificatio; ſed ſola eorum concomitantia.

7. Similiter ad veritatem propoſitionis cauſſalis non requiritur realis extremorum identificatio; ſed ſolummodo unius ab alio cauſſatio. Solummodò, inquam, requiritur, ut unum extremum ſit cauſſa alterius: ut vel ſubjectum ſit cauſſa prædicati, vel prædicatum ſit cauſſa ſubjecti; v. g. veræ ab omnibus cenſentur hæ propoſitiones: *Dies eſt præſentia ſolis ſupra horizontem*, *Eclipſis Lunæ eſt interpoſitio terræ inter ſolem, & lunam*. *Contractus eſt mutua ultrò citroque obligatio, &c.* In quibus tamen extrema realiter non identificantur, ſed unum ſolummodo eſt cauſa alterius: ut conſideranti facilè fiet planum. *Ratio verò eſt eadem*: Quia ad veritatem propoſitionis ſolummodo requiruntur ea, quæ per propoſitionem ſignificantur: atqui propoſitio cauſſalis non ſignificat extremorum ſuorum realem identificationem; ſed ſolummodo unius ab alio cauſſationem: ſi quippe identificationem ſignificaret, jam non foret cauſſalis, ſed identica. Ergo ad veritatem propoſitionis cauſſalis non requiritur realis extremorum identificatio; ſed ſolummodò unius ab alio cauſſatio.

DUBIUM II.

De requiſitis ad veritatem propoſitionis affirmativæ identicæ de ineſſe.

8. PRopoſitio identica hic ſumitur, non prout opponitur formali; ſed ſumitur latiſſimè prout opponitur concomitanti, & cauſſali. Sumitur, inquam, pro illa propoſitione, quæ ſignificat realem identificationem ſuorum extremorum. Agimus ergo hic præſertim de veritate propoſitionis affirmativæ. Dicam tamen etiam uno verbo, quid ſit de veritate negativæ. Item agimus de veritate propoſitionis de *ineſſe*: uno tamen verbo etiam dicam, quid ſit de veritate propoſitionis modalis. *Ubi ante omnia*, tamquam certiſſimum, *ſupponendum eſt*: Quod ad veritatem propoſitionis affirmativæ identicæ requiratur aliqua realis identificatio prædicati & ſubjecti. Hoc, inquam, juxta Gabrielem *in 3. diſt. 7. q. unica, art. 1. not. 4.* eſt principium omnibus Logicam ſcientibus manifeſtum. *Manifeſta quippe eſt ejus ratio*: Quia ad veritatem propoſitionis requiruntur omnia illa, quæ per propoſitionem ſignificantur: atqui propoſitio identica ſignificat realem identificationem ſuorum extremorum: ergo aliqua hujuſmodi identificatio illius veritati eſt neceſſaria.

9. *Petes itaque primò*: Qualis, & quanta identificatio extremorum requiratur, & ſufficiat ad veritatem propoſitionis identicæ latiſſimè ſumptæ? *Reſpondeo primò*: Si ſint extrema concreta, non requiritur, ut identificentur in ſignificatis formalibus. *Probatur*: Quia hæ propoſitiones concretæ, *Homo eſt albus*, *homo eſt juſtus*, *equus eſt rufus*, ſunt manifeſtè veræ: atqui tamen earum extrema non identificantur in ſuis ſignificatis formalibus: ergo ad veritatem propoſitionis habentis extrema concreta non requiritur identificatio extremorum in ſignificatis formalibus.

Pe

Digitized by Google

Patet minor: Quia extrema iſtius propoſitionis pro ſignificatis formalibus habent humanitatem, & albedinem: atqui hæc ſunt manifeſtè realiter diſtincta: ergo iſta extrema habent ſignificata formalia realiter diſtincta; adeoque in ſignificatis ſuis formalibus realiter non identificantur.

10. Hæc quidem formalium ſignificatorum identificatio in propoſitionibus concretis ſæpè reperitur. Ut hic, *Homo eſt animalitas, homo eſt riſibilis, homo eſt rationalis, &c.* Et generaliter in omnibus propoſitionibus eſſentialibus, ac neceſſariis: in his quippe omnibus ſignificatum formale prædicati eſt realiter identificatum ſubjecto; ut dixi ſupra *diſp. 21. dub. 3.* Illa tamen ad veritatem propoſitionis non eſt neceſſaria; ſed planè ſuperflua. *Et ratio eſt:* Quia tales propoſitiones concretæ non ſignificant realem ſignificatorum ſuorum formalium identitatem; ſed ſolummodo ſignificant ſignificatum formale prædicati haberi à ſignificato materiali ſubjecti; v. g. hæ propoſitiones, *Homo eſt animal, homo eſt albus, &c.* non faciunt hunc ſenſum, *Humanitas eſt animalitas*, aut *Humanitas eſt albedo*; ſed faciunt hunc: *Homo eſt habens animalitatem*, aut *albedinem*. Atqui poteſt ſignificatum formale prædicati haberi à ſubjecto, quantumvis illi realiter non identificetur: ut manifeſtum eſt. Ergo ad veritatem ſimilium propoſitionum non requiritur identificatio ſignificatorum formalium; ſed ſolummodo, ut ſignificatum materiale ſubjecti habeat in ſe ſignificatum formale prædicati.

11. *Reſpondeo ſecundò*: Ad veritatem cujuſcumque propoſitionis affirmativæ, ſive conſtet terminis concretis, ſive terminis abſtractis, requiritur & ſufficit realis extremorum identificatio quoad ſignificata recta. Quod hæc identificatio requiratur, *ſic probo*: Quia, ut in capite dubii dicebam, ad veritatem propoſitionis affirmativæ requiritur aliqua realis extremorum identificatio: atqui non requiritur identificatio quoad ſignificata obliqua: ergo ſupereſt, ut requiratur eorum identificatio quoad ſignificata recta. *Patet minor*: Quia, ut jam dixi, ad veritatem propoſitionis habentis extrema concreta non requiritur identificatio extremorum quoad ſignificata formalia: atqui in extremis concretis ſignificata formalia ſunt ſignificata obliqua: ut dixi ſupra de voce concreta agens. Ergo ad veritatem hujus propoſitionis non requiritur identificatio extremorum quoad ſignificata obliqua, ſed ſolummodo quoad ſignificata recta. Quod verò hæc identificatio ſufficiat, *etiam patet*: Quia, uti jam dixi, non requiritur identificatio extremorum quoad ſignificata obliqua: ergo ſufficiens eſt eorum identificatio quoad ſola ſignificata recta.

12. Ex quo patet ratio, cur ſupra in prima reſponſione dixerim, *Si extrema ſint concreta, non requiritur, ut identificentur in ſignificatis formalibus*: Quia ſi extrema abſtracta fuerint, id requiritur omninò. Generaliter ergo ad veritatem cujuſcumque propoſitionis affirmativæ habentis extrema abſtracta requiritur identificatio extremorum quoad ſignificata formalia. *Ratio eſt clara*: Quia ad veritatem cujuſcumque affirmativæ propoſitionis requiritur realis extremorum identificatio quoad ſignificata recta, ut jam dixi. Atqui extremorum abſtractorum ſignificata recta ſunt ſignificata formalia: ut dixi ſatis ſupra de voce concreta & abſtracta agens. Ergo propoſitio affirmativa, extrema abſtracta habens, ſicut ad ſui veritatem requirit extrema ſua identificari in ſignificatis rectis, ita quoque requirit illa realiter identificari in ſignificatis formalibus: in his quippe extremis ſignificatum rectum id ipſum eſt, quod ſignificatum formale.

13. *Petes ſecundò*: An ad veritatem propoſitionis affirmativæ nihil requiratur ultra realem identificationem extremorum in ſignificatis rectis? *Reſpondeo primò:* In propoſitionibus conſtantibus prædicato concreto ultra illam identificationem adhuc requiritur, ut ſignificatum formale prædicati habeatur, ſive inſit ſignificato recto ſubjecti pro tempore per copulam principalem importato; v. gr. veræ ſunt hæ prædicationes, *Homo eſt animal, homo eſt albus*, & ſimiles. Earum enim extrema identificantur in ſignificatis rectis; ac præterea ſignificatum formale prædicati quadrat ſignificato recto ſubjecti: adeoque nihil illis deeſt ad veritatem. Nam earum extrema ſunt *Homo*, & *animal*, *homo* & *albus*; ſignificatum rectum vocis *homo* eſt ſuppoſitum humanitatis; ſignificatum verò rectum vocis *animal* eſt ſuppoſitum animalitatis: quæ in re identificantur, ac ſunt unicum ſuppoſitum. Similiter ſignificatum rectum vocis *albus* eſt res habens albedinem, quæ in re eſt idem, quod ſuppoſitum humanitatis: adeoque vox *albus* identificatur etiam in ſuo ſignificato recto cum voce *homo*. Ergo iſtarum propoſitionum extrema identificantur in ſuis ſignificatis rectis. Similiter ſignificatum formale prædicati inexiſtit, ſeu quadrat in illis ſignificato recto ſubjecti. Nam ſubjectum eſt *homo*, prædicata ſunt *animal* & *albus*; ſignificatum rectum vocis *homo* eſt ſuppoſitum humanitatis: ſignificata formalia vocum *animal*, & *albus* ſunt animalitas & albedo. Atqui animalitas, & albedo inſunt, ac quadrant ſuppoſito humano: ergo in iſtis propoſitionibus ſignificatum formale prædicati quadrat, ac ineſt ſignificato recto ſubjecti.

14. Defectu prioris conditionis falſa eſt hæc propoſitio: *Humanitas eſt animal*. In hac, inquam, prædicatione ſignificatum formale prædicati quidem ineſt, & quadrat ſignificato recto ſubjecti; extrema tamen non identificantur in ſignificatis ſuis rectis: adeoque falſa eſt propoſitio. Quod ſignificatum formale prædicati quadret ſignificato recto ſubjecti, *eſt evidens*: Quia ſubjectum eſt humanitas; ſignificatum formale prædicati *animal* eſt animalitas: atqui animalitas ineſt, & quadrat humanitati: ergo in iſta propoſitione ſignificatum formale prædicati quadrat ſignificato recto ſubjecti. Quod verò extrema non identificentur in ſignificatis rectis, *etiam eſt evidens*: Quia ſignificatum rectum vocis *Humanitas* eſt humanitas, ſeu natura humana; ſignificatum verò rectum vocis *animal* eſt ſuppoſitum animalitatis: atqui natura humana & ſuppoſitum animalitatis ſunt realiter diſtincta: nec enim natura eſt ſuppoſitum. Ergo extrema iſtius propoſitionis non identificantur in ſuis ſignificatis rectis.

Digitized by Google

15. Defectu poſterioris conditionis falſa eſt hæc propoſitio: *Nigrum eſt album*. Loquendo de pariete, qui olim albus, modò verò eſt niger. Iſtius, inquam, propoſirionis extrema quidem identificantur in ſuis ſignificatis rectis; falſa tamen eſt propoſitio, quia ſignificatum formale prædicati non ineſt, neque quadrat ſignificato recto ſubjecti pro tempore præſenti per copulam principalem importato. Quod autem iſtius propoſitionis extrema identificentur in ſignificatis rectis, *eſt evidens*: Quia ſignificatum rectum utriuſque extremi eſt idem paries; qui olim albus, modò verò eſt niger. Falſa tamen eſt iſta propoſitio, quia ſignificatum formale prædicati non quadrat ſignificato recto ſubjecti pro tempore per copulam importato: ergo ad veritatem propoſitionis affirmativæ conſtantis prædicato concreto non ſatis eſt identificatio extremorum quoad ſignificata recta; ſed inſuper requiritur, ut ſignificatum formale prædicati inſit ſignificaro recto ſubjecti.

16. *Ratio concluſionis eſt*: Quia ad veritatem propoſitionis requiruntur omnia illa, quæ per propoſitionem ſignificantur: atqui propoſitio affirmativa conſtans prædicato concreto ſignificat non ſolam identificationem extremorum quoad ſignificata recta; ſed inſuper ſignificat inexiſtentiam ſignificati formalis prædicati in ſignificaro recto ſubjecti; ergo ad talis propoſitionis veritatem requiritur & iſtorum ſignificatorum identificatio, & iſtius inexiſtentia, ſeu habirio. *Minor inductione patet*: v. g. cum dico, *Homo eſt rationalis*, ſenſus eſt hic: homo eſt ſuppoſitum habens in ſe rationaliratem. Ergo illa, aliæque ſimiles propoſitiones ſignificant non ſolummodò rectam extremorum ſuorum identificationem; ſed inſuper ſignificant ſignificatum formale prædicati haberi à ſignificato recto ſubjecti. *Et ratio à priori iſtius minor eſt*: Quia propoſitio ſignificat eo modo, quo ſignificar ejus prædicatum: atqui prædicatum concretum ſignificat per modum habentis: ergo eriam propoſitio conſtans prædicato concreto ſignificat per modum habentis. Significat, inquam, hujuſmodi prædicatio, non tantùm extrema ſua identificari in ſignificato recto; ſed inſuper ſignificar ſignificatum formale prædicati haberi à ſignificato recto ſubjecti. Adeoque ad ejus veritatem requiritur, non ſolùm ut exrrema ſint identificata in ſuir ſignificatis rectis, ſed inſuper ut ſignificatum formale prædicati habeatur a ſignificato recto ſubjecti.

17. Hæ ergo propoſitiones ut veræ ſint, debet in illis ſignificatum formale prædicati quadrare ſignificato recto ſubjecti, deber inexiſtere illi, debet haberi ab illo. Debet, inquam, haberi ab illo, non ut forma informans, adhærens, vel inhærens à ſubjecto informationis, adhæſionis, vel inhæſionis; ſed ramquam forma prædicata à ſubjecto prædicationis. Debet, inquam, haberi ab illo, modo ſibi proportionaro, ac ſufficienti ad denominarionem. Aliquando, ut forma à ſubjecto. Ut fit hic: *Homo eſt albus*. Aliquando tamqnam ſubjectum à forma. Ita fit hic: *Albedo eſt parietata*. Aliquando tamquam actus ab objecto. Ita fit hic: *Deus intelligitur, paries videtur*. Aliquando tamquam actio à principio ſui effectivo. Ita fit hic: *Sol illuminat. Deus creat*. Aliquando tamquam pars eſſentialis, vel integralis à toto. Ita fit hic: *Homo eſt animatus, homo eſt capitatus*. Aliquando tamquam veſtis ab homine veſtito: Ita fit hic: *Homo eſt loricatus, homo eſt ocreatus, &c.* Significatum ergo formale prædicati non deber à ſignificato recto ſubjecti haberi aliquo certo, ac ſpeciali modo; ſed haberi poteſt diverſis modis. Haberi, inquam, debet modo ſibi, ſuoque ſubjecto, proportionato, qui pro varietate prædicati, etiam varius eſt.

18. Ex quo ſequitur ratio à priori, cur veriſſimæ, ac propriiſſimæ ſint hæ propoſiriones: *Deus eſt homo*, *Homo eſt Deus*. *Ratio*, inquam, *eſt*: Quia ad veritatem propoſitionis affirmativæ conſtantis prædicato concreto ſolummodò requiritur, ut extrema identificentur in ſignificatis rectis, & ut ſignificatum formale prædicati habeatur à ſignificato recto ſubjecti: atqui hæ duæ conditiones reperiuntur in iſtis præfaris propoſitionibus prædicato concreto conſtantibus: ergo iſtæ propoſitiones ſunt veriſſimæ, ac propriiſſimæ; ipſiſque nihil deeſt ad ſummam proprietatem. Quod in illis reperiatur prima conditio, quod ſcilicet earum exrrema identificentur in ſignificatis rectis, *eſt planum*: Quia ſignificatum rectum vocis *Homo* eſt ſuppoſitum humanitatis; ſignificatum rectum vocis *Deus* eſt ſuppoſitum Deitatis: eſt ſuppoſitum verbi (vox quippe *Deus* in iſtis propoſitionibus ſupponirur notionaliter.) Atqui ſuppoſitum Deitaris, & ſuppoſitum humanitatis in Chriſto Domino Noſtro eſt unicum, & idem: ergo iſtarum propoſitionum extrema identificantur in ſignificatis rectis. Quod in illis quoque reperiatur altera conditio, quod nimirum ſignificatum formale prædicati habeatur à ſignificato recto ſubjecti; *etiam eſt planum*: Quia ſubjectum eſt *Deus*, prædicatum eſt *Homo*; ſignificatum rectum vocis *Deus* eſt ſuppoſitum Verbi: ſignificatum formale vocis *Homo eſt* humanitas. Atqui humanitas verè ineſt, verè unita eſt, vereque babetur à ſuppoſito Verbi; ergo in iſtis prædicationibus ſignificatum formale prædicati verè habetur à ſignificato recto ſubjecti. Eodemque modo applicando hanc regulam, inquiri, ac examinari poreſt veritas omnium propoſitionum, quas Theologi facere ſolent in tertia parte Sancti Thomæ, ubi agunt de communicatione idiomatum.

19. *Reſpondeo ſecundò*: Ad veritatem propoſitionis affirmativæ conſtantis prędicato abſtracto nihil omninò requiritur præter realem extremorum identificationem in ſignificatis rectis. *Ratio eſt*: Quia ad veritatem propoſirionis ſufficiunt ea, quæ per propoſitionem ſignificantur; atqui propoſitio affirmativa conſtans prædicato abſtracto ſignificat ſolam identificationem ſuorum extremorum in ſuis ſignificaris rectis; non verò ſignificat ſignificatum formale prædicati haberi à ſignificato recto ſubjecti: ergo ad ralis propoſitionis veritatem ſufficiens eſt talis extremorum identificatio, & ſuperflua eſt habentia ſignificati formalis prædicati à ſignificato recto ſubjecti. *Probatur minor*; verb. grat. in hac propoſitione

Humanitas eſt animalitas, illa, inquam, propoſitio non ſignificat per modum habentis aliquid: non enim facit hunc ſenſum, Humanitas eſt habens animalitatem; ſed hunc, Humanitas eſt ipſa animalitas. Ergo iſta propoſitio non ſignificat unum ſuum extremum ab alio haberi; ſed ſignificat unum extremum eſſe aliud, ſeu identificari alteri. *Et ratio à priori eſſe poteſt*: Quia illa propoſitio non ſignificat per modum habentis, cujus prædicatum non ſignificat per modum habentis: atqui prædicatum abſtractum non ſignificat per modum habentis: per modum quippe habentis ſignificare ſoli prædicato concreto proprium eſt. Ergo etiam propoſitio conſtans prædicato abſtracto non ſignificat ad modum habentis: non ſignificat ſignificatum formale ſui prædicati haberi à ſignificato recto ſui ſubjecti: adeoque ad veritatem ejus ſuperflua eſt talis habitio, ſufficitque ſola extremorum in rectis ſignificatis identificatio.

20. Dixi, *Et ſuperflua eſt habentia ſignificati formalis*, &c. Non enim eſt repugnans. Ordinariè quippe in talibus propoſitionibus etiam reperitur habentia, ſeu inexiſtentia prædicati in ſubjecto. Nam ſicut animalitas, aut rationalitas habetur ab homine, ita etiam habetur ab humanitate: tam rectè enim dicimus, Humanitas eſt habens in ſe rationalitatem, aut animalitatem, quam dicamus, Homo eſt habens illas. Ergo talis habentia veritati propoſitionis conſtantis prædicato abſtracto nequaquam repugnat. Non, inquam, repugnat veritati hujus propoſitionis, ut ſignificatum formale prædicati habeatur à ſignificato recto ſubjecti. Non tamen hoc eſt neceſſarium: Quia talis propoſitio vera eſſet, licet talis habentia, ſeu inexiſtentia inter extrema ejus non foret. Ut patet in his: *Humanitas eſt humanitas. Petreitas eſt Petreitas*, aliiſque ſimilibus propoſitionibus identicis, & ſynonimis. Neque enim humanitas habere poteſt humanitatem, cum idem non poſſit habere ſeipſum: habitum enim ſemper eſſe debet quid aliquo modo diverſum ab habente.

DUBIUM III.

An ad veritatem propoſitionis affirmativæ requiratur exiſtentia ſubjecti, aut prædicati?

21. **R**Eſp. & dico primò: Ad veritatem cujuſcumque affirmativæ propoſitionis de *Eſt* ſecundò adjacente ſemper requiritur exiſtentia ſubjecti. *Ratio eſt clara*: Quia ad veritatem affirmationis conſtantis prædicato concreto requiritur identificatio extremorum quoad ſignificata recta; & ut ſignificatum formale prædicati quadret ſignificato recto ſubjecti: ut dixi *dub.* 1. Atqui omnis propoſitio de *Eſt* ſecundò adjacente eſt propoſitio conſtans prædicato concreto. Non quidem explicitè: ſic enim non de *Eſt* ſecundò adjacente; ſed de *Eſt* tertiò adjacente foret; Sed implicitè: ut ſtatim exponam. Ergo ad veritatem hujuſmodi affirmationis requiritur, ut ſignificatum formale illius impliciti concreti prædicati quadret ſignificato recto ſubjecti: atqui formale hujus impliciti prædicati ſignificatum eſt actualis exiſtentia: ergo ad veritatem affirmationis de *Eſt* ſecundò adjacente requiritur, ut actualis exiſtentia quadret ſubjecto: ergo requiritur actualis exiſtentia ſubjecti: *Minor eſt clara*: Quia affirmationes de *Eſt* ſecundò adjacente, verb. grat. hæ, *Homo eſt*, *Petrus eſt*, *Deus eſt*, &c. æquivalent, & reſolvuntur in has de *Eſt* tertiò adjacente, *Homo eſt exiſtens*, *Petrus eſt exiſtens*, *Deus eſt exiſtens*, &c. Ergo earum prædicatum implicitum, in verbo ſecundùm adjacente ſubintellectum, & involutum eſt *Exiſtens*: atqui *Exiſtens* eſt prædicatum concretum, uti evidens eſt. Ergo propoſitiones de *Eſt* ſecundò adjacente conſtant prædicato concreto: non quidem explicito; ſed implicito, & occultè poſito. *Clarum quoque eſt ſubſumpt.* Quia ſicut *Album* de formali albedinem; ita *Exiſtens* de formali ſignificat exiſtentiam. *Et ratio ulterior eſt*: Quia ad veritatem propoſitionis requiruntur omnia illa, quæ per propoſitionem ſignificantur: propoſitio namque, ut vera ſit, debet eſſe talis in ſignificando, quale eſt objectum ejus in eſſendo. Atqui affirmationes de *Eſt* ſecundò adjacente ſignificant exiſtentiam, exiſtentiamque ſuo ſubjecto attribuunt: ergo ad earum veritatem neceſſaria eſt exiſtentia ſubjecti.

22. *Dico ſecundò*: Inter prædicationes affirmativas de *Eſt* tertiò adjacente, quædam ſunt eſſentiales, quædam ſunt accidentales. Eſſentiales ſunt, in quibus prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti: quales ſunt hæ, *Homo eſt animal*, *homo eſt rationalis*, &c. Et hæ propoſitiones ad ſui veritatem neutrius extremi exiſtentiam requirunt. *Ratio eſt*: Quia ad veritatem affirmationis ſolummodò requiritur identificatio extremorum, & conjunctio prædicati cum ſubjecto: atqui extrema eſſentialia ſibi mutuò conjunguntur, ſive exiſtant, ſive non exiſtant: ergo ad veritatem propoſitionis eſſentialis neutrius extremi actualis exiſtentia eſt neceſſaria. *Probatur minor*: Quia extrema eſſentialia ſunt omnibus modis, ac omninò inter ſe identificata: non ſolùm quoad ſignificata recta, & materialia; ſed etiam quoad obliqua, & formalia. Etenim diverſa eſſentialia prædicata ſunt nomina plura; verùm res una: ſunt, inquam, res una diverſo modo concepta, ac ſignificata cum ordine ad diverſa connotata. Atqui ea, quæ omninò identificata ſunt, etiam omninò, & ſemper inſeparabilia ſunt: Ergo prædicata eſſentialia ſunt ſemper, & ubique ſibi mutuò conjuncta, ſive exiſtant, ſive non exiſtant. Et hinc Philoſophi paſſim dicunt, propoſitiones eſſentiales eſſe æternæ veritatis, & ampliari ad quatuor temporis differentias: Quia nimirum tales propoſitiones ſunt ſemper veræ, ſive earum extrema conſiderentur tamquam præſentia, ſive tamquam præterita, ſive tamquam futura, ſive tamquam poſſibilia.

23. *Dico tertiò*: Propoſitiones accidentales ſunt illæ, quarum prædicata non ſunt de eſſentia ſubjecti. Ut, *Homo eſt albus*, *homo eſt riſibilis*, *homo currit*, *homo eſt amatus*, *eſt cognitus*, &c. Et inter has propoſitiones, quædam requirunt exiſtentiam utriuſque extremi, quædam exiſtentiam prædicati, quædam nullius extremi

exi-

exiſtentiam tequitunt. Nam inter propoſitiones accidentales, quędam conſtant prędicato contingenti inttinſeco. Quales ſunt hę, *Homo eſt albus*, *homo currit*, *homo loquitur*, *&c.* Et hę ad ſui veritatem requirunt exiſtentiam utriuſque extremi. *Ratio eſt*: Quia ad veritatem propoſitionis affirmativę requiritur, ut extrema identificentut in ſignificatis rectis; & ut ſignificatum formale prędicati quadtet ſignificato recto ſubjecti. Atqui formale ſignificatum prędicati contingeetis intrinſeci nequit quadrare, ac ineſſe ſubjecto, niſi & ipſum, & ſubjectum ejus exiſtat: ergo ad veritatem prędicationis affirmativę conſtautis prędicato contingenti imtinſeco requititur actualis exiſtentia utriuſque extremi. *Patet minor*; Quia v. g. albedo, quę eſt ſignificatum ſotmale hujus prędicati contingentis intrinſeci *Album*, non poteſt mibi quadrare, & ineſſe, uiſi & ego exiſtam, & ipſa exiſtas. Nam ego non poſſum habere albedinem non exiſtens; ueque albedo exiſtens poteſt inhærere mibi non exiſtenti. Homo quippe, qui non eſt, uon poteſt eſſe albus. Ergo ſotmale prędicati contingentis intrinſeci ſignificatum uon poteſt quadrare ſuo ſubjecto, uiſi & ipſum, & ipſius ſubjectum exiſtat. Hujuſmodi uamque prędicata, ſeu hujuſmodi prędicatorum ſotmalia ſignificata tunc ſubjecto ſuo quadtant, quando ſubjectum ſuum informant; & eorum ſubjecto quadratio eſt ſubjecti Informatio: Etenim Tu dic nobis, quid aliud ſit. Atqui non poſſunt ſubjectum iuſormare, uiſi & ipſa, & eorum ſubjecta acto exiſtant: uti eſt notiſſimum. Ergo neque poſſunt ſubjectis ſuis quadrate, uiſi ambo exiſtant.

24. Quędam verò coeſtaet prędicato coetingenti extrinſeco deſumpto ex aliquo actu intellectus, vel voluutatis. Quales ſuut hę, *Anti Chriſtus eſt cognitus*, *Petrus eſt amatus*, *Judas eſt hodio habitus*, & alię ſimiles. Et hę ad ſui veritatem non requirunt exiſtentiam ſubjecti; requirunt tamen exiſtentiam prędicati; non quidem quoad ſignificatum ejus rectum, & materiale; ſed quoad ſolum obliquum, & formale. *Prima pars probatur*: Quia ad veritatem affirmationis ſolummodo requiritut, ut prędicatum quadret ſubjecto: atqui prędicata contingentia extrinſeca, ab actibus voluntatis, & intellectus deſumpta quadrara poſſunt tam ſubjectis non exiſtentibus, quam exiſtentibus: Ergo affirmationes tali prędicato conſtantes ad ſui veritatem non requirunt exiſtentiam ſui ſubjecti. *Patet minor*: Quia prædicata contingentia à voluutatis, & intellectus actibus deſumpta quadrare poſſunt omnibus illis ſubjectis, quæ poſſunt amati, aut intelligi: uti novit omnis, qui terminos capit. Atqui amati, & intelligi poſſunt tam res uon exiſteutes, quàm exiſtentes: uti etiam patet. Ergo ſimiliter iſta prædicata omnibus iſtis rebus quadrare poſſunt.

25. *Altera pars etiam probatur*: Quia ad veritatem prædicationis conſtantis prædicato concreto requiritur, ac ſatis eſt, ut ſiguificatum formale prædicati quadret ſigeificato recto ſubjecti: ergo, ut hæ propoſitiones; *Anti-Chriſtus eſt cognitus*, *Petrus eſt amatus*, aliæque ſimiles ſint veræ, tequiritur, & ſatis eſt, ut cognitio & amor, quę ſuut formalia prædicati ſignificata, quadrent Antichtiſto, & Petro, qui ſuut ſignificata ſubjecti recta. Atqui cognitio & amor non poſſunt ulli quadrare, nullumque poſſunt ſubjectum denominare, niſi actu exiſtant: uti elarum eſt. Etenim nequit quis dici amatus, aut cognitus pro tempora præſenti à cognitione, aut amore futuro, præterito, aut purè poſſibili. Ergo ſimiles propoſitiones, ut veræ ſint, requirunt, ut exiſtat ſignificatum formale prædicati pro tempore per copulam principalem importato.

26. Similiter ſunt quædam propoſitiones accidentales eeceſſariæ, quæ conſtant prædicato inttinſeco neceſſatio, & eum ſubjecto convertibiliter identificato. Quales ſunt hæ, *Homo eſt riſibilis*, *Equus eſt Hinnibilis*, & id genus alię. Et de his philoſophandum eſt taliter, qualiter ſupià philoſophatus ſum de propoſitionibus eſſentialibus. Hæ, inquam, affirmationes nullius extremi exiſtentiam ad ſui poſtulant veritatem. *Ratio eſt eadem*: Quia hæ propoſitiones habeut extrema realiter ideutificata, omninò iuſeparabilia, adeoque ſemper conjuncta, ſive exiſtant, ſive non exiſtant: uti dixi de extremis eſſentialibus. Ergò hujuſmodi affirmationes pro ſua verificatione neutrius expoſtulant exiſtentism extremi.

DUBIUM IV.

De propoſitione affirmativa modali, & negativa de ineſſe.

27. PEtes primò: quid requiratut ad veritatem propoſitionis negativę *de ineſſe*: quales ſunt hæ, *Homo non eſt animal*, *homo non eſt equus?* *Reſpondeo primo*: Ad veritatem propoſitionis hujuſmodi negativę conſtantis prędicato concreto requiritut, & ſufficit, ut vel extrema ejus non identificentut realiter in ſuis ſignificatis rectis, vel ut ſignificatum formale prædicati non habeatur à ſignificato recto ſubjecti. Ad vetitatem, inquam, hujuſmodi propoſitionis uon requiritur utraque hæc conditio; ſed requiritur ſolummodo ac ſufficit alterutra, hæc vel illa. Ob primam conditionem vera eſt hæc; *Humanitas non eſt animal*. Licet enim in illa ſignificatum formale prædicati inſit, & quadret ſignificato recto ſubjecti; extrema tamen ejus quoad recta ſua ſignificata realiter non identificantur, ſed realiter diſtinguuntur: ut dicebam *dubio* 2. Ob ſecundam conditioeem vera eſt hæc negativa. *Album non eſt nigrum*. Intelligendo de pariete, qui olim niget, modò verò eſt albus. In iſta quippe propoſitione extrema quidem identificantur in ſignificatis rectis; tamen ſignificatum formale prædicati uon quadrat pro tempore præſenti ſignificato recto ſubjecti; uti quoque dicebam *dubio* 2. ideoque negativa iſta eſt vera.

28. *Ratio horum eſt*: Quia ea requiruntur, & ſufficiunt ad veritatem propoſitionis negativæ, quæ requiruntur, & ſufficiunt ad falſitatem

tam affirmativæ illi oppoſitæ: atqui propoſitio affirmativa conſtans prædicato concreto, & negativa conſtana pıædicato coacreto, v. g. *humanitas eſt animalitas*, *humanitas non eſt animal*, ſunt propoſitiones oppoſitæ: ergo illa ſufficiunt ad veritatem negativæ, quæ ſufficiunt ad falſitatem affirmativæ atque ad falſitatem affirmativæ ſufficit, & requiritur, ut vel extrema non identificentur in ſignificatis rectis, vel nt ſignificatum formaln prædicati non habeatur à ſignificato recto ſubjecti: ergo idipſum etiam requiritur ad veritatem propoſitionis negativæ conſtantis prædicato concreto. Omnia in hoc diſcurſu allata ſunt per ſe nota & clara: Poſſet tamen quis dnbitare de majori; illa tamen eſt certiſſima. *Et probatur*: Quia omnis propoſitio falſa affimativa converti poteſt in veram negativam: quia enim falsè affirmas, *homo eſt lapis*, hinc verè negas, *homo non eſt lapis*. Et è contrà omnis falſa negativa converti poteſt in veram affirmativam: Quia enim falsè negas, *homo non eſt animal*, hinc verè affirmas, *homo eſt animal*. Ergò etiam præcisè ſufficiunt, & requiruntur ad veritatem propoſitionis negativæ, quæ requituntur, ac ſufficiunt ad falſitatem affirmativæ illi oppoſitę.

29. *Reſp. ſecundò*: Ad veritatem propoſitionia negaıivæ conſtantis prædicato abſtracto requiritur, & ſufficit tealis diſtinctio extremorum in ſignificatis rectis. Requiritur, inquam, nt extrema non identificentur in ſuis ſignificatis rectia. V. g. verè ſunt omnes hæ negativæ propoſitiones: *Humanitas non eſt Deitas; albedo non eſt ſcientia, &c.* Quia earum extrema realiter non identificantur quoad ſignificata ſua recta. *Ratio verò eſt*: Quia ea ſufficiunt, ac requiruntur ad veritatem propoſitionis negativæ, quæ ſufficiunt, ac requiruntur ad falſitatem affirmativæ illi oppoſitæ: atqui ad falſitatem propoſitioais affirmativæ conſtantis prædicato abſtracto ſufficit, ac requiritur realis diſtinctio extremorum quoad ſua ſignificata recta, nt dixi *dub.* 2. Ergo hæc ipſa diſtinctio etiam neceſsaria, ac ſufficiens eſt ad veritatem propoſitionis negativæ conſtantis prædicato abſtracto. *Præterea*: Ad veritatem propoſitionis requiruntur, ac ſufficiunt ea, quæ per propoſitionem ſignificantur: atqui ſicut noa propoſitio affirmativa conſtans prædicato abſtracto ſignificat extremorum ſuorum ia rectis ſignificatis identificationem, ita negativa ſignificat eorum realem diſtinctionem: ergo ſicut ad veritatem affirmativæ requiritur, & ſufficit illa extremorum identificatio; ita ad veritatem negativæ requiritur, ac ſufficit iſta diſtinctio.

30. *Petes ſecundò*; Quid requiratur ad veritatem propoſitionis affirmativæ modalis? *Reſp.* Requiri omnia illa, quæ requiruntur ad veritatem propoſitionis affirmativæ de *ineſſe*, ac præterea adhuc verificationem modi. *Id eſt*; Adhuc requiritur, ut prædicatum ſubjecto inſit, identificetur, ac ab illo habeatur, eo modo quo ineſſe, identificari ac haberi à modo ſignificatur. Itaque ad veritatem affirmativæ modalis conſtantis prædicato concreto requiritur, ut extrema identificentur in ſuis ſignificatis rectis, ac ut ſignificatum formale prædicati taliter quadret ſignificato recto ſubjecti, qualiter à modo quadrare ſignificatur. Hinc vera eſt hæc modalis: *Homo eſſentialiter eſt animal*. Quia extrema ejus, videlicet *Homo*, & *Animal*, realiter identificantur in ſuis ſignificaris rectis; item animalitas, quæ eſt formale ſigaificatum prædicati ineſt ſuppoſito humano, quod eſt ſigaificatum rectum ſubjecti: ineſt, inquam, illi eſsentialiter, qualiter per modum ineſsa ſignificatur. Hæc verò modalis, *Homo eſt contingenter animal*, falſa eſt. Quia licet extrema ejus identificentur in ſignificatis rectis, item licet ſigaificatum formale prædicati quadret ſignificato recto ſubjecti, propoſitio tamen falſa eſt, quia ſignificatum formale prædicati non quadrat ſignificato recto ſubjecti taliter, qualiter quadrare à modo ſigaificatur. Ipſum enim quadrat eſsentialiter: modus verò ſignificat ipſum quadrare contingenter.

31. *Ratio verò eſt*: Quia ad veritatem propoſitionis requiruntur omnia illa, quæ per propoſitionem ſignificantur: atqui propoſitio affirmativa modalis conſtans prædicato concreto ſignificat extrema ſua identificari in ſignificatis rectis: ſignificat ſignificatum formale prædicati quadrare ſignificato recto ſubjecti: ac ſignificat illud huic quadrare certo modo. Ergo hæc omnia tria, videlicet illa identificatio, iſta quadratio, ac iſte quadrationis modus, requiruntur ad veritatem hujuſmodi propoſitionia modalis. Si ergo deſit vel identificatio extremorum in ſignificatis rectis, vel quadratio ſignificati formalis prædicati ad ſignificatum rectum ſubjecti, vel etiam ſolus quadrandi modus, propoſitio erit falſa. Ad veritatem enim requiruntur omnia: *Quia bonum ex integra cauſſa*.

32. Ad veritatem verò propoſitionis affirmativæ modalis conſtantis prædicato abſtracto requiritur, ut extrema identificentur in ſignificatis rectia eo modo, quo modus illa identificari ſignificat. Hinc vera eſt hæc modalis, *Humanitas eſt eſſentialiter animalitas*. Extrema enim identificantur in ſignificatis rectis, ac identificantur taliter, qualiter modus ſignificat. Hæc verò eſt falſa: *Humanitas eſt eſſentialiter riſibilitas*. Quia licet extrema identificentur, non tamen identificantur taliter, qualiter ſignificat modus. *Ratio eſt eadem*: Quia ad veritatem propoſitionis requiruntur omnia illa, quæ per propoſitionem ſignificantur: atqui propoſitio affirmativa modalis conſtans prædicato abſtracto ſignificat & extremorum in ſignificato recto identificationem, ac etiam identificationis modum: ergo utrumque hoc ad ejus requiritur veritatem, alteroquè eorum deficiente deficit quoque ejus veritas.

33. *Petes tertiò*: Quid requiratur ad veritatem propoſitionia modalis negativæ? *Reſp.* Id eſſe clarum ex hactenus dictis. Ad veritatem ergò propoſitionis modalis negativæ conſtantis prædicato concreto requiritur, & ſufficit, ut vel extrema diſtinguantur realiter in ſuis ſignificatis rectis, vel ut ſigaificatum formale prædicati non habeatur à ſignificato recto ſubjecti, vel ut non habeatur taliter, qualiter haberi à modo ſignificatur: *Ratio eſt*: Quia unum ex hiſce tribus ſufficit ad falſitatem propoſitionis modalis affirmativæ conſtantis prædicato

dicato concreto: ergo quoque ſufficiet ad veritatem bujuſmodi modalis negativæ: ea quippe quæ ſufficiunt ad falſificandam propoſitionem affirmativam, ſufficiunt quoque ad verificandam negativam illi oppoſitam: ut jam dixi aliquoties. Similiter ad veritatem propoſitionis modalis negativæ conſtantis prædicato abſtracto requiritur, & ſufficit, ut vel extrema non identificentur in ſignificatis rectis, vel ut non identificentur taliter, qualiter identificari à modo ſignificantur. *Ratio eſt eadem:* Quia alterutrum horum falſificat modalem affirmativam conſtantem prædicato abſtracto: ergo etiam verificat bujuſmodi modalem negativam illi oppoſitam. Non adduxi hic exempla, ne longior forem. Tu lector illa formabis facilè.

DISPUTATIO XXIV.

De proportione requiſita inter extrema propoſitionis, ut de ſeſe mutuo poſſint prædicari.

ORdinariè voces concretæ de concretis, & abſtractæ de abſtractis prędicatione affirmativa prædicantur: Quia hæ voces ejuſdem ordinis & generis ſunt; ideoque ad mutuam prędicationem maximè proportionatæ. Contingit tamen interdum voces concretas de abſtractis, & abſtractas de concretis prædicari, tam prædicatione eſſentiali, quam accidentali. Verè enim dicimus, *Humanitas eſt alba, bumanitas eſt rationalis, eſt carnea, eſt oſsea, eſt docta, &c.* De quo ſit

DUBIUM I.

An, quomodò, & quando voces concretæ prædicari poſſint affirmativè de abſtractis.

1. PRo hoc dubio do tibi has Regulas. *Regula prima*: Omne concretum ſubſtantiale, ac eſsentiale adjectivum, quod prædicatur ſubſtantialiter vel eſsentialiter de alio concreto, etiam verè prædicari & affirmari poteſt de abſtracto, quod correſpondet iſti concreto. Ut quia rectè dicimus, *Homo eſt rationalis, bomo eſt ſenſitivus, bomo eſt capitatus, bomo eſt carneus, oſſeus, &c.* etiam rectè dicimus, *Humanitas eſt rationalis, eſt ſenſitiva, eſt capitata, eſt oſſea, eſt carnea, &c.* *Ratio regulæ eſt;* Quia ad veritatem propoſitionis affirmativæ conſtantis prædicato concreto ſolummodò requiritur, ut extrema identificentur in ſignificatis rectis, ac ut ſignificatum formale prædicati habeatur à ſignificato recto ſubjecti: atqui in iſtis prędicationibus, *Humanitas eſt rationalis, eſt carnea, eſt oſſea, &c.* iſtæ duæ conditiones reperiuntur: ergo illis nibil deeſt ad veritatem. *Probatur minor*: Quia in iſtis prædicationibus ſubjectum eſt vox *bumanitas*, cujus ſignificatum rectum eſt humanitas, ſeu natura bumana, prædicata ſunt voces *carneum, oſseum, rationale, ſenſitivum, &c.* Quare ſignificata formalia ſunt caro, os, rationalitas, ſenſibilitas, ſignificata verò eorum recta ſunt res habens carnem, oſſa, rationalitatem, ſenſibilitatem, &c. Atqui bumanitas eſt res habens, carnem, oſſa, rationalitatem, ſenſibilitatem, &c. ut ego judico eſſe clarum, ac à nemine negandum; ideoque probare ſuperſedeo. Ergo in iſtis prædicationibus extrema identificantur in ſignificatis rectis, & ſignificatum formale prædicati habetur à ſignificato recto ſubjecti. Quid ergo illis deeſt ad veritatem? Nihil omnino. Sunt ergo veræ.

2. Sed ecce hinc quædam controverſia oritur. *Quæres enim*: An hæ prædicationes, *bomo eſt carneus, oſseus, capitatus, &c.* ſint planè pariformes, & ſimiles his. *Humanitas eſt capitata, eſt carnea, eſt oſſea, &c.* *Quæres, inquam*; An hæ prędicationes poſteriores ſint ſubſtantiales, ſicuti ſunt priores? An hæc prædicata, *Carneum, oſſeum, nervoſum, capitatum, &c.* prædicentur ſubſtantialiter de bumanitate, ſicut ſubſtantialiter prędicantur de bomine? Hac de re nihil omninò particulare legi: dicam ergo, quod mihi videtur, nihil aſſerendo, ſed aliorum, qui me ſeniores & ſaniores ſunt, judicio ſubmittendo. Videtur ergo mihi, quod iſta prędicata de humanitate non prædicentur ſubſtantialiter, adeoque quod iſtæ prædicationes, *bumanitas eſt carnea, eſt oſsea, eſt capitata, &c.* non ſint prædicationes ſubſtantiales, ſed accidentales.

3. *Moveor hac ratione*: Quia prædicatio ſubſtantialis eſt illa, in qua ſignificatum formale prædicati eſt de ſubſtantia, ſeu pertinet ad ſubſtantiam, ac ſubſtantiale complementum ſui ſubjecti: ut dixi ſuprà *diſp. 21. dub.* 2. Atqui in iſtis prædicationibus caro, os, caput, &c. quæ ſunt ſignificata formalia prædicati, non pertinent ad ſubſtantiale complementum, ſubſtantialemque perfectionem bumanitatis, quæ eſt ſubjectum. Pertinent quidem ad ſubſtantiale complementum hominis, ſeu ſuppoſiti humani; videntur tamen mibi non pertinere ad ſubſtantiale complementum bumanitatis in ſuppoſito bumano ſuppoſitaræ. Ergo iſtæ prædicationes non ſunt ſubſtantiales. *Probatur minor*: Quia humanitas eſt compoſitum ex nuda materia & anima intellectiva. Hoc, inquam, compoſitum eſt, & vocatur humanitas: atqui ad complementum ſubſtantiale hujus compoſiti non pertinet caro, os, aut caput: ergo neque hæc pertinent ad complementum ſubſtantiale bumanitatis. *Et confirmatur*: Quia illud non pertinet ad ſubſtantiale alterius complementum, ſine quo illud alterum eſt ſubſtantialiter completum, & perfectum: atqui compoſitum ex nuda materia & rationali anima, ſine carne, ſine oſse, ſine capite, &c. licet non ſit completus, & conſummatus homo, eſt tamen completa, perfecta, ac conſummata humanitas: ergo iſta omnia non ſpectant ad ſubſtantiale complementum humanitatis.

4. *Regula ſecunda*: Concreta ſubſtantialia, ac eſſentialia ſubſtantiva, quæ prædicantur de alio aliquo concreto, non ſemper prædicari poſſunt de abſtracto, quod iſti concreto correſpondet

V. g.

Digitized by Google

V. g. licet rectè dicamus, *Homo eſt animal*, *brutum eſt animal*, *equus eſt brutum*, *&c.* non tamen rectè dicimus, *Humanitas eſt animal*, *brutalitas eſt animal*, *equinitas eſt brutum*, *&c* *Ratio eſt clara*; Quia ad veritatem cujuſcumque propoſitionis requiritur identificatio in ſignificatis rectis: atqui iſta extrema, videlicet *humanitas*, *&* *Animal*, *brutalitas*, *&* *Animal*, *&c.* in ſuis ſignificatis rectis realiter non identificantur; ſed realiter diſtinguuntur: ergo iſtæ prædicationes non poſſunt eſſe veræ. *Patet minor:* Quia ſignificatum rectum vocis *Animal* eſt ſuppoſitum; ſignificatum verò rectum vocis *humanitas* eſt natura ſuppoſitata; atqui ſuppoſitum ſuppoſitans, & natura ſuppoſitata non identificantur, ſed realiter diſtinguuntur, ergo iſta iſtarum prædicationum extrema non identificantur in ſuis ſignificatis rectis.

5. *Dices*: Animal idem eſt, quod res habens animalitatem: atqui humanitas eſt res quædam habens animalitatem: ergo humanitas eſt animal: ergo hęc, aliæque ſimiles prædicationes ſunt legitimæ, & veræ. *Reſp. negando majorem*: Animal enim non eſt res habens, ſed eſt ſuppoſitum habens animalitatem; adeoque ſicut ineptè dicimus, humanitas eſt ſuppoſitum habens animalitatem, ita quoque ineptè dicimus, humanitas eſt animal. Notanda ergo hic eſt differentia inter vocem *Animal*, & vocem *Rationale*. Vox enim *Rationale* adjectiva eſt; adeoque in recto ſignificat omnem rem, quæ rationalitatem habet, ſive illa ſit, ſive non ſit ſuppoſitum: & per conſequens tam rectè dicimus, *Humanitas eſt rationalis*, quam dicamus, *Homo eſt rationalis*: quia vox *Rationale* tam cum voce *Humanitas*, quam cum voce *Homo* identificatur in ſignificato recto. At verò vox *Animal* eſt ſubſtantialis ſubſtantiva in recto ſignificans ſolum ſuppoſitum; adeoque prædicari nequit de voce *Humanitas*, ſicut prædicatur de voce *homo*; Quia cum voce *homo* realiter identificatur, à voce vero *humanitas* realiter diſtinguitur in ſuo ſignificato recto.

6. Dixi in regula, *Non ſemper prædicari poſſunt de abſtracto*, *&c.* Quia poſſunt prædicari interdum. Contingit, inquam, interdum, ut concreta ſubſtantialia ſubſtantiva, quæ prædicantur de aliquo alio concreto, prædicari etiam poſſint de abſtracto, quod correſpondet iſti concreto. V. g. ſicut rectè dicimus, *Hoc ens eſt animal*, *hoc ens eſt homo*, ſic quoque rectè dicimus, *Hæc entitas eſt homo*, *hæc entitas eſt Animal*. Item ſicut rectè dicimus, *Homo eſt ſubſtantia*, *brutum eſt ſubſtantia*, ita quoque rectè dicimus, *Humanitas eſt ſubſtantia*, *brutalitas eſt ſubſtantia*, *&c.* *Et ratio eſt:* Quia omnium iſtarum prædicationum extrema identificantur in ſuis rectis ſignificatis, ac ſignificatum formale prædicati habetur à ſignificato recto ſubjecti; ut examinanti facilè patebit: adeoque hiſce prædicationibus nihil omninò deeſt ad ſui veritatem.

7. *Regula tertia:* Omne concretum accidentale, ſive adjectivum, ſive ſubſtantivum, quod prædicatur de aliquo ſui, vel potiùs de aliquo ſui formalis ſignificati ſubjecto concretim expreſſo, etiam affirmari poteſt de eodem abſtractim expreſſo. V. g. quia rectè dicimus, *Homo eſt albus*, *homo eſt doctus*, *brutum currit*, *animal ſedet*, *&c.* etiam rectè dicimus *humanitas eſt alba*, *eſt docta*, *brutalitas currit*, *animalitas ſedet*, *&c.* Item quia rectè dicimus, *Homo eſt artifex*, *homo eſt ædificator*, etiam benè dicimus, *Humanitas eſt artifex*, *eſt ædificatrix*, *&c.* *Ratio eſt*: Quia in omnibus illis prædicationibus prædicato concreto conſtantibus extrema identificantur in ſignificatis rectis, & ſignificatum formale prædicati habetur à ſignificato recto ſubjecti: ergo ipſis nihil deeſt ad veritatem. *Prob. ant.* Quia prædicata iſtarum propoſitionum in recto ſignificant rem, quæ habet albedinem, doctrinam, curſum, &c. Atqui res habens haſce formas non eſt ſolus homo, ſed etiam humanitas ejus: ut clarum eſt attendenti. Ergò omnia iſta extrema identificantur in ſignificatis rectis, ac ſignificatum formale prædicati habetur à ſignificato recto ſubjecti: adeoque prædicationibus iſtis nihil ad veritatem deeſt.

8. Objecit mihi ſemel quidam dictum Avicennæ 5. Metaph. ſuæ: *Equinitas tantum eſt equinitas*: adeoque & humanitas tantùm eſt humanitas. Atqui, ſi humanitas foret alba, docta, currens, &c. tunc non tantùm foret humanitas: ergo falſum eſt, quod ſit alba, docta, currens, &c. Adeoque falſæ ſunt omnes iſtæ propoſitiones. Reſp. ex Gregorio Ariminenſi *in 1. diſt. 17. quæſt. 4. art. 1. ſub finem*, *Et in 2. diſt. 2. quæſt. 2. art. 1. in mea editione fol. 34. col. 1. ſub principium*. Reſp. inquam, diſtinguendo majorem: Equinitas tantum eſt equinitas eſſentialiter, & quidditativè: *ſic verum eſt*, *&* *hoc ſenſu hic dixit Avicenna*: Equinitas enim eſſentialiter neque eſt alba, neque nigra, neque longa, neque curta, neque ſtat, neque currit. Equinitas tantum eſt equinitas etiam accidentaliter, & denominativè: *ſic planè falſum eſt*. Neque id unquam ſomniavit Avicenna. Si enim, inquit Ariminenſis, id dixiſſet, omnino fatuus fuiſſet. Equinitas enim denominativè tam benè eſt alba, nigra, ſtans, currens, &c. quam ſit equus. *Et ratio eſt clara*: Quia quidquid habet albedinem ſibi inhærentem, ac informantem, hoc eſt album: atqui equinitas habet albedinem ſibi inhærentem: ergo eſt verè alba. *Probatur min.* Quia equinitas eſt compoſitum ex materia prima, & anima equina; (hoc ita modò tranſeat.) Atqui hoc compoſitum habet ſibi inhærentem albedinem: albedo enim materiæ primæ inhæret. Ergo etiam equinitas habet ſibi inhærentem albedinem; adeoque eſt alba: quid enim illi deeſt?

9. *Regula quarta*: Forma accidentalis, quæ concretim expreſſa affirmatur de alia forma accidentali ejuſdem ſecum ſuppoſiti, diverſi tamen ſubjecti concretim expreſſa, affirmari non poteſt de eadem expreſſa abſtractim. V.g. intellectio, viſio, auditio, odoratio, albedo, &c. ſunt formæ accidentales ejuſdem humani ſuppoſiti; non tamen ejuſdem ſubjecti: aliquæ enim ſubjectantur in anima, aliquæ in corpore, aliqua in oculo, aliqua in aure, aliqua in naribus, &c.

Ideo-

Ideoque licet in concreto benè dicamus, *Audiens videt, videns eſt audiens, album eſt intelligens, intelligens eſt album, &c.* non rectè tamen dicimus in abſtracto, *Albedo eſt intelligens, intellectio eſt alba, viſio eſt audiens, auditio eſt videns, &c.* Adeoque vera eſt regula, quod forma accidentalis, quæ concretim expreſſa affirmatur de alia ejuſdem ſecum ſuppoſiti, diverſi tameo ſubjecti accidentali forma concretim expreſſa, affirmari oon poſſit de eadem abſtractim expreſſa. *Et ratio eſt clara*: Quia iſtæ prædicatiooes poſteriores ſubjecto abſtracto conſtaotes oeque habent extrema in ſignificatis rectis identificata, neque ſignificatum formale prædicati babetur à ſigoificato recto ſubjecti: argo illæ propoſitiooes non poſſunt eſſa veræ. *Patet antecedens:* Quia ſubjectum eſt albedo; ſignificatum formale prædicati eſt intellectio, viſio, auditio, &c. Atqui albedo in ſe non habet iſtas formas; ut clarum eſt: ergo, &c. Et idem eſt da omnibus aliis; ut planum eſt attendanti

10. *Regula quinta*: Forma accidentalis quæ concretim expreſſa affirmatur de alia ejuſdem ſecum ſuppoſiti, ac etiam ſubjecti accidentali forma concretim axpreſſa, etiam ordinariè affirmari poteſt de eadem expreſſa abſtractim. Hoc eſt, quod ſupra *diſp.*18. *dub.*2. *ſect.*2. remiſi probandum buic loco. V. g. albedo, dulcedo, & quantitas lactis, ſunt plures ejuſdem ſuppoſiti ac ſubjecti accidantales formæ; adeoque dico, quod una concretim expreſſa poſſit affirmari de alia expreſſa vel concretim, vel abſtractim: & per coonſequeos quod tam benè, & verè dicamus, *Albedo eſt dulcis, dulcedo eſt alba, albedo eſt quanta, quantitas eſt alba, &c.* quàm dicamus, *Album eſt dulce, dulce eſt album, &c.* Haoc regulam aſſignavi, & defendi ſemper; ſemper tamen etiam da illa multùm dubitavi. Sed omne dubium, omnemqua ſcrupulum excuſſit mibi ſanctus Pater meus Auguſtious *Epiſt.*29. *Certè binc perſuadent, qui unam virtutem babuerit, babere omnes & omnes deeſſe cui una defuerit: quod prudentia nec ignava, nec injuſta, nec intemperans eſse poteſt. Nam ſi aliquid borum fuerit, prudentia non erit. Porrò ſi prudentia tunc erit, ſi & fortis, & juſta, & temperans ſit, profectò ubi fuerit, ſecum babee cæteras. Sic & fortitudo imprudens eſse non poteſt, vel intemperans, vel injuſta: ſic temperantia neceſſe eſt, ut prudens, fortis, & juſta ſit: ſic juſtitia non eſt, niſi ſit prudens, fortis, & temperans.* Hæc Auguſtinus.

11. Ecce ſecundùm Sanctum Auguſtinum bene dicimos, *Juſtitia eſt prudens, temperans, & fortis; fortitudo eſt juſta, temperans, & prudens: prudentia eſt juſta, temperans, & fortis, &c.* Quid ni ergo dicere poſſimus, *Albedo eſt dulcis, dulcedo eſt alba, eſt quanta, &c.* Nam albedo, dulcedo, & quantiras ſunt formæ ejuſdem ſuppoſiti, ejuſdemque ſubjecti, non minùs quam ſiot Juſtitia, fortitudo, temperaotia, prudentia. *Et ratio eſt:* Quia ad veritatem propoſitionis affirmativæ conſtaotis prædicato concreto ſolummodò requiritur, ut extrema identificentur in ſigoificatis rectis, ac ut ſigoificatum formale prædicati habeatur à ſignificato recto ſubjecti: atqoi in iſtis propoſitiooibus coocurrunt iſta duo: ergo concurrunt omnia requiſita ad earum veritatem; adeoque ſunt veræ. *Probatur minor*: Quia io iſtis prædicationibus ſubjectum eſt dulcedo; prædicatom eſt *alba*: ſigoificatum rectum prædicati eſt omnis res babeos albedinem: atqui dulcedo eſt babens albedinem: ergo iſta eatrema habeot idem ſignificatum rectum, ac ſignificatum formale prędicati babetur à ſignificato recto ſubjecti. Habet, ioquam, dulcedo albedinem ooo quidem ut ſubjectum ſuam ſolet babere formam; ſed ut fotma conformam; uti prudeotia habet juſtitiam, & juſtitia prudeotiam. Atqui ratione bujus habentiæ dicit Sanctus Aoguſtious, *Juſtitia eſt prudens, & prudentia eſt juſta:* ergo etiam ratione iſtius babentiæ dici poteſt, *Albedo eſt dulcis, & dulcedo eſt alba.* Sunt enim ſibi mutuò planè ſimiles, ac pariformes.

12. *Præterea:* Hæ propoſitiones, *Quantitas eſt alba, albedo eſt quanta,* ordioariè in omni Logico tribunali juſtificantur, ac pro veris habeotur: ergo bæ, *Albedo eſt dulcis, dulcedo eſt alba,* non poſſunt condemnari, & pro falſis repudiari. *Patet conſeq.* Quia planè eodem modo ſe habent albedo & quaotitas, quo ſe babent albedo & dulcedo: babent enim ſe tamquam forma ad ejuſdem ſuppoſiti & ſubjecti conformam. Neque enim quanticas immediatum albedinis ſubjectum eſt; non magis quàm albedo ſit ſubjectum quantitatis: de quo cum Occam, Gregorio, aliiſque Nominalibus loquemur in pbyſica. Ergo noo eſt major ratio ioter iſtas propoſitiones falſificaodi unam, quàm aliam. Neque dici poteſt, quod ad denominationem requiratur iobæſio aut informatio: Cum multæ fiant denominatiooes ſine informatione aut inbæſione. Quod adeo notum eſt, ut nolim iſti rei vel unum impendere verbum.

13. Dixi in regula, *Ordinariè:* Quia non ſemper & ubique verum eſt, quod omnis forma, quæ coocretim expreſſa affirmatur da alia ejuſdem ſuppoſiti & ſubjecti forma concretim axpreſſa, affirmari poſſit de eadem expreſſa abſtractim. Nam rectè dicimus, *Volens eſt intelligens, intelligens eſt volens, volens eſt babituatus, &c.* Non tamen rectè videmur eſſe dicturi, *Intellectio vult, volitio intelligit, volitio eſt babituata, &c.* Videntur enim tales propoſitiones malè ſonare, & neſcio quid falſitatis babere: aſſigoare tameo bujus falſitatis præciſam rationem, valde difficile foret. Oportet ergo in cogooſcendis ſimilibus propoſitiooibus, & diſcernendis veris à falſis diſcretum coofulere Judicium. Nam ſicut io multis locutionum formulis debet Grammaticus vitare cacophoniam, & cooſulere aures carnis; ita debet Logicus in indagaoda propoſitiooum veritate ſæpè conſulere aures mentis.

DUBIUM II.

De prædicatione vocum abſtractarum.

14. HAs cape Regolas. *Prima*: Vox abſtracta formam aliquam accidentalem ſignificaos oon poteſt prædicari de alia voce accidentali ſigoificanta ſubjectum, aut aliam formam accidentalem in eodem ſubjecto

cum

cum illa coexiſtente. V. g. malè dicimus, *Albedo eſt bumaaitas, albedo eſt dulcedo, temperantia eſt juſtitia, &c. Ratio eſt clara*: Quia ad veritatem cujuſcunque propoſitionis affirmativæ requiritur identificatio extremorum in ſuis ſignificatis rectis: atqui omoes iſtæ præfatæ voces abſtractæ in ſuis rectis ſignificatis realiter non identificantur; ſed realiter diſtinguuntur: ergò iſtæ voces non poſſunt inter ſe facere veram propoſitioοem affirmativam. Minor clarior eſt, quam ut probetur; patet enim ad oculum.

15. *Regula ſecunda*: Voces abſtractæ eſſentiales genus, vel differentiam ſignificantes verè prædicantur, tam in ſenſu formali, quam identico de vocibus abſtractis ſignificantibus ſpeciem vel individuum. V. g. bene dicimus, *Humanitas eſt animalitas, bumanitas eſt rationalitas, equinitas eſt brutalitas, Petreitas eſt bumanitas, &c.* Quod iſtæ prædicationes ſint veræ in ſenſu identico; *ſic probo*: Quia ad veritatem propoſitionis affirmativę conſtantis prædicato abſtracto ſolummodò requiritur identificatio extremorum in ſignificatis rectis: atqui extrema abſtracta iſtarum propoſitionum realiter identificantur in ſuis ſignificatis rectis: ergò nihil deeſt iſtis propoſitionibus, quo minùs ſint veræ in ſenſu ſaltem identico. *Probatur minor*: Quia vox *Humanitas* in recto dicit principium ſentiendi ſimul & ratiociuandi; vox *Animalitas* dicit in recto principium ſentiendi: vox *Rationalitas* dicit in recto principium ratiocinandi. Atqui hæc omnia in re ſunt planè unum & idem: ut dicam alibi ex profeſſo latiùs. Ergo extrema iſtarum propoſitionum realiter identificantur in ſuis ſignificatis rectis. Quod propoſitiones iſtæ etiam veræ ſint in ſenſu formali; *ſic probo*: Quia propoſitio vera in ſenſu formali eſt illa, cujus extrema identificantur non tantùm ſecundùm rem, ſed etiam ſecundùm modum concipiendi: ut dixi ſupra *diſp. 22. dub. 3.* Atqui, *Humanitas & Animalitas*, item *Humanitas & Rationalitas*, quæ ſunt iſtarum propoſitionum extrema, identificantur in ſuis rectis ſignificatis, non ſolùm realiter, ſed etiam in modo concipiendi; ergò iſtæ propoſitiones ſunt veræ etiam in ſenſu formali. *Probatur minor*: Quia humanitas eſt principium ſentiendi ſimul & ratiocinandi; animalitas verò eſt principium ſentiendi; atqui principium ſentiendi eſt in modo concipiendi identificatum principio ſentiendi & ratiocinandi ſimul: ergò *Animalitas* eſt in modo concipiendi identificata Humanitati; adeoque in iſtis propoſitionibus prædicatum eſt identificatum ſubiecto, etiam in modo concipiendi: & ſic prædicationes iſtæ ſunt veræ etiam in ſenſu formali. *Probatur minor*: Quia unum identificari alteri in modo concipiendi eſt unum eſſe de eſſentia alterius; eſt unum involui & includi in conceptu eſſentiali alterius: atqui animalitas involuitur in conceptu eſſentiali humanitatis; item principium ſenſandi includitur in eſſentiali conceptu principij ſenſandi & ratiocinandi ſimul: uti eſt manifeſtum. Ergò animalitas humanitati, & principium ſenſandi principio ſenſandi ac ratiocinandi ſimul identificatur ſecundùm modum concipiendi.

16. *Regula tertia*: Voces abſtractæ ſignificantes genus, differentiam, vel proprietatem, non poſſunt verè de ſeſe mutuò prædicari in ſenſu formali; poſſunt tamen in ſenſu identico. Hinc in ſenſu formali falſæ ſunt hæ prædicationes, *Rationalitas eſt animalitas, animalitas eſt riſibilitas, riſibilitas eſt rationalitas.* &c. Hæ, inquam, falſæ ſunt in ſenſu formali; ſunt tamen veræ in ſenſu identico. Quod ſint falſæ in ſenſu formali, *probatur*: Quia, ut propoſitio aliqua ſit vera in ſenſu formali, debent extrema ejus identificari in ſuis ſignificatis rectis in noſtro modo concipiendi: atqui vox *Animalitas* & vox *Rationalitas* non ſic identificantur: ergò in ſenſu formali non poſſunt de ſeſe mutuò affirmari. *Probatur minor*. Quia vox *Animalitas* in recto dicit principium ſenſandi; vox verò *Rationalitas* in recto dicit principium ratiocinandi: atqui hæc duo principia in noſtra ratione differunt & diſtinguuntur: ergò voces iſtæ in noſtra ratione non habent idem ſignificatum rectum. Quod tamen in ſenſu identico ſint veræ, *etiam probatur*: Quia iſtarum vocum ſignificata, licet ſint diſtincta ſecundùm rationem, ſunt tamen identificata ſecundùm rem: adeòque de ſeſe mutuò verè affirmari poſſunt ſaltem in ſenſu identico.

17. Ex quo patet, quod Scotus quodam loco non bene dixerit, omnem prædicationem prædicato abſtracto conſtantem, ut vera ſit, debere eſſe eſſentialem: neque poſſe eſſe accidentalem. Hoc, inquam, non eſt benè, & verè dictum. Poteſt enim dari prædicatio affirmativa prædicato abſtracto conſtans, quæ ſit vera, ſimul & accidentalis. Tales enim ſunt omnes hæ, *Humanitas eſt riſibilitas, rationalitas eſt animalitas, ſapientia Dei eſt miſericordia Dei*. Hæ, inquam, prædicationes ſunt accidentales: Cum in illis ſignificatum formale prædicati non ſit de eſſentia ſubiecti. Sunt etiam veræ, Quia extrema earum identificantur realiter in ſuis ſignificatis rectis. Poſſunt ergò dari prædicationes abſtractæ, quæ ſint accidentales, & ſimul veræ. Veræ, inquam, in ſenſu, non quidem formali, ſed identico.

Digitized by Google

cidentalis? 149

Dub. II. *Quid ſit vox ſubſtantiva, quid adiectiva?* 154

Dub. III. *Adhuc magis explicantur præfatæ definitiones.* 157

Dub. IV. *Quidnam ſit vocem adiectivam ſubſtantivari?* 159

Dub. V. *Corollaria quædam ex præcedentibus deducta.* 162

DISPUTATIO IX.

De voce concreta & abſtracta.

Dub. I. *Quid ſit vox concreta, quid abſtracta?* 163.

Dub. II. *De duplici ſignificato vocis concretæ.* 165.

Dub. III. *An eadem vox eſſe poſſit ſimul abſtracta & concreta.* 166

Dub. IV. *De vocis concretæ & abſtractæ diviſionibus.* 167

Dub. V. *Quid ſit vox concreta ſubſtantiva, quid adiectiva?* 168

Dub. VI. *Quodnam ſit ſignificatum rectum vocis concretæ ſubſtantivæ ſubſtantialis?* 169

Sect. I. *Senſus quæſtionis ac variæ ſententiæ.* ibid.

Sect. II. *Reſolutio propoſitæ quæſtionis.* 170

Sect. III. *Solvuntur argumenta facta contra concluſionem.* 172

Sect. IV. *De ſignificatione vocis* Deus, *& vocis* Homo. 173

Dub. VII. *De quadam vocis abſtractæ diviſione.* 175.

DISPUTATIO X.

De voce univoca, æquivoca, analoga, ſynonima, denominativa. &c.

Dub. I. *Quid requiratur ad hoc, ut aliqua vox ſit una?* 176

Dub. II. *Præambula quædam ad dubia ſequentia.* 178.

Dub. III. *Quid ſit vox univoca? Quid ejus univocata?* 179

Dub. IV. *Quid ſit vox æquivoca? Quid ſint æquivocata?* 181

Dub. V. *Quædam circa æquivocam vocem quæſtiancula.* 183

Dub. VI. *Quid ſit vox Analoga? Quid ſint analogata?* 184

Dub. VII. *Corollaria quædam circa voces analogas.* 186

Dub. VIII. *De quibuſdam vocis Analogæ diviſionibus.* 189

Dub. IX. *Quid ſit univocatio? Quid Æquivocatio? Quid Analogia?* . 191

Dub. X. *Quid ſint voces ſynonimæ?* 192

Dub. XI. *De vocibus denominativa & denominante.* 194

DISPUTATIO XI.

De voce finita ac infinita, poſitiva ac negativa, &c.

Dub. I. *Quid ſit negatio realis? Quid negatio vocalis?* 195

Dub. II. *Quid vox Poſitiva, Quid Negativa? Quid finita, quid infinita, &c.* 197

Dub. III. *Quid ſit infinitatio? Quid vocem infinitari?* 199

DISPUTATIO XII.

De voce univerſali, communi, ſingulari, primæ & ſecundæ intentionis, &c.

Dub. I. *Quid ſit vox univerſalis, communis & ſingularis?* 201

Dub. II. *Quid ſit vox primæ, Quid vox ſecundæ intentionis?* 202

Dub. III. *Quid ſit vox tranſcendentalis, & prædicamentalis?* 204

Dub. IV. *De voce convertibili, repugnanti, excedente & exceſſa, magis & minus communi.* 205

DISPUTATIO XIII.

De ſignorum acceptione, ſeu ſuppoſitione in communi.

Dub. I. *Quid ſit ſigni acceptio, ſeu ſigni ſuppoſitio in genere?* 207

Dub II *Quid in re propriè ſit ſigni ſuppoſitio?* 208

Sect. I *Reſolutio propoſitæ quæſtionis.* ibid.

Sect. II. *Proponuntur & ſolvuntur argumenta contraria.* 210

Sect. III. *Explicatur adhuc magis natura ſuppoſitionis.* 212

Sect. IV. *Deducuntur quædam corollaria ex dictis.* 213.

Dub. III. *An voces ſemper illud ſignificent, ad quod ſignificandum à loquente ſupponuntur?* 215

Dub. IV. *Quotuplex ſit ſignorum ſuppoſitio?* 216

DISPUTATIO XIV.

De tribus ſuppoſitionum generibus.

Dub. I. *Quid ſit ſuppoſitio formalis? Quid materialis?* 217

Dub. II. *De diviſione ſuppoſitionis formalis.* 218

Dub. III. *De diviſione ſuppoſitionis perſonalis.* 220.

Dub. IV. *An in argumentatione, & propoſitionum oppoſitione mutari non poſſit genus ſuppoſitionis?* 221

Dub. V. *Alia quædam de Acceptione perſonali.* 223.

DISPUTATIO XV.

De quibuſdam præambulis ad quatuor ſpecies acceptionis perſonalis communis.

Dub. I. *De conjunctione copulativa & diſjunctiva.* 224

Dub. II. *De ſignis ſincategorematicis in genere.* 225

Dub. III. *De hujus ſigni diviſionibus.* 227

Dub. IV. *Quæ ſit efficacia horum ſignorum, & quomodo illa ſoleat impediri?* 229

DISPUTATIO XVI.

De Quatuor ſpeciebus ſuppoſitionis perſonalis communis.

Dub. I. *De ſuppoſitione copulativa, ſeu diſtributiva.* 231

Dub. II. *De quibuſdam regulis ſuppoſitionis copulativæ.* 232

Dub. III. *De ſuppoſitione copulata ſeu collectiva.* 235.

Dub. IV. *De ſuppoſitione diſjunctiva.* 237

Dub. V. *De ſuppoſitione confuſa ſeu diſjuncta.* ibid.

DISPUTATIO XVII.

De quibuſdam aliis vocum ſuppoſitionibus copulam prædicationis reſpicientibus.

Dub. I. *De Ampliatione, ejuſque ſpeciebus.* 238

Dub. II. *De Diſtractione, & ſtatu Logico.* 240

DISPUTATIO XVIII.

De aliis vocum ſuppoſitionibus copulam non reſpicientibus.

Dub. I. *De natura appellationis Logicæ.* 241
Sect. I. *Quid ſit Appellatio Logica?* ibid.
Sect. II. *Qualitates requiſitæ in voce appellante & voce appellata.* ibid.
Sect. III. *Alia quædam de Appellatione.* 243
Dub. II. *Regulæ quædam pro dignoſcenda appellatione formali & materiali.* 244
Sect. I. *Prima & ſecunda regula.* ibid.
Sect. II. *Tertia & quarta regula.* 245
Sect. III. *Examinatur alia quædam Appellationis regula.* 246
Sect. IV. *Quædam hujus regulæ corollaria.* 247
Sect. V. *Solutio Quarundam obiectionum, contra ſectionem tertiam & quartam militantium.* 249
Dub. III. *De Determinatione Logica ejuſque ſpeciebus.* 251
Sect. I. *Explicatur natura determinationis in communi.* ibid.
Sect. II. *Explicatur diviſio Determinationis, & natura Alienationis.* 252
Sect. III. *Explicantur aliæ Determinationis ſpecies.* 253

DISPUTATIO XIX.

De oratione & propoſitione vocalibus.

Dub. I. *Quid ſit oratio vocalis in genere?* 254
Dub. II. *Quid ſit propoſitio vocalis in genere?* 255
Dub. III. *Quid ſit propoſitio ſimplex, quid compoſita?* 256

DISPUTATIO XX.

De partibus propoſitionis Categoricæ.

Dub. I. *Quid & quotuplex ſit terminus propoſitionis categoricæ?* 258
Dub. II. *Quid ſit ſubiectum & prædicatum?* 259
Dub. III. *Quid ſit nomen Logicum?* 260
Dub. IV. *Quid & quotuplex ſit verbum Logicum?* 261.

DISPUTATIO XXI.

De quibuſdam propoſitionis categoricæ diviſionibus deſumptis ex qualitate prædicati.

Dub. I. *Quid ſit prædicatio eſſentialis? Quid accidentalis?* 263
Dub. II. *Quid ſit prædicatio ſubſtantialis? Quid accidentalis?* 265
Dub. III. *Quid ſit prædicatio neceſſaria, quid contingens?* 267
Sect. I. *Definitio prædicati neceſſarii.* ibid.
Sect. II. *Definitio prædicati contingentis.* 269
Sect. III. *Reſolutio propoſitæ quæſtionis.* 271
Dub. IV. *Regulæ quædam ad dignoſcendas propoſitiones contingentes & neceſſarias.* 272
Dub. V. *Quid ſit prædicatio in* quid? *Quid prædicatio in* quale? *Quid prædicatio in* quale quid. 273
Sect. I. *Prædicare in* quid, *& in* quale *non eſt idem, quod prædicari eſſentialiter & accidentaliter.* 274
Sect. II. *Solutio aliquorum argumentorum.* 275
Sect. III. *Quid ergo ſit prædicari in* quid *& in* quale? ibid.
Sect. IV. *Quid ſit prædicari in* quale quid? 276
Dub. VI. *Quid ſit prædicatio completa, quid incompleta?* 277
Sect. I. *Quid ſit prædicari complete & incomplete?* ibid.
Sect. II. *Quid & quotuplex ſit prædicatum completum ac prædicatum incompletum.* 278
Sect. III. *Qui differant prædicari complete, & eſſe prædicatum completum.* 279
Sect. IV. *Reſolutio propoſitæ quæſtionis.* 280
Dub. VII. *Quid ſit prædicatio intrinſeca, quid extrinſeca? Quid partim intrinſeca partim extrinſeca?* 281
Dub. VIII. *Quid ſit prædicatio ſeu denominatio realis, quid rationis.* 282

DISPUTATIO XXII.

De aliis quibuſdam propoſitionis ſimplicis diviſionibus.

Dub. I. *Quid ſit propoſitio de ineſſe, Quid propoſitio modalis?* 283
Dub. II. *Quid ſit propoſitio ſingularis, particularis, univerſalis & indefinita?* 284
Dub. III. *Aliæ quædam propoſitionis diviſiones.* 286.

DISPUTATIO XXIII.

De requiſitis ad veritatem propoſitionum ſimplicium.

Dub. I. *Quænam requirantur ad veritatem propoſitionis concomitantis & cauſalis?* 287
Dub. II. *De requiſitis ad veritatem propoſitionis affirmativæ identicæ de ineſſe.* 288
Dub. III. *An ad veritatem propoſitionis affirmativæ requiratur exiſtentia ſubiecti aut prædicati.* 291
Dub. IV. *De propoſitione affirmativa modali & negativa de ineſſe.* 292

DISPUTATIO XXIV.

De proportione requiſita inter extrema propoſitionis ut de ſeſe mutuo poſſint prædicari.

Dub. I. *An, quomodo, & quando voces concretæ prædicari poſſint affirmativè de abſtractis?* 294.
Dub. II. *De prædicatione vocum abſtractarum.* 296.

Dedi, ſcripſi, ac complevi Coloniæ Agrippinæ, ad S. Auguſtinum, Anno Redempti mundi 1639. in feſto Sacroſanctæ, ac individuæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Ut potui, non ut volui: ſi, Judice Roma,
Haud bene quæ ſapiant; irrito, caſſo, nego.

FINIS.

APOLOGIA
PRO ANIMA SENSITIVA OVI,

A

Baliſtis & Fulminibus, quibus eam alma Marpurgenſis in Haſſia Univerſitas impugnat, & expugnare tentat, defenſa & manutenta.

IN QUA

Efficaciter oſtenditur, quod Ovum fæcundum anima ſenſitiva informetur, quodque ſit verum brutum, verumque animal.

AUCTORE

F. CHRISTIANO LUPO.

Yprenſi, Ordinis Eremitarum Sancti AUGUSTINI, quondam in Gymnaſio Bruxellenſi & Colonienſi, modò in Lovanienſi, Artium ac Sacræ Theologiæ Profeſſore.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]
[illegible]

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI,

D. GEORGIO,

HASSIÆ LANDGRAVIO,

Comiti in Cattimeliboco, Decia, Ziegenhaina, Nidda, Yſenburg, Budyngen, &c.

Domino meo Clementiſſimo.

ILLUSTRISSIME PRINCEPS,

AD Clementiſſimum ac Juſtiſſimum Celſitudinis tuæ tribunal appello ſupplex. Etenim concilium tuum, juſtam, an injuſtam, non dico, talem tamen, ex qua me gravatum cenſeo, adversùm me tulit ac ratificavit ſententiam. Et ad quem appellem, niſi ad te? Si enim ad Romanum Cæſarem; Cæſari non parebit. Si ad Romanum Pontificem; parebit illi longè minùs. Ad te ergo appello Celſiſſime Princeps: oro, ſupplicem ne ſpernas aut repellas. Cauſa quidem exigua eſt; Celſitudine tamen tua non undique indigna. Scimus enim te eſſe Principem ab avito avorum tuorum genio non degenerem, qui ſolebant non ſolorum Civium ac militum jura æquare in campo & curia, ſed etiam Doctorum ac Magiſtrorum in pulpito & ſchola. Nuper ergò, dum in alma Colonienſi Academia Philoſophiam profiterer, ſenſitivam fœcundi ovi animam profeſſus & tutatus ſum: idque potiùs ex joco & ſcholaſtico luſu, quam ex firmo animi mei ſenſu. Luſus hic vehementer diſplicuit Marpurgenſi tuæ Academiæ: Academicos ſuos convocaverunt, ac contra ovi animam à me ex luſu aſſertam fulminare ac baliſtare cæperunt. Et quia viribus ſuis non ſatis fidebant, Conſilii tui auxiliatricem ac protectricem manum implorarunt ac impetrarunt. Tacuiſſem ego, & meam victoriam credidiſſem meam patientiam, ſi illi id voluiſſent. At noluerunt: Per communes quippe literas me ad cauſæ meæ defenſionem impulere & compulere. Aſt quid? Neque ego viribus fido meis. Homine opùs habeo, qui me audiat, & inter me & illos juſtum & æquum Judicium diſcernat. Ad te ergo confugio Illuſt. Princeps: Confugientem, quæſo, ne ſpernas: Supplico, ut pro conſueta tua æquitate, utriuſq; partis momenta ac rationes audias, iiſq; diligenter ac maturè auditis ac intellectis, juſtum pro juſtitia judicium feras. Adverſæ profectò Doctorum tuorum rationes viſæ mihi ſemper fuere parum firmæ, parum Magiſtrales, parum viriles: unde Apologiam meam quidem oppugnarunt, an expugnarint, non credo, id judicabunt alii. Magis tamen firmis, magis virilibus argumentis aggreſſi ſunt meam Apologiam, quam aggreſſi hactenus fuerint Matrem noſtram, Romanam Eccleſiam. Vide ergò Celſiſſime Princeps, quam importunè & ſe & te ab illa dividant, & inconſutilem Domini tunicam, de qua milites, illam ſcindere non auſi, non niſi ſortiri præſumpſerunt, ſcindere præſumant. Vale, Illuſt. Princeps, teq; Omnipotens & Miſericors Deus ad ſacri Romani Imperii, Sanctæq; Matris noſtræ Romanę Eccl. gloriam & exaltationem (de hoc enim cur deſperem?) diu ſalvum ſervare dignetur & incolumem. Dabam Lovanii ad S. Auguſtinum, die 26. menſis Decemb. An. 1640.

Illuſtriſſimæ ac Celſiſſimæ Clementiæ tuæ officioſiſſimus,
Fr. Chriſtianus Lupus.

Fr. CHRI-

QUÆSTIO APOLOGETICA.

An Ovum fœcundum anima ſenſitiva informetur? ſitque verum brutum, verumque animal?

SECTIO PRIMA.

Reſolutio propoſitæ quæſtionis.

PRO *reſolutione*, adverto: quod ſicut Grammatici dividunt nomen in nomen analogum & nomen hetroclytum, ita quoque politiores Phyſici generationem viventis paſſim dividant in generationem analogam & in generationem hetroclytam. Nomen analogum eſt illud, quod ſequitur ordinarias nominum leges: ita generatio analoga ſeu ordinaria eſt illa, quæ fit ordinario propagationis modo. Eſt inquam illa, quæ fit per viam ſeminalem, per mutuam ſexuum ac ſeminum commixtionem ac fermentationem; hæc enim in animalibus eſt via propagationis ordinaria, regularis, & connaturalis. Nomen hetroclytum eſt illud, quod non ſequitur ordinarias nominum regulas, ſed in ſua declinatione, genere, vel terminatione ab ordinariis regulis exorbitat & deviat: ita quoque generatio hetroclyta eſt illa, quæ non fit per connaturalem & ordinariam propagationis viam, ſed fit via exorbitanti, & irregulari. Eſt inquam illa, quæ non fit per viam ſeminalem: hæc quippe ſola eſt viventium orbica & generationis ordinaria via. V. g. generatio hominis, equi, felis, muris, per ſeminum commixtionem, item generatio ranæ, gallinæ, bombycis per ovi incubationem ſunt generationes regulares & ordinariæ: fiunt enim ordinaria propagationis via. At verò generatio Adæ ea limo terræ, Evæ ex coſta Adæ, generatio Chriſti domini noſtri ex virgineo ſanguine, generatio muris ac ſcarabæi ea putri materia, generatio ranarum ex æſtiva pluvia, &c. ſunt generationes irregulares & hetroclytæ: non enim fiunt connaturali & ordinaria propagationis via. Diſtinctionem hanc non fingo ex meo capite (ſi tamen fingerem, non fingerem malè) ſed illam deſumo ex magno Patre meo Auguſtino *ſuper Gen. ad litt.* diverſis in locis. *Epiſtola* 49. *in ſolutione quæſtionis* 1. Item ex Sancto Thoma 1. *part. quæſt.* 71. *art. unico in corp.*

3. *Reſp. & dico primo*: Ovum fœcundum verè informatur ab aliqua anima. Eſt contra Carrerium *diſp.* 73. *cap.* 4. *ſuper Avicennam*, alioſque multos. Tenet tamen Ariſtoteles *l.* 3. *de hiſtoria Animalium c.* 7. licet *l.* 2. *de generat. animalium* innuere videatur contrarium. Et ſequuntur Medici quam plurimi: Citadinus *l.* 2. *cap* 69. *ſuper artem parvam*. Argenterius *ſuper eandem folio* 234. *titulo de temperamentis ſeſtium*. Capivaccius *l. de formatione fœtus*. Clariſſimum Belgii noſtri lumen Thomas Fienus *l. de vi formatrice fœtus*, *quæſt.* 5. Ejuſque mediatus ſucceſſor Clariſſimus D. Vopiſcus Fortunatus Plempius, qui ſuo diſertiſſimo eloquio, & elegantiſſimo calamo Belgicas noſtras Athenas, noſtrum inquam Lovanium, adhuc in dies per univerſum orbem celebre reddit, ab hac ſententia non abhorret *l.* 2. *de fundamentis Medicinæ*, *ſect.* 6 *c.* 7. *Probatur ergo*: Quia omne corpus, quod vitaliter operatur, hoc eſt animatum, & ab aliqua anima informatum; atqui ovum fœcundum operatur operationes verè vitales: ergo eſt verè animatum. Major eſt clara, neque quiſpiam ſanus illam negabit. *Probatur ergo minor*: Quia organizatio, ac ovi in pullum conformatio, oſſis, carnis, nervorum, plumarum, aliorumque ſimilium productio eſt verè vitalis actio & operatio; atqui has operationes ovum in ſemetipſo operatur: ergò ovum operatur operationes verè vitales.

4. Doctiſs. Carrerius *diſp.* 33. *ſuper Avicena. c.* 4. negat majorem. Sed revera nimis male. Quia nutritio & augmentatio ſunt evidenter actiones vitales: ut Carrerius negare non foret auſus. Atqui oſſificatio, carnificatio, membranificatio, plumificatio, omniſque alia ſimilis conformatio, & organizatio, eſt vera nutritio ac augmentatio: ut clarum eſt intelligenti terminos. Ergo certum eſt conformationem ac cujuſcunque viventis or-

gani-

ganizationem eſſe actionem verè vitalem. Certa ergo eſt argumenti noſtri major: neque ſcio quod illam quiſpiam Phyſicus, aut Medicus negaverit Carterio excepto. Difficultas itaque eſt circa minorem: illam enim negant omnes, qui ovo animam adſcribere nolunt.

5. *Illa ergo probatur:* Quia ovum, dum calore ſibi proportionato ac bene temperato fovetur, utpote per incubationem gallinæ, per aquam tepidam, per tepidum furnum, per mammas muliebres, per axillas humanas, ut tradunt Ariſtoteles *l. 6. de Hiſtoria animalium c.* 2. Et Plinius *tomo* 1. *l.* 10. *c.* 52. 53. 54 & 55. conformantur in pullos. Similiter uti docet experientia, ejuſque teſtis mihi eſt Clariſſimus Thomas Fienus, ova piſcium & ranarum, tempore verno, cum aqua imprudenter potata aliquando conformantur, & organizantur in ſtomacho humano. Item ova bombycum in fine veris conformantur & organizantur ſeipſis, ſine ulla extrinſeca incubatione vel fotione; conformantur enim in ciſta vel ſcrinio poſita. Hujuſmodi conformationis & organizationis oportet aſſignare aliquam cauſſam creatam principalem; atqui illa nequit eſſe alia quam anima ovi: ergo ovum per ſuam animam verè in ſe agit & operatur haſce actiones & operationes. *Probatur major:* Quia non vacat exiguis rebus adeſſe Jovem. Et ut ſæpiſſime tamquam pro regula & maxima aſſumit S. Auguſtinus *ſuper Geneſ. ad lit.* Deus à die ſeptimo, quo requievit ab opere ſuo, ordinarias rerum generationes non exequitur per ſe, ſed per cauſas ſecundas ad id officii agendum à ſe creatas; ideo enim illis dixit, *Creſcite & multiplicamini & replete terram:* per quæ verba rebus creatis potentiam generativam collatam eſſe tradunt ibi communiter expoſitores. Unde meum axioma eſt, in rebellionibus pravæ voluntatis ad Deum recurrit pius Catholicus; in ordinariis verò phyſicis difficultatibus non niſi deſperatus vel ignorans Philoſophus. Oportet ergo hujus organizationis aſſignare aliquam cauſſam principalem creatam: hæc quippe organizatio non eſt actio hetroclyta, ſed quam maximè ordinaria, ut dixi in capite hujus quæſtionis.

6. Quod verò hæc cauſa non poſſit eſſe alia, quam anima ovi, facilè probari poteſt diſcurrendo per ſingula. Non enim poteſt eſſe ſol aut aliud aſtrum, neque calor fovens, neque aer circumſtans, neque forma ovi (talem enim ovo dat Carterius) inanimata: Quia ut rectè illuſtriſſimus Dublinienſis Archi-Epiſcopus, noſtrarumque Athenarum inſigne quondam columen, Hugo Cavellus *diſp.* 1. *de Anima*, *ſect.* 18. iſta omnia ſunt inanimata & vitæ expertia; organizatio verò viventis eſt actio vitalis: atqui actio vitalis fieri nequit à principio inanimato; ſed principium ejus principale neceſſariò eſſe debet vitale: ergo hæc omnia non poſſunt eſſe hujus operis principalis cauſſa. Neque etiam eſſe poteſt aliquis Angelus: Quia Theologi non ſolent tantam angelis adſcribere efficaciam. Neque etiam eſſe poteſt anima gallinæ incubantis: Quia gallina incubans nihil confert ovo amplius, quam illi conferat fimetum, furnus, ſtomachus humanus, mammilla, axilla, &c. Atqui hæc omnia non efficiunt ovi organizationem, ſed ſolummodo conferunt ovo actuationem, ac vivificum calorem, quo anima ovo inexiſtens excitatur ad operandum, & materiam ſuam organizandam: ergo ſimiliter gallina incubans non confert ovo organizationem, ſed ſolum animæ excitativum calorem. Supereſt itaque ut ſit anima ovo inſidens, ovumque informans.

7. Ludovicus du Gardin, in declamatione quadam quodlibetica contra Thomam Fienum Duaci habita, dicit cauſſam hujus conformationis, & organizationis eſſe ſpiritum vitalem, vivificum, prolificum, conformatorem, &c. ovo inſidentem. Hic, inquam, ſpiritus, ut vult du Gardin, efficit organizationem ovi, non quidem virtute ſua propria, ſed virtute aliena avium, quæ illum ovo impreſſerunt, quarumque hic eſt ordinarium inſtrumentum activitate ſeparatum. Ovum enim eſt avium ſemen; adeoque philoſophari oportet de conformatione ovi, ſicut philoſophamur de conformatione ſeminis equini, vel humani: atqui ſemen equinum conformatur à ſpiritu prolifico, tamquam ſeparato parentum inſtrumento: ergo hic ipſe ſpiritus etiam conformat ovum. Philoſophia hæc in modernis ſcholis eſt communiſſima, à qua etiam non abhorret Clariſſim. C. Plempius *loco ſup. cit.*

8. Sed Clariſſime Domine, doleo te hic non ſuccedere Thomæ Fieno in veriſſima ejus ſententia, ſicut ei ſucceſſiſti in regia ejus cathedra. Nam ſanè, ſalva Claritudinis tuæ gratia, reſponſio hæc parum ad rem facere videtur. Ego enim hic non quæro quæ ſit organizationis cauſſa inſtrumentalis, ſed controverto de cauſſa principali; quam ego dico non poſſe eſſe aliam, quam ovo inſidentem animam. Tu dicis eſſe formam, animam, ſeu facultatem generantis, cujus ſpiritus ille ſemineus ſit ſeparatum activitate inſtrumentum. Sed quominus huic philoſophiæ fidem habeam, *facit hæc ratio:* Quia cauſſa principalis debet eſſe vera cauſſa, debet verè cauſſare, vereque agere: vox enim, *principalis*, vocem, *cauſſa*, neque diminuit, neque alienat; ſed ſolummodo reſtringit, attollit, ac nobilitat. Atqui anima generantis, v. g. in noſtro hoc caſu anima gallinæ, quæ ovum produxit, conformationem non agit, neque cauſſat; quomodo ergo eſt cauſſa ejus principalis? *Patet minor:* Quia conformationem agere & cauſſare eſt actionem conformativam ex ſua entitate emittere, illamque à ſua entitate dependentem & exeuntem habere: atqui actio conformativa nequaquam exit, egreditur aut dependet ab anima generantis: nec enim exire aut dependere poteſt à re non exiſtenti, vel certè longè abſenti. Ergo anima gallinæ, quæ ovum poſuit, non agit neque cauſſat actionem ovi conformativam. Qui ergo credam illam hujus operis eſſe principalem cauſſam?

9. *Dices:* Agit illam non immediatè per ſe, ſed mediatè, mediante illo ſemineo ac prolifico ſpiritu, quem ſui in hoc opere vicarium ovo impreſſit ac communicavit. *Sed neque hæc philoſophia meam impetrabit fidem:* Nam cauſſa principalis debet agere verè: etenim principaliter agere eſt verè agere. Atqui mediatè agere non eſt verè agere: cum non ſit actionem à ſua entitate

depen-

dependentem, & exeuntem habere. Ergo ſi anima gallinæ matris, aut galli patris conformationem ovi ſolummodo mediatè agit, ſanè illam non verè agit, neque eſt cauſa illius vera. At ſi non vera, quomodo principalis cauſſa? Oportet ergo quærere aliam hujus operis veram principalem, & immediatam cauſſam: quæ ſi ſit alia quam ovo inſideas anima, oro te illam ne me cela, babebiturque immortalis gratia.

10. Deinde ego debilioris ſtomachi ſum, quam ut iſta ab actione & actuali cooperatione ſuæ principalis cauſſæ ſeparata inſtrumenta valeam digerere. De quibus pulchrè dixit Thomas Fienus *l. de vi formatrice fœtus qu.* 6. *& in apologia contra Sancta-crux. Et ratio breviter eſt hæc:* Quia inſtrumentum non poteſt effectum producere ſe ſolo, ſed debet adjuvari, elevari, moveri ac per totam ſuam actionem dirigi à cauſſa principali: inſtrumentum enim agere debet in virtute cauſſæ principalis. Atqui agere in virtute ſeu per virtutem cauſſæ principalis eſt agere per actionem cauſſæ principalis, ſive eſt aſſumi & elevari ad actionem cauſſæ principalis: ergo nullum dari poteſt inſtrumentum ab actuali cooperatione ſuæ cauſſæ principalis ſeparatum.

11. Sed Clariſſimus D. Plempius omninò vult hujuſmodi ſaparata inſtrumenta à politi philoſophi ſtomacho eſſe digeſtibilia. Etenim *Lib.* 2. *de fundam. medic. ſect.* 4. *cap.* 1. *& ſect.* 6. *cap.* 7. impulſum locomotivum dicit eſſe hujuſmodi inſtrumentum à concurſu & cooperatione projicientis ſeparatum. Idque putat eſſe tam firmum, ut nulla ratione, nullo argumento fortificet: quaſi verò nullus reperiatur tam animoſus, qui illum murum auſus foret arictare; qui iſtum impulſum eſſe ſeparatum activitate inſtrumentum foret auſus negare. Aſt quid? Clariſſimo iſti philoſopho fidem haberem quam libentiſſimè. Non poſſum tamen. Dicit enim magnus ille pater meus, Epiſt. 85. *Qui ea, quæ intelligenda ſunt, credenda tantummodo extiſtimat, cui rei fides proſit, ignorat.* Quia ergò communem hanc philoſophiam non intelligo; ideo neque credo. Si enim illam, quantumvis à principe illo Philoſopho probatam ac ſigillatam, crederem & non intelligerem, nonnè magni mei Patris cenſuram incurrerem? Nonnè cui rei fides proſit ignorarem? Ignorarem omninò.

12. Dico ergò impulſum iſtum loco-motivum eſſe cauſſam ſeparatam ab actione & concurſu projicientis; ſicut ego ſum cauſſa ſeparata à cooperatione mei parentis. Etenim ſicut ego operor ſine cooperatorio patris mei auxilio, ita ille operatur ſine cooperatorio auxilio projicientis. Sed nego planè illum eſſe cauſſam inſtrumentalem, ſeu inſtrumentum activitate ſeparatum. Illu, inquam, impulſus nequaquam eſt cauſſa inſtrumentalis; ſed eſt ſui effectus cauſſa verè principalis. Adeoque hic impulſus nihil omninò facit pro inſtrumentis activitate ſeparatis. *Moveor hac ratione:* Quia omnis cauſſa, quæ producit effectum ſe ignobiliorem virtute ſua propria, eſt cauſſa principalis: quidni enim foret? Atqui hic impulſus producit effectum ſe ignobiliorem virtute ſua propria: ergò eſt cauſſa verè principalis; non autem inſtrumentalis. Quod producat effectum ſe ignobiliorem, *eſt evidens:* Quia effectus ejus eſt ubicatio corporis projecti: atqui hic impulſus eſt longè nobilior ubicatione: ubicatio enim tenuis modus eſt; hic verò impulſus eſt ſolida & activa qualitas. Ergò hic impulſus producit effectum ſe ignobiliorem. Quod producat illum virtute propria, *etiam eſt evidens:* Quia effectus virtutis propriæ vocatur is, qui naturali activitati, naturalique alicujus cauſſæ virtuti & efficaciæ eſt proportionatus: atqui ubicatio eſt effectus nativæ virtuti, activitati, & efficaciæ hujus impulſus proportionatus: hic quippe impulſus ex natura ſua, ex ſua nativa virtute eſt qualitas loco motiva, & ubicationis productiva. Ergò producit iſtam ubicationem virtute ſua propria. Adeoque hic impulſus producit effectum ſibi inferiorem virtute propria: quid ergò illi deeſt, quo minus ſit cauſſa verè principalis? Nihil omninò. Unde hic impulſus nihil confirmat femineum illum ſpiritum tot vanis ac alienis titulis à Ludovico du Gardin fucatum. Nihil, inquam, confirmat vel iſtum femineum ſpiritum, vel qualitatem huic ſpiritui inſidentem. Ego enim per omnem meam phantaſiam non intelligo, non capio, non apprehendo, quomodò mortuus ille ſpiritus, vel illi mortuo mortua inſidens qualitas poſſit ſe ſola ſine auxilio ullius cauſæ ſuperioris tam nobilem vitalem actionem principiare. Si quis hoc capiat, miror quare captum ſuum nobis non explicat.

13. *Dono concluſioni meæ hanc adhuc rationem:* Quia eadem cauſſa conformationem, ovi ſive conformationem pulli intra ovi corticem incluſi inchoat, quæ conformationem pulli jam ovo excluſi perficit, complet ac conſummat. Conformatio enim pulli ovo excluſi adhuc valde informis & imperfecta eſt, caro adhuc fluxa, totaque humida, & viſcoſa: oſſa magis cartilago, quam oſſa. Illa ergo cauſſa conformationis opus intra ovi corticem inchoat, quæ poſtmodum oſſa, carnem, nervos, plumas, ungues, aliaque membra & organa conſolidat, perficit, ac augmentat. Atqui cauſſa conſolidans eſt anima pulli: ergo illa etiam fuit cauſſa primæ conformationis opus aggrediens & inchoans. De minori non credo eſſe Philoſophum, qui dubitet: de majori verò quare dubitares? Nam quod ſignum? quod veſtigium? quæ præſumptio tibi de variata cauſſa conformante ingereret ſuſpicionem? Quomodo enim anima poſſet tam præcisè proſequi filum conformationis ab alia cauſa inchoatæ? Quomodo non erraret? Quomodo non deviaret? Eſt omnino eadem cauſſa, quæ conformationem inchoat cum illa, quæ eam complet & conſummat. Etenim ut dicit Galenus *l. de formatione fœtus c.* 17. 19. *&* 21. cui non abſimilia habet Philoſophus *l.* 2. *de generat. c.* 3. illud ſingulas corporis partes conformat, diſtinguit, & organizat, quod poſtea eas conſervat, eis utitur, eaſque gubernat: atqui id, quod partes jam formatas gubernat, eiſque utitur & conſervat, eſt anima: ergo hæc ipſa eſt, quæ illas conformat, diſtinguit, & organizat. Alias rationes quam plurimas habeo: ſed eas omitto, quia hic non mangonizo, ſed unico tantum verbo meam philoſophiam, quam quidam abſurdam putant, modeſtè excuſo.

14. Di-

14. *Dico ſecundò*: Ova non ſolùm informantur ab aliqua anima, ubi incæperint incubari & conſormari, ſed antequam à gallina, aut alio animali oviparo emittantur; aoimantur & ab anima informantur intra maternum uterum. Eſt contra Thomam Fienum *l. de vi format. Fœtus, q. 5. ad. 4. argument. è ratione deſumptum. Probatur*: Quia cauſſa debet præcedere ſuum effectum: atqui, ut jam dixi, anima ovo inſidens eſt cauſſa conſormationis: ergo anima ineſt ovo, antequam inchoetur ovi conſormatio. Deinde, ſi ovum accipiat animam extra maternum uterum, peto quænam ſit cauſſa principalis hanc animam producens? Nec enim poteſt eſſe Deus, neque ſol, neque aliquis Angelus, neque gallina incubans, neque calor furni, aut fimeti, uti dixi ſupra *in concluſione* 1. Supereſt ergo, ut ovum accipiat animam intra maternum uterum, ſicut accipiunt omnia alia animalium ſemina. Præterea, niſi ovum accipiat animam à matre intra maternum uterum, tunc una gallina non generaret aliam: illud enim fœtum generat, quod fœtui animam imprimit, ac communicat. Atqui hoc abſurdum eſt: ergo & id, unde ſequitur.

SECTIO SECUNDA.

Proponuntur & ſolvuntur quædam argumenta.

15. OBjicies primò: Si ovum ſit animatum, ſi anima ovi ovum conformet ac organizet, ergo etiam ſtercora fimeti, ex quibus generantur vermes & ſcarabæi, item æſtivales pluviæ, ex quibus generantur ranæ, & id genùs alia plurima erunt animata; eorumque anima erit iſtius organizationis & conſormationis cauſa: Atqui hæc omnia incredibilia ſunt, paradoxa ſunt, abſurda ſunt: ergo etiam tale eſt eorum antecedens. *Reſpondeo negando minorem*: Et dico materias illas ante inchoatum conſormationis opus eſſe verè animatas. v.g. dico ſtercus fimeti, quod conſormatur in ſcarabæum, item materiam æſtivæ pluviæ cum arena viſcoſa permixtæ & fermentatæ, quæ conſormatur & organizatur in ranam, ante inchoatum conſormationis opus eſſe verè animatam. Et huic dicto ita firmus inſiſto, ut nullo fermè anxier ſcrupulo. *Et ratio me movens eſt eadem*: Quia iſta iſtius materiæ conſormatio eſt verè vitalis operatio, adeoque fieri debet à principio vivo. Item iſta conſormatio ab eodem illo principio inchoatur, à quo poſtea completur & conſummatur; atqui principium vivum iſtam iſtius materiæ conſormationem poſtea complens, perficiens & conſummans eſt anima iſtam materiam informans: ergò illa ipſa fuit conformationem iſtam inchoans, adeoque materia iſta fuit animata, antequam vitalis ejus conſormatio fuerit inchoata.

16. Deinde, ut inquit eximius magiſter meus vir toto Belgio, totoque Clariſſimus Lario Michael Paludanus 1. 2. diſp. 12. part. 5. *Corporis humani*, ac etiam cujuſcumque alterius viventis, *organizatio eſt res prorſus ſtupenda, inter creaturas corporales longè primarium omnipotentiſſimæ manus, & artificis omnium ſapientæ opus, natum (ſi quis id ſigillatim penetrare poſſit) longè ampliùs intuentem extra ſe rapere in Dei admirationem, quam immenſa Cœlorum cum omnibus ſuis orbibus & ſtellis, motibus & influentiis fabrica*. Quia ut rectè Andreas Laurentius *lib. 1. hiſtoriæ anatho. cap.* 6. mirum eſt, quot in corpore organico ſint oſſa, cartilagines, nervi, venæ, arteriæ, membranæ, juncturæ, menſuræ, proportiones, motus, &c. de quibus vide inſignem Ordinis noſtri Magiſtrum Gregorium Daineſſ *lib. 1. de triplici mundo cap.* 10. Atqui hæc omnia attribuere activitati alicujus cauſæ mortuæ & inanimæ, neſcio quis poſſit? Quomodo enim cauſa inanima valeat in opus hoc divinum? Ergo omnino dicendum eſt, quod hoc ſit opus alicujus viventis animæ; ideoque quod ante inchoatam materiæ organizationem jam perfecta ſit materiæ animatio: quod introducta ſit anima, quæ nobiliſſimum hoc opus inchoet, continuet ac conſummet. Etenim, ut *ſect.* 1. ex Galeno dicebam, illud organizationem inchoat, continuat ac conſummat, quod poſtmodum partes organizatas gubernat; atqui id, quod partas organizatas gubernat, eſt anima: ergo etiam id, quod partes organizat, debet eſſe anima. Si cui hæc philoſophia non placeat, oro illum, ut mihi meliorem ſuggerere non pigeat.

17. *Sed dices*; Unde hæc materia acquiſivit animam? Unde ſtercus fimeti animam ſcarabæi, unde viſcoſa arena per viſcoſam æſtivam pluviam actuata & fermentata acquiſivit ranæ animam? Nec enim præſens hic eſt aliquod vivens, quod huic materiæ potuerit infundere aut ingenerare animam. Hic pauſo, hic hæreo. Etenim *hoc opus, hic labor eſt*. Mallem hic audire quam loqui, mallem ſcribere, quam dictare. Et ſanè quid ni hæream? Hæret hic enim etiam Libertus Fromondus Philoſophus apud Lovanienſes noſtros dudum emeritus & jubilatus, qui *lib. 5. metheor. c. 6. art. 4.* maluit hanc rem alto ſilentio premere, quam quidquam temerè dicere. Hæret hic etiam Illuſtiſſimus Archi-præſul Hugo Cavellus *diſp. 1. de anima ſect.* 15. Qui tamen ſe reſolvit, dicitque huic materiæ imprimi ac donari animam ſecuturæ organizationis cauſam & dominam ab ipſo authore naturæ, ab ipſo Deo. Et adſtipulatur nobis Cl. D. Plempius *lib. 2. de fund. ſect. 1. c. 5. & 6.* Cœlum enim id non poteſt: Quia ut rectè S. Aug. *lib. de duabus animabus, & l. 11. de Civit. cap.* 16. Anima muſcæ eſt cœlo nobilior, ac entitativè eminentior. Adeoque cum hæc hetroclyta hujus materiæ animatio non fiat ab aliqua cauſſa propria & particulari, fieri debet ab aliqua cauſſa communi & univerſali: quæ quia non poteſt eſſe cœlum; reſtat ut ſit ipſe benedictus cœli Deus. Neque hoc mirum eſt: quia hæc hujus materiæ animatio non eſt ordinaria, ſed extraordinaria & hetroclyta; adeoque non ſequitur ordinarias ordinariæ propagationis regulas & cauſſas: ſed fit ab aliqua cauſſa extraordinaria, ab ipſo nimirum Deo. Qui quia iſti propagationis viæ dignatus non fuit in ortu ſæculi providere de ordinaria principali cauſſa creata, ideo non dedignatur illi per ſæculi curſum providere de extraordinaria potentiæ ſuæ aſſiſtentia. Fortaſſe ideo, ut hominibus atheis, & de quotidiana Dei providentia diffidentibus aliquod firmum

Digitized by Google

enum ejus veſtigium imprimeret, ac maledictum diffidentiæ ſpiritum ioexcuſabilem redderet.

18. Deus tamen *hanc* hujus materiæ animationem non cauſſat neque perficit ex ſe à nulla cauſſe creata ad id excitatus & provocatus: id anim noo ſolet providus familiæ Pater. Quod adeò verum eſt, ut na quidem hominum juſtificetionem, quæ tamen opus illi ſoli proprium eſt, ex ſa perficiet niſi eh aliquo hominis facto, vel aliquo ſuo Sacramento ad id provocatus & excitetus. Similiter ergo hic ad hanc hetroclytam animationam ſeciendem Deus excitatur & invitatur ab eliqua cauſſa, vel aliquibus cauſſis ſecundis. Nam neturalia active naturalibus paſſivis applicata id velent, ut varie eccidentia, vaslas qualitates, primas, & ſecundes, variamque earum temperaturam, ec ſymmetriam in ſibi ſubjecta materia producant: quæ temperatura ſæpe eſt accommodum elicujus viventis temperamentum: ſæpe eſt ad viventem animam proportionata via, præperatio ec diſpoſitio. Sæpe, inquam, iſta temperetora & diſpoſitio eſt telis, ut introductio ſenſitivæ animæ illius ſubjecto non ſolum ſit congrue; ſed etiem debita. Tunc itaque Deus dives in omnes, in omnem ſuam creaturam beneficus, largus & magnificus, ſubjecto illi debitum non recuſat; ſed quod ſolvere non poſſunt cauſſæ creatæ, ipſe per ſe ſoluit & donat. Ipſe, inquam iſti ſubjecto, illius diſpoſitionibus, ajuſque qualitatum temperaturæ proportionatam largitur animam. Naturalie itaque activa diſponunt materiam, Deus introducit animem: anima verò introducta materiem conformat & organizat, ſibique congruum ex ee domicilium, & habitaculum præperat.

19. *Objicies ſecundo*: Anima non poteſt intrare aut inhabitare materiam indiſpoſitam: atqui in ovo non ſunt requiſitæ diſpoſitiones: argo anima nequit ovum inhabitare & informare. *Probatur minor.* Quia illæ requiruntur diſpoſitiones ad animæ informationem, quæ requiruntur ed ejus operationem; informatio enim aſt propter operationem: edeoque anima non poteſt ibi informare, ubi non poteſt operari. Atqui anima in ovo non poteſt operari: neque in ovo ſunt diſpoſitiones requiſitæ ad enimæ operationem. Ergo neque ſunt in illo diſpoſitiones requiſitæ ad enimæ informationem: edeoque enima oequit informare ovum. *Reſp. Neg. min. utriuſque ſyllogiſmi.* Uti enim jam oſtendi, anima in ovo verè operatur operationes vitales: adeoque habet in ovo omnes diſpoſitiones ad operendum & informendum neceſſarias & requiſitas. Neque enim diſpoſitio ad introitum animæ neceſſaria eſt materiæ conformatio & organizatio: nullo modo. Sed eſt ſola mutua ſeminum commixtio, actuatio, temperatura, ac fermentatio: atqui in ovo fœcundo eſt hujuſmodi mutua ſeminum commixtio & fermentatio; ovum quippe fœcundum nihil eſt aliud, quam utriuſque ſexus ſemine inter ſe commixta, actuate, temperata & fermentata. Ergo in ovo eſt omnis illa diſpoſitio & temperatura, quam ed ſuum introitum prærequirit anima. *Ratio majoris eſt*: Quia illa diſpoſitio aſt neceſſaria & ſufficiens ad recipiendum enimæ introitum & informationem, quæ eſt ſufficiens ad recipiendam animæ operationem: atqui diverſi ſexus ſemine inter ſe commixta & fermentata ſunt ſubjectum capax, in quo enima inchoet ſuas vitales operationes; ut dixi hactenus, & dicerem adhuc pluribus, niſi hic meam Philoſophiem ſolummodò excuſarem: ergò ſunt etiam ſubjectum capax, in quo anima inchoet ſuam informationem; edeoque diſpoſitio ad introitum animæ ſufficiens & neceſſaria eſt ſola illa mutua ſeminum temperatura.

SECTIO TERTIA.

Solvuntur quædam alia argumenta.

20. OBjicies *tertiò*: Calor gallinæ incubantis, furni, fimeti, vel alius quivis eſt cauſſa ovum conformans & organizans: ergò pro invenienda hujus conformetionis cauſſa oon oportet in ovo fingere animam. *Probatur Ant.* Quia illud eſt cauſſa alicujus actionis, quo poſito vel ablato etiam ponitur vel aufertur actio: atqui ovi conformatio incipit vel deſinit ad poſitionem vel daſitionem caloris: Ergò calor eſt cauſe hujus conformationis. *Reſp. Neg. ant.* Ego ſanè tem levis corde non ſum, ut calori, accidenti cuidam, primæ qualitati, tantam efficaciem in tem nobilem actionem, imò in tam nobiles actiones (conformatio enim non unica actio, ſed infinitæ propemodum actiones ſunt realiter & eſſentieliter diverſæ, ut dicebam ſupra ex Andrea Laurentio) edeſſe credam. Calor poteſt calefacere: et verò oſſe, carnem, membranes, arterias, nervos, ongues, plumas, aliaque ſimilie generare non plus poteſt, quam ego poſſim modò Cardinales creare. *Ad probationem itaque antecedentis nego maj.* Nam tollatur vel ponetur localis applicatio ignis ad lignum, etiam tolletur vel ponetur ejus calefactio. Numquid temen iſta applicatio aſt calefactionis cauſſa? Nequaquam: Eſt ſolùm pura conditio. Similiter hic fit in ovo: Ovum ut conformetur, calefieri debet, foveri debet. Iſte tamen calor ovum foveos non eſt nullatenus conformationis cauſſa; ſed ſolummodo quædam conditio conformationi prævia ac prærequiſita. Calor ergò iſte enimam, quæ ovo inſidet, otiantem & quaſi ſopitam excitat, & ad inchoandum conformationis opus invitat. Omnis enim eoima iſtius conditionis eſt, ut operari non poſſit, niſi materia ejus humectetur & calefiat: niſi inquam ejus materia per humorem & calorem foveatur, & ad animæ actiones recipiendas diſponatur. Patet hoc in enima noſtra humana, omnibuſque aliorum perfectorum animalium animabus: Niſi anim corpus noſtrum per humidum radicale & calorem vitalem foveatur, non poteſt in illo anima operari: Neque poteſt anima illud informare. Patet hoc item in ſeminibus herbarum: Quorum anima otiatur & ab omni opere ceſſat, donec fuerint terræ implantata: Ibi enim primò humectari ac calefieri incipiunt: Adeoque tunc primùm ſuum otium abrumpunt, ac in vitale germinationis, frondificationis, florificationis, omniſque alterius ſuæ organizationis opus erumpunt. Patet idipſum in omnibus arboribus: Quæ tota hieme quaſi dormiunt,

minuunt, otiantur, & vivere quaſi deſinunt. At verò adventante vere, ubi à vivifico calore ſolis, tepidiſque vernarum noctium pluviis ac roribus foveri, humectari, ac tepefieri incipiunt, ſomnum ſimul cum otio excutiunt: Germinare, frondificare, florificare, aliiſque organizationibus ſeſe polire & ornare denuò incipiunt. Similiter fit in ovo; ovum verè habet animam: Sed quid? Anima ſopita eſt, alto premitur ſopore, operari non poteſt. Debet ovum tepefieri ac calefieri. Quod ubi incæperit, tunc anima exurgit, otia abrumpit, & conformationis opus operari incipit. Hoc ergo calor gallinæ præſtat ovo, quod calor ſolis præſtat arboribus, herbis & earum ſeminibus: Atqui calor ſolis illa non organizat; ſed ſolummodo animas eorum ad organizationis opus inchoandum excitat: Ergò ſimiliter calor gallinæ, furni vel fimeti ovum non organizat; ſed ſolummodò animam ovo inſidentem ad opus illud inchoandum excitat.

21. *Aſt quid dico?* Novi ego homines ovo animam tam malevolè invidentes, ut ne illam confiteri compellantur, totam arborum, plantarum, ac ſeminum organizationem à verno ſole, ejuſque vivifico calore proficiſci & effici credant & profiteantur. Sed tu Cardane compeſce illos, confunde illos: indignam enim philoſophiam nobis obtrudere conantur. Cardanus itaque *lib. 4. ſubtilit.* tradit nobis viam ac methodum, qua brumalem horti tui aerem, eiſque rigentem terram ita humectare ac tepefacere valeas, ut omnes ejus herbæ frondeant, floreant, ac germinent non minùs in rigida hyeme, quam in tepida æſtate. Quam artem videtur etiam noviſſe Entellus ille, cujus hortum, ut ſcribit Martialis *lib. 8. Epigram.* tota hyeme germinantes ac fructificantes exornabant vineæ. Item mihi hæc dictanti in memoriam venit induſtria noſtrorum in Flandria villicorum, qui arborum, omniumque herbarum germinationem, frondificationem, florificationem, ac fructificationem appoſita viva calce norũt non ſolummodo accelerare, ſed etiam excitare & inchoare. Similiter hordeum, triticum, aliaque ſimilia ſemina, ſi rigidiſſimo etiam hyemis tempore in tepido hypocauſto ponantur, ibique humectentur, ac aqua aſpergantur, ſtatim germinare, ac vitaliter incipient operari. Unde vernus & æſtivus ſol plantis & arboribus nihil confert amplius, quam conferat illis ars Cardani aut Entelli: Quam conferat illis viva calx noſtrorum in Flandria villicorum: aut humidus tepor, & tepidus humor alicujus hypocauſti. Atqui hæc omnia iſtas vitales organizationes effectivè non cauſant; ſed ſolummodo ſopitam animam ad illas efficiendas excitant: ergo ſimiliter ſol eas non cauſat, ſed ſolummodo animam invitant & excitat. Et ſanè quomodo illas cauſaret? Illæ operationes verè vitales ſunt. Adeoque tota ſolis facultate longè ſuperiores & eminentiores. Deinde ſi illas efficiat ſol; quid ibi facit anima? Nunquid enim anima juxta Philoſophum eſt illud, quo vivimus, nutrimur, augmentamur, movemur, ſentimus &c.? Omnino ergo iſtæ vitales operationes fiunt ac fieri debent ab informante anima.

22. *Objicies quartò:* Organizatio Ovi eſt corruptio ovi; adeoque cauſſa ovum organizans eſt cauſſa ovi temperiem deſtruens ac corrumpens: ergò ovi organizatio fieri non poteſt ab anima, quæ ovo inſidet, ovumque informat. *Antecedens patet experientia.* Ovum enim, ſtatim ac conformari incipit, ſtatim quoque totum alterari, fermentari, ac corrumpi incipit. *Conſequentia verò probatur:* Quia nulla forma deſtruit temperamentum ſubjecti à ſe informati: atqui forma ovum conformans & organizans eſt cauſſa ovi temperamentum corrumpens ac deſtruens: ergò forma ovum conformans nequit eſſe anima ovum informans. De hoc argumento apud diverſos diverſa legi: modò tamen neque lubet, neque vacat ſingulorum opiniones ponere. Faciemus id ſemel aliàs nacti majus otium, ac tempus magis opportunum. Nunc ergò ad argumenti formam breviter & uno verbo.

23. *Reſp. negando conſeq. & majorem probationis:* Vel potiùs *diſtinguo illam:* Nulla forma deſtruit temperamentum ſubjecti à ſe informati per actionem purè corruptivam: *Sic diſſimulo; ſic abire permitto.* Nulla forma deſtruit temperamentum ſubjecti à ſe informati per actionem converſivam ejus in aliud temperamentum melius, nobilius, vel utilius; *Sic planè nego.* Hoc enim facit non ſola anima ovi; ſed & anima cujuſcumque fœtus humani, equini, bovini. Neque ſolùm anima fœtus adhuc fluidum ſperma incolens; ſed & animalis perfecti jam in firmo & ſolido corpore conſiſtens. Quid enim apud Medicos vulgarius, quam temperamentum cartilaginis ab anima tranſmutari ac converti in temperamentum oſſis? Pulchrum quid de hac re habet Cardanus *lib. 14. de rer. variet. cap.* 76. Refert quemdam fuiſſe, quem juſtitia civilis laqueo perimere & ſuffocare non poterat. Id à populo inter miracula habitum eſt; ſemperque habitum fuiſſet, niſi cartilago aſperæ arteriæ in os converſa & conſolidata, miraculi fucum deterſiſſet. Ecce cartilago eſt ſubjectum ab anima informatum: atqui anima temperamentum ejus corrumpit, ac in temperamentum oſſis convertit: ergò poteſt anima corrumpere temperamentum ſubjecti à ſe informati, illudque convertere in aliud. Refert Aloyſius Almeida ſcribens ex Japonia anno 1566. ibidem eſſe animal quoddam ſylveſtre, canibus noſtris non abſimile; niſi quod breviora crura habeat, ac eſui humano ſerviat. Hoc, inquam, animal cum ſeneſcere incipit, etiam mare frequentare, ac ſe natatui aſſuefacere incipit: in quo exercitio omnia ſua organa tranſmutat, ac ſe in piſcem transfigurat. Simile quid videmus in bombycibus noſtris: Hæ primò ex ovo fiunt vermes: deinde ex verme fiunt animal quoddam informe, ſine pedibus, ſine villis: tum alas ſibi fabricant, ac in quaſi ſcarabæum conformant. Ecce numquid ibi anima temperamentum & organa ſubjecti à ſe informati deſtruit, ac in alia convertit? Quid ni ergò id faciat anima ovi? Facit id omninò.

24. Neque hoc eſt proprium ac peculiare in anima Ovi; ſed commune & vulgatum in anima cujuſcumque novi fœtus & embryonis. Etenim anima ſeminis terræ implantati temperamentum ſeminis planè deſtruit ac in temperamentum frondis,

Digitized by Google

dis, floris, corticis, trunci, radicis convertit. Item anima ſemini humano infuſa ſtatim incipit deſtruere ac demoliri temperamentum ſeminis, ac introducere temperamenta membranæ involventis, oſſis, nervi, arteriæ, cartilaginis, tendinis, aliarumque partium ſpermaticarum. Rideo enim ego quoſdam Philoſophos ac Medicos credentes hæc omnia fieri, non per vitalem animæ infuſæ actionem, ſed ſolummodò per caloris exſiccationem, torrefactionem, ac incruſtationem. Ergò ſimiliter anima Ovi, ubi foveri, ac incubari, & ad operandum excitari incipit, etiam incipit temperamentum ovi impugnare ac demoliri, ac temperamenta organica temperamento ovi nobiliora, eminentiora, ac ſibi, ſuiſque operationibus utiliora fabricare & elaborare.

25. *Neque eſt, quod hoc mireris*: Quia temperamentum Ovi, ac cujuſcumque alterius ſeminis non eſt temperamentum finale, permanens, ac ſtabile; ſed eſt temperamentum viale, perfectioris ac finalis temperamenti præambulum, ac præparativum: uti ſunt temperamenta chyli, maſſæ ſanguineæ, ſanguinis, bilis, medullæ, ſpiritus, aliorumque ſimilium humorum. Atqui ea eſt natura & conditio temperamenti vialis, ut ab anima corrumpatur, ac in aliud temperamentum perfectius, ac temperamento finali vicinius convertatur. Anima enim corrumpit temperamentum chyli, & inducit temperamentum maſſæ ſanguineæ. Corrumpit temperamentum ſanguinis, & inducit temperamentum ſpiritus, lactis, ſpermatis, roris, aut camby. Corrumpit temperamentum ſpiritus vitalis, ac inducit temperamentum ſpiritus animalis. Et ſic de aliis. Ergò ſimiliter anima, non ſolùm poteſt, ſed & debet corrumpere temperamentum Ovi, ac cujuſcumque alterius ſeminis, & introducere temperamentum carnis, oſſis, nervi, &c. Sed de his omnibus aliàs latiùs & liberaliùs.

26. *Objicies quintò*: Ovum eſt ſemen animalis ovipari, uti docent omnes Medici & Phyſici: atqui ſemen non vivit: ergò neque ovum vivit. *Secundo*: Si ova vivant, non generabitur brutum & animal in nido per incubationem; ſed erit generatum in ventre matris ante ovi emiſſionem: quod eſt contra omnium hominum captum & ſenſum. *Tertiò*: Si ovum foret animatum, foret etiam animal & caro, ejuſdemque ſpeciei cum pullo & gallina: Adeoque diebus Veneris & Sabathi, cum Eccleſia carnes & gallinas comedi prohibet; etiam prohiberet ova: quod eſt ſtultum & ineptum. *Quarto*; Ovum corpus fluidum, homogeneum, minimeque organicum eſt, nullumque præ ſe fert operationis vitalis indicium aut veſtigium: quomodo ergo vivere dicitur? Pleraque hæc argumenta deſumpta ſunt ex doctiſſimo Carterio. Attamen nihil obſtant. *Ad primum diſtinguo majorem*: Ovum eſt ſemen animalis ovipari adhuc in teſtibus exiſtens, *Sic nego*: Eſt ſemen animalis ovipari jam à teſtibus ejus deciſum, ad matricem derivatum, ibique per maſculini ſeminis commixtionem actuatum, temperatum, & fermentatum: *Sic concedo*. Ergò neque vivit, neque eſt animatum: *Caſſa eſt hæc conſequentia*. Cum enim Philoſophi & Medici dicunt ſemina non vivere neque animata eſſe: id non de ſeminibus ad matricem derivatis, & mutua ibi commixtione fermentatis; ſed de ſeminibus necdum à teſtibus deciſis intelligi debet. Itaque ovum non tam ſemen, quam novus Embryo, & animalis ovipari fœtus eſt. *Ad ſecundum concedo ſequelam, ſed nego illam eſſe abſurdam*. Neque curo quid dicat incultum vulgus: ſi enim vulgo placere velis, nunquam fies doctus Philoſophus. *Ad tertium nego ſequelam*: Nam Eccleſia Catholica diebus ſabathi & veneris non prohibet eſum animalium, ſed ſolarum carnium: ova verò licet animalia ſint; non tamen caro ſunt: adeoque iſta Eccleſiaſtica lege nequaquam prohibita ſunt. An verò ovum & gallina ſpecie differant, alia eſt quæſtio, quam, quia huic loco impertinens eſt, hoc loco non reſolvo. *Ad quartam nego ultimam partem antecedentis*: Ovum enim ſe conformat, nutrit & organizat: quod manifeſtè vitaliter operari eſt.

SECTIO QUARTA.

Ulterior quæſtionis reſolutio.

26. **D***ico tertiò*: Anima, quæ eſt in ovo, eſt anima ſenſitiva: eſt eadem illa numero anima, quæ poſtea eſt in ave, gallina, vel piſce. Eſt contra quoſdam Medicos, qui animam ovi vegetativam, animam verò gallinæ credunt eſſe ſenſitivam. Verum tamen eſt, quod dixi: Nam iſta ſucceſſio animarum, qua ſenſitiva vegetativæ, & intellectiva ſuccedit ſenſitivæ, nunquam in mea Philoſophia locum habuit: Nunquam mihi placuit. Diſplicentiam verò hanc ingeſſit mihi Cardinalis Cajetanus: Is inquam licet mihi non ſuggeſſerit hanc opinionem, attamen *prima parte q. 76. art. 1. §. ſecunda ratio*. optimam pro hac opinione ſuggeſſit rationem: *Quam formo hoc modo*: Quia ſi ovum primo vegetativa, ac poſtmodum informaretur anima ſenſitiva, tunc ovum primò foret planta, ac poſtea ex planta fieret brutum. Similiter ſi fœtus humanus primò vegetativa, poſtmodum ſenſitiva, ac tandem rationali informaretur anima, tunc quivis homo primò planta, deinde ex planta brutum, ac tandem ex bruto fieret homo: atqui hoc abſurdum eſt, & à nemine concedendum: quis enim fateatur ſe quandoque brutum fuiſſe & beſtiam? Quis credat ſe ex bruto factum eſſe hominem? Lepida ſanè metamorphoſis! Credant illam illi, quibus beſtialitatis ac inhumanitatis adhuc inſunt purgandæ reliquiæ: Ego ſanè, qui nihil beſtialitatis habere, ſed purus homo eſſe velim, me aliquando brutum fuiſſe non credam: multò minùs id ore dicam, vel calamo ſcribam. Abſurdum ergò eſt etiam illud antecedens, ex quo tam præclarum infertur conſequens. Sequela majoris eſt Cardinalis Cajetani loco jam citato, & *ratio ejus eſt clara*: Quia ſicut homo eſt compoſitum ex materia & anima intellectiva rationali; ita brutum eſt compoſitum ex materia & anima ſenſitiva irrationali; atqui ſi fœtus humanus aliquando anima ſenſitiva irrationali informaretur, foret compoſitum ex materia & anima ſenſitiva irrationali: ergo foret verum animal irrationale, verumque brutum

adeoque mater, quæ talem geſtaret fœtum, geſtaret in ſuo utero verum brutum. Quo quid dici poſſet abſurdius? Ego certè in matrem meam nollem eſſe tam injurius. Similiter planta eſt compoſitum ex materia & anima tantùm vegetativa: ergo ſi ovum ab ejuſmodi informetur anima, nihil illi deerit, quo minùs ſit vera planta.

27. *Deinde*: Si in ovo animam ſenſitivam præcederet anima vegetativa, peto à quo expellatur anima vegetativa & introducatur anima ſenſitiva? Quæ hujus ſenſitivæ animæ eſt principalis cauſa? Non enim eſt Deus: Quia deus ordinarias generationes non per ſe facit, ideo enim illis de cauſa principali creata providit. Neque poteſt eſſe cœlum, aut aliquod ejus aſtrum: Quia ſolem, aliaque aſtra ſcio poſſe illuminare; ſed animalia, animaliumque ſenſitivas animas generare, hoc aliis decanta: ego non credo. Neque etiam eſt calor, aut aliud quodvis accidens: Quia hæc omnia nimis imbecilla ſunt, quam ut in tam nobiles actiones vitales & ſubſtantiales valeant ac ſufficiant. Neque etiam eſt anima vegetativa, cui ſenſitiva eſt ſuccedanea: Quia nulla forma producere poteſt formam ſui expulſivam: atqui anima ſenſitiva eſt expulſiva animæ vegetativæ: ergo anima vegetativa nequit producere ſibi ſuccedaneam animam ſenſitivam. *Deinde*: Si animæ vegetativæ ſuccederet ſenſitiva, tunc illo inſtanti, quo inciperet ſenſitiva, deſineret vegetativa: illo inquam inſtanti anima vegetativa periiſſet, & amplius non eſſet. Atqui id, quod non eſt, nihil producere poteſt: ergo anima vegetativa nullo modo producere poſſet ſibi ſuccedaneam animam ſenſitivam. *Præterea*: Anima ſenſitiva eſt perfectior & eminentior anima vegetativa: quomodo ergo anima vegetativa poſſet ſenſitivæ animæ eſſe principalis cauſa? Neque etiam hujus animæ principalis cauſa poſſet eſſe gallina incubans; Quia, Ut ſect. prima dixi, gallina nihil amplius confert ovo, quam conferat illi fimetnm, furnus, axilla, mammilla, &c. Atqui hæc non producunt in ovo animam ſenſitivam: ergò neque illam producit incubans gallina. Reſtat ergo ut anima ſenſitiva ovo imprimatur à matre intra ejus uterum: adeoque ut prima ovi anima ſit verè ſenſitiva, non autem vegetativa. *Et ratio eſt*: Quia ovum debet ibi animari, ubi animantur omnia alia omnium aliorum animalium, ac etiam plantarum ſemina: atqui hæc omnia animantur intra maternum uterum: ergo ibidem anima ſua ſenſitiva animatur ovum. Et ſanè niſi ibi iſta animaretur anima, jam gallina non generaret animal, neque brutum; ſed generaret aliquam plantam, foretque mater alicujus plantæ: quam Philoſophiam; oro te, ut alibi cantes, quia à me nulla habebitur tibi fides. Ex quo patet ovum eſſe verum brutum, verumque animal, cum ſit verè compoſitum ex materia & ſenſitiva irrationali anima.

28. *Objicies primo*: Quidquid anima ſenſitiva informatur, debet poſſe ſentiie: atqui ovum non poteſt ſentire; neque enim videre, audire, tangere, vel olfacere poteſt: Ergò non poteſt ab anima ſenſitiva informari. *Probatur major*: Quia quidquid ab anima ſenſitiva informatur, debet eſſe ſenſitivum; atqui eſſe ſenſitivum eſt poſſe ſentire; ſicut eſſe intellectivum, calefactivum vel viſivum eſt poſſe intelligere, calefacere, vel videre: Ergò quidquid ab anima ſenſitiva informatur, debet poſſe ſentire. *Reſpondeò negando majorem utriuſque ſyllogiſmi*: Nam oſſa, cornua, ungulæ, plumæ, capilli, ungues, aliæque ſimiles animalium partes informantur ab anima ſenſitiva; ut non ſolùm certum eſt per naturalem Phyſicam, ſed etiam per fidem Catholicam: Etenim qui oſſa humana ab anima ſenſitiva, ac intellectiva informari negaret, foret non ſolùm ineptus Phyſicus, ſed etiam malus Catholicus, utpote non credens Conciliis animam noſtram eſſe formam informantem definientibus. Oſſa ergò, cartilago, aliaque ſimilia verè informantur ab anima ſenſitiva, & tamen neque ſenſitiva ſunt, neque ſentire poſſunt: Quid miri ergò, ſi ego dicam ovum eſſe inſenſitivum, eſſe tamen ab anima ſenſitiva informatum? Quod enim tam ova, quam iſtæ partes inſenſitivæ ſint, ac ſentire non poſſint, id non provenit ex carentia ſenſitivæ animæ, ſed ex carentia organorum & diſpoſitionum, quæ ſunt in materia ad recipiendas ſenſationes requiſitæ. Sicut quòd homo cæcus viſivus non ſit, & videre non poſſit, id non oritur ex carentia viſivæ animæ, ſed ex carentia organizationis, ac bonæ diſpoſitionis ad viſionem ab anima recipiendam requiſitæ. Ovum ergò verè ſenſitivam habet animam: tamen ſentire non poteſt, quia non habet organa ad ſenſationes ab anima recipiendas neceſſaria.

29. *Objicies ſecundò*: Anima ſenſitiva nequit informare materiam carentem diſpoſitionibus ad operationes ſuas neceſſariis: atqui ovum caret iſtis diſpoſitionibus: ergò anima ſenſitiva nequit informare ovum. *Reſp. negando minorem*: Quia operationes animæ ſenſitivæ ſunt non ſolæ ſenſationes; ſed etiam conformatio, oſſificatio, carnificatio, membranificatio, plumificatio, aliæque ſimiles vegetativæ actiones: atqui licet ovo non inſint diſpoſitiones ſufficientes & neceſſariæ ad ſenſationes; inſunt tamen diſpoſitiones ſufficientes ad iſtas vegetativas actiones: ergò anima ſenſitiva reperit in ovo diſpoſitiones ſufficientes, ac neceſſarias ad ſuas operationes. Neque enim anima in materia à ſe informata reperire debet diſpoſitiones ad omnem omninò ſuam operationem neceſſarias: hoc enim ſi verum foret; tunc in oſſe tuo neque intellectiva, neque ſenſitiva foret anima: quod non ſolùm ineptum eſt in Philoſophia, ſed etiam parum tutum in fide Catholica. Satis ergò eſt, ut reperiat diſpoſitiones aliquibus ſuis operationibus ſufficientes ac neceſſarias. Et nunquid hæ inſunt ovo? Inſunt omninò. Anima ergò ſenſitiva primis productionis ſuæ temporibus tali materiæ diſpoſitione contenta eſt. Non tamen contenta eſt ſemper; ſed progreſſu temporis materiam illam perficit ac diſtinguit, variaque ex illa organa fabricat, ſibique aptum domicilium, ac omnibus ſuis operationibus aptum elaborat ſubjectum.

30. *Dico quartò*: Omnes ovi partes non vivunt, neque ab anima informantur; vivit enim & animantur ſolum albumen cum cortice; vitellus verò eſt inanimus, omni carens vita, &

ani-

anima. *Probatur*: Quia juxta politiores Medicos, albumen ovi correſpondet ſpermati ſeu ſemini; vitellus verò correſpondet menſtruo ſanguini: unde ſicut hominis, aliorumque animalium fœtus conformatur & organizatur ex ſemine, & nutritur ac alimentatur ex materno ſanguine; ita quoque pullus intra ovum organizatur ex albumine, & alimentatur ex vitello. Atqui anima fœtus humani vel equini non informat alimentale maternum; ſed ſolum ſperma, ac fermentatum ſemen ſibi ſubjectum: ergò ſimilitèr anima ovi non informat alimentitium vitellum, ſed ſolum ſpermaticum albumen. Minor eſt clara, & à nemine neganda: Ego enim non memini legiſſe Medicum, aut Phyſicum, qui menſtrua vel materna diceret eſſe animata. Major verò inter Medicos eſt communiſſima; eamque tradit etiam Plinius *tom. 1. lib. 10. cap. 53 Omnibus ovis medio vitelli pars ineſt veluti ſanguinea gutta, quod eſſe cor avium exiſtimant, primum in omni corpore id gigni exiſtimantes: in ovo certè gutta ſalit, palpitatque. Ipſum animal ex albo liquore ovi corporatur; &c. vitellus paulatim deficit.* Ecce dicit Plinius animal ex albo ovi liquore, ſeu albumine corporari ſeu conformari, ac vitellum paulatim deficere; quia nimirum ab animali paulatim totus attrahitur, conſumitur, ac in ſubſtantiam ejus tranſmutatur: ergò albumen eſt illud, ex quo pullus conformatur; vitellus verò eſt illud, ex quo alimentatur: adeoque hic vivere non poteſt, ſicut vivit illud.

31. Putoque hoc tam eſſe certum, ut (verba S. Patris mei Auguſtini in epiſt. 57. ad te dirigo) *Si hoc velimus verbis oſtendere, vereor ne ipſis ſenſibus noſtris facere videamur injuriam, quando id loquendo ſuademus, ubi omnes vires, officiumque ſermonis facillimè ſuperat evidentia veritatis.* Ego enim ſæpè pro hujus rei experientia gallinis, aliiſque avibus ſua jam ſuppoſita ova, jamque ex media parte conformata furatus fui; eaque fregi: & tenellum embryonem in vitello natitare & fluitare comperi. Committe & tu hoc curioſum furtum, & dices meum oculum non fuiſſe deceptum. Fluitat ergò pullus in ovi vitello, ſicut aliorum animalium fœtus in materno: adeoque ſicut maternum non eſt fœtus pars; ſed nudum alimentum: ita quoque crede eſſe cum vitello.

32. *Deinde*: Ut dicit Plinius *loc. jam cit.* In medio vitelli ſemper eſt gutta quædam ſanguinis puri, & à menſtruis fœcibus adhuc liberi: quod etiam tam eſt clarum, ut hoc velle verbis probare ſit ſenſui omnem fidem negare. Nam quando vitellum aliquem ex diutina coctione induratum diametraliter dividis, ſemper aut certè ordinariè in meditullio ejus orbiculum vacuum reperis: Cujus nulla alia eſt ratio; niſi quod puri iſtius ſanguinis gutta ſit à partibus vicinis impurioribus attracta, ac cum illis incruſtata ac indurata. Itaque in vitelli medio ſemper eſt gutta puri ſanguinis; ergò totus vitellus eſt ſanguis: Licet non tam purus ob fæces menſtruas, quibus eſt delibutus & imbutus. *Probatur conſeq.* Quia ſanguis ille toti vitello continuatur: Uti patet ad oculum. Atqui ea, quæ continuantur, communi forma informantur: ergò eadem eſt forma totius vitelli, quæ eſt iſtius ſanguinis puri; atqui ſanguis purus non vivit neque informatur ab anima: Uti hic ſuppono ex communi Phyſicorum & Medicorum ſententia. Ergò neque vitellus informatur ab anima. Vivit ergò & animatur ſolum albumen cum ſuo cortice.

32. *Et confirmatur*: Quia ea, quæ ſunt diſcontinuata, ac à ſeſe mutuo diviſa, non poſſunt communi frui vita, nec ab eadem informari anima: Atqui albumen & vitellus non ſunt ſibi mutuo continua; ſed diſcontinua & diviſa; vitellus enim eſt ab albumine ſeparatus, & membrana ſeu pellicula quadam ſibi propria involutus: Contineturque in albumine non ſicut pars in comparte; ſed tamquam locatum in loco, tamquam in quodam ſuo ſacco: eo modo quo ſanguis in venis, lac in mammillis, & ſemen continetur in paraſtratis. Ergò vitellus nequit frui communi albuminis vita, neque ab eadem informari anima. Minorem probat experientia: Patet enim ad oculum. *Major verò eſt clara*: Quia ea, quæ eadem informantur anima, debent eſſe partes ejuſdem compoſiti & ſuppoſiti: Atqui ea, quæ ſunt à ſeſe mutuo diviſa, diſcontinua, ac diſparata, non poſſunt eſſe partes ejuſdem compoſiti & ſuppoſiti: Ergò ea, quæ ſunt diſcontinua, non poſſunt communi frui vita, nec ab eadem informari anima. In ovo ergò non animatur vitellus, ſed ſolum albumen cum ſuo cortice.

33. *Dico quintò*: Albumen & cortex non informantur eadem anima, ſed animabus diverſis: cortex enim informatur ab anima gallinæ matris; albumen verò ab anima ovi, ſeu anima fœtus. Quod non informentur eadem anima, *eſt evidens*: Quia ea, quæ non continuantur, eadem anima non informantur: atqui albumen & cortex ſibi mutuò non continuantur; cortex enim eſt ſolummodo theca & capſula albuminis, & albumen continetur in illo non ſicut pars in comparte; ſed ſicut locatum in loco: ergò eadem non informantur anima. Quod verò cortex informetur anima gallinæ matris, etiam videtur eſſe evidens: Quia cortex ille continuatur gallinæ, & eſt pars ejus illi adhæreſcens, ſicut adhæret fructus arbori ſuæ. Prætetea cortex eſt quaſi pericarpium pulli: ſicut putamina, ſiliquæ, & pedunculi nucum ſunt pericarpium ſeminis: ergò ſicut pericarpium non vivit anima ſeminis, ſed anima arboris, cui continuatur, & adhæreſcit: ita quoque cortex ovi non vivit anima ovi, ſed anima gallinæ.

34. Neque enim cortex ovi in utero gallinæ exiſtens tam durus & ſolidus eſt, uti eſt ab utero ſeparatus, & in lucem emiſſus: Nullo modo. Sed, ut inquit Plinius tom. 1. l. 10. c. 52. *Ova exeunt à rotundiſſima ſui parte, dum pariuntur, molli putamine ſe protinus dureſcente, quibuſcumque emergunt portionibus.* Cortex ergo ille in utero adhuc exiſtens mollis eſt, ac membranoſus: eſt enim membrana quædam utero gallinæ adhærens, & continuata: quæ tum dureſcere incipit, dum foras mitti, ac lucem adſpicere incipit. Cortex ergò iſte vivit anima matris. Adeoque ſolum albumen propriè eſt ovum, & ab anima ovi informatum: vitellus enim eſt ovi alimentum, cor-

EXAMEN

Fortalitiorum ac Baliſtarum,

Quibus

ALMA Marpurgenſis Univerſitas hanc Apologiam oppugnat, ac expugnare tentat: indicto ad hoc ſuum tentamen publico Magiſtrorum ac Diſcipulorum congreſſu: cui præſedit Magiſter Henricus Laurentius Geibelius, Naturalis Philoſophiæ ordinarius Profeſſor; defendit D. Lubertus Erbenius Epſteinius Rhenanus, Medicinæ ſtudioſus, nec non Illuſtriſſimi ac Celſiſſimi Principis Georgii, Haſſiæ Lantgravii, &c. Alumnus.

CAPUT I.

Examinatur horum Fortalitiorum Præfatio.

1. AUdite Baliſtarum exordium. *Splendidum vellus Seneca, morum cenſor acerrime, ſi in tua moderni homines vixiſſent inſtitutione, in ſuccum & ſanguinem verba tua verè aurea*, Veritas nunquam latere debet, *vertiſſent. Sed quo magis à tua informatione remoti, hoc ad tegendam veritatem, etiam in iis quæ ſenſu manifeſta ſunt, paratiores inveniuntur. Hinc nihil tam abſurdè dicitur, quin ſuum inveniat baſiatorem. Hujus, ut è multis unum in theatrum producam, Te, ut in vulgatam illam quæſtionem*, An ovum fæcundum anima ſenſitiva informetur, ſitque verum brutum, verumque animal, *quam non nemo mordicùs defendere audet, aciem mentis convertas, Lector amice, rogo.* Ecce hoc eſt Marpurgenſis fortalitii exordium & fundamentum.

2. In quo fundamento in votis habent, ut nos moderni homines in Senecæ, utpote ſplendidi velleris, ac acerrimi morum cenſoris, vixiſſemus inſtitutione: quò minùs eſſemus ad tegendam veritatem paratiores, & eorum, quæ abſurdè dicuntur, baſiatores. Pro quo voto magnas illis habeo gratias. Malo ſiquidem vixiſſe & vivere in vera Catholica, ac Divina Chriſti Domini ac Magiſtri mei mitiſſimi inſtitutione, quam in rigida inſtitutione cenſoris iſtius acerrimi. Etenim ſi ſub illius inſtitutione vixiſſem, veritatem ſanè aut nunquam inveniſſem, aut certè inventam non tantùm non tenuiſſem, ſed etiam iniquiſſimis figmentis ac ſplendidiſſimis mendaciis, idque ex ſpendida iſtius ſplendidi velleris inſtitutione, conſpurcaſſem. Splendidum de hoc ſplendido vellere Pater noſter Auguſtinus *l.* 6. *de Civit. c.* 10. reddit teſtimonium: *Sed iſte*, nempe Seneca, *quem Philoſophi quaſi liberum fecerunt, tamen quia illuſtris Populi Romani Senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat, adorabat: Quia videlicet magnum aliquid eum Philoſophia docuerat, ne ſuperſtitioſus eſſet in mundo; ſed propter Leges Civium, moreſque hominum, non quidem fingentem ſcenicum ageret in theatro, ſed imitaretur in templo: Eo damnabiliùs, quod illa, quæ mendaciter agebat, ſic ageret, ut eum populus veraciter agere exiſtimaret. Scenicus autem ludendo potiùs delectaret, quam fallendo deciperet.* Ecce, qualem mihi voveant indagandæ veritatis Magiſtrum. Debeo tamen illis votum pro voto reddere: Voveo ergo Ego vobis Magiſtrum, cui ſagaciter attendatis, prompteque obediatis, non Senecam, non Platonem, non Apuleium aut Plotinum, aut alium ſimilem hominem paganum; ſed Cyprianum aut Auguſtinum, aut alium quemvis Catholicum Epiſcopum, ac præſertim Epiſcopum Romanum: Quem non ſoli nos conſecrati, Catholici ac Pontificii Sacerdotes, ſed & ipſemet Imperator *C. de ſumm Trin.* dicit eſſe caput Catholicæ Eccleſiæ: Et *Novell.* 131. caput omnium Eccleſiarum ac Sacerdotum; adeoque etiam Eccleſiæ Haſſicæ; omniumque iſtius Eccleſiæ Prædicantium ac Miniſtrorum.

3. Prætetea in hoc eodem ſui fortalitii exordio dicunt Marpurgenſes opinionem ſuam, qua fæcundum ovum anima ſenſitiva privatur, eſſe unam ex iis veritatibus, quæ ſenſui manifeſtæ ſunt. Fatebor id ego equidem, eiſque adſtipulabor quam libentiſſimè, ſi ſeſe quoque ex illis Philoſophis eſſe dixerint, de quibus *l.* 8. *de Civit. c.* 7. dicit Auguſtinus: *Poſuerunt judicium veritatis in ſenſibus corporis, eorumque infidis & fallacibus regulis omnia, quæ diſcuntur, metienda eſſe cenſuerunt: ut Epicuræi, & quicumque alii tales, ut etiam ipſi Stoici. Qui cum vehementer amaverint ſolertiam diſputandi, quam Dialecticam nominant, à corporeis ſenſibus eam ducendam putarunt*, &c. Ego verò unus ex illis ſum, *qui di-*

ſcern-

ſcernunt ea, quæ mente conſpiciuntur, ab iis, quæ ſenſibus attinguntur: nec ſenſibus adimentes quod poſſunt, nec eis dantes ultrà quam poſſunt. Etenim, ingenuè fateor, ſenſitivam ovorum animam ego nunquam vidi: nunquam audivi, nunquam guſtavi, nunquam olfeci, nunquam palpavi: uno verbo, nunquam ſenſu attigi. Et quid miri? Eſt enim inſenſibilis ſubſtantia, non verò ſenſibile accidens. Quis ergò credat hujus animæ privationem eſſe unquam à Marpurgenſibus Doctoribus viſam? Certè is credat, qui privationes inter viſivæ potentiæ objecta ponet. Tu ergò Doctiſſime D. Luberte, ſi hanc privationem videris, profectò potentiam viſivam a meam ſpecificè diverſam habueris. Dum ergò opinionem tuam eſſe veritatem ſenſu notam putabas, non benè conſiderabas: dum id dicebas, lingua mentem præcurrebat. Non poſſum loqui modeſtius aut humaniùs.

4. Tertiò dicunt animam Ovi à me mordicus defendi: imò dicunt me eſſe illum, qui animam illam mordicùs defendere audeat. Quod illam defendere audeam, verum eſt: Fateor, neque id negabo unquam; Imò, ſicut illam defendere ſui auſus, ita audeo defenſionem iſtam modò continuare, & veſtra fortalitia huic defenſioni inimica aggredi, attentare, & oppugnare. An illa ſim ſubverſurus & expugnaturus, id judicabunt alii. Quod animam hanc mordicus defendere audeam, falſum eſt: Multùm erratis; & non tantùm erratis, ſed & mihi calumniam irrogatis. Etenim ego nihil mordicùs defendo, niſi orthodoxam ſanctæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ fidem: Pro hac mordicus ſto; potiùs hujus corporis vitam, quam illam perdere malo. Et quid miri? Nam in illa, ex illa, & per illam credo & ſpero me habere vitam æternam. Alia quævis quidem defendo, ſed nequaquam mordicus: Uti in præſenti patet ex ea, quam ad Lectorem Apologiæ meæ præpoſui, præfatiuncula. Hæc enim non continet verba hominis obſtinati, pertinacis, aut mordicùs defendentis; ſed de ſua, quam probabiliter ſuadere nititur, opinione hæſitantis, formidantis, & edoceri deſiderantis.

CAPUT II.

Examen primi notabilis.

1. ÆDificium fortalitii ſui inchoant Marpurgenſes hoc modo: *Duo hic in ingreſſu nota. Primo, ſubjectum: quod eſt ovum fœcundum ſive perfectum. Excluduntur hic Ova venti, ſive imperfecta: quando gallina ſine gallo, aut ex inani alterius gallinæ concubitu, aut oſculo vel olfactu galli, vel flante zephyro, ovat; & carent principio generationis. Ariſt. in 3. de generat. animal. Libavius in diſp. de Ovi, gallinarumque & pulli ex eo generat. Theſ. 3. Secundo, prædicatum: Quod eſt anima ſenſitiva informari, verumque brutum & animal eſſe: Hoc eſt, audire, videre, tangere, guſtare, odorari, de loco in locum moveri.* Notabile hoc continet quædam examinatu digna, & meæ menti, meæque Philoſophiæ omninò diſſentanea. Aggrediamur ergò illa, memores ſemper modeſtiæ & humilitatis, non ſolum Catholicæ & Romanæ, ſed etiam Religioſæ, ac præſertim Auguſtinianæ.

2. Primò ergò in hoc ſuo notabili dicunt, quod Ova ventoſa careant principio generationis. Quod, inquam, careant principio generationis effectivo, quo Ovum ventoſum generaret pullum, gallinam, Bombycem, aut quid aliud ſimile. Et hoc dictum ſine dubio verum eſt. *Ratio eſt clara*: Quia Ovum ventoſum nihil eſt omnino aliud, quam nudum gallinæ ſemen cum ſemine galli necdum actuatum, permixtum aut fermentatum: Ita enim novit Medicaſter vel unius diei. Atqui ſemina unius ſexus ſeorſim ſumpta, antequam ſint inter ſeſe mutuò actuata, permixta, & fermentata, carent effectivo principio generationis; ſunt adhuc ſterilia & infœcunda: Ergò etiam ovum ventoſum eſt omnino ſterile ac infœcundum, & effectivo generationis principio caret. *Probatur minor*: Quia principium effectivum generationis eſt anima: atqui ſemina unius ſexus ſeorſim ſumpta, antequam actuentur, fermententur, ac miſceantur, non vivunt, neque informantur ab anima: ergò carent principio generationis effectivo. Minor apud Medicos & Phyſicos eſt controverſa; multi eam negant, putantes ſemina intra teſtes adhuc contenta verè vivere, vereque eſſe animata: Et ita nuper docuit Daniel Sennertus in ſua Phyſica, *Hypomn.* 4. c. 6. Verùm alienè à veritate: Semina enim ante ſui actuationem; fermentationem ac permixtionem non plus vivunt, quam lac, ſpiritus, ſanguis, aliique id genus humores. Quod nolo hic exactè probare & examinare: Neque enim id modò agimus: Agemus id exactè *in lib. de Anima*. Modò verò agimus de ſeminibus actuatis & fermentatis.

3. Secundò dicunt Marpurgenſes, quod eſſe verum brutum, verumque animal ſit idem; quod audire, videre, tangere, guſtare, odorari, de loco in locum moveri. Id eſt: Eſſe brutum & animal nihil eſt aliud, quam eſſe videns, tangens, audiens, &c. Verum ego hic mentem veſtram non bene intelligo. Nam illa vocabula, *Videns, audiens, tangens*, &c. ſumi poſſunt duobus modis, iiſque valdè diverſis & diſparatis: videlicet in ſignificatione participii, & in ſignificatione nominis participialis: de quarum duarum ſignificationum differentia egi in meis Prodidagmatis *diſp.* 9. *dub.* 3. *Et diſp.* 20. *dub.* 3. Ut ergò hæc intelligas, illa conſulere debes. Dum vocabula iſta in vigore ac ſignificatione participii ſumuntur, ſignificant de formali actualem viſionem, auditionem, tactionem, &c. Faciuntque hunc ſenſum: Eſſe verum brutum, verumque animal eſt eſſe actu videns, actu audiens, actu tangens, &c. Dum verò ſumuntur in vigore & ſignificatione nominis participialis, de formali ſignificant principium ſeu potentiam videndi, tangendi, audiendi, &c. Faciuntque hunc ſenſum: Eſſe verum brutum, verumque animal eſt eſſe potens & aptum videre, audire, tangere, &c. Sive potiùs hunc: Eſſe animal eſt eſſe viſivum, auditivum, tactivum, &c. Quid ergò dicitis Marpurgenſes? Quo ſenſu loquimini? In qua ſignificatione voces iſtas uſurpatis?

In ſi-

In ſignificatione veri participii? Non credo ſanè vos eſſe tam ineptos. Cur id non credam, non dico: Abſit enim à me, ut adeò ſiniſtrum formem de veſtra eruditione judicium. Firmiſſimè ergò præſumo vos uti vocibus iſtis tamquam nominibus participialibus; nequaquam tamquam participiis.

4. Attamen & hoc dicendo falſum dicitis. Falſum, inquam, eſt, quod eſſe verum brutum, verumque animal ſit idem, quod eſſe viſivum, tactivum, auditivum, &c. *Et probo hoc*: Quia poteſt dari verum brutum, verumque animal, quod neque ſit viſivum, neque auditivum, neque tactivum: uno verbo, quod non ſit ſenſitivum. Hoc trivialibus Philoſophis, credo, apparebit mirum & paradoxum. Ergò eſſe verum animal nequaquam eſt idem, quod eſſe viſivum, auditivum, tactivum, &c. Conſequentia eſt clara & manifeſta. *Probatur ergò antecedens*: Quia omne compoſitum ex nuda materia prima & anima ſenſitiva eſt verum animal: Etenim quis hoc neget? Nam juxta omnes Philoſophos, quos hac in parte adjuvat ſanctus Auguſtinus *l. 7. de Civit. c. 29. Et l. 8. c. 6. Et alibi ſæpe*, non ſunt niſi tres animæ: videlicet vegetativa, ſenſitiva, & intellectiva. Prima cum materia à ſe informata facit plantam, altera facit brutum & animal, tertia facit hominem. Ergò, licet non omne animal ſit compoſitum ex nuda materia & anima ſenſitiva, tamen vice verſa omne compoſitum ex nuda materia & ſenſitiva anima eſt verum animal. Atqui compoſitum ex nuda materia & ſenſitiva anima neque eſt viſivum, neque auditivum, neque tactivum, neque ullo ſenſu ſenſitivum: Ergò dari poteſt verum brutum, verumque animal, quod neque ſit viſivum, neque auditivum, neque ullatenus ſenſitivum. *Probatur minor*: Quia de majori non habeo, quod dicam amplius: credo enim illam eſſe certam, & extra omne omnis rationabilis controverſiæ periculum poſitam. *Probo ergò minorem*: Quia eſſe viſivum, eſſe auditivum, eſſe ſenſitivum, nihil eſt omnino aliud, quam eſſe potens in ſemetipſo elicere ac producere viſiones, auditiones, &c. Atqui compoſitum ex nuda materia & ſenſitiva anima non eſt capax in ſemetipſo elicere viſiones, auditiones, aut ullam aliam ſenſationem: ergò compoſitum ex nuda materia ac ſenſitiva anima neque eſt viſivum, neque auditivum, neque ullo alio ſenſu ſenſitivum. Non ſcio ego Philoſophum, qui hactenus dubitaverit de majori: Quare non credo fore, ut dubitent Marpurgenſes. *Probatur ergò minor*: Quia ut aliquod compoſitum ſit viſionis, auditionis, aut cujuſcumque alterius ſenſationis in ſemetipſo elicitivum, debet iſtarum operationum eſſe ſimul effectivum ac receptivum: Nam aliquam operationem in ſemetipſo elicere eſt eam in ſemetipſo efficere, ac etiam à ſemetipſo effectam recipere. Atqui compoſitum ex nuda materia & ſenſitiva anima non eſt viſionis, auditionis, aut cujuſcumque alterius ſenſationis ſimul effectivum ac receptivum: Ergò neque eſt iſtarum operationum in ſemetipſo elicitivum: adeoque neque eſt viſivum, neque auditivum, neque alio modo ſenſitivum. Major eſt clara: Caveant ergò Marpurgenſes eam negare. *Probatur itaque minor*: Quia compoſitum aliquod, ut ſit viſionis aut alterius ſenſationis effectivum, debet in ſe habere formam iſtarum operationum effectivam; ut ſit earum receptivum, habere debet organa iſtis operationibus ſubjectandis ac ſuſtentandis apta ac proportionata: Hæc enim quis neget? Utrumque quippe hoc eleganter & breviter tradit Divinus Philoſophus Pater noſter Auguſtinus *Epiſt. 3.* his verbis: *Sunt certè quinque partiti corporis ſenſus, qui nec ſine anima, nec ſine corpore eſſe poſſunt. Quia neque ſentire eſt niſi viventis, quod ab anima eſt corpori: neque ſiat corporeis inſtrumentis, & quaſi vaſis atque organis videmus, audimus, cæteriſque tribus utimur ſenſibus*. Ecce quam clarè ad ſentiendum requirit Auguſtinus & animam ſenſationis effectivam, ac etiam organum ſenſationis ſuſceptivum. Ideò enim dicit organum eſſe quaſi ſenſationis vas. Ex quo patet, quam incongruè, & quam à mente Sancti Auguſtini, quem tamen pro ſua opinione citat, alienè dicat Rodericus Arriaga *Diſp. 3. de Anima, ſect. 2. ſubſect. 3 num.* 83. ſenſationes brutorum recipi in ſola anima; in organo verò, & ordinario ſenſationum vaſe ne quidem partialiter & inadæquatè. Atqui compoſitum ex ſenſitiva anima & nuda materia quidem in ſe habet formam iſtarum operationum effectivam; forma quippe iſta eſt ſenſitiva anima, quam compoſitum iſtuc in ſe habet; Non tamen habet organa iſtis operationibus ſuſtentandis ac hoſpitandis apta. Organa quippe & vaſa iſta ſunt oculi, aures, nares, aliæque ſimiles partes organicæ, quibus compoſitum ex nuda materia caret: Si enim talia organa haberet, jam non foret compoſitum ex materia nuda, ſed ex materia bene veſtita, beneque organizata. Ergò compoſitum ex ſenſitiva anima & nuda materia, licet ſit ſenſationum effectivum, non eſt tamen earum receptivum: adeoque nequaquam eſt ſenſitivum.

5. Videtis ergò Marpurgenſes, quam malè poſueritis hæc verba: *Nota ſecundo prædicatum: quod eſt anima ſenſitiva informari, verumque brutum, verumque animal eſſe: hoc eſt, audire, videre, tangere, odorari, guſtare, de loco in locum movere*. Non enim eſſe animal eſt idem, quod eſſe videns, audiens, guſtans, &c. Adeoque quærere, an ovum fœcundum ſit verum brutum, verumque animal, non eſt quærere, an ovum fœcundum videat, audiat, tangat, &c. Sed eſſe animal eſt anima ſenſitiva vivere, & ex anima ſenſitiva eſſe compoſitum: adeoque quærere, an ovum fœcundum ſit animal, eſt quærere, an ſit anima ſenſitiva animatum, & vivum. Quæro ergò, an ſit vivum, an ſit animatum, an ſit animal, an ſit brutum? Non tamen quæro, an videat, an audiat, an tangat, &c.? Non, inquam, quæro, an ſit viſivum, tactivum, auditivum, &c.? Etenim hoc eſt certum, & extra omnem rationabilem controverſiam poſitum, illud verò eſt incertum, ac rationali controverſiæ ſubjectum.

6. *Verùm contra hæc objicies*: Eſſe animal eſt

eſſe

Digitized by Google

eſſe vivens ſenſitivum: Hæc quippe eſt ordinaria animalis definitio. Atqui eſſe ſenſitivum eſt eſſe vel viſivum, vel auditivum, vel tactivum, vel guſtativum, vel olfactivum: uti notum eſt cuicumque polito Phyſico. Ergò eſſe animal, licet non ſit eſſe & viſivum, & auditivum, & guſtativum,&c. copulativè; eſt tamen eſſe vel viſivum, vel audirivum, vel guſtativum, &c. diſiunctim aut diſiunctivè: adeoque quærere, an ovum fæcundum ſit verum brutum, verumque animal, eſt quærere, an ovum fæcundum ſit vel viſivum, vel auditivum, vel tactivum, &c.? At verò hæc qualis quæſtio eſt? *Reſpondeo negando majorem:* Eſt quidem illa definitio animalis in modernis ſcholis ordinaria; ſed quis ſcit, an ſit legirima? Certè ego dico eſſe illegirimam ac è ſcholis eliminandam, ac ſubſtituendam illi eſſe hanc: *Animal eſt compoſitum ex materia prima & anima ſenſitiva*. Sive, ſi definitione Phyſica non contentus Metaphyſicam deſideres, hanc: *Animal eſt vivens petens eſſe ſenſitivum*. Prævideo hic quidem mihi oborituras contradictiones ac fulminationes; verùm labori parcite: nam, ut veſtris verbis utar, *Vana eſt ſine viribus ira*.

7. Quod ergò definitio iſta ſit illegitima, *ſic probo*: Quia definitio iſta non eſt cum ſuo definito convertibilis: ergò non eſt legirima. *Probatur antecedens*: Quia definitio aſt vivens ſenſiſivum; definitum verò eſt animal: Atqui dantur, vel certè dari poſſunt multa animalia, quæ tamen non ſint viventia ſenſitiva: Ergò iſta definitio non eſt cum ſuo definiro convertibilis. *Probatur minor*: Quia omne compoſitum ex nuda materia & ſenſitiva anima eſt verum animal; uti dixi ſtarim ſupra. Eſt enim verum vivens, verumque corpus animatum: Et non eſt planta; hæc enim non poteſt babere ſenſirivam animam: Ergò eſt verum animal. Neque dicas talia compoſira nullibi dari: Etenim ego illud modò non quæro; dentur, non dentur, parùm refert, interim dari per Deum poſſunt: Quod abundè eſt ad meum propoſitum. Itaque omne compoſitum ex nuda materia & ſenſitiva anima eſt verum animal: Atqui tale compoſitum non eſt ſenſitivum: non enim habet organa recipiendis & ſuſtentandis ſenſationibus apra & proportionara; uti dixi ſtarim ſupra. Ergò dari poſſunt animalia, quæ non ſint viventia ſenſitiva. Quomodò ergò definitur animal eſſe vivens ſenſitivum? Certè parum convertibiliter, parum legitimè. Definio ergò boc modo: Animal eſt vivens petens eſſe ſenſitivum. Et ſpero ſanè, quod non malè.

8. *Verùm urgebis me*. Implicat informari vel componi ex anima ſenſitiva, & non eſſe ſenſitivum: Atqui, ut iam dictum eſt, omne animal eſt vivens quoddam ex anima ſenſiriva compoſitum, & ab anima ſenſitiva informatum: Ergò omne animal eſt vivens ſenſirivum: adeoque vel viſivum, vel anditivum, vel tactivum, &c. *Major probatur*: Quia implicat habere cauſſam formalem, & non habere effectum formalem. V. g. implicat habere albedinem aut nigredinem, & non eſſe album aut nigrum: Implicat habere animam aut vitam, & non eſſe animatum aut vivum, &c. Atqui effectus formalis animæ ſeu vitæ ſenſitivæ eſt vivens ſenſitivum: Quis enim foret alius? Ergò implicat habere vitam & animam ſenſitivam, & non eſſe ſenſitivum: Atqui omne animal habet animam ſenſitivam: Quomodo ergò non eſt ſenſitivum? *Reſpondeo negando majorem*: Etenim poteſt quis habere animam viſivam, & tamen non eſſe viſivus: uti patet in animalibus cæcis. Poteſt quis babere animam anditivam, & tamen non eſſe auditivus: Uti paret in animalibus ſurdis. Poteſt quis habere animam volativam, & tamen non eſſe volativus: uti patet in implumibus pullis. Et ſic de aliis pluribus. Ergò ſimiliter poteſt quis habere anima ſanſitivam; & ab ea informari, & tamen non eſſe ſenſitivus. Conſequenria enim tenet a pari. Neque enim aſſentior paradoxo per Fortunium Licetum aſſerto, *l. 2. de ſpont. Viven. ortu. c. 36. vel 37.* Ubi dicit animam non informare ampliùs oculum cæcum, aut aurem ſurdam, &c. Informat omninò anima talia organa malè affecta, & functioni ſuæ exercendæ aut recipiendæ per malam affectionem diſproportionata: Adeoque omninò poterit aliquid eſſe ab anima viſiva informatum, & tamen non eſſe viſivum.

9. *Ad majoris probationem nego minorem*: Etenim ſola vita ſeu anima ſenſiriva nequaquam eſt forma faciens ſubiectum ſeu compoſitum ſuum eſſe ſenſitivum: uti neque ſola anima viſiva, neque ſola anima audiriva, neque ſola anima tactiva, eſt forma faciens ſubiectum aut compoſitum ſuum eſſe viſivum, aut auditivum, aut tactivum. Eſt quidem anima iſtorum formalium effectuum cauſſa formalis inadæquata ſeu partialis; eaque partialis principalis: nequaquam tamen eſt eorum cauſſa formalis adæquata ſeu totalis. *Et ratio eſt clara:* Quia, ut argumentum bene aſſumit, habita adæquata cauſſa formali implicat non habere effectum formalem: atqui poteſt aliquod ſubiectum, aliquodque compoſitum habere animam viſivam, auditivam, ſenſitivam, &c. & tamen non eſſe viſivum, auditivum, aut ſenſitivum: Ergò ſola anima ſenſitiva, ſola anima viſiva, aut ſola anima auditiva non eſt totalis & adæquara formalis cauſſa faciens in genere formalis cauſſæ ſubiectum aut compoſitum ſuum eſſe ſenſitivum, viſivum, aut auditivum. Anima quidem iſtiuſmodi formalis effectus eſt cauſſa partialis & inadæquata; nequaquam tamen eſt formalis cauſſa totalis & adæquata.

10. Adæquata ergò formalis cauſſa faciens ſubiectum vel compoſitum ſuum eſſe ſenſitivum, eſt anima ſimul cum formis partialibus organicis (ſive interim hæ ſint ſubſtantiales, ſive accidentales; id parùm curo, quia nihil omninò refert ad præſens hoc meum propoſitum) ad ſenſationes recipiendas ac ſuſtentandas neceſſariis. Similiter adæquata formalis cauſſa faciens ſubiectum ſuum eſſe viſivum, tactivum, vel audirivum non eſt ſola anima, ſed anima ſimul cum formis organicis ad viſionem, tactionem, aut auditionem recipiendam ac hoſpitandam aptis ac proportionatis. Et hinc compoſitum ex nuda materia & ſenſitiva anima, licet habeat animam ſenſitivam ſenſationum effectivam, quia tamen non

habet

habet formas organicas ſenſationibus recipiendis ac hoſpitandis neceſſarias, non eſt ſenſitivum. Neque hinc ſequitur, quod habeat cauſam formalem ſine effectu formali: Habet enim ſolummodò cauſſam formalem inadæquatam ſeu partialem, ſive habet ſolam partem cauſſæ formalis; non habet verò cauſſam formalem totalem, ſive non habet totam cauſſam formalem: At verò, ut effectus formalis habeatur, haberi debet tota illius cauſſa formalis; uti ſpero vos non fore inficiaturos. *Ratio horum omnium eſt*: Quia, uti dixi ſtatim ſuprà, eſſe ſenſitivum eſt eſſe ſenſationis ſimul effectivum, ſimulque receptivum: adeoque adæquata formalis cauſſa faciens ſubiectum vel compoſitum ſuum eſſe ſenſitivum, eſt forma faciens illud eſſe effectivum, ſimulque receptivum ſenſationis. Atqui hujuſmodi forma non eſt ſola anima; ſed anima ſimul cum formis organicis ad recipiendas ſenſationes proportionatis: ſubiectum quippe ſeu compoſitum ſenſitivæ animæ per ſenſitivam animam fit ſenſationi effectivum; at verò per formas organicas fit ejus receptivum. Ergò adæquata formalis cauſſa faciens ſubiectum aut compoſitum ſuum eſſe ſenſitivum, non eſt ſola anima, ſed eſt anima ſimul cum formis organicis ad ſenſationes recipiendas proportionatis.

11. Et hinc patet ratio, cur implicet habere albedinem aut nigredinem, & non eſſe album aut nigrum; cum non implicet habere ſenſitivam aut viſivam animam, & non eſſe ſenſitivum aut viſivum. *Ratio*, inquam, *hujus eſt*: Quia albedo & nigredo ſunt adæquata formalis cauſſa albi & nigri; at verò anima viſiva & ſenſitiva ſunt ſolummodo cauſſa formalis inadæquata viſivi & ſenſitivi: Atqui, licet non poſſit haberi cauſſa formalis adæquata ſine effectu formali, poteſt tamen ſine illo haberi cauſſa formalis inadæquata: Ergò horum eventuum diſparatorum etiam diſparata eſt ratio. De quo alibi latiùs.

CAPUT III.

Examen ſequentis notabilis.

1. IN Marpurgenſium diſſertatione hæc ſunt verba ſequentia: *Advertendum, generationem eſſe duplicem: Univocam & æquivocam. Univoca eſt, quando generans & genitum ejuſdem ſpeciei ſunt: ſic homo generat hominem, canis canem, equum equus. Æquivoca, quando generans & genitum ſunt diverſæ ſpeciei: ſic ſol ex putredine generat ranas, mures, vermes, &c. Hanc non nemo vocat heteroclytam, illam analogam.* Verum, Ornatiſſimi Viri, vos divinatis. Etenim an generationem univocam vocarim unquam analogam, & cum æquivoca confuderim heteroclytam, quamvis non putem, firmiter non ſcio: Vos ergò id unde ſcitis, niſi divinando? Certè in Apologia id dixi nuſquam; aut ergò Apologiam oſcitanter legiſtis, aut malè intellexiſtis.

2. Verum eſt, in capite Apologiæ diſtinxi actiones analogas & actiones hetroclytas; attamen neque has cum æquivocis, neque illas confudi cum univocis: Qui enim ſic exorbitaſſem? Qui ſic non confundenda confudiſſem? In primis ergò confundi non poſſunt actio univoca & actio analoga: Neque enim ſunt convertibilia aut confundibilia, ſed ſunt exceſſa & excedentia. *Ratio eſt*: Quia actio univoca poteſt eſſe, & non eſſe actio analoga; item actio analoga poteſt eſſe, & non eſſe actio univoca: Ergò hæ duæ actiones poſſunt de ſeſe mutuò particulariter affirmari, particulariterque negari: Ergò non ſunt confundibilia, neque convertibilia; ſed ſunt exceſſa & excedentia. *Probatur antecedens*: Quia actio univoca eſt actio verſans inter extrema formalia ejuſdem ſpeciei, uti ſtatim exponam; at verò actio analoga eſt actio, quæ fit per ordinariam ordinariæ cauſſalitatis viam. Id eſt, Eſt actio facta juxta ordinariam & communem talis actionis viam. Tales v. g. actiones ſunt calefactio facta ab igne, illuminatio facta à ſole, aut alio id genus luminari, motus localis factus à magnete attrahente, aut homine projiciente, &c. Fiunt quippe omnes hujuſmodi actiones per ordinariam ordinariæ cauſſalitatis viam: fiunt, inquam, eo modo, quo illas de ordinaria naturæ lege, conſuetoque rerum curſu auctor ac proviſor naturæ Deus fieri voluit ac providit. Atqui actio verſans inter formalia ejuſdem ſpeciei extrema aliquando fit, aliquando non fit per ordinariam ordinariæ cauſſalitatis viam; item actio facta per ordinariam ordinariæ cauſſalitatis viam quandoque verſatur, quandoque non verſatur inter formalia ejuſdem ſpeciei extrema: Ergò ſimiliter actio univoca quandoque eſt, quandoque non eſt analoga; & actio analoga quandoque eſt, quandoque non eſt actio univoca.

3. De majori taceo hic totus: De poſteriori enim ejus parte loquor in capite Apologiæ; de parte verò ejus priori loquar ſtatim poſtea. Probatur ergò minor quoad ſui primam partem, videlicet quod actio verſans inter formalis ejuſdem ſpeciei extrema quandoque fiat, quandoque non fiat juxta ordinariam ordinariæ cauſſalitatis viam: adeoque quod actio univoca quandoque ſit actio analoga. *Hoc*, inquam, *probatur*. Quia productio eductiva caloris facta à calore, eductio frigoris facta à frigore, eductio animæ equinæ facta ab anima equina, & aliæ id genus eductiones; item creatio caloris aut frigoris facta à calore aut frigore ad id ſupernaturaliter adjuto, elevato, ac fortificato; creatio angeli facta ab angelo; creatio animæ rationalis facta ab alia anima rationali ad id divinitùs elevata, & id genùs aliæ ſupernaturales & extraordinariæ creationes, ſunt actiones verſantes inter formalia ejuſdem ſpeciei extrema; ut notum eſt intelligenti terminos. Atqui quædam ex hiſce actionibus fiunt, quædam verò non fiunt ordinaria ordinariæ cauſſalitatis via: uti quoque patet attendenti. Ergò actio verſans inter formalia ejuſdem ſpeciei extrema, quandoque fit, quandoque non fit juxta ordinariam ordinariæ cauſſalitatis viam.

4. Probatur etiam altera minoris pars. Quod videlicet actio facta juxta ordinariam ordinariæ cauſſalitatis viam, quandoque fit, quandoque non fit actio verſans inter formalia ejuſdem ſpeciei

ciei

Digitized by Google

ciei extrema: adeoque quod actio analoga quandoque ſit, quandoque non ſit actio univoca. *Hoc*, inquam, *etiam probatur*: Quia eductio caloris facta à calore, ab igne, à ſole; item eductio frigoris facta à frigore, eductio luminis facta à luce; item eductio unionis inter animam & corpus facta ab anima, motio localis facta à magnete, à gravitatione aut levitatione, ab impulſu projicientis, &c. Et aliæ id genùs actiones quam plurimæ ſunt actiones factæ per ordinariam ordinariæ cauſſalitatis viam; uti nemo negabit. Atqui quædam verſantur, quædam verò non verſantur inter formalia ejuſdem ſpeciei extrema: uti quoque patebit facilè examinanti. Ergò actio facta juxta ordinariam ordinariæ cauſſalitatis viam quandoque verſatur, quandoque non verſatur inter formalia ejuſdem ſpeciei extrema. Adeoque actio univoca à nemine eſt confundenda aut convertenda cum actione analoga.

5. At nunquid ego confudi? Ita aſſeverant Marpugenſes. Verùm ego me excuſo; non feci enim. Et patet innocentia mea ex iſtis analogis actionibus, quas attuli in capite Apologiæ pro exemplis. Hæc ſunt Apologiæ verba: *V. g. generatio hominis, equi, felis, muris, per ſeminum commixtionem; item generatio ranæ, gallinæ, bombycis, per excubationem, ſunt generationes regulares & ordinariæ: Fiunt enim ordinaria propagationis & generationis via.* Hæ, inquam, omnes actiones ſunt actiones ordinariæ, regulares, ſeu analogæ: Atqui omnes hæ actiones non ſunt actiones univocæ: Quin imò nulla harum actionum eſt univoca; ſed omnes omninò ſunt actiones æquivocæ. Sunt, inquam, omnes hæ actiones æquivocæ, non tantùm (ut meis utar terminis) æquivocatione generali reſpectu cauſſæ primæ; ſed etiam æquivocatione particulari reſpectu cauſſæ ſuæ particularis ſecundæ. Ergò actionem univocam ego in Apologia nuſquam confudi cum actione analoga. *Probatur minor*: Quia actio univoca eſt illa, quæ verſatur inter formalia ejuſdem ſpeciei extrema; actio verò æquivoca eſt illa, quæ verſatur inter formalia diverſæ ſpeciei extrema; ut dicam ſtatim infrà pluribus. Atqui omnes iſtæ præfatæ actiones verſantur inter formalia diverſæ ſpeciei extrema: Ergò omnes iſtæ præfatæ actiones ſunt actiones æquivocæ. *Probatur minor*: Quia v. g. extrema formalia generationis humanæ (accipiamus ex omnibus iſtis actionibus unam; omnium quippe eſt eadem ac omninò pariformis ratio) ſunt anima hominis generantis & unio hominis generati: Atqui hæc anima & hæc unio ſunt extrema diverſæ ſpeciei; uti eſt manifeſtum: Ergò generatio hominis, omneſque iſtæ aliæ præfatæ actiones verſantur inter formalia diverſæ ſpeciei extrema. *Probatur major*: Quia extrema alicujus actionis formalia ſunt principium formale & terminus formalis productus: Quæ enim forent alia? Atqui principium formale humanæ generationis eſt anima generantis; terminus verò formalis per humanam generationem productus eſt unio intercedens inter partes hominis generati: uti hic, nolens probare, ſuppono. Ergò unio hominis generati & anima hominis generantis ſunt formalia humanæ generationis extrema. Vide ergò, quam recte ego confuderim actionem analogam cum actione univoca, qui inter analogæ actionis exempla ne unam adduxi actionem univocam.

6. Similiter confundi non poſſunt actio æquivoca & actio hetroclyta: ſunt enim etiam exceſſa & excedentia, nequaquam verò confundibilia aut convertibilia. *Ratio eſt*: Quia inter actiones æquivocas aliquæ ſunt, aliquæ non ſunt actiones hetroclytæ; item inter actiones hetroclytas quædam ſunt, quædam non ſunt actiones æquivocæ: Ergò actio æquivoca & actio hetroclyta de ſeſe mutuò particulariter affirmantur, particulariterque negantur: Ergò non ſunt confundabilia aut convertibilia, ſed ſunt exceſſa & excedentia. *Probatur antecedens*: Quia actio æquivoca eſt actio verſans inter formalia diverſæ ſpeciei extrema; ut dicam ſtatim: at verò actio hetroclyta eſt actio, quæ non fit juxta ordinariam ordinariæ cauſſalitatis viam. Id eſt, Eſt actio, quæ non fit eo modo, quo tales actiones fieri de curſu & more naturæ ordinario præſcripſit & ordinavit auctor ac proviſor naturæ omnipotens Deus. Tales V. g. actiones ſunt generatio Chriſti Domini noſtri de ſpiritu ſancto concepti & ex MARIA Virgine nati, productio Adæ ex limo terræ, formatio Evæ ex coſta Adami, & aliæ id genùs actiones ſupernaturales & miraculoſæ. Item multæ actiones naturales ſunt hujuſmodi; E. g. generatio crabronum ex aſino, veſparum ex equo, apum ex vitulo, &c. Item talis eſt generatio avium aut piſcium ex arboris cujuſdam foliis in terram aut fluvium juvernæ delapſis: Etenim folia, quæ in terram cadunt, fiunt animalia volucria; ea verò, quæ in juvernæ flumen decidunt, fiunt piſces & animalia natatilia. Item talis eſt generatio gargulionum ex tritico, vermiculorum ex nucibus, ex folliculis lentiſci, ex medulla cardui ſollonii, in veſiculis ulmi, &c. Talis item eſt generatio avis ignotæ, anati noſtro non multum abſimilis, quæ in Britannico Oceano ex partibus naufragiorum reliquiis oritur, eiſque adhæret, & quaſi ex eis alitur & paſcitur, donec excuſſa torpedine procedat ad natatum & venatum marinorum piſcium. Item talis eſt generatio avicularum ex oſtreis & conchilibus: allata quippe dicitur Franciſco Primo Gallorum Regi concha quædam incluſam habens aviculam, quam in concha & ex concha natam eſſe putaverunt multi nobiles Philoſophi. Omnes, inquam, hæ, aliæque id genus ſive naturales ſive ſupernaturales actiones ſunt actiones irregulares & hetroclytæ: Quia non fiunt per ordinariam ordinariæ cauſſalitatis & propagationis viam; non enim fiunt per viam ſeminalem, quæ eſt ordinaria viventium generationis ſemita.

7. Itaque actio æquivoca eſt actio verſans inter formalia diverſæ ſpeciei extrema; actio verò hetroclyta eſt actio, quæ non fit ordinaria ordinariæ cauſſalitatis via: Atqui actio verſans inter formalia diverſæ ſpeciei extrema aliquando fit, aliquando non fit ordinaria cauſſalitatis via; item actio, quæ fit extraordinaria cauſſalitatis via, aliquando verſatur, aliquando non verſatur inter formalia diverſæ ſpeciei extrema: Ergò actio æquivoca quandoque eſt, quandoque

non

non eſt actio hetroclyta ; & actio hetroclyta quandoque eſt, quandoqne non eſt actio æquivoca. *Probatur prima minoris pars :* Quia generatio Domini Noſtri ex Spiritu ſancto ex puriſſimo puriſſimæ Virginis ſanguine, generatio Adæ ex limo terræ, generatio Evæ ex coſta Adami, &c. Item creatio animæ ab anima, creatio caloris a calore, creatio frigoris a frigore, ſunt actiones hetroclytæ: uti patet: Et hujuſmodi actiones, licet omnes de facto nunquam factæ ſint, tamen per Deum fieri poſſunt. Atqui inter haſce actiones omnes, quædam ſunt, quædam non ſunt æquivocæ : uti etiam clarum eſt attendenti. Ergò actio hetroclyta quandoque eſt, quandoque non eſt actio æquivoca. *Probatur etiam altera minoris pars* : Quia generatio hominis ab homine, & generatio hominis facta a ſolo Deo ſunt actiones æquivocæ: uti patet ex hactenus dictis, patebitque magis ex ſtatim dicendis. Atqui prior eſt analoga & regularis, altera verò eſt hetroclyta & irregularis : uti etiam ex dictis patet. Ergò actio æquivoca quandoque eſt, quandoque non eſt actio hetroclyta : adeoque hæ duæ actiones nequeunt inter ſe confundi. Et ego ſanè nunquam confudi.

8. Præterea Marpurgenſes non bene definiunt actionem univocam & æquivocam, neque aſſignant bona harum actionum exempla. Actionem enim univocam definiunt hoc modo : *Eſt actio, in qua generans & genitum ejuſdem ſpeciei ſunt*. Æquivocam verò actionem definiunt hoc modo ; *Eſt actio, in qua generans & genitum ſunt diverſæ ſpeciei*. Hæ definitiones ſunt quidem in modernis ſcholis communes; non credo tamen eſſe bonas. Iſtas ergò actiones ego definire ſoleo hoc modo: Actio univoca & æquivoca ſunt actio verſans inter formalia ejuſdem vel diverſæ speciei extrema. *Hæc me movet ratio*. Quia univocatio & æquivocatio actionis deſumi debent non ex extremis actionum totalibus & quaſi materialibus ; ſed ex extremis formalibus & actionum ſpecificativis : Ergò actio univoca & æquivoca non eſt illa, quæ verſatur inter totalia ejuſdem vel diverſæ ſpeciei extrema ; ſed eſt illa, quæ verſatur inter formalia ejuſdem vel diverſæ ſpeciei extrema : Atqui genitum & generans ſunt extrema generationis totalia : ut novit omnia, qui terminos capit. Ergò actio univoca & æquivoca non rectè dicitur eſſe illa, in qua genitum & generans ſunt ejuſdem vel diverſæ ſpeciei. In hoc argumento omnia ſunt clara præter antecedens. *Hoc ergo probatur* : Quia philoſophari nos oportet de univocatione & æquivocatione actionis, uti philoſophamur de univocatione & æquivocatione ſignificationis : Adeoque ex eadèm radice, eodemque principio haurire oportet utramque hanc univocationem & æquivocationem. Atqui univocatio & æquivocatio ſignificationis deſumitur ex ſignificatis formalibus: Etenim ſignificatio univoca & æquivoca ſunt illæ, quæ ſignificant plura ſimilia, vel diſſimilia in ſuo ſignificato formali; uti dixi in Prodidagm. *diſp.* 10. *dub.* 2. & 3. Ergò etiam univocatio & æquivocatio actionis deſumi debet ex terminis formalibus: Adeoque iſtæ actiones definiri debent hoc modo: Sunt actio verſans inter formalia ejuſdem vel diverſæ ſpeciei extrema.

9. Actio ergò univoca & æquivoca ſunt actio, in qua principium formale & terminus formalis ſunt ejuſdem, vel diverſæ infimæ ſpeciei : in qua, inquam, principium formale eſt, vel non eſt ejuſdem infimæ ſpeciei cum termino formali producto, & non ſolum cum termino formali communicato. Etenim parum rèfert ad actionis univocationem & æquivocationem, an terminus formalis communicatus ſit vel non ſit ejuſdem ſpeciei cum principio formali : Solummodò enim requiritur & ſufficit ſpecifica identitas vel diverſitas termini formalis producti. Ad actionis quippe univocationem requiritur & ſufficit ſpecifica hujus termini cum formali principio identitas ; at verò ad actionis æquivocationem requiritur & ſufficit ſpecifica hujus termini à formali principio diverſitas. *Ratio hujus eſt* : Quia ad æquivocationem & univocationem actionis requiritur & ſufficit ſpecifica diverſitas & identitas eorum extremorum, quæ ſunt verè & genuinè actionis extrema : Etenim quorumnam aliorum extremorum identitas aut diverſitas requireretur & ſufficeret ? Atqui terminus formalis communicatus non eſt verum & genuinum actionis extremum : Ergò hujus termini identificatio vel diſtinctio eſt ad actionis univocationem ac æquivocationem omnino impertinens, & requiritur ac ſufficit ſola identificatio ac diſtinctio ſolius termini formalis producti. Majorem non probo : Quia non credo fore, ut quiſpiam de illa dubitet. *Probatur ergo minor :* Quia verus actionis terminus eſt is, qui verè ab actione attingitur, & ad quem actio verè terminatur: uti notum eſt ex terminis. Atqui terminus formalis communicatus ab actione communicante non verè attingitur, neque actio communicans ad illum verè terminatur : Ergò is non eſt verus ac genuinus actionis communicantis terminus. *Probatur minor* : Quia ab actione attingi eſt ab actione agi & produci; adeoque ab actione verè attingi eſt ab actione verè agi, vereque produci : Atqui terminus formalis communicatus ab actione verè non producitur : uti notum eſt capienti terminos. Ergo neque verè ab actione attingitur, adeoque non eſt verus actionis terminus, neque verum actionis extremum. Verum de omni hac materia alibi ex profeſſo latiùs.

10. Similiter non aſſignant congrua actionis univocæ & æquivocæ exempla. Nam omnes actiones, quas aſſignant, ſunt æquivocæ, nullaque omnino earum eſt univoca. Pro actionibus namque univocis aſſignant has: Generatio hominis ab homine, generatio canis à cane, generatio equi ab equo. Quarum nulla eſt univoca, ſed omnino omnes ſunt æquivocæ. *Ratio eſt :* Quia, ut modò dixi, actio æquivoca eſt illa, cujus formalia extrema ſunt diverſæ ſpeciei: Atqui

Digitized by Google

formalia humanæ generationis, omniumque aliarum tam ſubſtantialium quam accidentalium generationum extrema ſunt diverſæ ſpeciei: ergò omnes tales generationes ſunt actiones æquivocæ. *Probatur minor*: Quia humanæ & cujuſcumque alterius generationis extrema formalia ſunt forma generantis, & unio generati: Generati enim forma, licet ſit terminus ſubjecto à generatione communicatus, non eſt tamen terminus à generatione productus: uti hic ſuppono ex communi Philoſophia. Atqui forma generantis, & unio generati ſunt extrema diverſæ ſpeciei: ut notum eſt. Ergò formalia humanæ generationis extrema ſunt diverſæ ſpeciei: Adeoque generatio humana eſt actio æquivoca. Pro exemplo itaque actionis univocæ aſſignare debueratis productionem caloris à calore, animæ equinæ ab anima equina; luminis à luce, &c.

CAPUT IV.

Examinatur ingreſſus ad ſolutionem quæſtionis.

1. VErba ſequentia, quibus Marpurgenſes quæſtionem ſolvere incipiunt, ſunt hæc: *His præmiſſis, ipſa quæſtio nobis eſt expedienda. Dicimus ergo, Ovum in quantum fæcundum nulla anima informari, neque brutum, neque animal eſſe. Cujus ſententiæ non ſolùm graviſſimos Auctores, ſed & ponderoſiſſimas rationes producere poſſemus, ut nos contrariæ ſententiæ argumenta, imò ipſius ceu luce meridiana clarior veritas, revocarent*. Hoc eſt initium probationis. Verùm, *Promiſſis dives quilibet eſſe poteſt*. Quod animæ fæcundi Ovi graviſſimos poſſetis opponere Auctores, confiteor, quia verum eſt: Attamen graviſſimi Auctores non ſemper & ubique habent graviſſimas rationes. Quod ponderoſiſſimas rationes opponere poſſetis, non credo: Amo ego Platones, non Thrazones. Parum eſt dicere, ſi ad dicere non ſequatur facere.

2. Videamus verba ſequentia: *Eſt ergò poſitio contradicentium. Ovum fæcundum verè informatur ab aliqua anima. In hac obtinenda pugnatur primo auctoritate. Secundo rationibus. Citatur Ariſtoteles l. 3. de hiſtor. Animal. cap. 3. Sed ò miſerum præſidium! Miſeret me tui, Magne Ariſtoteles, te in teſtem vocari in ea à te nunquam tacta. Ut autem quivis cordatus colligere queat, quanta ſummo huic lumini injuria fiat ipſa verba apponam:* ἀοτοκοῦντα ἄκανθαν ἔχει, ἣ ἐστιν ὥσπερ τοῖς τετράποσιν ἡ ῥάχις. *Hoc eſt. Qui autem ova pariunt ſpinam continent: quæ proinde ut dorſum in quadrupedum ordine habetur. Hæc ſunt fundamenta, quæ qualia ſint, non opus eſt, ut Logicorum ſenatum convocem: Inſpiciatur modo ipſe textus, nunquam ſanè hæc poſitio ex prædictis verbis educetur. Contrarium docet ipſe lib. 2. de generat. Animal. Medicos citatos quod attinet, illorum eruditionem ſanè admiramur; attamen eorum auctoritas tanta non eſt, ut nos à veritate abducere queat: In primis cum ipſe Plempius hujus ſententiæ Coriphæus, diverſum ſentiat.*

3. Primo ergò arguitis me de mala citatione Ariſtotelis. Dicitis Ariſtotelem malè citatum eſſe unum ex meis meæ concluſionis fundamentis: Dicitis à me irrogari Ariſtoteli injuriam, & ad vindictam ejus invocatis quemcumque hominem cordatum. Verùm quid dicam? Sanè longè melius eſt, vel certè minùs malum eſt irrogare injuriam homini pagano in infernis flammis juſtè ardenti, quam homini Chriſtiano juxta Domini ac Magiſtri ſui Chriſti voluntatem vivere ſatagenti: De hac credo propoſitione vos Chriſtiani non dubitatis. Atqui vos irrogatis injuriam mihi, homini non tantùm Chriſtiano, ſed etiam Catholico, Religioſo, Presbytero, &c. Ergò quantumvis ego irrogaſſem injuriam Ariſtoteli pagano, quis noſtrum gravius haberet peccatum? *Probatur verò minor*: Quia ego nequaquam malè citavi Ariſtotelem, ſed vos malè citatis me: Ergò non ego Ariſtoteli, ſed vos ſcholaſticam hanc injuriam irrogatis mihi. *Patet antecedens*: Quia vos dicitis me citaſſe Ariſtotelem *lib. 3. de generat. Animal. cap.* 3. cum ego citaverim illius libri caput ſeptimum. Ariſtoteles autem iſto capite ſeptimo verè habet & docet omnia ova fæcunda eſſe animata. Ergò non ego malè Ariſtotelem, ſed vos malè citaſtis me. Quod autem Ariſtoteles id ibi doceat, patet ex his ejus verbis: *Subventanea ova recipiunt generationem quoad fieri poteſt: Perfici enim, ut ad animalis fæcunditatem, impoſſibile eſt: ſenſibus enim opus eſt. At vegetalem animæ virtutem obtinent & fœminæ, & omnia quæ vivunt, ut ſæpe dictum eſt. Quamobrem hoc ovum* (de ſubventaneo loquitur) *ut plantæ conceptus, perfectus eſt; ut animalis, imperfectus*. Ecce dicit Ariſtoteles plus, quam ego eum dixerim dixiſſe. Dixi ego quod in ovis fæcundis ponat aliquam animam; ipſe autem illam ponit non tantùm in fæcundis, ſed etiam in ſubventaneis & infæcundis. Quam ergò malè citavi? Quantam illi irrogavi injuriam? Id ipſum etiam dicit *lib. 2. de generat. Animal. cap.* 4. Ubi iſtam quæſtionem ex profeſſo tractat his verbis: *Quæri poteſt, quonam modo ova ſubventanea dicantur vivere? Neque enim ita ut ova fæcunda poſſunt*: (Nota bene iſta verba) *ſic enim actu animatum in eis efficeretur. Neque ita iſta ſe habent ut lignum, aut lapis; quippe quæ corruptione aliqua pereant, & quæ vitam antea quodammodo participarint. Conſtat igitur hæc* (loquitur de ſubventaneis) *aliquam habere potentia animam. Sed quam? Illam ultimam habeant neceſſe eſt, quæ vegetalis eſt. Hæc enim omnibus, tam animalibus, quam plantis ineſt*. Ecce juxta Philoſophum ineſt aliqua anima non ſolùm ovis fæcundis, ſed etiam ſubventaneis. Videte plura apud Julium Cæſarem Scaligerum *Exercit. 6. in Cardan. num.* 7. Et Daniel Sennertum *in ſua Phyſica hypomn. 4. cap.* 6.

4. Non ergo malè citavi Ariſtotelem. Attamen ſi malè citaſſem, parùm id referret; parùm id curandum foret. Ego enim in Ariſtotelis, aliorumque paganorum Philoſophorum libris non ſolùm non ſum domeſticus, ſed ne quidem advena, aut inquilinus. Malo legere ſanctos Patres, & Philoſophos Chriſtianos, ex quibus cum inſtructione intellectus hauriam voluntati meæ pietatem ac veram humanitatem;

quam

quam homines impios paganos, ex quibus nihil referam, niſi fumum & vanitatem. Unde falſiſſimum eſt, quod Ariſtotelis auctoritatem ſumpſerim pro meæ concluſionis fundamento: Nullus quippe paganorum Philoſophorum mihi tanti eſt, ut velim ſuper ipſius auctoritate niti & fundati. Omnes enim, qui me noverunt vel ex turbido vulgi murmure, ſatis noverunt, quid ſoleam Ariſtoteli, Porphyrio, aliiſque id genùs hominibus favoris ac reverentiæ attribuere.

5. Addunt Marpurgenſes hæc verba: *Imprimis cum ipſe Plempius hujus ſententiæ, ſecundùm quemdam, Coriphæus, diverſum ſentiat.* Et eſt nova contra me injuria. Quid mirum foret, ſi ego erraſſem in citatione vagorum operum Ariſtotelis, cum vos erretis in citatione tantillæ Apologiæ? Ubi enim ego dixi Clariſſimum D. Plempium eſſe hujus meæ opinionis Coriphæum? Certè non dixi hoc in Apologia. Etenim Clariſſimum iſtum Virum pro oppoſita ſententia, oppoſitæque ſententiæ fundamentis non ſemel refero, & ſervata ubique humanitate & reverentia illi debita, illum pro poſſe meo oppugno. Oppugnatem ego meæ ſententiæ Coriphæum? Non ita inſanio. Dixi tamen in principio Apologiæ, quod ipſe quodam ſuorum operum loco ab hac ſententia non abhorreat: At ab aliqua ſententia non abhorrere eſt hoc alicujus ſententiæ Coriphæum eſſe? Aut ergo Apologiæ verba non intelligitis, aut cavillari & zoilizare diligitis.

CAPUT V.

Examinatur oppugnatio meæ primæ rationis.

SECTIO I.

Defenditur propoſitio à Marpurgenſibus impugnata.

1. HÆc poſtea ſequuntur: *Rationum prima hoc ſyllogiſmo continetur. Omne corpus, quod vitaliter operatur, eſt animatum, & ab aliqua anima informatum: atqui ovum fæcundum operatur operationes verè vitales: ergo eſt verè animatum. Major eſt clara, neque quiſquam ſanus illam negabit. Probatur ergo minor.* Hæc ſunt meæ Apologiæ verba. Sequuntur verba Marpurgenſium. *Nos primo majorem exenterabimus; deinde de minore. Omne corpus, quod vitaliter operatur, eſt animatum. Si Logicæ novacula hanc propoſitionem expolire velimus, peccatur hic in leges bonæ converſionis. Eſt enim convertens hujus: Omne animatum vitaliter operatur. Jam verò Logici docent propoſitionem univerſalem affirmantem converti, converſione per accidens, non converſione ſimplici. Debebat itaque ſic converti: Ergo quoddam, quod vitaliter operatur, eſt animatum: Quæ vera eſt. Secundo reſpondeo, Major eſt particularis. Cæli calor vim habet animalium, quæ ex putri materia fiunt, membra efformandi: Ergonè anima præditus erit? Præterea in corpore recens demortuo operationes exercentur vitales, ubi anima abſens eſt: Quomodo ergò dici poteſt, Omne corpus, quod vitaliter operatur, eſt animatum?*

2. Vos nodum in ſcyrpo quæritis. An praxim & regulas convertendi propoſitiones noverim, parùm ad rem facit. Interim, ſive norim, ſive ignorem illas, dico hanc meam majorem, *Omne corpus, quod vitaliter operatur, eſt animatum*, eſſe univerſaliſſimè veram. Debetis, quod tamen non facitis, bene & providè diſtinguere inter has duas propoſitiones; *Omne, quod vitaliter operatur, eſt animatum*, Et *Omne corpus, quod vitaliter operatur, eſt animatum*. Prima eſt falſa; quamvis tamen id non bene probetis: Secunda verò, quam pro mea majori aſſumpſi, eſt univerſaliſſimè vera. Sive ſit converſa benè, ſive ſit converſa malè, hoc nihil ad rem noſtram facit, eſt tamen univerſaliſſimè vera. Quod prima propoſitio ſit falſa, *ſic oſtendo*: Quia & Deus, & Angeli, & Animæ ſeparatæ vitaliter operantur: Non credo fore, ut hoc negetis. Atqui neque Deus, neque Angeli, neque Animæ ſeparatæ ſunt animatæ: Ergò non omne, quod vitaliter operatur, eſt animatum. *Probatur minor:* Quia eſſe animatum eſt eſſe vel ab anima informatum, vel ex anima compoſitum. E. g. materia prima, oſſa, caro, nervi, cornua, frondes, flores, & id genùs alia dicuntur eſſe animata, quia ſunt ab anima informata; at vero homo, brutum, animal, planta, & alia id genùs, dicuntur eſſe animata, quia ſunt ex anima compoſita. Neque ſcio ego tertium modum, quo res quæpiam dici poſſit eſſe animata: Si vos illum ſciatis, oro, ut illum mihi notificare non omittatis. Itaque eſſe animatum eſt eſſe vel ab anima informatum, vel ex anima compoſitum; Atqui Deus, Angeli, & Animæ ſeparatæ neque ab anima informantur, neque ex anima componuntur: Uti novit omnis Chriſtianus Catholicam fidem veraciter tenens. Ergò neque Deus, neque Angeli, neque Animæ ſeparatæ ſunt animatæ. Sunt quidem viva & viventia, nequaquam tamen ſunt animata: Inter viva enim & animata, inter vivum eſſe & animatum eſſe, inter vivere & animari, eſt ſatis intelligibilis differentia.

3. Quod autem altera propoſitio, quam pro mea aſſumpſi majori, ſit univerſaliſſimè vera, *ſic oſtendo*: Quia omne corpus, quod vitaliter operatur, eſt vivum: Atqui omne corpus vivum eſt animatum: ergò omne corpus, quod vitaliter operatur, eſt animatum. Major eſt certiſſima ac indubitatiſſima; neque quiſquam de illa poteſt dubitare: Eſt enim principium phyſicum. Nam omne ens, quod vitaliter operatur, eſt vivens: Operari enim vitaliter eſt operari more vitali & more viventium, quod ſolis viventibus quadrare poteſt. Et vita non aliunde colligitur quam ex vitali operatione; adeoque quæcumque ſunt vitaliter operantia, indubiè eſſe debent viva & viventia. Ergò etiam omne corpus, quod vitaliter operatur, eſt vivum, verumque vivens. *Minor vero eſt etiam clara*: Quia corpora (intellige ea, quæ ſunt ex materia & forma compoſita) quæ ſunt viva, non poſſunt eſſe viva ſemetipſis, uti ſunt Deus, Angeli, & Animæ; ſed ſunt viva per informantem vitam ſive animam. Quis enim de eo dubitet rationabiliter? Atqui eſſe vivum per informantem animam eſt eſſe animatum: Uti eſt per ſe evidentiſſimum.

ſimum. Ergò omne corpus vivum eſt corpus animatum: Ergò omne corpus, quod vitaliter operatur, eſt corpus animatum: Ergò mea major, ſive fuerit converſa benè, ſive converſa malè (id enim nihil omnino refert) eſt tamen univerſaliter vera. Vide plura de hoc in capite ſequenti.

4 Dixi, *Corpora, quæ ſunt viva, non poſſunt eſſe, aut certè de facto non ſunt viva ſemetipſis, ſed ſunt viva per informantem vitam ſeu animam*. Dixi, *Aut certè de facto non ſunt*: Quia transgrediendo omnia corpora, quæ ſunt de facto creata, & extendendo mentem ad illa omnia, quæ in infinito divinæ potentiæ continentur theſauro, facilè foret invenire corpus vivum, quod tamen non foret animatum. Etenim per abſolutam Dei potentiam dari poteſt, & creari corpus vivum, & vitaliter vitalium operationum operativum, quod ſit ſubſtantialiter ac eſſentialiter completum, non tamen ſubſtantialiter & eſſentialiter compoſitum; ſed quod ſit ſolummodò compoſitum compoſitione ſubſtantiali ex partibus integralibus, non autem compoſitione eſſentiali ex materia & forma. De hujuſmodi corporis vivi, eſſentialiter completi, eſſentialiterque ſimplicis poſſibilitate ego nunquam dubitavi: De quo ex profeſſo dicemus alibi. Atqui hujuſmodi corpus vivum non foret animatum: Non enim foret ab anima informatum, neque ex anima compoſitum. Ergò abſolutè dari poſſet corpus vivum, & vitaliter operativum, quod tamen non foret animatum. Adeoque loquendo generaliſſimè de omni corpore vivo & vitaliter operativo, tam de abſolutè poſſibili, quam de actualiter exiſtenti, non foret univerſaliter vera hæc propoſitio, *Omne corpus, quod vitaliter operatur, eſt animatum*. Verùm ita non loquimur, neque ita loqui in Phyſica debemus: Quia Phyſici ſe reflectunt ad ſola corpora naturalia actualiter exiſtentia, & naturaliter poſſibilia: inter hujuſmodi autem corpora, Omne corpus vitaliter operativum eſt non tantùm vivum, ſed etiam animatum: uti eſt cuicumque notum. Adeoque major à me aſſumpta eſt univerſaliter vera. Videamus tamen, quid nobis, noſtræque huic majori opponant Marpurgenſes.

SECTIO II.

Solvitur primum Marpurgenſe argumentum.

5. OBjiciunt ergò primò: *Cœli calor habet vim animalium, quæ ex putri materia ſunt, membra efformandi: Ergonè anima præditus erit?* Eſt argumentum valdè obſcurum, ac in forma parum bona poſitum. Credo tamen, quod intendunt argumentari, & majorem meam aggredi hoc modo: Cœli calor eſt corpus vitaliter operativum. Licet enim qualitas ſit & accidens, non deſinit tamen ideò eſſe corpus: Nam qualitates materiales etiam vera corpora eſſe, patet ex S. Auguſtino Epiſt. 3. *Hominum iſte ſenſus eſt, nihil niſi corporea valentium cogitare, ſive iſta craſſiora, ſicut ſunt humor atque humus, ſive ſubtiliora, ſicut aeris & lucis; ſed tamen corpora*, &c. Et infrà: *Quamvis & in ipſis corporibus aeri lux incorrupta miſceatur*. Ecce S. Auguſtinus lucem, quæ qualitas eſt ſicut calor, bis dicit eſſe corpus. Atqui calor cœli non eſt animatus. Ergò non omne corpus vitaliter operativum eſt animatum. Ergò major noſtra non eſt univerſaliter vera. *Probatur major*: Quia operari vitaliter eſt operari operationes vitales; uti tradi videtur in Apologia. Atqui calor cœli operatur operationes verè vitales: Ergò calor cœli operatur verè vitaliter. *Probatur minor*: Quia conformatio & membranificatio animalium eſt operatio verè vitalis: uti in Apologia traditur non ſemel. Atqui calor cœli operatur membranificationem & conformationem animalium; uti videtur oſtendere experientia. Ergò calor cœli operatur operationes verè vitales. Ecce, quam benè ſuſtineam partes Marpurgenſium? Suſtineo profectò nimis benè: Argumentum quippe hoc non eſt omninò contemnendum.

6. *Reſpondeo negando majorem*: Etenim calor neque corpus eſt, neque vitaliter operativus eſt. Non eſt, inquam, corpus in propriiſſima ſignificatione, qua ſola entia corporea ſubſtantialia vocantur corpora; licet tamen ſit corpus in ſignificatione latiſſima, qua omnia entia corporea, ſaltem ſolida & phyſica, dicuntur eſſe corpora. Aſt neque eſt vitaliter operativus; Neque id argumentum iſtud probat. *Ad majoris ergo probationem diſſimulo modo majorem; verùm nego minorem: Ad cujus probationem nego rurſus minorem*: Cœli quippe calor non poteſt plus animalia conformare aut membranificare, quam ego poſſim modò Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, aut ſacri Romani Imperii Principes creare. Etenim ſicut Cardinalium ac Principum creatio eſt operatio eminentioris, quam ego habeam, ordinis & dignitatis; ita quoque animalium conformatio & membranificatio eſt actio longè ſuperioris & eminentioris, quam cœli habeat calor, efficaciæ & activitatis: uti dixi ſatis in Apologia hinc inde, præſertim *ſect.* 2. *num.* 15. & 16. Et *ſect.* 3. *num.* 20 & 21.

7. *Et ratio ulterior eſt*: Quia calor cœli eſt ejuſdem infimæ cum calore noſtro inferiori ſpeciei & eſſentiæ: Uti apud politiores Phyſicos eſt in comperto & confeſſo. Adeoque eſt ejuſdem etiam cum illo actionis, activitatis, & efficaciæ: Operari enim ſequitur ad eſſe, & modus operandi ſequitur modum eſſendi; uti dicunt Axiomata Philoſophica ab omni polito Philoſopho univerſaliter canonizata. Ergo calor cœli nihil poteſt, quod non poteſt calor horum inferiorum: Atqui calor horum inferiorum nihil omnino poteſt in animalium conformationem & membranificationem: Ergò neque calor cœli quidquam poteſt in illam: *Probatur minor*: Quia calor hic noſter inferior poteſt efficere calefactionem, & caloris productionem, & fortè impulſum loco motivum, ſubjecti ſui expanſivum & rarefactivum: Aliam enim caloris actionem ego neque ſcio, neque invenire valeo. Atqui animalium conformatio & membranificatio neque eſt calefactio, neque caloris productio, neque impulſus loco-motivi effectio: Uti eſt clarum. Ergò calor noſter nihil valet in animalium conformationem aut membranificationem. Dixi,

Et fortè

Et fortè impulſum loco-motivum: Ego enim credo bunc etiam eſſe unum ex effectibus caloris. Hic quippe impulſus eſt effectus multis agentibus communis; uti oſtendo in meo tractatu de impulſibus loco-motivis.

8. Et ſanè quis nobiliſſimas haſce actiones mortuo & accidentali calori attribuat? Nam animalis conſormatio & membranificatio non eſt unica ſimplex aliqua actio; ſed eſt aggregatum quoddam ex innumeria ac prope-modùm infinitis, partim accidentalibus, partim ſubſtantialibus, actionibus: uti dixi in Apologia ex Andrea Laurentio, & eximio Magiſtro noſtro Gregorio Daineff. Atqui unicus calor, ſive cœleſtis, ſive ſublunaris, id parùm refert, quicumque & qualiſcumque demùm fuerit, tantum valet in adminiſtrationem harum innumerarum ac diſſimilium actionum, quantum valet unicus homo in adminiſtrationem innumerarum diſſimilium provinciarum ac nationum. Oportet ergò quærere aliam cauſſam omnium barum actionum adminiſtratricem & dominam. Quæ profectò, meo quidem infirmo judicio, nequit eſſe alia, quam inexiſtens ac inhærens ſemini anima. Hæc in ſemine & corpore à ſe informato, inhabitato, & gubernato, eſt quædam regina plenipotentiaria, quædam univerſalis & prima cauſſa, habens innumera accidentia, innumeras qualitates, primas, ſecundas, tertias, aliaſque multas ulteriores, ſibi ſubiectas ac ſubordinatas, quibus totum membranificationis opus per ſingulas partes, ſingulaque membra, inchoat, dirigit, adminiſtrat, continuat & perficit.

SECTIO III.

Adbuc examinatur vana iſta cœli, ac cœleſtis caloris efficacia.

9. ET quia calorem hunc aggreſſi ſumus, videamus, quo fundamento, quo colore multi dixerint & etiamnum dicant, illum eſſe conſormatorem ac membranificatorem animalium ex putri materia præſertim orientium. Fateor, multi hunc calorem multùm exaltant, eique nobiliſſimas baſce actiones aſſignant. Verùm, quo fundamento, quo colore? Credo ego magnum hujus exaltationis motivum eſſe Auctoritatem Philoſophorum Paganorum. Dixit enim Ariſtoteles, *Sol & bomo generat bominem.* Aſt hæc Philoſophia eſt pagana, nequaquam Chriſtiana: Debet reformari & Chriſtiana fieri. Credo certè ego firmiſſimè, hanc de cœleſtis caloris efficacia Chriſtianas ſcholas perambulantem ſententiam eſſe aliquid de reliquiis Gentiliſmi & Paganiſmi. Etenim omnes illos hetroclytos & extraordinariæ cauſſalitatis effectus, quos nos Chriſtiani tribuere debemus Deo vivo & vero, extraordinario ſuo ſuccurſu ordinariæ cauſſæ defectum ſupplenti, Pagani Philoſophi tribuerunt cœlo, aut ejus vivifico calori. Et ſane Pagani iſti in ſuis Paganis principiis philoſophabantur non malè: Nam, uti illi noverunt, qui Sanctum Auguſtinum de Civitate Dei legerunt, Pagani pro ſuo Deo habebant cœlum & mundum, vel potiùs animam mundi per cunctas mundi partes divagantem, cunctas luſtrantem & adminiſtrantem. Varroniſtæ quidem, qui erant Platonicis abſurdiores & hebetiores, iſtam mundi animam credebant eſſe Deum ſummum & ſupremum: Hæc *leg. 7. cap.* 6. ſunt verba Sancti Auguſtini: *Dicit ergò idem Varro adbuc de naturali Theologia præloquens, Deum ſe arbitrari eſſe animam mundi, quam Græci vocant* κόσμον, *& bunc ipſum mundum eſſe Deum. Sed ſicut bominem ſapientem, cum ſit ex corpore & animo, tamen ab animo dici ſapientem; ita mundum, Deum dici ab animo, cum ſit ex animo & corpore.* Platonici verò Varroniſtis longè puriores & veriores, licet mundi animam non crederent eſſe Deum ſummum, credebant tamen eſſe Deum à ſummo primum, totum mundum, omneſque cauſſas & actiones in eo fieri ſolitas gubernantem & adminiſtrantem. Summum enim Deum ab adminiſtratione corporei mundi liberabant, & eam provinciam Diis aliis, præſertim animæ mundi committebant. Tradit bæc omnia Sanctus Auguſtinus variis in locis. *L. 10. de Civit. cap. 29. Sed ipſe potiùs iſta ſentiens corrigendus fuit, præſertim cum de anima mundi bujus viſibilis, & tam ingentis corporeæ molis, cum illo,* videlicet Platone, *tam incredibilia ſapiatis. Platone quippe auctore animal eſſe dicitis mundum, & animal beatiſſimum, quod vultis eſſe etiam ſempiternum.* Et *leg.* 13. *cap.* 16. *Et boc quidem utrum Plato verum de Sideribus dicat, alia quæſtio eſt. Neque enim ei continuo concedendum eſt, globos iſtos luminum, ſive orbiculos luce ſua corporea ſuper terras, ſeu die, ſeu nocte, fulgentes, ſuis quibusdam propriis animis vivere, eiſque intellectualibus & beatis, quod etiam de ipſo univerſo mundo, tamquam uno animali maximo, quo cuncta cætera continentur animalia, conſtanter affirmat.* Et *cap.* 17. ita dicit: *Contendunt etiam iſti terreſtria corpora æterna eſſe non poſſe, cum ipſam univerſam terram Dei ſui, non quidem ſummi, ſed tamen magni, id eſt, totius bujus mundi membrum in medio poſitum & ſempiternum eſſe non dubitent. Cum ergò Deus ille ſummus fecerit alterum, quem putant Deum, id eſt, iſtum mundum, cæteris Diis, qui infra eum ſunt, præferendum, eundemque exiſtimant eſſe animantem, anima ſcilicet, ſicut aſſerunt, rationali vel intellectuali, in tam magna mole corporis ejus incluſa: ipſiuſque corporis tamquam membra locis ſuis poſita atque digeſta, quatuor conſtituerit elementa, quorum juncturam, ne umquam Deus eorum tam magnus moriatur, indiſſolubilem ac ſempiternam velint.* &c. Et infrà: *Jovis autem ipſius animam, quem mundum iſtum volunt, omnibus omnino corporeis elementis, quibus hæc tanta moles à terra in cœlum ſurgit, incluſam. Hanc enim animam Plato ab intimo terræ medio, quod Geometriæ centrum vocant, per omnes partes ejus uſque ad cœli ſumma & extrema diffundi, & extendi per numeros muſicos opinatur, ut ſit iſte mundus animal maximum, beatiſſimum, ſempiternum, cujus anima & perfectam ſapientiæ felicitatem teneret, & corpus proprium non relinqueret, cujuſque corpus & in æternum ex illa viveret, & eam quamvis non ſimplex, ſed tot corporibus,* san-

tantiſque compactum, hebetare atque tardare non poſſet.

10. Pagani ergo effectus illos, ſive regularis ſive irregularis cauſſalitatis, quorum non poterant aſſignare aut invenire cauſſam propriam & particularem, aſſignabant & attribuebant mundo, cælo, ætheri, aeri, attribuebant, inquam, eorum animæ, & vivifico eorum calori. Idque in ſuis principiis jure merito: Quia hanc animam firmiter credebant eſſe cauſſam cuncta gubernantem & adminiſtrantem, ac quoſcumque particularium cauſſarum defectus ſupplentem. Pagani ergo argumentabantur hoc modo: Cauſſæ particulares non poſſunt generare ſe ſolis, ſed debet cum illis generare ſimul cauſſa univerſalis, illas adjuvans ac in ſua actione fortificans: Atqui homo eſt cauſſa aliqua particularis; cælum vero, ſol, æther, aer, ſunt cauſſæ univerſales: Ergo ſolus homo non generat hominem, ſed ſol & homo generant hominem. Et erat, uti dixi, philoſophia hæc in eorum principiis neque incongrua, neque mala. Item argumentabantur hoc modo: Actiones hetroclytæ & irregulares, quarum nulla eſt cauſſa particularis & propria, adſcribi debent cauſſæ communi & univerſali; Atqui cauſſa communis & univerſalis ſunt anima & vivificus cæli ac ætheris calor: Ergo illi adſcribi debent actiones hetroclytæ & irregulares: Atqui animatio & conformatio animalium ex putri materia hetroclytè orientium eſt actio hetroclyta & irregularis: Ergo adſcribi debet cælorum animæ ac calori. Et ſanè in principiis paganis eſt argumentatio rectiſſima.

11. Ecce, ibi eſt totum fundamentum, totumque motivum, cur quidam Chriſtiani Philoſophi cælum & cæleſtem calorem ejus ita attollant, tantamque illi efficaciam, & tam univerſalem illi activitatem adſcribant: Eſt auctoritas & majeſtas Philoſophorum Paganorum: Quibuſcum, quamvis non poſſint in antecedente, concordare tamen volunt in conſequente. Aſt nunquid rectè? Profectò pluſquam obliquiſſimè. Etenim ſi antecedens ſit paganum, quomodo conſequens erit Chriſtianum? Id ego non intelligo. Nos chriſtiani negare debemus non tantùm quod mundus ſeu mundi anima ſit Deus, ſive ſummus, ſive magnus à ſummo factus; ſed etiam quod mundus ſeu anima ejus ſit cauſſa univerſalis ſopplens defectus cauſſarum inferiorum ac particularium. Hæc quippe ſuppletio eſt munus cauſſæ viſibilem hunc & contrectabilem mundum gubernantis & adminiſtrantis: Ita credimus non tantùm nos Chriſtiani, ſed credidere etiam omnes Philoſophi Pagani. Atqui cauſſa hæc mundum viſibilem adminiſtrans & gubernans non eſt mundi anima, uti crediderunt Pagani; ſed eſt Deus vivus & verus, uti credere debemus nos Chriſtiani. Ergò neque deficientium particularium cauſſarum ſuppletio ſpectat ad mundum aut cœlum, ſed ad Deum vivum & verum, qui fecit & mundum & cœlum.

12. Dico ergò tibi firmiter & conſtanter, actiones hetroclytas ab ordinariæ cauſſalitatis ſemita deviantes, præſertim ſi ſint vitales & ſubſtantiales, quales ſunt aliquarum materiarum in viva animalia conformatio & membranificatio, non poſſe attribui cœlo aut calori ejus, ſed ſoli cœli ac caloris ejus Deo ac Domino: Cœli enim activitas ac efficacia eſt hujuſmodi actionum dignitate longè inferior & minor, adeoque in illas nihil poteſt omninò. Cœlum poteſt diſtinguere tempora, dies, menſes, & annos; poteſt caleſacere & illuminare, poteſt hyemem & æſtatem, diem & noctem gubernare; at verò materias ſublunares animare, conformare, aut membranificare, dico tibi iterum, non plus poteſt, quam ego poſſim modò Cardinales aut Principes creare. Unde ovorum, veſparum, ranarum, murium, bombycum, & id genùs aliorum animalium conformatio & membranificatio, ſi non fiat ab inducta in materiam anima, fieri debet à Deo vivo & vero, qui fecit & materiam & animam: Nequaquam verò à cœlo, aut cœli calore. Ego autem dixi ſemper, & etiamnum dico, fieri has actiones ab inducta anima. Etenim diſtinguere debes materiæ alicujus animationem, & materiæ membranificationem: Membranificationem dixi ſemper fieri ab inducta anima; at verò materiæ animationem, quæ eſt actio membranificatione prior, dico fieri quandoque ab alia anima, quandoque à Deo: Ab alia quidem anima, quando animatio fit per viam animationis ordinariam; at verò à Deo, quando fit per cauſſalitatem à via ordinaria exorbitantem & hetroclytam.

13. Neque dico id ego ſolus: Dicunt id etiam alii nobiliſſimi Medici & Phyſici. Et, quod miraberis, dicit id ipſum etiam S. P. N. Auguſtinus *Epiſt.* 3. in hæc verba: *Ipſa enim*, nimirum magnitudo divinæ virtutis, *animam rationalem, & per eandem etiam corpus humanum, totumque omnino hominem in melius mutandum, nullo modo in deterius mutata coaptavit.* Ecce dicit, quod Deus coaptet animam rationalem, & per animam corpus humanum: Atqui corpus humanum coaptare eſt illud conformare, organizare, & membranificare: Etenim hæc qui differant? Ergò Deus per animam à ſe infuſam & creatam corpus conformat & membranificat; Ergò anima reſpectu humanæ conformationis & membranificationis eſt principium ſeu cauſſa Deo ſubordinata & ſubauctorata: Nam illa particula, *Per*, non importat ibi habitudinem veri inſtrumenti, ſed habitudinem cauſſæ principalis ſecundæ, ſubordinatæ & ſubauctoratæ. Atqui cauſſa ſecunda ſubauctorata & ſubordinata cauſſæ primæ eſt vera ac genuina cauſſa: De hoc enim quis ambigat? Nam particula, *ſubauctorata*, aut, *ſubordinata*, vocem, *cauſſa*, neque diminuit, neque alienat, ſed ſolummodò reſtringit ac ſpecificat. Ergò juxta S. Auguſtinum anima rationalis à Deo infuſa eſt vera cauſſa corpus humanum coaptans, conformans & membranificans. Ecce quantum habeat mea ſententia patronum ac tutorem!

SECTIO IV.

Solvitur ſecundum Marpurgenſe argumentum.

14. OBjiciunt Marpurgenſes ſecundò: *Præterea in corpore recens demortuo operationes exercentur vitales, ubi anima abſens eſt: Quomodo*

Digitized by Google

modo ergò dici poteſt, omne corpus, quod vitaliter operatur, eſt animatum? Volunt argumentari ſic: Corpus mortuum non eſt corpus animatum: Etenim mortuum, & anima ſpoliatum. Atqui tamen corpus demortuum eſt vitaliter operans, & operationes vitales exercens: Ergò non omne corpus vitaliter operans eſt animatum: Ergò præfata iſta major nequaquam fuit univerſaliter vera. *Probatur minor*: Quia in corpore recens demortuo exercentur adhuc varii motus, variæ agitationes & contractiones ſingulorum membrorum: Atqui hi motus ſunt operationes vitales: Sunt enim operationes organicæ. Ergò in corpore recens demortuo adhuc verè fiunt operationes vitales. *Reſpondeo planè & plenè negando minorem in utroque ſyllogiſmo*: Nam motus illi, quos in animalibus recenter exſtinctis advertimus, nihil ſunt aliud, quam diſcurſus & tranſcurſus ſanguinis & ſpirituum, aliorumque humorum in corpore contentorum, & ab anima egreſſa desertorum, ideoque motu vago & inſulſo versùs omnem poſitionis differentiam diſcurrentium & tranſcurrentium: Qui motus in animali demortuo nequaquam ſunt vitales. Et ſanè quomodò forent vitales in animali mortuo, cum non ſint vitales in animali vivo? Ita dico: Motus localis humorum, ſpirituum, & membrorum, qui fiunt in animalibus vivis, ſive ſint motus organici ſive inorganici, ſive ſint motus naturales ſive voluntarii, nequaquam ſunt operationes vitales. Videtur eſſe contra Thomam Fienum, qui *l. de viribus imag.* omnes hoſce motus elegantiſſimè deſcripſit, & operationum vitalium, uti apparet, catalogo adſcripſit. Verùm maneo in eo, quod dixi. *Hæc me movet ratio*: Quia in præſenti propoſito actiones vitales vocamus actiones illas, quæ ſunt propriæ alicui principio viventi, quæ ex nativa naturæ ſuæ condicione fiunt ac fieri petunt ab aliquo principio vivo: Atqui motus localis animalium, omniumque humorum, ſpirituum, ac membrorum in animalibus contentorum, nequaquam fit, neque fieri petit à principio vivo; ſed fit, & ex naturæ lege fieri petit à principio aliquo mortuo & inanimo, tamquam à cauſſa ſua ordinaria & principali: Ergò hic motus nequaquam computari poteſt inter actiones vitales rerum viventium proprias.

15. *Probatur minor*: Quia hic motus nequaquam fit, neque fieri petit immediatè ab anima; ſed fit & fieri petit ab impulſu loco-motivo per animam impreſſo: Atqui hic impulſus eſt principium inanimum & non-vivum: Uti eſt planum. Ergò hic motus neque fit, neque fieri petit à principio vivo; adeoque non eſt actio vitalis. Etenim in motu animalium diſtinguere oportet duas actiones realiter diſtinctas, realiterque ſeparabiles. E. g. dum in corpore animalis ſpiritus à corde diriguntur ad cerebrum, aut à cerebro regeruntur ad cor, duæ ibi interveniunt realiter diſtinctæ actiones. Prima eſt productio loco motivi impulſus in ſpiritu aut humore movendo: Et hæc actio fit immediatè ab anima, ideoque eſt actio verè vitalis. Altera actio eſt actualis localis motiva vel à corde ad cerebrum, vel à cerebro ad cor; & hæc actio non fit immediatè ab anima, ſed fit immediatè ab impulſu per animam impreſſo: adeoque nequaquam eſt actio viva, ſed planè inanima & mortua. Nam juxta meam Philoſophiam, anima movet ſuas partes, ſua organa, ſua membra, ſuos ſpiritus, ſuos humores, eo modo, quo movet lapidem, aut aliud ſimile corpus à ſe projectum; Atqui corpus projectum non movet anima immediatè per ſe, ſed per intermedium impulſum à ſe impreſſum. Unde in hac motione intercurrunt duæ actiones realiter diſtinctæ ac ſeparabiles: Prima eſt impulſus in lapidem impreſſio; altera eſt facta per impulſum localis motio. Hæc enim Philoſophia eſt ordinaria, communis, & vera: de qua dixi latè in tractatu meo de impulſibus loco motivis. Ergò hæc omnia etiam dicenda ſunt de motione illa locali, qua anima movet ſua membra, ſuos ſpiritus, ſuos humores, aliaque ſimilia. Adeoque hæc motio nequaquam eſt actio vitalis: Non enim fit à principio vivo.

16. Quod verò anima hæc omnia non moveat immediatè per ſe, ſed per medium impulſum à ſe impreſſum, *ſic breviter probo*: Quia ſanguinem, chylum, ſpiritum, lac, ſemen, aliaque omnia id genus, movet anima eo modo intra ſuum corpus, quo movet illa extra ſuum corpus: Eo, inquam, modo movet anima ſanguinem & ſpiritum, dum eos hinc inde per univerſam ſui corporis provinciam diſtribuit, quo movet eos, dum eos expirat, aut alio quovis modo foras expellit. E. g. eo modo movet anima ſpiritum, ac omne aliud ſimile tranſpirabile corpus, à pulmonibus & thorace uſque ad os, quo movet illud ab ore extra ſe intra aerem ſibi circumfluentem, ac ſe ambientem: Etenim quid ni? Cur enim hic varietur actionis modus, & motionis principium? Quodnam nobis profers hujus variationis indicium aut veſtigium? Adferes profectò nullum. Atqui corpora hæc propellit anima foras per impreſſum à ſe impulſum: uti nemo negare poterit, qui impulſum admiſerit. Ergò ſimiliter hæc corpora per proprium diſtribuit anima corpus non immediatè per ſe, ſed per impreſſum à ſe impulſum. Adeoque, licet hujus impulſus impreſſio ſit vitalis actio, nequaquam tamen ipſa actualis motio facta per inanimum impulſum eſt talis.

17. Ex his patet, quomodo fiant motus, diſcurſus, & tranſcurſus ſpirituum ac humorum in animalibus recenter exſtinctis. Fiunt, inquam, hi motus à duplici cauſſa, à duplici impulſu. Nimirum à nativo nativæ levitationis impulſu (ſpiritus enim vitales & animales ſunt natura ſua leves & levitantes) & ab impulſu adventitio per animam, dum adhuc in corpore erat, ſpiritibus impreſſo. Qui duo impulſus ob ſubitum animæ è corpore egreſſum ſeſe mutuò turbant & interpellant, ac mutuam actionem confundunt ac diſtrahunt. Hinc enim oritur motus adeò inconditus, adeò impolitus, adeò diſtortus & irregularis. Impulſus enim ab anima impreſſus pereunte aut exeunte anima non exit, neque perit: Non plus quam pereat aut abeat impulſus projecti lapidis ad interitum aut abitum hominis projicientis. Manet ergò is impulſus adhuc in ſpiritibus & humoribus, eoſque movet & agitat, uti illos moveri & agitari videmus. Verùm quia ab

animæ

animæ directione & manu-ductione deſertus eſt, ideò cauſſat motum adeò enormem & impolitum. Hi ergò motus non ſunt operationes vitales; non plus quam volatus lapidis per aera projecti: Sunt enim motus planè ſimiles ab eadem ſpecie cauſſa producti & principiati. Ergò corpora recenter mortua, ſicut non ſunt animata, ita neque vitaliter operantur, neque in vitalibus operationibus occupantur: Adeoque mea major conſtans perſeverat in ſua univerſali veritate.

C A P U T VI.

Oſtenditur quædam evidens Marpurgenſium hallucinatio.

1. AUdiamus, quæ ſequantur: *Major, quam nemo ſanus negare audet, probatur. Quia nutritio, & augmentatio ſunt actiones evidenter vitales: Atqui carnificatio, oſſificatio, membranificatio, plumificatio, omniſque alia ſimilis conformatio & organizatio, eſt vera nutritio & augmentatio: Uti certum eſt intelligenti terminos. Ergo certum eſt, conformationem ac cujuſcumque viventis organizationem eſſe actionem verè vitalem. Certa ergò eſt major. Neque ſcio, quod quiſquam Phyſicus aut Medicus illam negaverit.* Hæc ferè ſunt verba meæ Apologiæ. Audite, quid ad hæc reponant Marpurgenſes. *Reſpondeo, inſons patitur. Debebat hæc concluſio educi, Ergò omne corpus, quod vitaliter operatur, eſt animatum; ſed video hanc, Ergò conformatio & cujuſcumque viventis organizatio eſt actio verè vitalis. Illam inficias imus, hanc ſchola noſtra nunquam negavit.*

2. Ecce, arguitis me de inordinata probatione, & illegitima illegitimi conſequentis illatione: Dicitis, quod malè pro ſyllogiſmi mei concluſione poſuerim hanc propoſitionem, *Ergo conformatio & organizatio ſunt operationes vitales*; Utpote qui ponere debuerim hanc, *Ergò omne corpus vitaliter operans eſt animatum*. Verùm, ſalva pace veſtra & modeſtia mea, impingitis nimis evidenter. Intuli ego quam optimè: Et ſi intuliſſem ita, ut vos inferendum fuiſſe dicitis, intuliſſem ſanè quam peſſimè. *Ratio eſt clara*: Quia, ut quis legitimè inferat, inferre debet propoſitionem probandam: Uti novit quicumque trium dierum Logicus. Atqui in prima Apologiæ meæ ſectione, *num.* 4. propoſitio probanda non fuit major ſyllogiſmi primi *num.* 3. poſiti, *Omne corpus vitaliter operans eſt animatum*; ſed fuit major ſecundi ſyllogiſmi probantis minorem primi, *Organizatio ac ovi in pullum conformatio, oſſis, carnis, nervi, plumarum, aliorumque ſimilium productio eſt verè vitalis actio & operatio*. Ergò ego quam optimè intuli, & dum me arguitis, contra omnem juſtitiam arguitis. *Minor eſt clara*: Quia propoſitio ibi probanda eſt propoſitio à Doctiſſimo Carrerio negata: Contra illum quippe ibi ago & arguo. Atqui Carrerius non negavit majorem primi, ſed majorem ſecundi ſyllogiſmi: Si Carrerium legiſſetis, id probè noviſſetis. Ergò propoſitio probanda fuit major ſecundi, non autem major primi ſyllogiſmi. Videte ergò, quàm malè ego intulerim, & quam rectè & juſtè illi me arguerint.

3. Verùm majorem illam, quæ adeò vera eſt, adeoque certa, quam neque poteſtis falſificare, neque infirmare, cur, inquam, hanc majorem per falſas labyrinthos & vanos apparatus conamini in pravæ ſuſpicionis famam detrahere? Dicitis eam eſſe malè converſam, dicitis eſſe non benè probatam: Hæc omnia quorsùm? Manet ſanè inconcuſſa veritas, & impugnata clareſcit magis. Dico enim illam eſſe ſanctiſſimè veram. *Et oſtendo illius veritatem adhuc per hunc diſcurſum*: Quia ita ſe habet operari vitaliter ad vitam, ſicut ſe habet operari liberè ad liberum arbitrium: Sicut ſe habet operari voluntariè ad voluntatem, ſicut ſe habet operari intellectualiter ad intellectum, ſicut ſe habet operari rationaliter ad rationem, &c. Etenim inter hæc omnia quæ eſt diſproportio aut diſparitas? Profectò, mea quidem ſententia, eſt planè omninò nulla. Atqui omne ſuppoſitum operans liberè habet liberum arbitrium, omne ſuppoſitum operativum voluntariè habet voluntatem, omne ſuppoſitum operativum intellectualiter habet intellectum, &c. Ego ſanè non video, quis de his omnibus poſſit dubitare. Ergò ſimiliter omne ſuppoſitum operativum vitaliter habere debet vitam. Atqui aliquod ſuppoſitum habere vitam eſt eſſe vivum: Ergò omne ſuppoſitum vitaliter operativum debet eſſe vivum. *Et ratio à priori eſt evidentiſſima*: Quia omne ſuppoſitum, quod operatur aliqua operatione, debet habere in ſe formale iſtius operationis principium: Quomodo enim operaretur ſine principio formali operandi? Omne, inquam, ſuppoſitum alicujus operationis operativum, debet in ſe habere formale iſtius operationis principium. Idque jure certè plus quam merito: Nam eſſe alicujus operationis operativum, nihil eſt omnino aliud, quam habere in ſe formale iſtius operationis principium. Ego ſanè non video, quis poſſit de hoc dubitare, multò minùs quis poſſit illa negare. Ergò omne ſuppoſitum operationis vitalis operativum, habere debet in ſe formale operationis vitalis principium: Atqui formale operationis vitalis principium eſt ſola vita. Sicut operationis liberæ formale principium eſt ſolum liberum arbitrium, ſicut formale principium operationis voluntariæ eſt ſola voluntas, ſicut formale principium operationis intellectualis aut rationalis eſt ſolus intellectus & ſola ratio, &c. Ergò omne ſuppoſitum vitalis operationis operativum debet habere vitam, adeoque eſſe vivum.

4. Pergamus adhuc parùm ulterius. Dicebatis ſuprà hanc propoſitionem, quam ego pro majori aſſumpſeram, *Omne corpus vitaliter operativum eſt animatum*, eſſe convertentem hujus, *Omne animatum vitaliter operatur, ſeu eſt vitaliter operativum*: Adeoque illam propoſitionem non potuiſſe à me aſſumi univerſaliter, ſed debuiſſe aſſumi particulariter: Eò quod convertens univerſalem affirmativam nequeat eſſe univerſalis, ſed de jure ſit ſolummodò particularis. Ad hæc quid dicam? Ut verum dicam, in eo erraſtis etiam. Etenim tantùm abeſt, ut mea propoſitio ſit convertens propoſitionem veſtram, ita ut veſtra ſit convertens meam. Dico vobis, ita eſt: Hæc mea propoſitio, *Omne corpus vitaliter operativum eſt animatum*, non eſt convertens hanc,

Omne corpus animatum eſt vitaliter operativum; ſed è contrà hæc veſtra eſt convertens iſtam meam. Videte ergò, quam rectè philoſophemini, quam rectè me arguatis de illegitima propoſitionum converſione. *Ratio hujus eſt clara & firma*: Quia inter duas propoſitiones affirmativas in ſubjecto & prædicato alternantes & clypeum mutantes, illa, quæ eſt univerſaliter vera, eſt propoſitio converſa; illa verò, quæ non eſt vera univerſaliter, ſed tantùm particulariter, eſt propoſitio convertens; Uti vos negaturos eſſe non timeo, quos bonos Logicos eſſe præſumo. Atqui mea propoſitio eſt univerſaliſſimè citra ullam exceptionem vera, uti hactenus ſatis oſtendi, ideoque non oſtendam ampliùs; aſt verò veſtra propoſitio nequaquam eſt vera univerſaliter, eſt vera ſolummodò particulariter: Ergò inter iſtas noſtras propoſitiones mea debet eſſe converſa, veſtra verò debet eſſe convertens: Cujus vos dixiſtis contrarium.

5. Quod veſtra propoſitio non ſit vera univerſaliter, *Ita probo*: Quia dari poteſt corpus verè animatum, quod tamen non ſit vitaliter operativum: Ergò non omne animatum eſt vitaliter operativum: Ergò veſtra propoſitio nequaquam eſt univerſaliter vera. *Ambæ conſequentiæ patent*; *probatur ergò antecedens*. Quia poteſt animam poni in ſubjecto planè nudo, & omnibus omnino diſpoſitionibus ad quamcumque vitalem operationem eliciendam neceſſariis orbato: E.g poni poteſt anima in lapide, in terra, aere, vel igne. Id ergò ſemel fiat: Quia ex poſſibili poſito in actu nihil ſequitur repugnans. Tunc iſtud compoſitum ex inepta ad vitalem operationem materia, & anima, erit corpus verè animatum, vereque vivum: Atqui tamen non erit vitaliter operativum: Non quidem defectu operativæ animæ, ſed defectu apti ſubjecti, & bene accommodatæ materiæ. Ergò poteſt dari corpus animatum & vivum, quod tamen non ſit vitaliter operativum. *Et ratio ulterior eſt*: Quia ita ſe habet operari vitaliter ad corpus vivum & animatum, ſicut ſe habet operari ſenſibiliter ad corpus anima ſenſitiva animatum: Atqui dari poteſt, ac ſæpè in mundo datur corpus anima ſenſitiva animatum: quod tamen non ſit ſenſitivum, neque ſenſibiliter operativum: Ut dixi ſuprà *cap.* 2. ex Sancto Auguſtino. Ergò ſimiliter dari poteſt corpus vivum & animatum, quod tamen non ſit vitaliter operativum. Videte ergò, quam bene me de malis conſequentiis, ac malis propoſitionum arguatis converſionibus.

CAPUT VII.

Examinatur oppugnatio hujus minoris,
Ovum fæcundum operatur operationes verè vitales.

1. APud Marpurgenſes hæc ſequuntur: *Nunc ad minorem, Ovum fæcundum operatur operationes verè vitales. Minor negatur: Quandoquidem ad oculum pateat, Ovum fæcundum, in quantum tale, non edere operationes vitales.* Audite homines illuminatos; quibus etiam intelligibilia & inſenſibilia patent ad oculum. *Sed & illa hoc modo cingitur: Quia organizatio, ac ovi in pullum conformatio, oſſis, carnis, nervorum, plumarum, ſimiliumque productio eſt verè actio vitalis: Atqui has operationes ovum in ſemetipſo operatur: Ergò ovum operatur operationes verò vitales.* Hic ſyllogiſmus eſt meus. At quid reponunt Marpurgenſes? *Reſpondeo primò: In hac probatione petit principium. Quis enim hanc minorem, Atqui has operationes ovum in ſemetipſo operatur, quæ in ſuperioribus negata eſt, conceſſit? Hæc nunc eſt Helena, pro qua ſaltamus. Reſpondeo ſecundo ad majorem: In iſta vitalium actionum collectione ultimam eſſe reſecandam, ut experientia docet, non enim eſt actio vitalis. Quod enim in homine ſunt pili, hoc plumæ in volatilibus: Sed pilorum productio non eſt actio vitalis: Ergò nec plumificatio.*

2. Primò itaque me de petitione principii accuſatis: Verùm injuſtiſſimè. *Ratio eſt clara*: Quia petere principium eſt propoſitionem incertam & ambiguam aſſumere pro certa & indubitata: Eſt propoſitionem aliquam aſſumere & allegare pro principio, quæ verè principium non eſt: Eſt propoſitionem probatione indigentem ſine probatione adducere in medium, tamquam ſi probatione non indigeret. Atqui nihil horum ego feci: Nam omnes & ſingulas meas propoſitiones, quæ alicujus probationis indigere videntur, probo per diſcurſus hinc inde, ut timeo, nimis longos. Ergò qua conſcientia me de principii petitione arguitis? Profectò parùm timorata. Poſſum & ego vos arguere? Non arguam quidem de petitione principii, ſed de nimiùm inſulſa negatione. Etenim omnia negatis, & nullius negationis legitimitatem probatis. Magni ego facio Philoſophum ſubinde negantem, ſubinde affirmantem; ſemper autem dicti ſui, ſive negativi, ſive affirmativi, rationem, eamque efficacem, allegantem.

3. Secundò dicitis, plumificationem non eſſe actionem vitalem. Et hoc dictum probatis ratione contenta in hiſce verbis: *Quod enim in homine ſunt pili, hoc plumæ in volatilibus: Sed pilorum productio non eſt actio vitalis: Ergò nec plumificatio.* Aſt hujus rationis efficaciam ego nullus intelligo. Quare enim pilorum productio non eſt actio vitalis? Quis ante vos Phyſicus aut Medicus pilificationem ex vitalium actionum albo delevit? Reverà nullus. Vos primi eſtis. Pro hoc dicto veſtro tam novo, tam exorbitanti, imò tam paradoxo, ſaltem aliquam adduceretis rationem vel auctoritatem: Dicitis rem inauditam, eique nihil roboris, nihil firmitatis datis. Ecce, *Turpe eſt Doctori, cum culpa redarguit ipſum.* Vos verè principium petitis, qui me de iſto vitio accuſatis. Rem quippe improbabilem ſine probatione allegatis.

4. In veſtri tamen gratiam argumentabor hoc modo: Actio vitalis debet eſſe productio rei animatæ & vivæ: Atqui neque pilificatio, neque plumificatio eſt productio rei animatæ & vivæ: Etenim neque plumæ neque pili animantur, neque ab anima informantur; uti de pilis eſt vulgata Phyſicorum ſententia. Ergò neque pilificatio, neque plumificatio poteſt eſſe actio vitalis. *Probatur major*: Quia actiones ſpeciem & nomen ſuum ſortiuntur à ſuo termino: E. g. denominationem

tionem ſubſtantialis, accidentalis, ſpiritualis, materialis, naturalis, ſupernaturalis, &c. ſortiuntur actiones à termino ſuo ſubſtantiali, accidentali, ſpirituali, materiali, &c. Ergò etiam denominationem vitalis ſortiri debent à termino ſuo vitali: Atqui terminus vitalis eſt idem quod terminus animatus & vivus: Ergò actiones, ut vitales ſint, habere debent terminum vivum, ſeu animatum; adeoque actio vitalis debet eſſe productio rei vivæ ſeu animatæ. Ecce, quam agam ſeriò & fideliter partes Marpurgenſium.

5. *Reſpondeo negando majorem*: Neque enim habet apparentiam. Ad vitalem actionem nequaquam requiritur, quod ſit productio rei animatæ. Neque ullus ſanus Philoſophus id unquam ſomniavit, multò minùs affirmavit. Idque jure merito: Nam chylificatio, ſanguificatio, lactificatio, ſpermatificatio, ſpiritificatio, rorificatio, aliæque quamplurimæ ſimiles actiones, ſunt ſine controverſia actiones vitales: Quis enim unquam Philoſophus de hoc dubitavit? Neque credo dubitare Marpurgenſes: Atqui nulla harum actionum eſt productio rei animatæ: Nam neque chylus, neque ſanguis, neque ſperma adhuc teſtibus affixum, neque lac, neque ſpiritus, neque ros, animantur aut ab anima informantur; uti conſtat apud Phyſicos & Medicos. Ergò actio vitalis nequaquam eſſe debet productio rei vivæ & animatæ. *Major eſt certiſſima, & à nemine neganda*: Etenim actio vitalis eſt actio, quæ ex natura ſua poſtulat fieri & principiari à principio vivo: Atqui omnes iſtæ præfatæ actiones petunt principiari à tali principio: Ergò omnes illæ ſunt actiones vitales.

6. *Ad majoris probationem falſa eſt major univerſaliter ſumpta*: Licet enim actio ſæpe ſumat ſpeciem & nomen à termino, nequaquam tamen ſemper. Sæpe ergò ſumit actio nomen & ſpeciem à termino: Ita fit in exemplis in argumento adductis. Aliquando à ſuo formali principio: Ita fit actioni liberæ & voluntariæ. Aliquando à principio & termino ſimul: Ita fit actioni univocæ & æquivocæ. Aliquando à ſubjecto, in quo recipitur: Ita contingit actioni immanenti & tranſeunti. Aliquando à modo fiendi: Ita fit creationi & eductioni. Actio ergò, ut vitalis ſit, non debet eſſe rei animatæ productio, non debet habere terminum vivum & animatum: Quia ſpeciem & vitalitatis nomen ſumit à ſuo principio, non autem à ſuo termino. Actio quippe vitalis eſt illa, quæ ex natura ſua fieri petit à principio vitali, ſive cujus activum ac ordinarium formale principium eſt aliqua vita ſeu anima. De quo non malè Fienus *l. 2. de format. fœtus*, *fol.* 54.

7. Præterea in argumento iſto falſa eſt principalis minor: Licet quippe multi Philoſophi negent vitam & animam pilis noſtris, nulli tamen eam negant volatilium plumis. Marpurgenſes, vos eſtis primi. Idque, more veſtro, nulla allegata ratione. Nunquid ergò rurſus principium petitis? Non poſſum vos excuſare. Dico ergò, tam pilos, quam plumas eſſe verè vivos, & animatos: Adeoque tam pilificatio quam plumificatio eſt vera rei animatæ productio. Quarumvis ergò vitalis actio deberet eſſe rei animatæ productio, nihil adhuc pilificationi & plumificationi deeſſet, quo minùs vitales actiones eſſent. Nolo ego hoc multis probare: Neque enim hæc huic quadrant loco. Probat id eleganter ac breviter Thomas Fienus *l. 2. de form. fœt. fol.* 131. Hæc ſunt verba ejus. *Dices, pilos & ungues non eſſe veras corporis partes, neque anima rationali informari. Verùm quin ſint, non puto ullum doctum debere dubitare; etſi ſciam communem opinionem in contrarium eſſe. Etenim pili à natura ſunt intenti, & habent ſuum ſpecialem in corpore uſum, ut in ſuperciliis eſt manifeſtiſſimum. Creſcunt ad determinatam quantitatem, pulcherrimo ordine: In omnem dimenſionem. Nam cum amputati ſunt, extrema, quæ obtuſa ſunt, iterùm tenuia evadunt: Quod indicium eſt, in omnem dimenſionem creſcere. Habent ſuas radices, quibus enaſcuntur: Quæ omnia indicia ſunt, non fortuito expelli, aut excrementa eſſe, ſed veras ac legitimas partes. In aliis animalibus ſunt veræ partes ipſorum; quare non & in hominibus eſſent? Nam in aliquibus creſcunt mira pulchritudine, & colorum ordine & diverſitate; ut in pantheris, leopardis, tigridibus, &c. In equis natura ex propoſito & peculiari intento partem magnam carneam producit, non ad alium finem, quam ut ex ea longiſſimi & copioſiſſimi pili caudæ pulcherrimo ordine enaſcantur. Quod in avibus plumæ, in hiſtricibus & echinis calami, & ſpinæ; in aliis animalibus ſunt pili: Et plumas avium, & calamos hiſtricum quis non videt veras illorum animalium eſſe partes.*

8. Ecce, non conveniunt Marpurgenſes cum Thoma Fieno. Fienus argumentatur à plumis ad pilos affirmativè; Marpurgenſes verò à pilis ad plumas negativè. Supponit Fienus pro claro & certo, plumas eſſe vivas & animatas; Marpurgenſes verò ſupponunt eas eſſe inanimatas. Cui parti hic credendum eſt & adhærendum? Ego adhæreo partibus Fieni. Idque meritiſſimo jure: Nam omnis pars ſenſitiva, in qua anima aliquam efficit ſenſationem, eſt viva & animata: Anima quippe nèquit ſenſationem imprimere partibus à ſe non animatis. Item omnis pars, quam anima motu voluntario movet, eſt ab anima informata. Atqui anima avium plumis imprimit & voluntariam motionem, & veram ſenſationem; licet non ita perfectam, uti imprimit carni & nervo: Ita enim nobis oſtendit quotidiana experientia. Ergò plumæ ſunt verè vivæ & ab anima informatæ. De quo alibi latiùs.

CAPUT VIII.

Examinatur oppugnatio alia ejuſdem minoris?

1. AUdite, quid ſequatur in contraſcripto Marpurgenſi: *Audiemus nunc aliam minoris probationem: Quia ovum, dum calore ſibi proportionato ac bene temperato fovetur, utpote per incubationem gallinæ, per aquam tepidam, per tepidum furnum, per fimeta, per mammillas muliebres, per axillas humanas, ut tradunt Ariſtoteles* l. 6. de Hiſtor. Animal cap. 1. *Et Plinius* Tom. 1. l. 10. c. 52. 53. 55. *conformantur in pullos: Similiter*,

uti

uti docet experientia ova piſcium & ranarum tempore verno cum aqua impudenter potata aliquando conformantur & organizantur in ſtomaco humano. Item ova bombycum in fine veris conformantur & organizantur ſeipſis, ſine ulla extrinſeca incubatione vel fotione; conformantur enim in ciſta vel ſcrinio poſita. Hæc verba ſont mea: Quibus ita reſpondent Marpurgenſes. *Reſpondeo primo: In hac probatione multa continentur noſtram & veram ſententiam ſtabilientia. Damus, & lubentes, has operationes, quatenus calore incubantis, ſemen in ovo ab utroque parente collatum, in quo eſt ſpiritus, calor, & natura principium motus fovetur habeat, & hæc impellantur calore externo, ut perfecta pulli eſſentia proveniat; ſed hæc de ovo ut ſic aſſerere, magna eſt temeritas.*

SECTIO I.

Conformatio Ovi non eſt opus ullius ſpiritus Ovo proprii.

2. CErtè verba hæc ſunt adeò ſubtilia, adeoque ſublimia, ut ego illa nequaquam intelligam. Neſcio, quid velitis dicere. Si velitis, ut vobis reſpondeam, debetis me clariùs interrogare. Quantùm tamen colligo, dicitis conformationem ovi per incubatum gallinæ conformati, eſſe effectum ſpiritus & caloris à gallina incubante provenientis. Et additis inſuper, quod magna ſit temeritas opus iſtud animæ ovum informanti attribuere. Verùm, bona verba quæſo. Nam conformationis opus attribuere animæ materiam conformatam inhabitanti, eſt opus vitale attribuere principio vitali: Atqui in hac attributione & aſſertione, ſi fortè nulla ſit veritas; quæ, quæſo, eſt temeritas? Sanè, meo quidem judicio, major eſt temeritas quempiam temerè judicare, quam hanc meam aſſertionem firmis ac ſolidis rationibus probatam ac firmatam, uti ego me feciſſe ſpero, in medium allegare.

3. Et ſanè, ſi ego temerarius fuerim, fui profectò non ſolus. Fuit mecum etiam Thomas Fienus, nec non Fieni Antagoniſta Henricus du Gardin. Is poſtquam pro invenienda vera conformationis cauſſa in omnem partem ſe volutaſſet, tandem *fol.* 33. ita dicit: *Nam quæ alia ratio eſſet, cur ex ovo gallinæ fieret pullus gallinaceus, quam quia in ovo pulli eſt aliqua anima, quæ ſimilem ſpeciei gallinaceæ pullum producat? Quæ ratio, cur ex ſemine tritici fieret triticum, ex ſemine avenæ avena, quam quod in ſemine tritici ſit anima triticea, & in ſemine avenæ avenacea, quæ ex illo triticum, ex hoc avenam producat ac conformet?* Et verè jure merito: Nam nobiliſſimum conformationis & organizationis opus nequaquam fieri poteſt à calore, nequaquam à ſpiritu: uti hic affirmant, (quantum ego verba eorum obſcuriſſima intelligo) Marpurgenſes. Quod fieri nequaquam poſſit à calore, dixi jam aliquoties plus quam ſatis. Etenim qui unus idemque ſpecie calor, purum accidens, proprietas naturalis imperfecti elementi, poſſit eſſe cauſſa oſſificationis, membranificationis, chylificationis, ſanguificationis, carnificationis, frondificationis, florificationis, fructificationis, cortificationis, aliarumque infinitarum ſimilium nobiliſſimarum ac eminentiſſimarum actionum? Qua virtute poſſit unicus ille calor efficere cor, hepar, aures, nares, totam divinam & admirabilem oculi fabricam tot tunicis, humoribus, muſculis, nervis, diſtinctam ac expolitam? Sanè tantam hujus accidentis activitatem ac efficaciam alibi decanta, quia mihi nunquam perſuadebis.

4. Et ſanè ſi animalium ova, ac terræ implantata, aut in ciſta vel ſcrinio occultata ſemina non habent animam, à qua cauſſa illam accipiunt? Nunquid etiam à calore, ita ut calor ſit non tantùm ovorum & ſeminum conformator & organizator, ſed etiam progenitor & animator? Credo ego firmiſſimè, id etiam Marpurgenſes intrepidè affirmaturos. Verùm qua fronte? Nam qua virtute calor producet animam omnium animalium, omniumque ſeminum? Animam galli, paſſeris, turdi, perdicis, falconis, &c. Animam frumenti, avenæ, hordei, petroſillini, pimpernillæ, rhabarbari, poſtanacæ, lactucæ, &c.? Crede mihi, tot ſeminum adeò diverſorum, adeoque diſſimilium animatio & conformatio ſunt actiones virtute caloris longè ſuperiores & eminentiores. Si enim calor tantùm poſſet, foret ens efficaciſſimum totius univerſi, adeoque etiam nobiliſſimum: Nam entium nobilitatem nos metiri & colligere ſolemus ex eorum efficacia & activitate. Quærere ergò oportet aliam harum actionum cauſſam, quam ego non credo eſſe, aut eſſe poſſe aliam, quam aliquam veram vitam, veramque animam.

5. Non enim etiam ſpiritus eſt harum actionum efficiens cauſſa. *Ratio eſt:* Quia ſi quis ſpiritus foret ovorum ac ſeminum conformator, ac organizator, is eſſe deberet, vel ſpiritus animalis, vel vitalis, vel naturalis, vel generativus: Etenim quis foret alius quintus? Atqui nullus horum eſt. Non enim eſt ſpiritus vitalis: Quia ille duntaxat eſt inſtrumentum pulſus, & delationis caloris per univerſum animalis corpus. Neque eſt ſpiritus animalis: Quia ille ſolummodò eſt inſtrumentum motus & ſenſus. Neque etiam eſt ſpiritus naturalis: Quia talis ſpiritus nequaquam datur, ut eſt communis opinio nobiliorum Medicorum. Ita enim docent Thomas Fienus variis in locis, Capivaccius, Carterius *diſput.* 40. *cap.* 12. Rodericus Vega *ſect.* 5. *comment. ſup. cap.* 38. *artis parvæ*, aliique quam plurimi. Neque etiam eſſe poteſt ſpiritus generativus: Quia is datur longè minùs, nec ullus Medicorum eum poſuit, niſi ſolus Avicenna. Ergò nullus eſt ſpiritus, qui eſſe poſſit ſeminum & ovorum conformator, multò minùs animator. *Præterea:* Opus conformationis fieri debet à potentia conformatrice: De quo nemo poteſt dubitare. Etenim ſicut viſio fieri debet à potentia viſiva, & auditio à potentia auditiva, & imaginatio à potentia imaginativa, & chylificatio à potentia chylificativa, & ſanguificatio à potentia ſanguificativa, &c. Ita quoque conformatio fieri debet à potentia conformativa. De hoc, inquam, nemo poteſt dubitare. Atqui potentia conformativa non eſt in ſpiritibus, neque in naturali, neque in vitali, neque in animali: Ergò con-

Digitized by Google

gò conformatio fieri nequit à ſpiritu. *Probatur minor*: Quia potentia conformativa eſt potentia vitalis alicojus animæ: Atqui potentiæ vitales nequeunt eſſe in ſpiritu: Ergò potentia conformativa nequit etiam eſſe in ſpiritu. De majori non credo fore dubitandum: Nam potentia conformativa numeratur in catalogo potentiarum animæ vegetativæ, ſicut potentia viſiva computatur in numero potentiarum animæ ſenſitivæ. *Probatur ergò minor*: Quia potentiæ vitales non poſſunt ſubjectari, niſi in illo ſubjecto, in quo ſubjectatur anima: Nam potentiæ vitales vel in ipſa anima, vel certè in animæ ſubjecto ſubjectantur. Atqui in ſpiritibus nulla ſubjectatur anima: ut docent politiores quicumque Phyſici. Ergò potentiæ vitales nequeunt eſſe aut ſubjectari in ſpiritu. *Ratio majoris eſt*: Quia potentiæ vitales producuntur ab anima per actionem emanativam. Uti certum eſt. Atqui forma emanativè agens per actionem emanativam nihil producit extra ſemetipſam, vel extra proprium ſuum ſubjectum: Uti etiam apud omnes eſt indubitatum. Ergò potentiæ vitales non poſſunt ſubjectari extra ſubjectum animæ: Subjectari enim debent vel in anima, vel in informata per animam materia.

6. Et, ſanè quod ovorum ac ſeminum conformatio non poſſit eſſe opus alicujus ſpiritus, *adhuc oſtendit hæc ratio illis propria*: Quia in ovis avium, & plantarum ſeminibus nullus eſt ſpiritus; neque animalis, neque vitalis, neque naturalis: Ergò hæc non poſſunt conformari & organizari à ſpiritu. Antecedens, de quo ſolo dubitari poteſt, probare volo elegantiſſimo diſcurſu Thomæ Fieni: *Nam quo argumento poteſt probari, aut quo ſigno poteſt colligi, in ovis avium & albumine illo frigido, in ſiccis plantarum ſeminibus, antiquatis fabis, piſis, aut frumento, quæ jam aliquot annis in granario jacuerunt, & tota nihilominùs adhuc creſcere valent, ineſſe ſpiritus? Seminibus, quę in natura ſua, ut ſint fœcunda, debent eſſe actu calida, ut ſunt ſemina humana, & animalium quadrupedum, & fortè etiam piſcium, ſpiritus ineſſe non nego: At ſeminibus illis, quæ poſſunt permanere fœcunda ſine actuali calore, ut ovis avium & ſeminibus plantarum, valde veriſimile eſt & meo judicio certum, nullos ſpiritus ineſſe. Quibus rebus non ineſt calor actu, non videntur quoque ineſſe ſpiritus: Quia nullus ſpiritus eſt ſine actuali calore. Spiritus enim perdit & eſſentiam & fœcunditatem ſuam, mox ut perdit calorem actualem. Adeò ut Medici & virilis membri longitudinem, & lentam ſeminis ejectionem inter cauſſas ponant ſterilitatis; quod ipſæ aliqualis ſpirituum refrigerationis ſint cauſſæ. Nam ſi eſſent ſpiritus in ovis, ſicut in aliis ſeminibus, cur cum ipſa eſſent refrigerata, non eodem modo perderent fœcunditatem, ſicut alia ſemina? Quæ poſſet eſſe ratio, cur ſemina hominum & quadrupedum magis perderent ſuam fœcunditatem refrigerata, quam ova, ſeu ſemina avium? Porrò veritati admodum conſentaneum eſt, plantas neque calore, neque ſpiritu vivere. Nam cum calor, quo vita conſtat, ſit calor actu, & calor actu ſit qualitas natura ſua ſenſibilis, & non poſſit eſſe calor actu, qui non ſit ſenſibilis, & in nullo quantocumque cumulo herbarum ſentiatur ille calor actu; planè veriſimile eſt herbis nullum calorem actualem ineſſe. In herbis in media aqua naſcentibus, & uſque ad ſummum aqua frigidiſſima tectis, & tenuiſſimo caudice & folio, quæ frigore aquæ undique pervadi poſſunt, præditis, quomodo imaginabile eſt calorem actu poſſe latitare, & conſervari, ut frigiditate illa copioſa aquæ non extinguatur? Quod ad ſpiritus attinet, ſi arboribus & plantis ineſſent, quando putantur, decerpuntur, præciduntur, quomodo contenti in eis ſpiritus non extinguerentur, ac in auras evolarent? Plantarum actio eſt vegetatio, nutritio, auctio; ad quas ſpiritu nequaquam opus eſſe videtur. Etenim, ſi præſtantiſſimi Medici ad actiones vegetativas humanas longè actionibus vegetativis plantarum excellentiores exercendas ſpiritu minime opus eſſe judicent, cur opus eſſe judicabimus ad vegetativas harum exercendas? Non eſſe autem opus ad illas, tenent, quicumque ſpiritum naturalem in humano corpore negant. Inter quos eſt Manardus* l. 15. Epiſtolar. Epiſt. 1. *Valeſius* 2. controverſ. cap. 17. *Segarra* in præfat. libror. de facult. natural. pagina 354. *Mercenarius* in Elucidationibus, fol. 475. *Rodericus à Vega* ſect. 5. comment. ſup. cap. 38. artis parvæ. *Carrerius* diſp. 40. cap. 12. ſup. Avicennam. *Ludovicus Lemoſius* 12. Methodi. *Capivaccius, & multi alii. Spiritus produci ac generari non poſſunt ſine actuali calore. Debent enim produci ex vaporibus ſucci alimentalis ipſius plantę à calore actuali excitatis. Si in plantis actualis calor non eſt, quomodo vapores illi queunt excitari? Adeo, ut veriſimile ſit, ſeminum plantarum fœcunditatem non à ſpiritibus, ſed ab aliis qualitatibus ac diſpoſitionibus eis inexiſtentibus nobis incognitis & incognoſcibilibus dependere: quæ ad aliquod tempus in ſeminibus permaneant, tandem verò antiquitate & exſiccatione nimia pereant & extinguantur.* Ova ergò & plantarum ſemina conformari ac organizari nequeunt à ſpiritu: Nullo enim intra ſe ſpiritu calent.

SECTIO II.

Solvuntur contraria argumenta.

7. I*Nſtabis tamen contra hæc*: Quia ovum eſt verum animalis ovipari ſemen: Atqui omni ſemini ineſt ſpiritus: Neque id quovis modo; ſed ſicut pars eſſentialis ineſt ſuo toti: Spiritus enim eſt ſeminis pars eſſentialis, ſimul & integralis illud eſſentialiter conſtituens, ac integraliter complens. Ergò omni ovo ineſt ſpiritus: Ergò hic ſpiritus eſſe poteſt ovi conformator & organizator. *Probatur minor*: Quia ſemen eſt nobiliſſima ac defęcatiſſima portio ſanguinis: Atqui ſanguis eſt totus ſpirituoſus: Ergò multò magis ſemen. Docet hoc Sanctus Thomas *l.* 2. *contra Gentes*, *cap.* 89. Et 1. *p. quæſt.* 118. *art.* 4. *ad* 5. his verbis: *Et ideò non oportet, quod illa vis activa habeat aliquod organum in actu, ſed fundatur in ipſo ſpiritu incluſo in ſemine, quod eſt ſpirituoſum, uti teſtatur ejus albedo.* Ecce dicit Sanctus Thomas ſpiritum includi in ſemine: Atqui non includitur ſicut locatum in loco: Ergò ſicut pars in ſuo toto. Idem non ſemel dicunt Cajetanus ac Ferrarienſis, ſicut & ipſe Ariſtoteles. Et hinc dicunt quidam Medici, quod ſemen habeat ſpiritus ſibi intrinſecè unitos, ac intrinſecatos; adeoque à ſe omninò inſeparabiles. *Reſpond.*

tamen

tamen negando minorem utriuſque ſyllogiſmi : Fateor quidem ſemen, quamdiu in teſtibus aut matrice eſt, benè calidum, benè clauſum, beneque ab anima actuatum, eſſe egregiè ſpirituoſum, ac plurimis in ſe contentis ſpiritibus undique pervaſum ac repletum; Adeoque & ovum, quamdiu in utero gallinæ eſt, eſſe omnino ſpirituoſum, ac à plurimis ſpiritibus pervaſum. Sed nego ſpiritus illos eſſe ovo aut ſemini intrinſecatos: Nego illos contineri in ſemine tamquam partem eſſentialem aut integralem in ſuo toto: Nego illus eſſe de eſſentia, aut eſſentiali conſtitutione ſeminis. Etenim, juxta communem Medicorum doctrinam, ſpiritus illi ſunt influentes & adventitii, venientes & recedentes; & non ingredientes eſſentialem compoſitionem chyli, ſeminis, ſanguinis, aliorumque humorum. Attamen tales ſpiritus nequaquam ſunt in ſemine foras miſſo & refrigeratu: Etenim ſpiritus, ubi ſemen à debiti vaſis cuſtodia & clauſura ſpoliatur, ſtatim exit & evaporatur, relinquitque ſemen frigidum, omni calore denudatum: Ubi autem non eſt calor, quomodo erit ſpiritus? Atqui ova ſunt quædam avium ſemina: Sunt, inquam, ſemina non tantùm nuda & ſimplicia; ſed jam permixta, actuata, fermentata, ac recipiendæ organizationi quam optima temperata. Attamen ſunt ſemina foras miſſa, & à frigido aere jam dudum refrigerata. Ergò ſunt etiam ab omni ſpiritu ſpoliata: Adeoque eorum conformatio & organizatio nequaquam tribui poteſt inſidenti illi ſpiritui: Nullus enim illis inſidet.

8. *Inſtabis ſecundo :* Ovum, dum adhuc intra gallinæ corpus erat bene calidum, bene clauſum, beneque actuatum, erat egregiè ſpirituoſum, plurimiſque per omnia ſpiritibus perfuſum & repletum: Uti jam eſt dictum. Ergò omnes iſtos ſpiritus etiamnum habet, dum eſt foras miſſum & refrigeratum. *Probatur conſequentia :* Quia ſpiritus illi non poſſunt per corticem ovi bene firmum, beneque clauſum exſpirari & foras avolare: Ergò ibi perpetuo manent. Neque recurratur hic ad corticis porus: Nam illi certè tanti eſſe non poſſunt, ut ſpiritui exitum quærenti dare poſſint. *Reſpondeo negando conſeq. utriuſque enthymematis :* Neque enim ſpiritus illi ab ovo exſpirantur, neque per ovi poros evaporantur. Si enim evaporarentur, ſine dubio à nobis viderentur; ut fit dum evaporantur ore, naribus, aut alio ſimili corporis hiatu: Spiritus enim non ſunt inviſibiles. Aſt quò ergò ſe recipiunt? Intra ovi refrigerati corticem corrumpuntur, pereunt, ac intercidunt. Idque ad eum ferè modum, quo in olla bene occluſa aquei vapores & fumi ex ebullienti aqua per vim ſuppoſiti ignis extracti, & cauſſati, ad amotionem ignis ſuapte natura intra ollam pereunt ac intercidunt, & ad nativam denſitatem, & gravitatem aquæ redeunt. Ita quoque ſpiritus in ovo, dum ovum infrigeſcit, corrumpuntur & pereunt, ac in nativam denſitatem, ac gravitatem vitelli vel albuminis, quod undique pervadebant ac opplebant, tranſeunt. Idque jure merito: Nam ſpiritus illi ſunt ſubſtantia quædam egregiè calefacta, egregiè extenuata ac rarefacta, uti ſunt vapores & fumi in bullienti aqua.

9. *Inſtabilis tertiò :* Ergò ſpiritus illi per ovi refrigerationem mortui, dum ovum à gallina incubari & calore vitali rurſus calefieri incipit, iterùm reviviſcunt & reſuſcitantur: Adeoque ab his jam reſuſcitatis & redivivis poteſt inchoari & conſummari organizationis opus: Adeoque non eſt opùs in ovo fingere delitescentem animam. *Sequela verò probatur :* Quia, ut dicit Juris Regula, per eaſdem cauſſas res moritur, per quas naſcitur. adeoque etiam per eaſdem cauſſas renaſcitur, per quas moritur. Atqui gallina ovum portans poteſt ſpiritum in ovo ſuſcitare: Ergò gallina ovo incubans poteſt illum ex refrigeratione jam mortuum reſuſcitare. *Reſpondeo negando ſequelam :* Nam licet ex ſpiritu rectè inferatur calor, non tamen ex calore rectè infertur ſpiritus. Poteſt enim quis humor habere calorem, non tamen habere ſpiritum: Uti patet in hepate, cui nobiles Medici calorem dant, ſpiritum verò omnino negant. Similiter ergò ova, quæ ex incubatione gallinæ tepent & calent, calorem quidem habent, verùm ſpiritu carent. Non enim poteſt gallina incubans illum regenerare aut reſuſcitare. *Et ratio eſt clara :* Quia ovum per incubationem fotum neque eſt ſpiritus officina, neque ſpiritus receptaculum: Ergò ovum non poteſt à gallina incubante accipere ſpiritum. *Conſequentia eſt nota ; antecedens ergo probatur.* Quia officina ſpiritus eſt cor animalis ſpiritum fabricantis; receptacula verò ſpiritus ſunt animalis membra, nervi, muſculi, venæ, &c. quæ ſpiritu utuntur tanquam alimento & actionum ſuarum inſtrumento: Atqui ovum neque eſt gallinæ incubantis cor, neque membrum, neque muſculus, neque nervus: Non enim eſt pars gallinæ. Ergò neque eſt ſpiritus officina, neque ſpiritus receptaculum: Adeoque à gallina incubante nequit ullum accipere ſpiritum. Verùm de ſpiritu ovorum eſt modò plus quam ſatis. Adduci poſſent adhuc alia plura adductu quam digniſſima: Aſt quid? Ego non ſum Medicus.

SECTIO III.

Conformatio ovi non fit etiam à ſpiritu gallinæ incubantis alieno.

10. RESpondebunt *fortaſſe :* Ovum conformari non quidem à ſpiritu ſuo proprio, ſed à ſpiritu gallinæ incubantis alieno. Gallina quippe incubans ovo non tantùm incubat ſed inſuper illi ſuum ſpiritum inſpirat, illoque illud fœcundat, conformat, & organizat. *Verùm reſponſum & inventum hoc longè aberrat à vero :* Etenim ſpiritus ovi conformator debet eſſe ovo intrinſecus, ac intra ovi corticem contentus: Atqui ſpiritus gallinæ incubantis nequaquam poteſt ſolidum ac firmum ovi corticem penetrare, aut ſubintrare: Ergò ſpiritus ex gallinæ incubantis corpore tranſpiratus nequaquam eſſe poteſt ſpiritus conformator. *Major eſt clara, & extra rationabilis controverſiæ periculum :* Quia cauſſa ovum conformans & organizans, antequam organizationis opus incohet, debet totum internum ovi domicilium conturbare & alterare: Debet totum albumen cum vitello, & vitellum cum albumine

totaliter implicare, permiſcere, actuare, & fermentare, ac in hujus fermenti meditullio & centro organizationis opus inchoare: Uti notum eſt cuicumque polito Medico. Atqui hæc tota totius ovi alteratio, conturbatio, ac fermentatio fieri nequit à cauſſa aliqua extrinſeca, & intra ovi corticem, non conta: Niſi quis, neſcio quam vim magneticam fingat, quæ abſens faciat æſtuare totum domicilium ovi, uti magnes æſtuare facit ramenta æris aut ferri. Ergò ſi quis ſpiritus foret ovi conſormator, deberet etiam eſſe ovi inhabitator: Alioquin enim qui eſſet tantus ovi turbator ac fermentator? *Clara etiam eſt minor argumenti principalis*: Quia ſpiritus ſunt vapores quidam calidi, pellucidi, leves, ac rati, non multùm abſimiles aeri bene depurato ac deſæcato: Atqui nullus aer adeò ſubtilis eſt, ut poſſit per corticem ovi tranſpirari: Ergò neque ullus ſpiritus eſt, qui poſſit corticem illum ſubintrare aut penetrare: Adeoque ſpiritus gallinæ incubantis nequaquam poteſt ſibi ſpem de hoc introitu arrogare. Et ſanè ſi nos quam fortiſſimè ſlando nequeamus eductum ore ſpiritum traducere per ſolium chartæ, per expenſam veſicam, aut aliam quamvis tenuiſſimam membranam, quomodò poterit gallina modeſtè incubando traducere aut derivare ſuum ſpiritum per ſolidiſſimum ovi corticem, per cortici annexam membranam, per totum denique ovi domicilium? Profectò non poteſt id ullo modo.

11. Et certè ſi organizatio ovi foret opus ſpiritus ex gallinæ incubantis corpore tranſpiranti, organizatio hæc non foret opus continuum, uno tractu, unoque continuo operationis filo inchoatum & conſummatum; ſed foret opus per intervalla factus, plurimiſque intermedii otii interpolationibus diſcretum & interciſum: Atqui conſequens hoc abſurdiſſimum eſt: Nam organizatio non tantùm eſt fœtus conſormatio & figuratio; ſed inſuper eſt ejus augmentatio, nutritio, ac vegetatio: Quæ actiones, quia ad famulatem naturalem ſpectant, nunquam interpolantur, neque interciduntur. Ergò etiam abſurdum eſt iſtius abſurdi conſequentis antecedens. *Probatur ſequela majoris*: Quia ſi ovi organizatio foret opus ſpiritus à gallina incubante provenientis, non poſſet illa fieri & progredi niſi ſpiritu illo præſente: Nam nulla actio poteſt procedere & progredi in abſentia ſui effectivi principii; ſed ſtatim ut relinquitur à principio ſui effectivo, licèt non pereat aut evaneſcat, ſaltem ſtat & ab omni progreſſu ceſſat: Juxta vulgatum Phyſicorum Axioma, Ceſſante influxu cauſæ etiam ceſſare debet actio & effectus. Atqui ſpiritus gallinæ incubantis, ovo non ſemper adeſt, ſed gallina abeunte & à ſuo incubatu ſurgente etiam abit ejus ſpiritus: Circumſtantes enim evaneſcit in auras. Adeoque ſicut gallinæ incubatus toto organizationis tempore non eſt continuus, ſed ſæpe intermiſſus, interpolatus, ac interciſus; ita quoque ab ejus corpore ſupra ovum tranſpiratus ſpiritus. Ergò, ſi hic ſpiritus foret organizationis effectiva cauſſa, ovi organizatio non foret actio unius tractus, & continua, ſed foret actio quam plurimis interciſionibus interpolata: Atqui tamen hoc falſum eſt. Etenim organizatio ovi non ceſſat ob abitum gallinæ, ac ſpiritus ejus; ſed pergit ac progreditur tam bene dum gallina ab incubatu vacat, quam dum illi vacat: Uti notum eſt ex experientia. Ergò hic ſpiritus nequit eſſe organizationis effectiva cauſſa.

12. Deinde, incubatio ovi ſæpe non eſt unius avis, neque unius ſexus, neque unius ſpeciei, ſed eidem ovo aliquando incubat gallina mater, aliquando gallus pater: Incubat aliquando gallina, aliquando anas, aliquando anſer, aliquando cycnus, &c. Adeoque ſuper idem numero ovum incubatione fotum & calefactum tranſpiratur quandoque ſpiritus fœmininus, quandoque maſculinus: quandoque gallinaceus, quando anatinus, quandoque cycninus, quandoque anſerinus, quandoque etiam alii. Atqui tamen ex illis pluribus ſpiritibus & incubatibus adeò diſſimilibus ac diſſentaneis non prodit pullus monſtruoſus, & variarum ſpecierum organis ac membris diſtortus; ſed prodit fœtus ordinatus ac compoſitus, habens eam organorum ac membrorum ſpeciem, qualem habuit avis, quæ ovum concepit & peperit. Ergò ſpiritus ex avis incubantis corpore exſpiratus nequaquam eſſe poteſt cauſſa ovum effectivè conſormans, & organizans. *Patet conſequentia*: Quia ſpiritus adeò diſſimiles ac diverſi, tam diverſæ originis ac temperamenti, non poſſent concordare in efficiendo eodem ac pariformi ejuſdem conſormationis & organizationis opere: Nam ſi ſpiritus conformationem moliri poſſet, gallinaceus moliretur conformationem gallinaceam, anſerinus anſerinam, cycninus moliretur conſormationem cycninam, &c. Atqui tamen hoc non fit; ſed in præſentia tot diverſorum ſpirituum fit unum & uniforme uniformis conſormationis opus. Ergò ſignum manifeſtum eſt, quod ſpiritus conſormationem illam non efficiant, ſed quod ſolummodò conferant ovo calefactionem & actuationem, qua cauſſa ovo inſidens actuatur, & ad inchoandum ac conſummandum conformationis ſuæ opus invitatur & excitatur: Uti dixi ſatis in Apologia. Nam, uti dixi ibidem, avis ovo incubans, aut avis incubantis ſpiritus nihil ampliùs conſert ovo, quam conferat illi fimetum, tepidus furnus, tepida aqua, mamma muliebris, axilla humana, &c. Etenim ovuum eodem planè modo conſormatur & organizatur in fimeto, in furno, in aqua, in mamma, ſub axilla, &c. quo conſormatur & organizatur ſub avis incubatu, aut ſub avis incubantis ſpiritu; uti docet nos experientia. Atqui hæc omnia nequaquam ſunt, aut eſſe poſſunt effectiva conſormationis cauſſa; uti certum & planum eſt. Ergò neque avis incubans, neque etiam exſpiratus ab illa ſpiritus poteſt eſſe cauſſa hujus nobiliſſimi ac eminentiſſimi operis operativa.

13. *Et ratio à priori*, omnem omnino ſpiritum, tam intrinſecum quam extrinſecum, tam proprium quam alienum, ab hoc nobiliſſimo conſormationis opere removens, *eſt hæc*: Quia ſi ſpiritus foret hujus operis effectivus, vel efficeret illud per ſuum calorem, vel ſuam formam ſubſtantialem ſui in eſſe ſpiritus conſtitutivam: Per quid enim aliud? Neque enim efficere poſſit id operis per ignavam & inertem materiam: efficere ergò deberet per aliquam materiæ ſuæ inexi-

ſtentem

ſcentem formam, ſive accidentalem, ſive ſubſtantialem. Atqui ſpiritus per neutram formam id poteſt: Ergo ſimpliciter illud non poteſt. *Probatur minor*: Quia viventium conformatio & organizatio ſunt operationes verè vitales, petentes fieri, procedere, & principiari ab aliquo effectivo principio vitali & vivo; neque ullatenus fieri poſſunt à principio inanimo & mortuo: uti tradit Sanctus Thomas 1. *p. q.* 76. *art.* 1. *in corp.* Et *q.* 118. *art.* 2. Et 2. *cont. Gent. cap.* 89. Atqui neque calor ſpiritui adveniens, neque forma ſpirituum conſtituans eſt principium vitale & vivum: Quomodo ergò vitalis operationis dicuntur eſſe principium? Profectò neque rectè, neque verè. Deinde officium ſpirituum eſt organa & membra ad motum & ſenſum excitare & habilitare: Atqui nihil horum eſt conformare & organizare: Ergò hæ actiones non bene adſcribuntur ſpiritibus. Ac tandem, conformatio fieri debet à potentia conformativa: Atqui nullus ſpiritus habet potentiam conformativam: Ergò nullus ſpiritus poteſt conformare & organizare, uti dicebam, & latiùs deducebam ſtatim ſuprà.

14. Verba Marpurgenſium ſequentia nihil petunt diverſum à jam dictis. Sunt autem hæc: *Secundo, Ova piſcium & ranarum tempore verno cum aqua imprudenter potata aliquando conformantur. Reſpondeo, Calore interno ventriculi ſpiritus vitales ad iſtam conformationem impelluntur: Sed quid hæc de ovis piſcium & ranarum ut ſic?* Ecce accurrunt iterum ad calorem & ſpiritum jam ſatis impugnatum. Sequuntur hæc verba: *Tertio, Ova bombycum in fine veris conformantur & organizantur ſeipſis ſine ulla extrinſeca incubatione vel fotione. Reſpondeo, id provenire ab aere, tempore verno, calore ſolis temperato, cujus beneficio & alia inſecta progenerantur: Fungi nimirum, muſcæ, veſpæ,* &c. Ecce iterum recurrunt ad calorem: idque ſine ulla probatione, vocando in teſtem, experientiam. Verùm de hujus teſtis teſtimonio ſatis eſt jam, pluſquam ſatis. Eamus ad ſequentia.

CAPUT IX.

Examinatur oppugnatio meæ opinionis circa cauſſam principalem.

1. ITa ergò dicunt: *Nunc nobis de cauſſa, quænam illa ſit, diſpiciendum. Nos conformationis cauſſam principalem creatam dicimus eſſe animam gallinæ, ſive abſentis ſive præſentis; cauſſam verò inſtrumentalem dicimus eſſe ſpiritus vitales in ovo fecundo contentos. Contra hanc doctrinam quidam inſurgens omnes ſuos nervos intendit, ut nobis cauſſam creatam principalem, quam animam gallinæ diximus, ſurripiat; atque animam ovo inſidentem, prædictamque conformationem operantem ejus loco conſtituat. Errores de cauſſa inſtrumentali mox etiam indigitabuntur; Nunc argumenta de cauſſa principali. Primum: Non vacat exiguis rebus adeſſe Jovem. Deus à die ſeptimo, quo requievit ab opere ſuo, ordinarias rerum generationes non exequitur per ſe, ſed per cauſſas ſecundas ad id officii agendum à ſe creatas: Ideo enim illis dixit, Creſcite & multiplicamini & replete terram. Per quæ verba rebus creatis potentiam generativam collatam eſſe communiter tradunt expoſitores. Oportet ergò hujus organizationis aſſignare aliquam cauſſam principalem creatam; Hæc quippe organizatio non eſt actio heteroclyta, ſed quam maximè ordinaria. Reſpondeo: Quæ ſequela, Deus non eſt cauſſa hujus conformationis principalis creata: Ergo anima ovi? Ridicula.*

2. Pauſemus hic parum. Profectò rectiſſimè me in Epiſtola veſtra de modeſtia & patientia monuiſtis: Nam quanto me impatientiæ ac immodeſtiæ periculo hinc inde expoſueratis, quam optimè noveratis. Servabo itaque ego in voluntate mea modeſtiam ac patientiam; circa vos tamen non intermittam miſericordem ſeveritatem, & ſeveram miſericordiam. Nam, juxta Sanctum Auguſtinum Epiſtol. 5. *Præcepta iſta*, videlicet patientiæ & modeſtiæ, *magis ad præparationem cordis, quæ intus eſt, pertinere, quam ad opus, quod in aperto fit, ut teneatur in ſecreto animi patientia cum benevolentia, in manifeſto autem id fiat, quod eis videtur prodeſſe poſſe, quibus bene velle debemus: hinc liquidò oſtenditur, quod ipſe Dominus* JESUS *exemplum ſingulare patientiæ, cum percuteretur in faciem, reſpondit: Si malè dixi, exprobra de malo; ſi autem bene, quid me cædis? Nequaquam igitur præceptum ſuum, ſi verba intueamur, implevit: Neque enim præbuit percutienti alteram partem, ſed potiùs prohibuit, ne qui fecerat, injuriam augeret: Et tamen paratus venerat non ſolùm in faciem percuti, verùm etiam pro his quoque, à quibus hæc patiebatur, crucifixus occidi, pro quibus ait in Cruce pendens; Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt, &c. Sunt ergò iſta præcepta patientiæ ſemper in cordis præparatione retinenda, ipſaque benevolentia, ne reddatur malum pro malo, ſemper in voluntate complenda eſt. Agenda ſunt autem multa, etiam cum invitis benigna quadam aſperitate plectendis, quorum potiùs utilitati conſulendum eſt quam voluntati*, &c. Servabo itaque ego in voluntate mea erga vos benevolentiam & patientiam, neque tamen omittam mixtam cum ſeveritate miſericordiam. Agitis modò cum verbis meæ Apologiæ, uti agere ſoletis cum verbis divinæ ſcripturæ; Id eſt, vos illa mutilatis, alteratis, vitiatis. Agitis cum mea Apologia, uti antiquitùs tempore Tertulliani agebant Gentiles cum tota Chriſtiana Eccleſia. Fingitis malas conſequentias, & falſas ac abſurdas ſententias, eaſque meæ Apologiæ attribuitis, & toto impetu arguitis. Aſt quid? Arguitis non meam Apologiam, ſed veſtram criminatricem phantaſiam. Ubi ego feci hanc verè ridiculam conſequentiam, Deus non eſt cauſſa creata ovi conformativa: Ergò illa cauſſa eſt ovi anima? Profectò nullibi. Ecce conſequentiam, eamque bonam ac legitimam: Cauſſa ovi conformativa debet eſſe cauſſa creata: Atqui non poteſt eſſe alia quam anima ovi: Neque enim eſſe poteſt ſol aut aliud aſtrum, neque calor fovens, neque aer circumſtans, neque forma ovi, qualem ponit Carrerius, inanimata, neque aliquis Angelus, neque anima, neque ſpiritus, neque calor gallinæ incubantis, &c. Ergò debet eſſe ovum informans anima: Cujus munus eſt non tantum ovum informare; ſed & conformare & organizare. Hæc conſequentia eſt bona, & à vobis neq; expugnata, neque oppugnata. Dum ergò aliam fingitis, & mihi appingitis, nunquid in-

juriari & zoilizare diligitis? Id judicent alii.

3. Videamus modò ſequentia. *Secundum argumentum: Non poteſt eſſe ſol, aut aliud aſtrum, neque calor fovens, neque aer circumſtans, neque forma ovi inanimata: Iſta enim omnia ſunt inanimata & vitæ expertia; organizatio verò viventis eſt actio vitalis. Atqui actio vitalis fieri nequit à principio inanimato; ſed principium ejus principale neceſſario debet eſſe vitale. Reſpondeo primò: Conceditur, at nullus dixero de anima ovum informante.* Ah qualis reſponſio? Nam parum eſt negare; oportet negationis ſuæ rationes & fundamenta allegare: Etenim juxta axioma, Valet unus fatuus plus negare, quam valeant mille ſapientes probare. Audiamus reſponſionem ſecundam. *Reſpondeo ſecundo; Unde hæc Philoſophia, Actio vitalis nequit fieri à principio inanimato & vitæ experte?* Dico ego eam eſſe à Sancto Auguſtino, & à Sancto Thoma, ab omnibus Philoſophis & Medicis, nemine excepto: *Licet enim non fiat principaliter, attamen ſæpe fit inſtrumentaliter à principio inanimato, ut de ſole & aſtris res clara eſt in progeneratione muris & ranæ è putri materia; de aere circumſtante in bombycis. Quomodo aliàs verificabitur hoc vulgare Philoſophicum: Sol & homo generant hominem? Taceo innumerabiles ex illo principio promanantes abſurditates.* Et certè tacendo bene facis: Et ſi hæc omnia, totumque hoc contraſcriptum tacuiſſes, profectò longè ſanius ſapuiſſes. Tacuiſſem enim tunc & ego. Modò verò neque taceo, neque tacere poſſum aut volo: Ne quadret vobis illud Demoſthenis: *Rem præter dignitatem feliciter aſſequi, ſtultis malè ſentiendi aut cogitandi eſt occaſio.*

4. Audiamus adhuc ſequentia. *Tertium argumentum: Neque etiam eſſe poteſt aliquis Angelus: Quia Theologi non ſolent tantam Angelis adſcribere efficaciam. Neque etiam eſſe poteſt anima gallinæ incubantis: Quia gallina incubans nihil confert ovo ampliùs, quam illi conferat fimetum, furnus, ſtomachus humanus, mammilla, axilla, &c. Atqui hæc omnia non efficiunt ovi organizationem, ſed ſolummodo conferunt ovo actuationem, ac vivificum calorem, quo anima ovo inſidens excitatur ad operandum & materiam ſuam organizandam. Ergò ſimiliter gallina incubans non confert ovo organizationem, ſed ſolum animæ excitativum calorem.* Hæc ferè ſunt verba mea. Audite dignam ad illa reſponſionem. *Reſpondeo primò: Dabimus Angelum hæc non poſſe: Ergò anima ovo inſidens iſta operatur? Credat Judæus Apella,* Quid miri, ſi ineptam adeò conſequentiam, Conformator ovi non eſt aliquis Angelus: Ergò eſt ovi anima, non credat quidam perfidus Judæus, cum illam nemo fidelis crederet Chriſtianus? At quis illam conſequentiam in medium protulit, quis illam formavit? Profectò id non feci ego. Vos illam finxiſtis, & contra eam dentes veſtros acuiſtis, ut oppugnaretis non meam Apologiam, ſed veſtram zoilam phantaſiam. Sequuntur duæ aliæ reſponſiones. *Reſpondeo ſecundò: Conferunt hæc ovo actuationem ac vivificum calorem: Hæc pro confeſſo accipimus, ac magnas talia reſpondenti gratias agimus. Nos enim non dicimus calorem externum gallinæ cauſſare organizationem, ſed ſpiritus vitales in ovo contentos, externo autem calore ad conformationem impulſos ac excitatos.* Et ibi apparet ſoliditas & conſtantia veſtra, qui idem modò negatis, modò affirmatis: Qui conformationis opus modò calori adſcribitis, modò adimitis: Modò ad calorem ſolis, modò ad calorem aeris, modò ad ſpiritus recurritis. Neque id mirum: Nullibi enim ſolidum fundum, cui firmi inſiſtatis, invenitis. Nunquid *fol.* 5. conformationem & organizationem bombycum calori ſolis, aut temperato per calorem ſolis aeri adſcribitis? Cur ergò id modò negatis? Profectò valde inconſtanter. Audiatur & tertia reſponſio. *Reſpondeo tertiò: Anima ovo inſidens toties repetita nauſeam creat.* Non eſt mirum: Quia homini à prima veritate averſo nauſeat omnis veritas. *Quis enim huic ullam operationem adſcribat?* Id ſtatim vobis oſtendam. *Hujus petimus probationem.* Et ego à vobis probationum mearum, quas efficaciſſimas puto, peto efficacem reprobationem.

5. Accedamus modò ad examen. Occurrunt autem examinanda ſatis multa. Ante omnia autem ſuppono tamquam certum & indubitatum, quod cauſſa principalis ovum conformans & organizans non ſit ipſemet Deus benedictus, & glorioſus, ſed quod ſit aliqua cauſſa creata. Non Durandizo, neque generalem Dei concurſum nego: Fateor Deum concurſu generali efficere omnem omnino actionem, etiam defectuoſam & peccaminoſam: Adeoque etiam conformationem, organizationem, & animationem ovi, ac cujuſcumque alterius ſeminis, & viventis. Nego ergò Deum eſſe cauſſam harum actionum ſpecialem, ſpeciali concurſu illas inchoantem & conſummantem; & dico cauſſam earum ſpecialem principalem eſſe aliquam cauſſam creatam; Quæcumque demum illa ſit. Ab hoc dicto, uti videtur, non diſcordant Marpurgenſes: Dicunt enim cauſſam principalem conformationis & organizationis eſſe animam gallinæ, ſive abſentis ſive præſentis. *Ratio mei dicti eſt hæc:* Quia juxta regulam S. Auguſtini, Deus benedictus & glorioſus, *Implet cœlum & terram præſente potentia non abſente natura, ſic adminiſtrat omnia, quæ creavit, ut etiam ipſa proprios exercere & agere motus ſinat.* Deus ergò ordinarias ordinariæ cauſſalitatis actiones non exequitur immediatè per ſe, ſed per cauſſas aliquas creatas ſibi ſubordinatas, quas proprios exercere & agere ſinit motus. Deus enim creaturis ſuis impreſſit ac dedit non tantùm quandam participationem ſuæ eſſentiæ, ſed etiam ſuæ efficaciæ & omnipotentiæ. Et in hoc eſt præciſa differentia actionum analogarum ab actionibus hetroclytis; Quod ſcil. actionibus analogis providerit Deus de ordinaria & conſueta creata cauſſa; hetroclytas verò pendere voluerit à ſua miſericordia & gratuita ſuæ omnipotentiæ aſſiſtentia; Atqui organizatio & conformatio ovorum, ac quorumcumque aliorum ſeminum eſt actio quam maximè ordinaria & analoga: Ergò illa fit per propriam & ordinariam quandam cauſſam creatam, proprios exercentem & agentem motus: Atqui cauſſa proprios exercens & agens motus nequaquam agit ut inſtrumentum Dei, ſed ut cauſſa principalis: Etenim inſtrumentum non agit neque exercet motus proprios, ſed motus cauſſæ alterius, & alienos. Et ſanè diſ-

plicet

plicet mihi quam maximè illa Philoſophia, quæ omnes cauſſas ſecundas dicit eſſe Dei inſtrumenta: Nam quis dicat ignem calefacere, lapidem de ſurſum cadere, aquam frigefacere, hominem furari, fornicari, pejerare, & blaſphemare in virtute Dei? Hoc eſt facere Deum Autborem peccati, & incidere in implam ac impudentem blaſphemiam Calvini. Ergò organizatio ovi habet aliquam cauſſam creatam verè principalem, quæcumque tandem illa ſit. Hoc ſuppoſito pergamus ad examen.

CAPUT X.

Examinantur dicta & quæſita Marpurgenſium in capite præcedenti contenta.

1. QUæritis primò, Quis unquam animæ ovum informanti ullam adſcripſerit operationem? Deinde dicitis operationem vitalem debere pro ſua cauſſa principali habere principium vivum & vitale, nequaquam tamen pro ſua cauſſa inſtrumentali; ſed cauſſam ejus inſtrumentalem poſſe eſſe principium inanimatum & mortuum. Hinc infertis, ſolem & aſtra in generatione muris & ranæ è putri materia, & aerem circumſtantem in generatione bombycis, quæ utræque actiones vitales ſunt, eſſe cauſſas Inſtrumentales: Adeoque creditis veriſimiliter verum eſſe hoc dictum Ariſtotelis, Sol & homo generant hominem: Homo quidem tamquam cauſſa principalis, Sol verò tamquam hominis inſtrumentum. Quartò denique aſſeritis cauſſam principalem ſemina organizantem ac membranificantem eſſe animam generantis, ſive præſentis ſive abſentis; cauſſam verò hujus operis inſtrumentalem eſſe ſpiritum vitalem à calore impulſum & excitatum: Adeoque dicitis ova inſtrumentaliter conformari à ſpiritibus vitalibus à calore externo ad conformandum impulſis & excitatis. Videamus hæc, an vera ſint.

SECTIO I.

Animæ Ovum inhabitanti adſcribitur conformationis opus à Nobilibus Philoſophis.

2. A*D quæſtionem veſtram reſpondeo:* Animæ ovum informanti aliquam operationem, & quidem illius in pullum, avem, vermem, aut bombycem conformationem & organizationem, adſcripſerunt Nobiliſſimi ac Eminentiſſimi Philoſophi: Sanctus Auguſtinus, S. Thomas, Cardinalis Cajetanus, Ferrarienſis, aliique quam plurimi. Quid dicam de Medicis? Quid de ipſo Ariſtotele? Conſentit is omninò mecum, uti oſtendi ſuprà *cap. 4. Et probo hoc*: Quia philoſophari nos oportet de conformatione & organizatione ovi, ſicuti philoſophamur de conformatione & organizatione cujuſcumque alterius ſeminis mixti, actuati & fermentati: Ovum quippe, de fœcundo loquor, eſt verum avis ſemen mixtum, actuatum, ac fermentatum. Adeoque quicumque organizationem & membranificationem actuati & fermentati ſeminis in genere adſcribunt animæ ſemen informanti & inhabitanti, etiam organizationem & membranificationem ovi adſcribunt, & ſi velint conformiter loqui (uti velle loqui præſumendi ſunt) adſcribere debent animæ ovum informanti ac inhabitanti: Sub genere enim comprehenditur quævis ſpecies: Et generalis affirmatio de genere eſt affirmatio de quavis iſtius generis ſpecie. Atqui ſanctus Auguſtinus, S. Thomas, Cardinalis Cajetanus, Franciſcus Ferrarienſis, Ariſtoteles, aliique quam plurimi Medici & Philoſophi, & horum nequaquam infimus Julius Cæſar Scaliger, organizationem & conformationem ſeminis in genere adſcribunt animæ ſemen inhabitanti: Ergò eidem animæ adſcribunt & adſcribere debent conformationem & membranificationem ovi. Quod ita ſentiat ſanctus Pater Auguſtinus, oſtendi ſuprà *Cap.* 5. De Ariſtotele oſtendi idem *Cap.* 4. Sanctus Thomas verò id docet *l. 2. cont. Gent. c.* 89. Et 1. *p. q.* 118. *art. 2. ad 2.* his verbis: *Ad ſecundum dicendum, quod aliqui dixerunt, quod operationes vitæ, quæ apparent in embryone, non ſunt ab anima ejus, ſed ab anima matris, vel à virtute formativa, quæ eſt in ſemine. Quorum utrumque falſum eſt. Opera enim vitæ non poſſunt eſſe à principio extrinſeco, ſicut ſentire, nutriri, & augeri. Et ideò dicendum eſt, quod anima præexiſtit in embryone, à principio quidem nutritiva, poſtmodùm autem ſenſitiva, & tandem intellectiva.* Ecce dicit manifeſtè ſanctus Thomas, operationes vitæ, quæ fiunt in embryone, ſive in ſemine mixto, actuato, & fermentato, nimirum embryonis nutritionem, augmentationem, membrificationem & organizationem, neque fieri ab anima matris, neque à forma ſeminis inanimata, ſed ab anima ſemen inhabitanti ac informanti. Tantùm differimus in eo, quod ſanctus Thomas ponat in ſemine ſucceſſionem animarum, dicatque primam eſſe brutam ac materialem; ergo verò illam ſucceſſionem non credam, dicamque primam animam eſſe intellectivam ac rationalem. An verò in ſemine ſit aliqua anima ſeminis conformatrix & membranificatrix, non controvertimus: Quia in eo planè convenimus.

3. Alter ejus locus etiam inſignis eſt 1. *p. q.* 76. *art.* 1: *in Corp.* his verbis: *Manifeſtum eſt autem, quod primum, quo corpus vivit, eſt anima. Et cum anima manifeſtetur ſecundùm diverſas operationes in diverſis gradibus viventium, id quo primò operamur unumquodque horum operum vitæ, eſt anima. Anima enim eſt primum, quo nutrimur, ſentimus, & movemur ſecundùm locum, & ſimiliter quo primò intelligimus. Hoc ergò principium, quo primò intelligimus, ſive dicatur intellectus, ſive anima intellectiva, eſt forma corporis.* Ex quibus verbis tale ego deduco argumentum: Ubicumque reperiuntur operationes vitales, ibi eſt anima informans & inhabitans: Anima enim manifeſtatur ſecundùm diverſas operationes in diverſis gradibus viventium, & id, quo primò operamur unumquodque horum operum vitæ, eſt anima: Utique non aliena, ſed propria, informans, & inhabitans. Atqui in ovis, & aliis quibuſcumque actuatis ac fermentatis ſeminibus apparent operationes vitales: ſcilicet membranificatio & organizatio. Ergò ibi latet anima operationes iſtas inchoans & conſummans. Præterea:

Anima eſt primum, quo nutrimur, movemur, ſentimus, intelligimus, &c. Ergò omnia, quæ nutriuntur, habent animam: Atqui ſemina actuata ac fermentata nutriuntur, organizantur, conformantur, augmentantur, &c. Ergò habent animam. Ecce animæ in fluido ſemine delitescenti adſcribo aliquas operationes non ego ſolus, ſed & alii Nobiliſſimi ac Irrefragabiles Philoſophi.

4. Secundò dicis, operationes vitales, licet principium vivum & vitale poſcant pro cauſſa ſua principali, poſſe tamen procedere & effici ab aliquo principio non vivo & inanimo, tanquam à cauſſa ſua instrumentali. In prima hujus dicti parte, quæ de cauſſa vitalis operationis principali loquitur, ego vobiſcum convenio: Ita enim dixi & inculcavi jam ſæpiùs. Eſtque veritas per ſe nota & evidens, de qua ſine infamia ambigere & controvertere poſſit ſolus Academicus. In altera dicti veſtri parte, quæ de actionis vitalis cauſſa instrumentali loquitur, facilè vobiſcum convenirem, ſi naturalia instrumenta admitterem: Omnes enim, qui naturalia instrumenta admittunt, illam veſtri dicti partem concedunt & aſſerunt. Verùm ego quidem instrumenta ſupernaturalia & voluntaria, qualia ſunt omnia ſeptem Chriſtianæ Sacramenta, tamquam verus Catholicæ Eccleſiæ matris noſtræ ſanctiſſimæ ac piiſſimæ filius admitto; aſt instrumenta naturalia & neceſſaria planè abnuo ac reiicio: Adeoque hac in parte vobiſcum non convenio. Quin imò convenio: Licet enim non admittam cauſſas principales & instrumentales, admitto tamen cauſſas principales ac minus principales: Adeoque dico, quod operatio vitalis procedere & effici poſſit à principio mortuo & inanimato, tanquam à cauſſa ſua minus principali; cauſſa tamen principalis debet ſemper eſſe vitalis. *Et probo hoc*: Quia actus ſupernaturales, tam intellectus, quam voluntatis, quales ſunt actus Fidei, Spei, Charitatis: Viſio item, & auditio ſenſitiva; aliique idgenus, ſunt actus verè vitales: Ut nemo negare poteſt. Atqui hi omnes actus effectivè procedunt & oriuntur ab aliquo principio non vivo, tanquam a cauſſa ſua minus principali: Ergò actus vitalis procedere poteſt à principio non vivo, tanquam à cauſſa minus principali, ſatiſque omnino eſt illi, ut principale ejus principium ſit vitale. *Probatur minor*: Quia iſti ſupernaturales actus efficiuntur & oriuntur ab anima ſimul & habitu ſupernaturali infuſo: Uti nos Catholici habemus pro certo fidei articulo, ob definitionem Concilii Tridentini, *Seſſ. 6. Can. 4.* Cujus vos auctoritati, licet fortè non obtemperetis, tamen, ut ſalvemini, obtemperare omninò debetis: Neque enim quis ſperet habere Deum Patrem, qui ejus Eccleſiam noluerit habere matrem. Procedunt, inquam, & oriuntur hi actus, ab anima ſimul & infuſo habitu: Ab anima quidem tanquam à cauſſa principali; ab infuſo autem habitu tanquam à cauſſa minus principali. Diſplicent quippe mihi plurimum illi Theologi, qui animam, ejuſque potentias vitales dicunt eſſe actuum ſupernaturalium cauſſas instrumentales, habitum verò dicunt eſſe eorum cauſſam principalem: Teneo enim firmiſſimè, habitum non eſſe niſi cauſſam minus principalem. Atqui habitus infuſus eſt principium quoddam non vivum & inanimatum; Ergò actus iſti ſupernaturales procedunt ab aliquo principio non vivo & inanimato, tanquam à cauſſa minùs principali: Adeoque talis proceſſus nequaquam repugnat actibus vitalibus. Satis ergò illis eſt, ſi eorum principium principale ſit vitale. Verum de hac materia alibi ex profeſſo latius: Eſt enim longiori diſcuſſione digna, eſtque longior diſcuſſio illi planè neceſſaria. Aſt non vacat id modò, vacabit ſemel alias.

SECTIO II.

Conformatio nequit fieri à ſole aut aſtris; Nequidem tanquam ab instrumento.

5. Tertiò dicitis, Solem, aſtra, ac aerem circumſtantem eſſe cauſſas instrumentales, animalia ex putrefactione orientia animantes, conformantes, ac organizantes. Imò inſtrumentalem ſolis efficaciam non limitatis ad iſta inſecta & imperfecta animalia; ſed etiam extenditis illam ad animalia quævis perfectiſſima, etiam ad hominem: juxta dictum Ariſtotelis, Sol & homo generant hominem: Homo quidem principaliter, ſol verò instrumentaliter. Attamen hæc omnia ego nequaquam credo: Dico omnia eſſe falſiſſima. Dicitis quidem illa eſſe omnia clara: At nunquid id ſatis? Quid laudis aut gloriæ eſt, multa allegare, & pauca aut nihil probare? Mehercle parùm admodum. Dico ergò hæc omnia eſſe falſiſſima, & nullam veritatis apparentiam habentia. *Et probo illud primo de ſole & aſtris*: Quia naturalium instrumentorum effectus non poſſunt poni ſine instrumentis: Non poteſt ſola cauſſa principalis ponere effectum ſine concurſu & adjutorio ſubordinati ſibi instrumenti; ſed ut in ſuum effectum valeat, opus eſt, ut instrumenti ſui adjutorium ſibi præſtò habeat. Patet hoc in omnibus naturalibus vulgatæ opinionis instrumentis. E.g. Artifex nequit opera artis operari ſine artificialibus ſuis instrumentis: Pictor ſine penicillo, ſerrator ſine ſerra, ſartor ſine acu, malleator ſine malleo, miles ſine ſclopeto & gladio, totus inermis eſt, & nihil poteſt. Stomachus, hepar, cor, teſtes, cerebrum ſine vitali calore nequeunt chylificare, ſanguificare, ſpiritificare, ſpermatificare, &c. Arteriæ ſine ſpiritu vitali, muſculi & ſenſiteria ſine ſpiritu animali quid agunt, quid incboant? Torpeſcunt & otio pereunt: Idque quia carent naturalibus ac ordinariis (uti vulgata opinio exiſtimat) instrumentis. Cauſſæ ergò principales creatæ nihil poſſunt ſine ſuis naturalibus instrumentis: Adeoque naturalis effectus instrumenti nequit poni ſine actione instrumenti. Idque; jure plus quam merito; Quia instrumenta naturalia non ſunt cauſſis ſuis creatis instrumenta libera & voluntaria uti ſunt Chriſtiana Sacramenta reſpectu Chriſti aut Dei; nequaquam: Sed ſunt instrumenta neceſſaria: Adeo-

que

que cauſſæ ab illis dependent, & ſine illis poſſunt omnino nihil. Ergo ſi ſol & aſtra forent naturalia animandorum & organizandorum animalium inſtrumenta, nullum poſſet ſine actione & concurſu ſolis animal animari, organizari, & membranificari. Etenim de hujus conſequentiæ legitimitate quis ambigat? Atqui multa in dies animalia animantur, conformantur, & organizantur ſine actione & adjutorio ſolis: Ergò ſol nequaquam eſt naturale & ordinarium harum actionum inſtrumentum. Quam verè ergò dixit Ariſtoteles, ſol & homo generant hominem? Etenim ſol vel ſemper generat, vel nunquam generat, neque poteſt aliquando generare, aliquando non generare: Ita enim non ſolent naturalia inſtrumenta. Nam, uti dixi, non ſunt inſtrumenta & adjutoria libera & voluntaria, ſed perpetua & neceſſaria. Atqui ſol aliquos homines, aliquaque animalia non generat: Ergò nullos generat: Adeoque non eſt eorum inſtrumentum. *Probatur ſubſumptum*: Quia tempore nocturno multa animalia animantur, multa conformantur, & organizantur: Præſertim longis illis medii anni noctibus polsribus. Atqui tempore nocturno nulla eſt ſolis in nos actio & operatio; niſi quis fingat aliquem Anti-Cbyntium, nocturnarum animationum & conformationum effectorem, uti nuper quidam pro nocturno aquarum marinarum motu fingebat Anti-Chyntiam. Aſt tale figmentum alibi finge, quia mihi non affinges. Ergò multa quotidie animantur ac membranificantur animalia ſine adjutorio & actione ſolis: Adeoque ita animantur & conformantur omnia. *Et confirmatur*: Quia ſi ſol foret omnium animationum & organizationum univerſale inſtrumentum, tunc omnes omnium animalium animationes ac conformationes tempore diurno procederent, tempore verò nocturno ſimul cum dormiente dormientis matris utero dormiret & quieſceret; Ceſſante quippe actione & influxu neceſſarii inſtrumenti, etiam ceſſat & dormit actio agentis principalis per tale inſtrumentum neceſſariò adjuti. Atqui conſequens hoc eſt abſurdiſſimum: Ergò etiam abſurdiſſimum eſt iſtius abſurdiſſimi conſequentis antecedens.

6. *Præterea*: Omne inſtrumentum debet eſſe alicujus agentis principalis inſtrumentum: Nam, ut phraſi ſancti Patris mei Auguſtini utar, inſtrumentum, *cui ex adverſo eſt* agens principale, *quaſi religatum pendet aliunde, nec ex ſemetipſo, ſed ex eo, cui connectitur, indicatur*. Debet ergò inſtrumentum eſſe alicujus cauſſæ principalis inſtrumentum, à qua dirigatur, adjuvetur, elevetur, promoveatur, fortificetur, &c. Ergo ſimiliter ſol, ſi generale omnium animationum & conformationum inſtrumentum foret, fore deberet inſtrumentum alicujus cauſſæ principalis ipſum adjuvantis, elevantis, roborantis, promoventis, dirigentis, &c. Ergò vel eſt inſtrumentum cauſſæ increatæ, vel alicujus cauſſæ creatæ, nimirum parentum fœtus ſuos generantium & animantium: Atqui neutrum rectè & ſapienter dicitur: Ergò neque rectè & ſapienter hoc univerſalis inſtrumenti officium ſoli affingitur. In primis ergò nequit ſol dici inſtrumentum Dei: Quia Deus in creaturis ſuis nulla habet propriè dicta inſtrumenta, niſi ſolam Filii ſui Humanitatem, & ſeptem ejus Sacramenta. Neque etiam dici poteſt inſtrumentum alicujus cauſſæ creatæ: Quia cauſſæ univerſales nequeunt inſtrumentaliter & miniſterialiter ſubiici cauſſis particularibus: Atqui ſol, ſi cauſſa ſit, eſt cauſſa communis & univerſalis? animalia verò ſunt cauſſæ ſpeciales & particulares: Ergò ſol nequit eſſe inſtrumentum animalium in terra generantium & animantium. *Minor eſt extra controverſiam*; *Probo ergo majorem*: Quia omne inſtrumentum debet eſſe cauſſa ſuo agenti principali ſubordinata: Atqui nulla cauſſa unitvevſalis ſubordinari poteſt ulli cauſſæ particulari; ſed è contra quævis cauſſa particularis ſubordinatur cuivis cauſſæ ſuæ univerſali: Ergò nulla cauſſa univerſalis eſſe poteſt inſtrumentum ullius cauſſæ particularis. *Et confirmatur hoc*: Quia nulla cauſſa ſubordinata eſſe poteſt tam amplæ & tam extenſæ activitatis & efficaciæ, ac eſt cauſſa ſubordinans, cui ſubordinatur. Patet hoc in omnibus omnino cauſſis ſubordinatis & ſubordinantibus. E. g. nullum inſtrumentum artis eſt tam amplæ ac latæ efficaciæ, ac eſt ipſe artifex. Nulla potentia, nullus habitus, neque acquiſitus neque infuſus, nulla ſpecies, nulla facultas, eſt tam extenſæ actionis, ac eſt anima. Nulla proprietas, nullum accidens, nulla qualitas, eſt tam extenſæ potentiæ, ac eſt eſſentia aut ſubjectum ejus. Et ita eſt in aliis omnibus omninò. *Et ejus ratio eſt*: Quia cauſſæ ſubordinatæ ſunt quaſi curiales & officiales Principis, illi ſubſervientes in negotiis & cauſſis particularibus; unaquæque pro ſuo poſſe & modo. Atqui omnis cauſſa univerſalis eſt amplioris actionis, quam ſint cauſſæ particulares: Ergò nulla cauſſa univerſalis poteſt tanquam inſtrumentum eſſe ſubordinata ulli cauſſæ particulari: Adeoque ſol nequit eſſe inſtrumentum hominum, aut aliorum animalium. *Et ratio à priori eſt*: Quia ſolis officium eſt mundum illuminare & incalidare; diſtinguere tempora, dies, menſes, & annos: Adducere nobis ver, autumnum, æſtatem, & hyemem: At verò animalia animare aut membranificare, id ita poteſt, uti ego poſſum D. Lubertum ſacri Romani Imperii Principem creare. Id ergò non poteſt ullo modo. Vide quæ dixi *Cap.* 4.

S E C T I O III.

Non etiam fieri poteſt ab aere circumſtante.

7. J*Am idipſum etiam probo de circumſtante aere*: Quia ſi circumſtans aer in animationis ac organizationis opere foret Dei aut animalium generantium inſtrumentum; ſi, inquam, circumſtans aer aliquorum animalium animationem ac organizationem inſtrumentaliter ageret, agere utique illam deberet per aliquam ſui conſtitutivam partem, aut per aliquam formam vel facultatem ſe informantem, ac ſibi inhærentem: Corpora quippe naturalia

non

Digitized by Google

non agunt actiones ſuas ſe totis, ſed per aliquam ſui partem, per aliquam ſacultatem, aut aliquam formam ſibl inexiſteutem aut inhærentem, quæ ſit illis ratio formalis actiones iſtas agendi ac principlandi. Atqui in aere nulla eſt pars, nulla ſacultas, nulla forma, quæ lu nobiliſſimas iſtas actiones vel inſtrumentaliter valeat: Ergò acr nequit actiones iſtas vel inſtrumentaliter agere. *Probatur minor:* Quia in aere nihil eſt aliud, quam materia prima, ſubſtantialis forma illius in eſſe aeris conſtitutiva, ſumma humiditas, magnus calor, (equidem in vulgata Peripateticorum ſententia, aer eſt ſummè humldus ac intensè calidus) perſpicultas ſeu diaphaucitas, egregia levitas, & ab illa promanans debita levitatio, & variæ horum omnium ubicationes, durationes, eductiones, aliique ſimiles multi modi. Quid enim in aere eſt ab his aliud? Revera omnino uihil. Neque enim ln aere, utpotè corpore ſimplici, poſſunt eſſe variæ mixturæ ac temperaturæ variarum qualitatum, primarum, ſecundarum, tertiarum, &c. Sed inſuut illi ſolummodo duæ qualitates primæ, videlicet humor & calor: Calor quidem lu gradu inteuſo, humor verò in gradu ſummo: Ita enim docet communis opinio. Atqui nihil horum poteſt agere inſtrumentaliter animalium animationem & organizationem: Ergò neque aer id poteſt: Si enim id poſſet, utique ratione alicujus ſuæ partis aut formæ id poſſet. *Minor verò probatur inductione & examinatione ſingulorum*: Primò ergò id non poteſt aer ratione ſuæ materiæ: Quia hæc planè ignava eſt, & nil niſi pondus iners, rudis, indigeſtaque moles. Neque etiam id poteſt rationc alicujus modl ſibi inexiſtentis aut inhærentis: Quia modi non ſunt plus quam materia activi, ſunt omnis activitatis & efficaciæ expertes, poſſuut lnformare & effectum ſuum formalem dare; at verò effectivè cauſſare nihil poſſuut omnino: Uti tradunt & creduut paſſim Modaliſtæ omnes, excepto, quod ſciam, omninò nemine. Neque etiam id poteſt aer ratione ſui caloris: Quia id confiteutur Marpurgenſes: Dicunt enim non ſemel, licet tamen ſatis inconſtanter, quod calor gallinæ inſtrumentaliter neque animet, neque organizet, ſed ſpiritus ovo incluſi à calore gallinæ excitati & impulſi. Si id non poſſit calor gallinæ vivæ ac animatæ, quomodo id poterit calor luanimati ac imperfecti elementi? Profectò multò minùs. Præterea calor non eſt, niſi cauſſa quædam determinata ac particularis: Eſt enim infima quædam accidentium materialium ſpecies. Atqui cauſſa aliqua particularis nequit eſſe omnium fermè cauſſarum, earumque nobiliſſimarum, & quidem ad actiones nobiliſſimas ac eminentiſſimas, generale inſtrumentum: Nemo enim poteſt duobus ſervire. Idque non tantum in humanis & moralibus, ſed etiam inphyſicis & naturalibus. Equidem diverſos diverſa juvari, nec omnibus cauſſis omnia inſtrumenta conveniunt. Inſtrumenta ſunt cauſſæ auxiliares & ſubſidiarlæ: Omnes autem cauſſæ principales ad quaſcumque ſuas actiones juvari non poſſunt uno, eodemque ſubſidio & auxilio. Pictor juvari debet penicillo, faber malleo, ſcriptor calamo, typographus typo, ſculptor dolabro, &c. Neque poſſunt omnes artifices uti uno eodemque inſtrumento. Alio organo utitur anima ad viſiones, alio ad auditiones, alio ad imaginationes: Alia facultate utitur ad elaborandum chylum, alia ad ſanguinem, alia ad lac, alia ad ſemen, alia ad ſpiritum: Alia eſt facultas attractrix, alia expultrix, alia diſcretrix, alia diſtributrix, &c. Una ergò cauſſa, una qualitas, una facultas, aut una potentia particularis nequit eſſe generale inſtrumentum ac univerſale ſubſidium plurimarum diverſarum ac diſſimilium cauſſarum principalium: Atqui calor eſt cauſſa quædam particularis: Quomodò ergò eſſe poſſit generale omnium naturalium cauſſarum inſtrumentum ac ſubſidium; idque non ad unam aliquam actionem, ſed ad actiones innumeras ac propemodum infinitas: Eaſque non vulgares & faciles, ſed nobiliſſimas, eminentiſſimas, ac artificioſiſſimas, quales ſunt animatio, oſſificatio, carnificatio, membranificatio, ſanguificatio, ac tota denique animalium membranificatio ac organizatio? Certè qui ita ſapiunt, nihil ſanum ſapiunt. Neque etiam id aer poteſt ratione ſuæ ſummæ humiditatis; Quia ſi ad tantum ac tam generale miniſterium non poſſit promoveri aer à ſuo calore, quomodo eò ſublevabitur à ſuo humore? Equidem humor eſt qualitas longè debilioris ac infirmioris efficaciæ, quam ſit calor. Ariſtoteles enim humorem non inter activas, ſed inter paſſivas numerat qualitates. Adeoque omnia argumenta militantia contra hujuſmodi generale miniſterium ac ſubſidium caloris, longè fortius militant contra tale miniſterium humoris. Neque etiam id poteſt aer ratione ſuæ levitatis aut levitationis: Quia levitas & levitatio ſunt formæ ſubjecti ſui loco motivæ, ac motuum localium effectivæ; & quidem levitatio nihil eſt aliud, quam impulſus quidam ſpecie non differens ab impulſu projectorio: Hic autem quid poſſit in animationes & animalium conformationes? Quid cum his actionibus habet proportionis? Mehercle omninò nihil.

8. Reſtat aeris forma ſubſtantialis. Reſtat quærere, an aer hoc generale miniſterium ſubire & exercere non queat ratione ſuæ ſubſtantialis formæ ſui conſtitutivæ? Et dico id poſſe nequaquam. *Probatur*; Quia activitas & efficacia formæ ſubſtantialis in nullo excedit activitatem & efficaciam omnium accidentium ſibi nativorum ac ſibi ſubordinatorum, præterquam in ſui communicatione, ſeu ſui ſimilis productione. Id eſt, forma ſubſtantialis nullam poteſt elicere aut principiare actionem, niſi ſui ſimilis generationem & actiones omnium ſuorum accidentium, ſuarum facultatum ſeu potentiarum. Atqui omnia activa & nativa aeris accidentia ſunt humor, calor, levitas, & levitatio: Equidem ego non ſcio quintum, vel ſi ſit, oro ut illud doceat. Ergo ſubſtantialis forma aeris nihil poteſt præter ſui ſimilis generationem, & horum quatuor accidentium actionem: Atqui nullum ex his accidentibus poteſt tamquam generale inſtrumentum animalia conformare aut animare: Uti iam hactenus dixi. Ergò neque id poteſt ſubſtantialis forma aeris: Etenim ſi id poſſet

& va-

& valeret, nativorum ſuorum accidentium ſeu facultatum efficaciam excedere deberet; quod eſt per naturam impoſſibile. In diſcurſu hoc omnia ſunt clara præter majorem; hæc verò eſt principium certum & indubitatum, ac à quocumque polito Philoſopho bene notandum. *Et patet inductione:* E. g. Anima nihil poteſt, quam intellectiones, volitiones, viſiones, auditiones, imaginationes, nutritiones, augmentationes, & vegetationes elicere, & alias quaſvis aliarum ſuarum facultatum ſeu potentiarum functiones & actiones efficere. Forma ſubſtantialis aquæ nihil poteſt, quam infrigidare, humectare, deſcendere & gravitare: Quæ ſunt actiones quatuor ſuorum nativorum accidentium. Et ita eſt de omnibus aliis. Generaliter ergò ſubſtantialis forma excedere non poteſt efficaciam & activitatem ſuorum nativorum accidentium, præterquam in ſui communicatione, ſeu ſui ſimilis productione. Et hoc, uti dixi, eſt principium pulchrum ac bene notandum. *Ratio ejus eſt clara & efficax:* Quia nativa activa accidentia ſunt formarum ſubſtantialium in agendo auxilia & ſubſidia: Nam, ut habet vulgata definitio, Qualitas eſt nativum ſubſtantiæ ornamentum ac virtutis activæ complementum. Unde forma ſubſtantialis, ſive ſit viva, ſive non viva, ſi ſit omni ſuo nativo accidente ſpoliata, eſt ad agendum incompleta & inexpedita: Uti dixi ex ſancto Auguſtino ſuprà *Cap.* 2. Adeoque ſine ſuis nativis accidentibus, ſine eorum ſubſidio & auxilio, nihil poteſt agere: Et per conſequens ejus virtus, efficacia, ac activitas excedere nequaquam poteſt virtutem, activitatem, ac efficaciam omnium ſuorum nativorum accidentium ſimul ſumptorum, niſi in generatione & productione ſui ſimilis: Hanc enim exequitur forma ſubſtantialis per ſe, ſine ſuccurſu, ſubſidio, ac auxilio cujuſcumque ſui accidentis; ut ſemper fuit mihi conſtanter viſum. Atqui nullum nativum aeris accidens poteſt eſſe inſtrumentum viventia animans & conformans: Ergò neque id eſſe poteſt aeris forma ſubſtantialis, adeoque neque ipſe aer. Pergamus modò ad quartum.

SECTIO IV.

Cauſſa principalis Ovum conformans non eſt gallina incubans.

9. QUartò ergò dicitis: Ova duplicem habere ſuæ conformationis & organizationis cauſſam: Unam principalem, alteram ſubſidiariam ac inſtrumentalem. Cauſſam hujus operis principalem dicitis eſſe animam gallinæ ſive præſentis, ſive abſentia; cauſſam ſubſidiariam ac inſtrumentalem dicitis non gallinæ incubantis, furni, fimeti, mammillæ, aut axillæ calorem, ſed ſpiritum ovo incluſum à calore impulſum & excitatum. Utraque autem veſtri dicti pars eſt planè falſa. At miror ego equidem, cur vos, cum viri docti ſitis, mentis veſtræ placitum dumtaxat inſinuetis, & nulla id ratione aut irrefragabili auctoritate roboretis? Multa negatis, multa aſſeveratis: Ultra hæc ampliùs quid? Nihil omnino probatis. Probationes veſtræ ſunt. Eſt luce meridiana clarior veritas, experientia id docet, patet ad oculum, &c. Impugnationes verò veſtræ ſunt, Conſequentia eſt ridicula, credat Judæus Apella, Anima ovi nauſeat, &c. Hæ non ſunt probationes aut impugnationes; ſed ſunt irriſiones, ſubſannationes, ac cavillationes. Non ita agere oportebat viros doctos & qualificatos, quales vos ego ſuſpició, veneror & honoro. Verùm intrà oleas.

10. Primò ergò, Subſidiarius ac inſtrumentalis ovi conformator nequaquam eſt incluſus ovo ſpiritus. *Ratio eſt:* Quia ſpiritus, qui non eſt, non poteſt conformara & organizare: Equidem non entis ſicut nulla eſt eſſentia, ita nulla eſt actio & efficacia. Atqui nullus eſt ovo incluſus ſpiritus: Ovum quippe eſt totum frigidum & gelidum; adeoque calido ſpiritui ineptum domicilium: Uti dixi latius ſuprà *Cap.* 8. Ergò ovum nequaquam poteſt conformari à ſpiritu intra ſe concluſo tanquam à principio ſuæ conformationis ſubſidiari. Adſtipolabimini fortaſſe Antonio Poncio Sancta-Cruz *l. de Hippocratica Philoſoph. digreſſ. 2. contra opinionem Doctiſſ. Fieni*, dicentes cum illo: *In ſeminibus frigidiſſimis ſervatis in ſcrinio, in ovis, in piſcibus, igniculus ille ſervatur ſpiritnoſus, ibidem contegitur, ibidem ab aſtris fovetur; proba tu contrarium, ſi potueris.* Verum proba tu, tu enim obligaris: Nam meum dictum eſt pura negativa; at tuum verò eſt quædam affirmativa puræ meæ negativæ contradictoria: Atqui pura negativa à nemine probari debet, quia per naturam probari non poteſt; At verò quæcumque affirmativa puræ negativæ contradictoria probari omninò debet: niſi talis fuerit, ut pro ills Juris aliqua præſumptio ſteterit. Quæ omnia bene noviſtis, ſi alterutrius codicem Juris vel modicè legiſtis. Ergò allegandarum obligatio probationum incumbit non mihi, ſed tibi. Interim tamen quod mihi non imponebat obligationis neceſſitas, ſuaſit, & ut facerem effecit opinionis & aſſerti mei veritas; Probavi enim meum dictum ſuprà *Cap.* 8 Aſt de inſtrumentaria ac ſubſidiaria hujus ſeminei ſpiritus, in conformationis opus efficacia dicam alias adhuc plura.

11. Neque etiam cauſſa hujus operis principalis eſſe poteſt gallinæ incubantis anima. *Ratio eſt:* Quia animalis incubantis anima ovo nihil confert ampliùs, quam illi conferat calidus furnus, tepidum hypocauſtum, pingue fimetum, axilla aut mammilla humana, aut aliud quodvis ſimile ovi fomentum: Nam ab illo, à quo ſequitur par effectus, etiam datur par influxus. Atqui iſta omnia non conferunt ovo influxum ſuæ organizationis principalem; imò neque influxum inſtrumentalem: Conferunt enim ſolam cauſſæ principaliter influentis ac organizantis actuationem, fotionem, quaſi ſopitæ & dormientis excitationem, & ad opus ſuum inchoandum & conſummandum invitationem ac impulſionem: Uti concedunt etiam DD. Marpurgenſes. Ergò id ipſum dumtaxat, & nihil aliud præſtat ovo anima ovipari animalis ovum foventis, & incubatu ſuo calefacientis. *Præterea:* Si gallina incubans foret principalis hujus operis

cauſ-

cauſſa, deberent ſemper in ovo produci organa talia, qualia ſunt gallinæ incubantis & organa iſta principaliter cauſſantis: Etenim omnis cauſſa principalis intendit ſibi aſſimilare paſſum, & paſſum informare talibus formis, qualibus informata eſt ipſa. Atqui id nequaquam fit: Nam organa ovi non aſſimilantur organis gallinæ incubantis, ſed gallinæ ovum parientis, illique animam imprimentis. Eadem quippe gallina uno, eodemque incubatu ex uno ovo excludit gallinam ſibi ſimilem, ax alio anſerem, ex alio ciconiam, ex alio perdicem, ex alio turdum, ax alio paſſerem, &c. Ergò gallina incubans nequaquam eſt barum organizationum principalis cauſſa. Quomodò enim eadem ſpecia avis uno, eodemque incubatu produceret tam diverſas, tamqua diſſimiles organizariones? Hoc verè eſt inconceptibile. Gallina ad ſummum producere poſſet organa gallinacea; at verò paſſerina, anſerina, ciconiarum, turdorum, perdicum, non poteſt ullo modò. Singula iſta organa requirunt diverſa temperamenta, diverſa membra, diverſam figuram, diverſum ordinem, diverſas an repugnautes qualitates; uti conſideranti facilè patebit: Quomodò ergò bæc omnia fieri poſſint ab una, eademque cauſſa? Eſt certè inconceptibila. Dic ergò ſingulas ſingulorum ovorum animas, quamque pro ſua qualitate & conditione ſuam efficere organizationem, & omnes has difficultates evaſeris, & veram ac genuinam organizationis cauſſam ſine dubio inveneris. Nam organizatio non poteſt provenire de foris à cauſſa aliqua ſemini conſormato extrinſeca. Idque jure meritiſſimo: Nam organizatio non eſt nuda ſeminis figuratio; ſed eſt inſuper nutritio, augmentatio, oſſificatio, carnificatio, plumificatio, &c. Uno verbo, eſt aggregatum quoddam innumerarum ac ferè infinitarum actionum vitalium. Atqui nutritio & accretio, aliæque id genùs vitales actiones non poſſunt advenire de foris a cauſſa aliqua extrinſeca, qualis eſt gallinæ incubantis anima: Uti à nemine poteſt negari. Ergò nequa ita advenire poteſt organizatio & conformatio ovorum: Ergò provenire debet ab aliqua cauſſa interna & intrinſeca. Hæc autem non aſt alia, quam informans & inbærens ovo anima.

12. *Et confirmantur bæc omnia*: Quia ſi gallina incubans foret cauſſa principaliter organizatio, nequaquam eſſe poſſet actio continua, ſed foret quam ſæpiſſimè interrupta: Conſequens abſurdum eſt: Ergò & antecedens. *Probatur ſequela majoris*: Quia gallina non ſemper incubatui vacat; ſed aliquando etiam ſuo paſtui, aliquando volatui, aliquando diſcurſui: Uti notum eſt ex quotidiana experientia. Ergò ſi gallina incubans foret cauſſa principaliter organizans, organizatio nequaquam foret actio continua, ſed quam ſæpiſſimè interrupta: Nimirum toties, quoties gallina ab incubatu ſurgeret, & ad paſtum, volatum, aut ſpatiatum tenderat. *Patet bæc conſequentia*: Quia ceſſante influxu cauſſæ principalis, etiam ceſſara debet effectus; uti eſt indubitatum: Cauſſa enim principalis eſt primum movens, a quo omnia inſtrumenta, aliaque omnia agentia ſubordinata incitantur, impelluntur, diriguntur, adjuvantur: Ceſſante autem eo, quod primò movet, ceſſant & ceſſare debent omnia, quæ moventur ab illo. Atqui dum gallina ab incubatu ſurgit, tunc etiam ſuum influxum ſuſpendit: Ergò ſi gallina incubans foret principaliter organizans, toties organizatio interpolationem ſubiret, quoties gallina ab incubatu ſpaciatum abiret. *Probatur minor*: Quia cauſſa toties influxum ſuum ſuſpendit & interpolat, quoties à paſſo ſuo ſe auſert & abſentat: Neque enim in diſtans, abſens, & remotum influera & agere potis eſt. Ergò quoties gallina ſpatiatum ſurgit, toties ab ovo ſuum influxum interpolat & ſuſpendit: *Deinde*: Ova ſæpè non excluduntur per incubatum ejuſdem avis, ſed per aves planè diſſimiles ac diverſas: Diverſi temperamenti, diverſæ ſpeciei, diverſarum qualitatum, diverſorum membrorum & organorum, &c. Quomodò ergò hæ, ſi forent principales conſormatrices, non facerent difforme monſtrum? Quomodò eandem conſormationem ſuæ planè diſſimilem ac diſſentaneam poſſent continuare ac conſummare? Id ſanè ego non capio. Valeat ergò incubans gallina, & vivat ovi anima.

13. Dicunt Marpurgenſes organizationem eſſa omnino continuam, neque unquam interpolatam aut interruptam. Nam licet gallina ſpaciatum vadat, non ideò tamen inchoatam organizationem interpolat: Illam enim poteſt continuare non minus abſens, quam præſens: Imò poteſt abſens non tantum illam jam incboatam continuare, ſed etiam incboare & conſummate. Licet enim ſit quandoque abſens corpore, nunquam tamen eſt abſens efficacia & virtute: Relinquit quippe poſt ſe vivificum in ovo ſpiritum, ſuæ virtutis ac efficaciæ vicarium, ſuæque actionis in ova derivativum. Verum gallinam nobis elegantem & efficacem narrant: Aliæ cauſſæ non ſolent, neque valent cauſſare abſentes, quomodò id ergò valeant gallinæ? Profectò id non poſſunt. *Ratio eſt*: Quia cauſſa principalis debet verè agere, effectumque illum, cujus eſt cauſſa pincipalis verè principiare & cauſſare: Vox quippe *principalis* vocem *cauſſa* neque diminuit, neque alienat, ſed reſtringit, ſpecificar, attollit, ac nobilitat. Atqui gallina abſens, aut etiam mortua, non poteſt ovi à ſe abſentis & remoti organizationem verè agere, aut principiare: Ergò nequit iſtius organizationis eſſe vera cauſſa. At ſi non cauſſa vera, quomodò principalis & primaria? Vos videritis. *Probatur minor*: Quia actionem conſormativam verè agere & cauſſare, eſt illam è ſua entitate emittere, eamque à ſua entitate exeuntem & dependentem habere: Atqui actio conformativa nequaquam exit, neque exire poteſt, non egreditur, non dependet ab anima gallinæ mortuæ aut abſentis: Qui enim actio facta & exercita hic in Belgio exeat, egrediatur, aut dependeat à gallina exiſtente alicubi in orbe novo? Ergò anima gallinæ abſentis nequaquam verè agit aut cauſſat ovi organizationem.

14. Audite quid huic argumento reponant Marpurgenſes: *Reſp. minor in hoc ſyllogiſmo ad Lydium*

dium lapidem examinata fucatum aurum eſt. Rurſus more ſuo affirmant, arguunt, culpant; verum nihil rationis adferunt, nihil probant. *Conformationem quod attinet, Conformationem agere eſt actionem conformativam ex ſua entitate emittere. Reſpondeo, hoc falſum eſt, & procedit tantùm in actionibus per emanationem, non per tranſmutationem, ut in auditione, viſione, & ipſa quoque conformatione, quæ & ipſa actio hujus generis eſt; ut patet.* Sed profectò erratis. Propoſitio mea eſt quam univerſaliſſimè vera: Non in ſolis actionibus emanativis, ſed etiam in omnibus omnino tranſmutativis. Et quare quæſo in illis procederet, in his verò claudicaret? Nullum video fundamentum. Vos quidem id aſſeveratis; ſed iterum more veſtro nulla ratione aut auctoritate probatis. Dico ergò generaliter: Agere quacumque actione, ſive emanativa, ſive tranſmutativa, id parùm refert, nihil eſt omnino aliud, quam actionem ex ſua entitate emittere, eamque à ſua entitate dependentem & exeuntem habere. *Ratio eſt*: Quia actio & effectus debent ab agente & efficiente verè dependere: Hoc enim illis quadrat ex generali ratione effectus. Ergò debent dependere vel per informationem aut inhæſionem, vel per receptionem aut ſubjectationem, vel per finalizationem aut tractionem, vel per exitum & proceſſionem: Ego enim neſcio alium dependendi modum. Atqui non dependent per informationem aut inhæſionem: Quia hoc proprium eſt effectus formalis. Neque etiam per receptionem aut ſubiectationem: Quia hoc quadrat ſoli effectui materiali. Neque etiam per finalizationem aut tractionem: Quia hoc proprium eſt effectui finali. Ergò dependere debent per exitum & proceſſionem: Hoc enim proprium eſt effectui cauſſæ efficientis. Adeoque agere nihil poteſt eſſe aliud, quam actionem & effectum ex ſua entitate emittere, eumque à ſe procedendo & exeundo dependentem; & dependendo exeuntem & procedentem habere. Ego me caſtor non video, quid foret, aut fore poſſet aliud. Et id magis verum eſt in actionibus tranſmutativis, quam emanativis. Quod patet ex uſitatis ac canonizatis de hac actione loquendi formulis. Dicimus enim de cauſſa tranſmutante: Quod actionem ſuam diffundat per totam ſuam ſphæram, Quod derivet illam per paſſa viciniora in remotiora; Quod det ac imprimat illam fortius & efficaciùs vicinioribus, quam remotioribus, Quod illam reverberet, reflectat, refringat, &c. Atqui actionem diffundere, derivare, dare, imprimere; reverberare, reflectere, refrangere, &c. Quid, inquam, hæc ſunt aliud, quam actionem è ſe, aut è ſua entitate emittere? Sunt quidem alia nomina, verùm una & eadem res ſignificata. Ergò actione tranſmutativa agere nihil eſt omnino aliud, quam actionem ex ſua entitate emittere: Ergò licet hæc mea propoſitio malè negetur de omni actione; pejus tamen negatur de tranſmutativa, quam de emanativa.

CAPUT XI.

Examinatur tertia Marpurgenſium reſponſio.

ISti meæ propoſitioni tertiam adhibent Marpurgenſes reſponſionem, his verbis; *Tertiò reſpondeo, Actionem conformativam ex ſua entitate emittere, vel mediatè, vel immediatè. Licet igitur non immediatè ab anima gallinæ hæc actio conformativa cauſetur, fit tamen mediatè, mediante illo femineo, ac prolifico ſpiritu, qui virtute à cauſſa principali communicata agit.* Reſponſio hæc etiam peccat in multis. Primò ergò anima gallinæ abſentis nequit agere & principiare actionem conformativam per incluſum ovo femineum ac prolificum ſpiritum: Quia talis ſpiritus nullus ovo ineſt, uti jam dixi ſæpiùs. Deinde, talis ſpiritus ſit, non ſit; nihil ad rem facit. Quomodò enim gallina abſens per impreſſum à ſe prolificum ſpiritum poſſit actionem conformativam cauſſare, & quidem cauſſare principaliter? Etenim ſi ſolummodò per ſpiritum intermedium agit, ſolummodò mediatè agit. At ſi ſolùm mediatè, quomodò verè? Si non verè, quomodò principaliter? Illud certè ego non capio. Nam cauſſa principalis debet actionem, cujus eſt cauſſa principalis, verè agere: Debet enim illam principaliter, proprio marte, propriaque virtute agere. At verò hæc omnia epitheta ſignificationem vocis *agere* nequaquam impropriant, non diminuunt, non diſtrahunt, non alienant, ſed è contra attollunt, nobilitant, eique quamdam emphaſim & antonomaſiam donant. Cauſſa ergò principaliter agens debet agere verè: Atqui cauſſa mediatè agens nequaquam agit verè. Neque enim mediatè agere eſt verè agere. Ergò gallina, ut conformationis opus verè agat, non ſatis eſt, ut illud mediatè agat, at opus eſt, ut agat illud proximè & immediatè. Atqui gallina abſens nequit illud attingere & agere proximè & immediatè: Quomodò ergo poſſit illud agere principaliter? Sincerè nullo modo. *Probatur minor*: Quia ſi cauſſa mediatè agens & mediatè cauſſans verè ageret, vereque cauſſaret, ſi mediatè agere & cauſſare foret verè agere, vereque cauſſare, jam avus meus me verè cauſaſſet: Imò non ſolus avus meus, ſed & meus abavus, proavus, atavus, tritavus, & ipſe denique primus Parens Adam me verè egiſſet, vereque in genere cauſſæ efficientis cauſaſſet: Adeoque homines cauſſarent & agerent non tantum eo tempore, quo vivunt, ſed etiam centum, mille, bis mille annos poſt ſuam mortem: Etenim tam diu mediatè agunt per cauſſas intermedias a ſe procedentes & derivatas, quibus virtutem cauſſandi dederunt & impreſſerunt. Quam Philoſophiam, ſi vos veram ac legitimam credatis, oro obnixè ut illam in Haſſia veſtris Cattis retineatis: Nos Belgæ, homines ſumus, adeoque delicatiores. Sunt enim hæc omnia longè abſurdiſſima: Ergò etiam tale eſt eorum antecedens: Adeoque mediatè agere nequaquam eſt verè agere. *Et ratio à priori eſt*: Quia verè agere eſt actionem verè è ſua entitate emittere, diffundere, derivare ſeu eiaculari, eamque habere à ſua entitate verè dependentem,

vere-

vareque procedentem: Eſt, inquam, illam habere à ſua entitate procedendo dependentem, & dependendo procedentem. Hoc eſt principium certiſſimum & à nemine negandum: Quod qui negat, neſcio an Philoſophus vocari queat. Atqui mediatè agere, ſeu è ſua entitate actionem mediatè emittere, eamque à ſua entitate mediatè procedentem & dependentem habere, nequaquam eſt illam habere à ſe dependentam & procedantam verè. V. g. mea generatio non dependet neque procedit verè à meo avo: Neque organizatio ovi facta hic Lovanii in Brabantia dependet aut procedit verè à gallina exiſtente Marpurgi in Haſſia, Pragæ in Bohemia, aut Viennæ in Imperiali Auſtria. Ergò mediatè agere nequaquam eſt verè agere: Adeoque organizationem, quam gallina ſolum mediatè agit, nequaquam verè agit. At ſi non verè, quomodò principaliter? Id vos videritis. *Et ratio minoris eſt*: Quia generatio mea exit ſolummodò ab effectu mei avi, nimirum à patre meo vel à matre mea, de quo ſtatim infrà: Similiter conformatio ovi hic Lovanii exiſtantis exit ſolummodò ab effectu gallinæ hinc Lovanio Marpurgum deportatæ, nimirum ab ejus ſemineo ac prolifico ſpiritu: Ita enim vos dicitis. Atqui effectus mei Avi nequaquam eſt meus avus: Item effectus gallinæ nequaquam eſt ipſa gallina: Quis enim tantum à ſano deviet? Ergò neque mea generatio verè exit à meo avo, neque organizatio ovi exiſtentis hic Lovanii à gallina exiſtente Marpurgi: Adeoque neque meus avus, neque iſta gallina ſunt iſtarum actionum cauſſæ veræ & principales.

2. Huic argumento reſpondent Marpurgenſes: *Reſpondeo primo, neque hic inermes ſumus ad retundendam vim. Negamus viciſſim minorem cum Ruvione 2. Phyſ. tract. 4. q. 1. n. 5. cauſſam inſtrumentalem in conjunctam & ſeparatam dividente: Inſtrumentum conjunctum dicit eſſe, quod conjungitur cauſſæ principali ſecundùm eſſe: Ut calor eſt inſtrumentum ignis ad producendum alterum ignem, & conjungitur illi ſecundum eſſe per actualem inhærentiam, & penicillus conjungitur pictori ſolum ſecundum operationem; cum non poſſit operari, niſi actu moveatur ab illo. Inſtrumentum ſeparatum dicitur, quod neutro modo conjungitur cauſſæ, ſed omnino ſeparatum ab ea poteſt operari & ſine actuali concurſu ejus. Sed vocatur inſtrumentum, quia tamquam virtus propria ejus operatur, ut calor exiſtens in ferro eſt inſtrumentum ignis ſeparatum, dum producit ignem in ſtupa. Hæc ille.* Vide, quanti illum Ruvium, utique Monachum & hominem Catholicum, faciant; ejus auctoritatem nobis pro canone & regula allegant.

3. At reſponſio nihil facit ad rem. Nam minor, quam negant, non fuit hæc, *Datur inſtrumentum activitate ſeparatum*, aut *inſtrumentum activitate ſeparatum poteſt agere ſine actuali concurſu & adjutorio cauſſæ principalis*; ſed minor à me aſſumpta & ab illis negata eſt hæc, *Mediate agere non eſt verè agere*. Ad hujus autem propoſitionis falſificationem quid facit diviſio inſtrumenti in conjunctum ac ſeparatum? Revera omninò nihil. Nam ſive detur, ſive non detur inſtrumentum activitate ſeparatum, adhuc verum manet, quod mediatè agere non ſit verè agere; cum mediatè agere non ſit actionem verè principiare, & à ſua entitate in paſſum derivare, quod tamen ad verè agendum eſt planè ac omnino neceſſarium. Et illi enim, qui inſtrumentum activitate ſeparatum defendunt, etiam quod mediatè agere non ſit verè agere dicunt: Quin imò illi dicunt id quam maximè, magis quam ego. Vel ſi id non dicunt, ſibi omnino contradicunt. Nam cauſſam principalem, quæ effectum ſuum ſolum mediatè per inſtrumentum agit, dicunt ſimpliciter & abſolutè non agere: Ergò dicunt non verè agere. Nam qui cauſſam aliquam dicit ſimpliciter & abſolutè non agere, qua fronte illam diceret verè agere? Profectò non niſi fronte effronti. Ergò dicunt mediatè agere non eſſe verè agere. *Patet autem Antecedens*: Quia inſtrumenti activitate ſeparati defenſores dicunt effectum agi, produci, & attingi à ſolo inſtrumento, per actionem, coactionem, ſuccurſum, auxilium, aut aſſiſtentiam cauſſæ principalis nequaquam adjuto: Dicunt inſtrumentum agere ſe ſolo, cauſſa principali neque adjuvante, neque coagante, neque concurrente: In hoc enim eſt punctum noſtræ controverſiæ; illi hoc affirmant, ego autem nego. Ergò dicunt effectum à cauſſa principali ſimpliciter non agi; adeoque dicunt cauſſam principalem ſimpliciter non agere. At ſi ſimpliciter non agit, quomodò verè agit? Sanè nequaquam. Debuiſſent ergò Marpurgenſes ad rem locuti fuiſſe, & propoſitionem à me aſſumptam firma ratione oppugnaviſſe: Hoc enim ego avidè audirem. Verùm de hac Ruvii doctrina alias latius.

CAPUT XII.

Examinatur doctrina Marpurgenſium de inſtrumentis activitate ſeparatis.

SECTIO I.

Varia ac miſcellanea quædam.

1. ITa proſequuntur: *Hactenus de cauſſa principali*. At certè nimium infeliciter. *Nunc de inſtrumentali*. Utinam paulò felicius. *Diximus cauſſam inſtrumentalem eſſe ſpiritum ſemineum activitate ſeparatum inſtrumentum*. Verum eſt, id dixiſtis; aſt non verè dixiſtis. Nam rei non exiſtenti magnam efficaciam attribuiſtis. Nunquid ergò rem præclaram geſſiſtis? Nolite triumphare: Certè, ut triumphetis, opus eſt, ut magis ſtrenuè pugnetis. *Hercules quidam* (pro titulo hoc, quem acceptare neque volo, neque valeo, ſummas veſtræ benevolentiæ, bonæque veſtræ, quam de me indigno formatis, exiſtimationi gratias habeo. Ego enim Philoſophiæ principibus & Herculibus non me coæquo, neque in convivio Domini mei ſuperiorem locum eligo, ſed placita illi humilitate ipſi deſervire ſtudeo.) *Evulſas arbores niſu magno diſiiciendo, viam ne cuiquam egrediendi facultas permittatur, intercludere conatur: Aſſerens talia inſtrumenta ſeparata debilis ſtomachi hominem non poſſe digerere, cum tamen ſæpius biſcuit digeſſerit*. Lepida ſanè phraſis,

phraſis, ac docto digna Viro. *Sed vana eſt ſine viribus ira*. Et adbuc vanior ſine lepore & ſundamento jactantia. *Audiemus illum*. Et nos andiemus vos. *Quia, inquit, inſtrumentum non poteſt effectum producere ſe ſolo; ſed debet adjuvari, elevari, moveri, ac per totam ſuam actionem dirigi à cauſſa principali: Inſtrumentum enim agere debet in virtute cauſſę principalis. Ergò nullum dari poteſt inſtrumentum ab actuali cooperatione ſuæ cauſſę principalis ſeparatum*. Hæc verba ſunt fermè mea. Audiamus Reſponſum. *Reſpondeo ad conſequentiam, Si in genere loquatur, falſa eſt*. Hem à quo tempore conſequentiæ cæperunt eſſe falſæ. Dum ego Logicam diſcebam, & docebam, conſequentiæ erant bonæ vel malæ, legitimæ vel illegitimæ; veritas verò & falſitas quidem inerant conſequentibus, conſequentiis verò nequaquam. At video, vel tempora rem hanc antiquam mutaverunt, vel Marpurgenſes turpiter erraverunt. *Ruvio enim expreſſè diſtinguit inter inſtrumentum conjunctam & ſeparatum*. At Ruvio etiam expreſſè dixit, Eſſe unicam, ſanctam, Catbolicam, ac Apoſtolicam Eccleſiam: Ejus caput eſſe Romanum Epiſcopum: Eſſe in Eccleſia poteſtatem dandi Indulgentias: Corpus Chriſti eſſe vere in Sacramento Eucbariſtiæ; non tamen eſſe ubique: Non fieri in Euchariſtia impanationem, ſed panis in corpus Domini converſionem, & alia ſimilia multa. Miror ego ſanè, cur illum in his omnibus contemnatis, in iſto verò puncto dubio ac probabiliter falſo illius anctoritatem nulla ratione firmatam tamquam certam regulam ac infallibilem veritatis canonem nobis obtrudatis?

2. Negatis ergò meam conſequentiam. Aſt peſſimè. *Probo ergò illam:* Quia inſtrumentum ex ratione generali inſtrumenti non poteſt cauſſæ principalis effectum producere ſe ſolo; ſed debet à cauſſa principali adjuvari, elevari, ac ab illa per totam actionem moveri ac dirigi. Hoc vos conceditis; admiſſo enim antecedente negatis conſequentiam. Et quid ni concederetis? Nam omne inſtrumentum debet agere ſupra propriam virtutem, ſupra propriam capacitatem & efficaciam: Quomodò autem ſupra nativam innatæ ſuæ virtutis efficaciam agere poſſit, niſi ab aliquo potentiori & principaliori agente ſupra ſuam efficaciam extollatur, elevetur, & dirigatur? Videtis, quod nullo modo. Atqui inſtrumentum non poteſt attolli, elevari, adjuvari, moveri, ac per totam actionem dirigi à cauſſa principali non exiſtenti, aut ad mille milliaria abſenti: Dirigi enim, moveri, & elevari ſolummodò poteſt à cauſſa præſenti & ſibi actualiter aſſiſtenti. Qui enim tu exiſtens in Haſſia, in aliqua actione inchoanda & conſummanda adjuvares me exiſtentem in Brabantia? Profectò non eſt tibi tam lata, neque tam extenſa virtutis activæ efficacia. Ergò nullum dari poteſt inſtrumentum ab actuali cauſſæ ſuæ principalis præſentia, directione & cooperatione ſeparatum. *Patet minor*: Quia inſtrumentum adjuvare, elevare, movere, ac per totam actionem dirigere eſt ſimul cum inſtrumento agere. Quid enim eſſet aliud? Numquid equum in tractione adjuvare eſt ſimul cum equo trahere vel fortè pellere aut trudere? Nunquid calorem in calefactione adjuvare eſt ſimul cum illo calefacere? Eſt ſane idipſum. Atqui nullum principale agens poteſt ſimul agere cum inſtrumento abſenti: Uti vos mecum, evidentia veritatis compellente, fatemini. Ergò nullum agens principale poteſt inſtrumentum abſens adjuvare, dirigere, aut elevare: Adeoque neque ullum inſtrumentum poteſt à cauſſa principali abſenti, multò minus à non exiſtenti, moveri, adjuvari, dirigi, aut elevari: Adeoque non eſt ullum inſtrumentum ab actuali concurſu ſuæ cauſſæ principalis ſeparatum, ſed omne omnino iſti actuali concurſui eſt, & eſſe debet ſemper & ubique conjunctum. *Et confirmatur*: Quia ſi daretur ullum inſtrumentum ab activitate & actuali cooperatione ſuæ cauſſæ principalis ſeparatum, illud deberet effectum cauſſæ principalis producere ſe ſolo. Hoc clarum eſt: Etenim ſi effectum non produceret ſe ſolo, ſed cum actuali cauſſæ principalis adjutorio, jam non foret inſtrumentum à cooperatione ſeparatum, ſed illi conjunctum. Atqui nullum inſtrumentum poteſt cauſſæ principalis effectum producere ſe ſolo: Hoc conceſſiſtis. Ergò nullum dari poteſt inſtrumentum ab activitate & actuali ſuæ cauſſæ principalis concurſu ſeparatum.

3. Pergunt Marpurgenſes, & dicunt: *Secundò exempla reclamant. Ut ferrum ignitum ſtupam accendens*. De hoc exemplo dicam ſtatim. Volo enim prius defendere principalem cauſſalitatem impulſus, ratione commodioris connexionis. *Globus è bombarda in impulſu loco motivo. Tertiò elevatio inſtrumenti eſt duplex. Alia eſt actualis & manualis: Sic ſecuris motionem, directionem, præſentiam, & influentiam continuam cauſſæ ſuæ principalis requirit. Alia eſt habitualis; Qua inſtrumentum à ſua cauſſa principali per virtutem communicatam aptum ad operandum poſitis omnibus requiſitis redditum eſt. Hoc modo ſpiritus ad organizationem elevati & directi ſunt*. Hos quidem incluſos ovo ſpiritus jam dudum inclamaſtis; verum clamare debetis altius: Non enim vos audiunt, quid habere velitis non capiunt: Nec enim in rerum natura exiſtunt. Ut ergò reperiatis ſeparatum activitate inſtrumentum, fruſtra & in vanum invocatis hunc ovi ſpiritum.

4. Deinde duplicem cauſſarum elevationem, ſcilicet actualem & habitualem, libenter admitto. Utramque enim hanc elevationis ſpeciem ſemper ego docui & defendi. Attamen non ſicut vos. Nam elevatio babitualis non babet locum in cauſſis inſtrumentalibus, neque elevat ad effectus ſubſtantiales: Habet locum in ſolis cauſſis principalibus, elevatque eas ad ſolos effectus accidentales. At verò elevatio, de qua hic agimus, eſt elevatio inſtrumenti, item eſt elevatio ad actionem, imò ad plurimas actiones ſubſtantiales. Eſt enim elevatio ad organizationem & conformationem, quæ eſt aggregatum quoddam ex innumeris ac ferè infinitis actionibus, partim ſubſtantialibus, partim accidentalibus. Adeoque elevatio babitualis nibil facit ad præſentem caſum. Et quamvis faceret, nihil tamen pro vobis faceret: Nam etiam cauſſa habitualiter elevata non poteſt ab actuali

cooperatione, & concurſu cauſſæ habitualiter elevantis eſſe ſeparata: Adeoque quantumvis ſemen, aut ſemineus veſter ſpiritus foret cauſſa habitualiter elevata, nequaquam tamen foret cauſſa ab actuali cauſſæ habitualiter elevantis concurſu ſeparata. Hoc autem eſt punctum, quod vos quæritis. Verum de tota hac materia latius alibi.

SECTIO II.

Impulſus loco motivus non eſt bonum exemplum inſtrumenti activitate ſeparati.

5. AGgrediamur modò veſtra exempla, quæ nobis obtruditis ad defendenda & demonſtranda veſtra ſeparata quoad activitatem & actionem inſtrumenta. Primò adducitis impulſum loco-motivum, à proiiciente, pellente, trudente, aut vehente, corporibus profectus, pulſis, truſis, aut vectis impreſſum. Et equidem miror id ego: Et quidem vehementer. Nam, etiam juxta vos, & juxta me, & juxta rei veritatem, omne inſtrumentum debet eſſe cauſſa elevata: Ergò etiam impulſus loco-motivus, ſi inſtrumentum foret, deberet eſſe cauſſa elevata. Ergò deberet eſſe cauſſa elevata vel elevatione actuali, vel elevatione habituali: Neque enim datur tertius elevandi, aut elevationis modus; Uti dico non ego ſolus, ſed & vos mecum verbis expreſſis & evidentibus. Atqui impulſus loco-motivus nequit eſſe cauſſa elevata, neque hac, neque illa elevatione: Ergò nequit abſolutè eſſe cauſſa elevata: Etenim quod neutram ex adæquatè diviſivis participat generis ſpeciem, quomodo participabit genus? Nullo profectò modo. At ſi non ſit cauſſa elevata, quomodo erit inſtrumentum? Nequaquam erit. Quod verò impulſus non ſit cauſſa elevata elevatione actuali, *eſt planum & clarum*. Nam omnis cauſſa, quæ actuali elevatione elevatur, eſt cauſſa actuali cauſſæ actualiter elevantis cooperationi conjuncta: Uti conceditis etiam vos. Atqui vos prætenditis impulſum eſſe inſtrumentum activitate ſeparatum; Ergò nequaquam dicere poteſtis, quod ſit agens actuali elevatione elevatum. Sed neque eſt agens elevatum elevatione habituali. *Ratio eſt clara*: Quia agens elevatione habituali elevatum eſt agens in ſe recipiens habitum ſui ad actionem ſibi nimis eminentem elevativum: Ita norunt omnes, qui terminos norunt. Atqui impulſus non eſt agens recipiens habitum ſui ad nimis eminentem actionem elevativum; ſed ipſe eſt habitus, aut certè qualitas habitui ſimilis, lapidi impreſſus, in eoque motionis localis cauſſativus: Uti per ſe manifeſtum eſt. Ergò impulſus etiam nequit eſſe agens elevatione habituali elevatum: Adeoque non eſt agens ulla elevatione elevatum, & per conſequens non eſt abſolutè agens elevatum. At ſi non ſit agens elevatum, quomodò eſt inſtrumentum? Non eſt ullatenus. Et tantum abeſt, ut impulſus hic ſit inſtrumentum, aut agens elevatum, ut ſit potius agens elevans. Nam habitus ſubjectum ſuum ad actionem aliquam proportionans eſt potius agens elevans, quam agens elevatum: Uti notum eſt. Atqui id facit impulſus: Ergò eſt potius agens elevans, quam elevatum: Atqui ages elevans nequaquam eſſe poteſt inſtrumentum: Quis enim tantum deſipiat, ut hoc aſſerat? Ergò impulſus nequaquam eſſe poteſt inſtrumentum. Miror ergò, id vos adeò conſtanter, & quidem ſine ulla probatione, aſſeruiſſe. Non dico tamen impulſum eſſe cauſſam elevantem; nequaquam: Id enim ſi dicerem, falſum dicerem. Dico ergò dumtaxat, quod ſit potius cauſſa elevans, quam elevata: Sive quod majorem apparentiam & proportionem habeat cum cauſſa elevante, quam cum cauſſa elevata: Adeoque quod nullam habeat apparentiam cum cauſſa inſtrumentali.

6. *Et confirmatur*: Omnis cauſſa, quæ effectum ſe ignobiliorem producit propria ſua virtute, eſt cauſſa principalis. Quid enim ad principalitatem illi deeſſet? Nam omne inſtrumentum debet virtute aliena producere effectum propria ſua virtute ſuperiorem ac eminentiorem. Omnis itaque cauſſa, quæ effectum ſe ignobiliorem producit propria virtute, eſt indubiè cauſſa principalis. Atqui impulſus loco-motivus lapidi impreſſus producit in lapide effectum ſe ignobiliorem propria ſua virtute: Ergò eſt cauſſa verè principalis: Ergò, licet ſit cauſſa ab actuali proiicientis cooperatione & concurſu ſeparata; nequaquam tamen eſt ſeparatum illius inſtrumentum. Quod impulſus producat in lapide effectum ſe ignobiliorem, *eſt evidens & manifeſtum*: Nam effectus, quem in lapide producit impulſus, eſt nova lapidis ubicatio. Ne dicas motum localem: Nam motus localis nequaquam eſt iſtius impulſus effectus aut terminus, ſed eſt cauſſalitas ejus: Eſt enim actio ubicationis productiva. Atqui ubicatio lapidis eſt ena impulſu loco-motivo longè ignobilius: Etenim impulſus eſt ſolida ac activa qualitas; ubicatio verò non eſt niſi tenuis, debilis, infirmus, ac iners modus. Ergò impulſus in lapide producit effectum ac terminum ſe longè ignobiliorem. Quod producat effectum illum virtute ſua propria, *eſt æquè manifeſtum*: Nam effectus virtutis propriæ eſt effectus propriæ virtuti, nativæque alicujus agentis activitati & efficaciæ accommodatus ac proportionatus: Uti notum eſt ex terminis. Atqui ſicut calor eſt effectus bene accommodatus ac proportionatus propriæ virtuti, nativæque activitati & efficaciæ caloris; ita quoque ubicatio eſt effectus bene proportionatus ac accommodatus propriæ virtuti, nativæque efficaciæ ac activitati qualitatis impulſivæ: Etenim ſicut calor ex intrinſeca ſua natura, nativaque ſua efficacia eſt qualitas effectiva caloris ac calefactionis, ita quoque impulſus eſt ex nativa ſua efficacia qualitas effectiva motus & ubicationis. Ergò impulſus hic, dum ubicationem efficit, effectum propriæ virtutis efficit: Adeoque agit propria virtute. Quomodò ergò inſtrumentaliter agit? Nequaquam. Agit omnino principaliter.

7. Huic argumento reſpondeat Marpurgenſes: *Reſpondeo, Si tibi machæra eſt, & mihi vagina eſt*. Hanc phraſim ego non intelligo. Neſcio quid velitis. *Negatur conſequentia*. Aſt malè

faci-

facitis. Nam omnes illi tres Syllogiſmi ſunt formaliter boni, & quidem perfecti, ac directi in prima figura: Cujuſcumque ergò conſequentiam negaveritis, malè egeritis. Audiamus tamen etiam eorum inſtantiam. *Calor ex propria natura ſua calefactiva producit calorem: Ergone ſemper virtute propria? Uti patet in ferro ignito, negatur. Et ita etiam in aliis potentiis.* In quibus quæſo? Quis unquam ita philoſophatus fuit, ut potentias actuum ſuorum cauſſas inſtrumentales dixerit? Franciſcus Svarez id quidem affirmavit de potentiis reſpectu actuum ſupernaturalium; at verò reſpectu actuum naturalium, nullus unquam & nemo. Si vos primi eſſe velitis, non poteſtis illud ſupponere, ſed debetis probare: Etenim ſententia à via communi exorbitans nunquam eſt ſupponenda, ſed firmiſſimis ac efficaciſſimis rationibus probanda. Quis unquam calorem dixit reſpectu alterius caloris eſſe cauſſam inſtrumentalem? Scio, dixerunt id aliqui Thomiſtæ: At nimis malè. Nam cur calor eſt minus principalis cauſſa caloris, quam homo hominis, aut brutum bruti? Id ego non video. Tanta enim, imò omnino eadem eſt proportio inter calorem & calorem, quæ eſt inter hominem & hominem, inter brutum & brutum: Nam ubique eſt proportio ſimilis ad ſimile. Atqui proportio reperta inter hominem & hominem, aut inter equum & equum, fundat cauſſalitatem principalem: Ergò idem facit proportio reperta inter calorem & calorem. Si ergò reperire avetis ſeparatum activitate inſtrumentum, adducere debetis aliud aliquod, ac magis apparens exemplum.

SECTIO III.

Neque calor ferro candenti inexiſtens eſt ſeparatum activitate inſtrumentum.

8. At ecce, adducunt nobis aliud exemplum. Nimirum, calorem ferri candentis, qui in ſtupa ſibi applicata producit formam ſubſtantialem ignis: Non ut cauſſa principalis; eſt enim ſubſtantiali iſta forma, cum ſit purum accidens, ignobilior: Ergò ut cauſſa inſtrumentalis: Producit, inquam, formam iſtam ſubſtantialem tamquam inſtrumentum; non quidem ferri præſentis, ſed ignis abſentis, ac ſibi ad iſtam iſtius ſubſtantialis formæ productionem nequaquam cooperantis: Eſt ergò calor iſte inſtrumentum activitate ſeparatum. Verum nequaquam ita eſt. An calor effectivè attingat, eo modo quo attingere ſolent inſtrumenta, ſubſtantialem ſubſtantialis formæ productionem, nolo diſcutere aut examinare. Attingat, non attingat: Id parum refert. Si tamen attingat, non attingit tamquam inſtrumentum activitate ſeparatum, ſed tamquam inſtrumentum cum ſua principali cauſſa quoad activitatem & actionem omninò conjunctum. Attingit enim illam, non tamquam inſtrumentum ferri, neque tamquam inſtrumentum ignis abſentis; ſed tamquam inſtrumentum igneæ ſubſtantialis formæ in candenti ferro exiſtentis & informantis. In candenti quippe ferro omnino eſt ignis & ignea ſubſtantialis forma, quæ in ignis productione ac ſtupæ inflammatione calorem (ut gratuitò concedamus illum ad has actiones concurrere) adjuvet, elevet, dirigat, fortificet, &c. Adeoque neque hic calor eſt commodum ſeparati quoad activitatem inſtrumenti exemplum.

9. Aſt quomodò & qualiter ignis ac forma ſubſtantialis ejus exiſtit in candenti ferro? Hoc opus, hic labor eſt. Ignem ibi verè exiſtere, non dubito, neque rationabiliter dubitari poteſt; aſt modus exiſtentiæ hujus non eſt negotium adeò facile. Aliqui dixerunt ignem exiſtere in ferro per intimam penetrationem: Ita ut totum ferrum à toto igne, & totus ignis à toto penetretur ferro. *Neque deeſt illis ratio*: Quia ignis traiicitur per ferrum, non illud dirumpendo aut concidendo, ſed totum pervadendo & implendo: Atqui traiici per aliquod corpus, non illud concidendo & dirumpendo, ſed totum pervadendo & implendo, eſt illud penetrare: Uti tradit S. Auguſtinus *l. 7. Confeſſ. c. 1.* Ergò ignis exiſtit in candenti ferro per intimam præſentiam ac penetrationem. *Aſt his ego non aſſentior:* Etenim, licet credam naturalem penetrationem corporum ſuppoſito identificatorum, non credo tamen naturalem penetrationem corporum ſuppoſito diſtinctorum, qualia ſunt ferrum & ignis. De quo latiſſimè *in tract. meo de naturali penetrat. corpor.*

10. Ab hac difficultate ſe facilè expedit Clariſſimus Thomas Fienus, *In Apolog. contra Santa-Crux, fol. 50. & ſeqq.* Putat ignem, ſeu potius igneitatem eſſe accidens, uti ſunt calor, frigus, lumen, color, & alia id genus. Adeoque ſicut corpora ſunt ab hiſce qualitatibus naturaliter penetrabilia; ita quoque putat eſſe naturaliter pervia & penetrabilia ab igneitate. Attamen Clariſſimo huic Philoſopho non poſſum hanc habere fidem. Credere non poſſum igneitatem eſſe accidens: Credo eam eſſe formam ſubſtantialem elementi ignis, quod verè ſubſtantia eſt. De quo alibi ex profeſſo. Vide tamen Clariſſimum D. Plempium, *l. 2. de fundam. c. 2. fol. 17. & ſeqq.* Ubi Fieniſmum hunc examinat & refutat.

11. Collegium Conimbricenſe, *l. 4. Phyſic. c. 5. q. 4. art. 1* alia ingreditur via. Negat intra ferrum candens contineri ignem: Affirmat contineri ſolum calorem. Qui, quia in materia valdè denſa valdè intenſus eſt, putatur eſſe ignis: Eſt igni in fortitudine æqualis: Non minus, quam ignis, amburit. Aſt hoc nequaquam admitti poteſt: Etenim nimium favet Marpurgenſibus: Debet longiſſimè eliminari. Et quid ni eliminetur? Repugnat enim communi Philoſophorum ſenſui: Putant quippe & affirmant communiter Philoſophi, intra ferrum candens contineri verum ſubſtantialem ignem. Et favet experientia: Quia ferrum candens non ſolùm calet & candet; ſed etiam flagrat & flammat: Etenim modicæ favillæ, non tantum ſcintillæ, ſed etiam modicæ favillæ ex illo erumpere & evolare cernuntur. Atqui favillæ iſtæ non ſunt ſolus calor; ſed ſunt verè ſubſtantialis ignis. Hoc quis neget? Etenim calor non poteſt erumpere, neque evolare extra ſuum ſubjectum: Sed quod

evolat, corpus eſt, ſubſtantia eſt. Ergò intra ferrum continetur non ſolus intenſus calor, ſed etiam verus ſubſtantialis ignis.

12. Audi, quid *loco citato, folio* 18. dicat Clariſſimus D. Plempius. Verba ejus ſunt hæc: *Ignis in ferri poris eſt, quemadmodum in ſpongia, vel in panno aqua: Unde nulla ibi dimenſionum penetratio. Ferrum autem habere poros, probatur: Quò enim plus tunditur, eò magis partes ejus comprimuntur, ac ſubſidunt, factis ſcilicet poris anguſtioribus*. Aſt hoc ego non credo; neque etiam credit Thomas Fienus. Etenim dicit: *Nec valet dicere, ignem ſolummodo eſſe in poris ferri: Quia ferrum non habet poros, aut ſaltem minimos. Accedit: Quod ſi ignis eſſet ſolummodo in poris ferri, totum ferrum non eſſet ignitum, nec totum omnibus partibus ſuis foret lucidum; ſed plurimæ deberent eſſe opacæ, quæ in illis lucidis deberent apparere, & eſſe nigræ. Hoc non eſt: Quia ferrum omnibus partibus ſuis apparet æquè lucidum & ignitum*. Hæc Fienus. Audite modò, quid ipſi reponat Plempius. *Verum etiamſi ſolidæ iſtæ* ferri *partes in ignem converſæ non ſint, tantamque in poris ferri ignis reſideat, non ideo tamen in ignita ferro debent plurimæ partes ferri apparere, & eſſe nigræ: Quia ferrum ſcatet poris, adeò ut nulla ſit per nos pars deſignabilis, quæ poros non habeat: Ita ut ignis iis inſidens continuatus à nobis videatur. Et quamvis punctula quædam nigriuſcula interveniant, ea à potentia noſtra viſiva non percipiuntur, imbuta & abrepta a ſplendore ignis in poris lucentis*.

13. Elegantiſſimè ſanè dictum, Clariſſime Domine: Totumque approbarem avidiſſimè, ſi ferro poros ineſſe crederem. Ego ſanè non poſſum eò compellere meum intellectum. Conor quidem; at nimium reluctatur. Etenim pororum in ferro nulla experientia, nullus uſus, nulla neceſſitas. Neque verum eſſe mihi videtur: *Quò enim plus tunditur, eò magis partes ejus comprimuntur, & ſubſidant, factis ſcilicet poris anguſtioribus*. Dum namque ferrum à contuſione verſus unam partem, aut verſus unam dimenſionem comprimitur, verſus aliam exprimitur: Dum verſum unam contrahitur, verſus aliam expanditur. Hæc ergò ferri compreſſio ſeu contractio non fit ob pororum compreſſionem aut anguſtiationem, ſed ob ſimplicem partium ferri de loco in locum migrationem. Deinde, Clariſſime Domine, ſi ferrum, plumbum, aurum, argentum, aliaque id genus haberent poros, deberent minorem locum occupare liquata, quam occupent ſolidata: Deberent in liquatione contrahi & minui. Atqui hoc non fit: Uti alicubi ex experientia formæ ſuſoriæ oſtendit Eximius Dominus Libertus Fromondus. Ergò neque poſſunt habere poros. *Patet ſequela majoris*: Quia corpora poroſa compreſſis ſuis poris contrahuntur & minuuntur: Ita enim affirmat etiam tua Claritudo. Atqui, ſi ferrum, aurum, argentum, & alia id genus haberent poros, in eorum liquatione eorum pori comprimerentur, & comprimi deberent: Ergo ipſa quoque deberent contrahi & minui. *Probatur minor*: Quia corpora liquida & fluida nequeunt habere poros diſtentos, & latera diſtantia habentes, ſicut habent corpora ſolida & conſiſtentia: Sed eorum pori ſtatim ſubſidunt, & latus ſuper latus cadit. Patet hoc in poroſa animalium adipe: Hæc quippe, quia pars viventis eſt, poros, alioſque ſimiles alimenti & excrementi meatus habet. Hæc, inquam, adeps, quamdiu ſolida & conſiſtens eſt, poros diſtentos, & latera diſcontigua habentes habet; at ubi liquari & fluere incipit, intra ejus poros paries ſupra parietem cadit. Latera pororum antè diſtenta & diſcontigua ſtatim comprimi incipiunt, & contignari. Ideo quippe (intermiſcente ſe tamen non modica condenſatione, ut latè dixi in tractatu meo de naturali penetratione corporum, *diſputatione 2. dubio 3.*) tantò minorem locum occupat liquata, quam occupabat conſiſtens & ſolidata. Similiter ergò, Clariſſime Domine, ſi metalla iſta haberent poros, in eorum liquatione deberent pori iſti conſtringi & anguſtiari: Deberet paries ſuper parietem cadere: Deberet metallum contrahi & minui: Deberet eſſe minus liquatum, quam fuerit ſolidatum. Quod quia fieri non video, metallis poros ineſſe ægrè credo.

14. Interim tamen neque pro ferri poris, neque contrà ferri poros, volo multum pugnare, aut eſſe pertinax. Mihi ſatis eſt, meum propoſuiſſe ſcrupulum. Inſint, non inſint ferro pori, ego parum curo: Mea parum refert. Quidquid de illis fuerit, dico ferrum ignitum habere ignem non in ſolis ſuis poris, ſed etiam alibi intra intrinſecas ac intimas ſubſtantiæ ſuæ medullas. *Et probo hoc*: Quia ſi ferrum candens haberet ſolummodò ignem intra ſuos poros, haberet ſolummodò intra ſuos poros aerem accenſum, ac in favillas converſum: Ita enim libenter concedit D. Plempius *fol.* 19. *ad* 3. *Fieni*. Atqui hoc falſum eſt, & cum oculorum noſtrorum experientia nequaquam cohærens: Ergò tale quoque eſt antecedens. *Probatur minor*: Quia, ut dicit Clariſſimus Thomas Fienus, *ſi ignis foret ſolummodo in poris ferri*, ſi in ferro candenti ſolus aer intra poros incluſus foret accenſus & in favillas actus, *totum ferrum non foret ignitum*: Certè à modicis illis favillis aeris intra poros candentibus non poſſet candere totum ferrum: *Ferrum omnibus ſuis partibus non poſſet eſſe lucidum; ſed plurimæ deberent eſſe opacæ, quæ in iſtis lucidis deberent apparere, ac eſſe nigræ. Hoc non eſt: Quia ferrum omnibus ſuis partibus apparet æque lucidum ac ignitum: Ergò, &c. Probatur ſequela majoris*: Quia corpora lucida ac luminoſa corporibus opacis ac tenebroſis interpoſita ac intermixta, ut (terminis D. Plempii utor) ſplendore ſuo potentiam viſivam imbuant ac abripiant: Ut partes opacas non apparere, & lumen non interpolare faciant: Ut viſum decipiant, totumque aggregatum eſſe luminoſum viſui perſuadeant: Debent eſſe vel in longè majori copia, vel ſi in numero ferè æquales fuerint, debent eſſe in magna à viſu diſtantia: Ita Bruxellis anno 1634. dum Bruxellenſes ob fauſtum, ac lætum Sereniſſimi Principis Noſtri Ferdinandi, *Hiſpaniarum Infantis* introitum, ignes triumphales extruerent, illuſtris ac perſpicua turris ſancti Archangeli Michaelis flammantibus facibus ubique illuſtrata ac intertexta, nobis intra civitatem exiſtentibus apparebat intertexta; ſpectantibus

verò

verò illam è locis ad unam vel duas leucas à civitate remotis, apparebat tota candens & ignita. Eadem de cauſſa via lactea, quam credo eſſe cœleſtem quandam plateam diverſis ſtellulis tamquam lapidibus ſtratam, apparet nobis tota candida ac lactea: Ob diſtantiam ejus non videtur à nobis ſtellarum intertextura ac interpolatura. Eodem ergò jure in ferro candenti, ſi partes luminoſæ ſimul & opacæ forent, ſi partibus opacis forent intextexiæ luminoſæ; ut luminoſæ illuſtrarent opacas, deberent eſſe in numero longè majori: Etenim hic recurri non poteſt ad diſtantiam. Adeoque, ſi opacæ ſint tam copioſæ ac ſunt luminoſæ, apparere debet intertextura, apparere debent partes opacæ. Atqui, ſi in ferro candenti canderet ſolus pororum aer, ſimul fortaſſe cum extima poroſorum laterum ſuperficie (hoc enim addit D. Plempius) partes opacæ in ferro candenti forent non ſolum æquè numeroſæ, ſed forent partibus luminoſis infinities numeroſiores. Ergò, ut bene philoſophatur Thomas Fienus, illæ partes deberent apparere, & eſſe nigræ. Atqui hoc non fit: Ergò ſignum eſt, ignem non eſſe ſolum in ferri poris; ſed etiam in intimis ejus medullis, ac penetralibus. *In hoc diſcurſu major eſt clara*: Etenim qui illam negaret, negaret fidem non ſoli mihi, ſed & communi omnium experientiæ. *Conſequentia verò eſt formaliſſima*: Ego ſaltem in ea nullum video, aut olfacio vitium. *De minori autem quis dubitet?* Etenim ferrum ſcateat & abundet poris tanta ſcaturigine, tantaque abundatia, quanta volueris; fateri tamen debes, quod in ferro ſint plures partes ferreæ & continuæ, quam diſcontiguæ & poroſæ: Quod ſub dimenſione pedali plus ſit ſubſtantiæ ferreæ, quam intra poros incluſæ ſubſtantiæ aereæ. Etenim quis hoc negare præſumeret? Ergò etiam fateri debes, quod ſi in ferro candenti canderet ſolus poroſus aer, ſimul fortaſſe cum extima poroſorum parietum ſuperficie, in ferro candenti plures forent partes opacæ, quam luminoſæ. Quod, uti jam oſtendi, videtur eſſe omnino abſurdum. Certum ergò videtur, ignem inſidere non ſolis ferri poris, ſed & intimis ejus penetralibus.

15. Aſt hoc ſi verum eſt, quomodò evadimus periculum penettationis? Sanè non niſi per viam aliquam paradoxam ac hactenus inauditam. Nolo tamen ſequi Fieniſmum, nolo dicere formam ignis ſeu igneitatem eſſe accidens. Etenim hominum animis nimis infixum eſt, formam iſtam eſſe ſubſtantiam. Hoc itaque etiam profiteor: A communi hac via nequaquam deflecto. Aſt qui evado corporum penetrationem? Evado quam optimè. Nego ignem traiici per ferrum, illud non concidendo aut dirumpendo, ſed totum pervadendo & implendo; uti ſuprà poſitum putabat argumentum. Etenim ignis eſt compoſitum ex materia & forma, quod ita per aliud compoſitum traiici nequaquam poteſt. Dico item, per totum ferrum traiici non ſolum calorem: Idque ob rationem ſuprà allegatam, ac præſertim ob auctoritatem ſancti P. Auguſtini ſtatim allegandam. Dico ergò per totum ferrum traiici formam ignis ſubſtantialem; & ab ea ita trajecta totum ferrum igniri, candere & inflammari. Dico per totum ferrum traiici formam ignis ſubſtantialem, non expulſa, ſed incolumi & ſalva ſubſtantiali forma ferri. Etenim cur duæ ſubſtantiales non ſubordinatæ formæ forent in eadem materia ſimul incompoſſibiles, ego nunquam vidi, nunquam credidi. Scio hoc meum dictum eſſe ferè paradoxum. Videtur tamen eſſe ſancti Auguſtini *l. 21. de Civit. c. 4.* his verbis: *Intueamur etiam miraculum calcis: Excepto eo, de quo iam ſatis diximus, quod igne candeſcat, quo alia tetra redduntur, etiam occultiſſimè ignem ab igne concipit. Eumque jam gleba tangentibus frigida tam latenter ſervat, ut nulli noſtro ſenſui prorſus appareat, ſed compertus experimento, etiam dum non apparet, ſciatur ineſſe ſopitus. Propter quod eam calcem vivam loquimur, velut ipſe ignis latens, anima ſit inviſibilis viſibilis corporis. Jam vero quam mirum eſt, quod cum extinguitur, tunc accenditur? Ut enim occulto igne careat, aquæ infunditur, aquave perfunditur, & cum ante ſit frigida, inde ferveſcit, unde ferventia cuncta frigeſcunt. Velut exſpirante ergò illa gleba, diſcedens ignis, qui latebat, apparet, ac deinde tamquam mortua ſic frigida eſt, ut adiecta aqua non ſit arſura, & quam calcem vocabamus vivam, vocemus exſtinctam.* Omnia hæc, quæ dicit Auguſtinus de calce per ignem viventi, quid ni ego Auguſtinianus dicam de ferro per ignem candenti? Dicam ſanè omnino: Utriuſque enim eſt pariformis ac eadem ratio. Atqui S. Auguſtinus dicit in calce viventi eſſe non ſolum calorem, ſed etiam ignem, quem ab igne occultiſſimè concipit; quique in illa, licet non appareat, ſcitur tamen eſſe ſopitus: Ergò idipſum ego dico de ferro candenti. Item ſanctus Auguſtinus dicit ignem eſſe in calce, non ſicut locatum in loco, ſed ſicut animam inviſibilis corporis: Ergò ſenſit illam eſſe in calce non per ſimplicem penetrationem, ſed per veram ac phyſicam informationem. Id ipſum ego dico de ferro candenti, Quære ergò aliud ſeparati quoad activitatem inſtrumenti exemplum: Etenim hic tuus calor nequaquam eſt tale. Aſt de hac formarum compatibilitate, alibi liberalius.

CAPUT XIII.

Examinatur oppugnatio mea ſecundæ rationis principalis.

1. PRincipalem meam concluſionem, quæ dicebat cauſſam principaliter ovi conformationem inchoantem eſſe aliquam ovo inſidentem animam, confirmavi adhuc hac ratione: Eadem cauſſa conformationem ovi, ſive conformationem pulli intra ovi corticem incluſi inchoat, quæ conformationem pulli jam ovo excluſi perficit, complet, ac conſummat: Conformatio enim pulli ovo excluſi adhuc valdè informis, & imperfecta eſt; caro adhuc fluxa, totaque humida & viſcoſa; oſſa magis cartilago, quam oſſa. Illa ergò cauſſa conformationem ovi intra corticem inchoat, quæ poſtmodum oſſa, carnem, nervos, plumas, ungues, aliaque membra & organa conſolidat, perficit, augmen-

tat : Atqui cauſſa conſolidans eſt anima pulli : Ergò illa etiam fuit cauſſa opus conformationis aggrediens & inchoans. Ulteriorem hujus argumenti deductionem vide in Apologia , *ſect.* 1. *num.* 13. Audite modò ſolidam ac ſubtilem Marpurgenſium ſolutionem : *Reſpondeo , negatur major . Diverſa enim eſt ratio conformationis membrorum ac conſolidationis : Conformatio provenit à ſpiritu vitali , at conſolidatio ab anima è potentia materiæ educta .* Lepida me hercle reſponſio . Si hoc ſit philoſophari , quid erit nugari ? Si hoc ſit argumenta ſolvere , quid erit illa inſoluta relinquere ? Vos illum miſerum , & quidem nullibi exiſtentem ovi ſpiritum tam ſæpe inclamatis , tam ſæpe adducitis : Nunquid hoc eſt ſatis ? Probate ſemel vel illius exiſtentiam vel illius efficaciam . Neutrum feciſtis hactenus . Quæ ergò eſt , aut eſſet cauſſa , cur conformationis inchoatio fieret à ſpiritu , ejus verò conſolidatio & conſummatio à noviter inducta anima ? Eſt ſanè nulla . Aut ſi ſit , illam ego non video : Ut ergò eam videam, à vobis doceri vel illuminari debeo . Deinde , cur ex toto iſto meo diſcurſu ſolum primum ſyllogiſmum adducitis ? Cur non diſcutitis & examinatis & bonis adductis rationibus refutatis ſingulas illius partes , propoſitiones , & probationes ? Etenim ut adæquatè argumentum ſolvatis , nequaquam ſatis eſt illius primum ſyllogiſmum adducere , ſed oportet ſingulas ejus partes fundamentaliter ac magiſtraliter diſcutere .

2. Major itaque mea , donec illam firmis contrariis rationibus oppugnetis , nulla indiget ulteriori probatione : Firma manet & immota in antiquo ſuo vigore & robore . *Eam tamen adhuc confirmo :* Quia conformationis inchoatio & conſummatio eſt continua ejuſdem actionis traductio : Atqui continua hæc traductio fieri debet ab eadem cauſſa : Ergò cauſſa , quæ ovi conformationem inchoat , eandem etiam conſummat : Atqui cauſſa conſummans eſt anima exiſtens in pullo : Ergò cauſſa inchoans fuit eadem illa anima exiſtens in ovo . Difficultas eſt de ſola minore . *Illa ergò probatur* : Quia diverſæ cauſſæ ad diverſimodè agendum natæ & inclinatæ non poſſunt eandem pariformem actionem pariformiter perficere , & ad perfectum ſuum complementum pariformiter traducere . Cogita ſemel , ſi duo diverſæ artis artifices , v. g. unus confector ſtatuæ equinæ , & alter confector ſtatuæ humanæ , ad eandem materiam , v. g. ad eundem lapidem vel lignum laborarent , quam præclarum opus nobis conſummarent ? Atqui anima gallinæ incubantis & anima pulli in ovo incluſi , aut ex ovo excluſi ſunt ſæpè cauſſæ ad diverſimodè agendum & conformandum natæ ac inclinatæ : Etenim anima avis incubantis eſt quandoque anima gallinacea ; anima verò pulli vel ovi eſt anima paſſerina . Ergò hæ duæ animæ non poſſunt conformationis opus uniformiter inchoare & conſummare : Ergò una anima non poteſt eſſe inchoans & altera conſummans ; ſed altera duarum debet eſſe inchoans ſimul & conſummans : Atqui cauſſa conſummans eſt anima exiſtens in pullo : Ergò cauſſa inchoans fuit anima exiſtens antea in ovo .

3. Addunt Marpurgenſes : *Secundo negatur pullum eſſe informem , ſi de abſentia formæ ſubſtantialis intelligatur : Si verò informis dicitur ratione imperfectionis accidentalis , permittitur .* Quid hoc ad ſolvendum argumentum ? Nihil planè . Etenim argumentum prætendit neceſſarium eſſe , ut eadem ſit cauſſa organizationem ovi inchoans , quæ eſt illam complens & conſummans : Hanc verò prætenſionem vos eliditis aſſerendo pullum recens excluſum non eſſe ſubſtantialiter informem . At qualis hæc eliſio ? Qualis exceptio ? Eſt hercle calva . Quin eſt & falſa : Pullus enim recenter excluſus eſt omnino informis , etiam ſubſtantialiter . Eſt , inquam , ſubſtantialiter formatus , ſimulque ſubſtantialiter informis . Eſt enim ſubſtantialiter formatus ratione informantis animæ ; eſt verò etiam ſubſtantialiter informis defectu multarum , quibus adhuc caret , formarum partialium , quas ego omnino credo eſſe formas omnino ſubſtantiales . Pullus equidem recenter excluſus etiam num caret plumis , alis , cauda , criſta , &c. Adeoque caret forma plumæ , alæ , caudæ , criſtæ , &c. Atqui hæ formæ , ut mihi ſemper viſum eſt , ſunt verè ſubſtantiales : Ergò pullus recenter excluſus caret adhuc multis formis ſubſtantialibus , ſibi debitis ac connaturalibus : Adeoque adhuc eſt ſubſtantialiter informis & incompletus . Verùm de hoc aliàs ; neque enim facit ad rem præſentem .

CAPUT XIV.

Examinatur oppugnatio meæ ſecundæ concluſionis .

SECTIO I.

Homo homini verè communicat rationalem animam .

1. SEcunda Apologiæ meæ concluſio erat hæc : Ova non ſolùm informantur ab aliqua anima , ubi incæperint incubari ac conformari , ſed antequam à gallina , aut alio animali oviparo emittantur : Animantur enim & ab anima informantur intra maternum uterum . Prima hujus concluſionis probatio erat hæc : Quia cauſſa efficiens debet præcedere ſuum effectum ; Rectè enim dicit ſanctus Pater Auguſtinus l. 7. de Civit. cap. 9. *Semper enim prior eſt res , quæ facit , quam illa , quæ fit .* Et , *Sicut enim nihil fit , ita nihil inchoatur , ut fiat , quod non faciens cauſſa præceſſerit .* Atqui , ut jam dixi , anima ovo inſidens eſt cauſſa conformationis : Ergò anima ineſt ovo , antequam inchoetur ovi conformatio . Audite rurſus ſolidam , multiſque efficaciſſimis ac irrefragabilibus rationibus firmatam , ac undique bene vallatam reſponſionem . *Reſpondeo , Non repetam ea , quæ ſupra ad ſatietatem de vera conformationis cauſſa dicta ſunt .* Laudo vos , bene facitis : Nam verè nauſeat anima mea ſuper tali Philoſophia vel ſemel tantum olfacta ; Quantùm ergò nauſearet ſuper illa lecta & relecta ? Tacete , tacete , nihil repetatis : Parcite labori , & meo & veſtro . Incideretis enim in malum , quod in Hecyra Terentii à Soſtrata avertere nitebatur Parmeno : *Nam qui amat , cui odio ipſus eſt , bis facere ſtultè duco ;*

dico: Laborem inanem ipſus capit, & illi moleſtiam affers. Audiamus ſequentia: *Quæ ſi relegantur, facilè hæc ratio rejicietur. Non itaque opus eſt, ut multis de his diſcurramus, niſi cramben bis coctam apponere velimus. Quod attinet ad ſecundam probationem è collectione omnium cauſſarum deſumptam, ea in dictis propulſa & diſſlata eſt*. Et quidem ex dictis neque ratione, neque legitima ulla auctoritate roboratis. Hem dicta elegantia, dicta efficacia!

2. Tertium hujus meæ concluſionis roborativum argumentum erat hoc: Niſi ovum accipiat animam à matre intra maternum uterum, tunc una gallina non generaret aliam: Illud enim fœtum generat, quod illi animam imprimit ac communicat. Atqui hoc abſurdum eſt: Ergò, &c. Etiam huic argumento tres contraponunt Marpurgenſes reſponſiones. Prima eſt hæc: *Reſpondeo primò, ſic homo non generaret hominem. Siquidem ſecundùm Pontificios anima creatur; per illos enim homo homini non communicat animam: Quod illis abſurdum*. O Mendaces hæreticos! Mirabar equidem ego, ſi nihil de veſtra diabolica pravitate immiſceretis: Sic enim oportebat. Dic ergò Heretice, dic Lutherane, in quo Pontificio legiſti, aut à quo audiviſti animam rationalem homini ab homine non communicari? Profectò tu non legiſti, ſed hæc ſcribens nobis Pontificiis mendacium appingere non erubuiſti. At legiſti apud Pontificios, Animam ab homine non creari; ergò legiſti eam ab homine homini non communicari. Bella ſanè conſequentia.. Nos ergò Pontificii omnino docemus animam creari, nequaquam autem educi aut traduci: Quod vos quia non docetis, tamquam homines perverſi ſenſus vitari & expelli debetis. Non negamus tamen animam ab homine homini communicari: Etenim ſi hoc negaremus, quomodo hominem ab homine generari affirmaremus? Profectò ineptiſſimè. Aliud ergò eſt animam creare, aliud animam ſemini communicare: Aliud eſt animæ creatio, aliud animæ ſemini communicatio: Primum poteſt ſolus benedictus ac Glorioſus Deus; ſecundum autem poſſunt etiam noſtri parentes. Siquidem animæ creatio eſt animæ ex nullo præjacente ſubjecto facta productio; at verò animæ communicatio eſt animæ jam productæ facta cum ſemine parentum unitio: Sive eſt productio unionis animam à Deo creatam cum ſemine unientis & copulantis. Homines autem, licet nequeant producere animam, producere tamen omnino valent hanc animæ unionem. Eſt enim hæc unio non forma quædam ſpiritualis, uti eſt anima; ſed eſt modus quidam materialis, extenſus, integraliter compoſitus, adeoque totus corporeus, & ideò eductivæ agentium naturalium efficaciæ omnino ſubjectus. Parentes ergò noſtri, licet fœtuum ſuorum non creent animam, illam tamen fœtibus ſuis communicant. *Ratio eſt clara*. Quia animam communicare eſt animam alicui unire: Atqui parentes animam à Deo creatam fœtui ſuo uniunt & copulant: Ergo illam fœtui ſuo communicant. *Probatur major*: Quia formam aliquam alicui ſubjecto unire & conjungere eſt formæ alicujus cum aliquo ſubjecto unionem producere: Atqui parentes noſtri animæ à Deo creatæ cum ſuis ſeminibus unionem omnino efficiunt: Ergo animam cum ſuis ſeminibus copulant, communicant, & uniunt. Communicant, inquam, parentes noſtri ſuis ſeminibus non minùs animam rationalem & intellectivam, quam pecora ſuis communicent animam brutam ac ſenſitivam. Cum hac tamen differentia: Quod homines animam intellectivam tantùm communicent, nequaquam verò illam producant, generent aut creent; Pecora autem animam ſuis ſeminibus non tantùm communicent & imprimant, ſed inſuper eam producant, generent & efficiant. Neque enim ex eo, quod quis animam communicet, ſequitur, quod eam creet: Formæ enim alicujus ſolidæ ac phyſicæ, qualis eſt noſtra rationalis anima, communicatio & ejuſdem creatio ſunt actiones realiter ac eſſentialiter diſtinctæ: Adeoque poteſt quis attingere & principiare unam, nequaquam principiando aut attingendo aliam. Quod autem hæ duæ actiones realiter ac eſſentialiter differant, *eſt clarum*: Quia actiones ſumunt diſtinctionem & ſpecificationem ſuam à ſuis terminis formalibus productis: Adeoque actiones, quarum termini formales producti realiter ac eſſentialiter differunt, ſunt etiam realiter ac eſſentialiter diſtinctæ. Atqui animæ creatio & animæ communicatio ſunt actiones, quarum formales producti termini realiter, eſſentialiterque differunt: Ergò etiam ipſæ iſtæ actiones taliter differunt. *Probatur minor*: Quia terminus formalis productus à creatione eſt ipſa ſubſtantia animæ; terminus verò formalis productus à communicatione eſt unio animæ: Uti patet ex jam dictis. Atqui ſubſtantia animæ & unio animæ ſunt entia realiter ac eſſentialiter diſtincta: Uti notum eſt ex terminis. Ergò iſtæ duæ præfatæ actiones habent terminos formales productos realiter ac eſſentialiter diſtinctos.

SECTIO II.

Homo verè generat hominem. Et rejicitur ſententia Thomæ Fieni de ſubſtantiali viventium generatione.

3. VErùm adhuc difficultas eſt: An homo verè generet hominem? Et eſt omnino, ac conſtantiſſimè affirmandum: Deus enim glorioſus & benedictus homini non tantùm ſemel, ſed bis; ſemel ante diluvium *Geneſ.* 1. et ſemel poſt diluvium *Genſ.* 8. dixit: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram*. Quæ verba eſſe potentiæ generativæ collativa, eamque cum efficacia conferentia tradunt Doctores omnes. Homo ergò omnino generat hominem. Aſt quæ hujus rei ratio? Quomodò poteſt homo hominem generare, cum non poſſit illius animam, formam utique ejus conſtitutivam, producere & creare? Nunquid ut quis totum aliquod compoſitum generare dicatur, requiritur, ut producat ac efficiat formam iſtius totius in ſuo eſſe conſtitutivam? Videtur ſanè id requiri omnino. Et hujus quidem difficultatis ſolutio dependet ex ſolutione ejus quæſtionis, qua quæritur, in quo præciſè conſiſtat alicujus totius generatio, ſive qualis præciſè actio ſit actio generativa.

4. Tho-

Digitized by Google

4 Thomas Fienus *l. 2. de format. fœtus, qu. 9. concl. 13. præſertim fol.* 234 & 235. dicit actionem generativam nihil eſſe aliud, quam ſpermatificationem, ſeu ſpermatis & ſeminis prodnctionem: Adeoque dicit parentes veiè generare, ac eſſe phyſicas generationis ſuæ cauſſas, quia verè ſpermatificant, vereque ſemen ac ſperma ſuum cauſſant. At verò *fol.* 242. *in ſolut. tertii argum.* diſtinguit duplicem hominis generationem, videlicet generationem ſubſtantialem & generationem accidentalem: Generationem ſubſtantialem negat fieri à parentibus; tribuit illis ſolam generationem accidentalem: Adeoque dicit illos quidem generare accidentaliter, nequaquam tamen ſubſtantialiter. Quomodo verò hæ duæ generationes præcisè diſtinguantur, Fienus nullibi expreſsè dicit. Hęc autem dno ejus dicta ego non bene concordare valeo: Nam generare hominem accidentaliter, & generare hominem verè, nequaquam ſibi mutuò cohæret: Si ergò homo hominem generet ſolummodò accidentaliter, quomodo illum verè generare poteſt? Me herclè id ego non video. *Patet autem antec.* Quia generare hominem verè eſt verè illius ſubſtantiam & entitatem generare: Eſt generare illam rem, quæ verè à parte rei eſt homo. Etenim quid foret aliud? At verò hominem generare accidentaliter eſt generare hominem ſecundùm ſua accidentia; eſt generare hominis accidentia: Eſt generare illud, quod ſunt accidentia hominis. Ego ſanè non video, quid ſit aliud. Atqui generare hominem ſecundùm ſola accidentia, & generare illum ſecundum ſuam ſubſtantiam non bene cohærent: Cohærent enim nullatenns, uti manifeſtum eſt. Ergò etiam generare hominem ſolummodò accidentaliter, & generare hominem verè, nequaquam inter ſe conveniunt aut cohærent. Si ergò homo hominem generat ſolùm accidentaliter, quomodo verè generat? Dico iterum, non poſſum hæc concordare.

5. Et certè ſpermatificatio nimis diſſentaneè dicitur eſſe hominis generatio, & ſpermatificare valdè malè dicitur eſſe generare: Adeoque ex eo, quod quis ſpermatificat, valdè incongruè dicitur, quod generat: Et per conſequens, ſi homines circa ſuos fœtus ſolummodò ſpermatificarent, nequaquam ſanè illos generarent; quique illos ratione ſpermatificationis generare dicit, malè loqnitur, ac falſum dicit. *Ratio breviter eſt clara:* Quia generatio hominis eſſe debet actio pro termino ſuo formali producto habens aliquam formam homini producto eſſentialem: Atqui parentum ſpermatificatio pro termino ſuo formali producto nequaquam habet aliquam formam homini producto eſſentialem: Ergò activa parentum ſpermatificatio nequaquam eſſe poteſt paſſiva filii generatio. Oportet hic probare majorem, ac etiam minorem. *Primò minorem*: Quia formæ, vel partes, aut quaſi partes homini coicumque eſſentiales ſunt materia, anima, & unio animæ cum materia: Adeoque ut ſpermatificatio pro termino formali producto haberet aliquid homini eſſentiale, habere deberet vel filii materiam, vel filii animam vel filii unionem. Atqui nullum horum habet. Neque enim habet animam, aut materiam: Quia tam anima quam materia à Deo creatur; adeoque à parentibus ſpermatificantibus per ſpermatificationem nequaquam producitur. Neque etiam habere poteſt unionem animæ cum materia: Quia in ſpermate nulla eſt anima, adeoque neque ullius unio animæ. Deinde ſpermatificatio eſt productio ſpermatis; adeoque ejus terminus formalis productua eſt forma ſpermatica, aut potiùs unio formæ ſpermaticæ: Non autem unio rationalis animæ. Neque ſcio quemquam, qui de hiſce meis dictis unquam dubitaverit. Ergò parentum activa ſpermatificatio nequaquam habet pro termino ſuo formali producto ullam formam filio producto eſſentialem: Adeoque nequaquam eſſe poteſt paſſiva filii generatio.

6. *Probemus etiam argumenti principalis majorem*: Quia omnis actio, quæ aliquod totum compoſitum habet pro ſuo termino adæquato & totali, aliquam iſtius totius compoſiti eſſentialem partem habere debet pro ſuo termino producto formali: Atqui generatio hominis eſt actio pro ſuo termino totali & adæquato habens totum hominem: Quis enim de hoc ambigat? Ergò pro ſuo termino formali producto habere debet aliquam partem, aut aliquam formam homini eſſentialem. *Probatur major*: Quia terminus formalis productus debet eſſe forma per actionem proximè producta, ratione cujus dicitur etiam produci totum compoſitum. Id eſt, debet eſſe forma, per cujus productionem dicitur etiam produci totum compoſitum: Uti notum eſt capienti terminos. Atqui totum compoſitum nequit dici produci per productionem alicujus formæ ſibi accidentalis, ſed ſolummodò per productionem alicujus formæ ſibi eſſentialis: Ergò terminus formalis per actionem aliquam productus eſſe debet forma termino iſtius actionis adæquato & totali eſſentialis: Adeoque omnis actio, quæ aliquod totum habet pro termino ſuo totali, aliquam eſſentialem iſtius totius partem habere debet pro termino ſuo producto formali. *Probatur minor inductione*: Neque enim homo produci dicitur per productionem ſuæ ſeſſionis, caloris, viſionis, aut intellectionis, &c. Alioquin enim omnis, qui produceret ſeſſionem, calorem, viſionem, aut intellectionem, etiam prodncere diceretur hominem. Similiter aqua non dicitur produci per productionem ſui caloris, neque paries per productionem ſuæ albedinis, neque lapis per productionem ſui impulſus, &c. Ergò nunquam ſubſtantia dicitur produci per productionem formæ ſibi accidentalis, ſeu non eſſentialis. *Et ratio à priori eſt*: Quia cauſſari ſeu produci eſt accipere eſſentiam ac exiſtentiam ſuam propriam: Atqui ſubſtantia per productionem ſui accidentis non accipit eſſentiam ac exiſtentiam ſuam propriam: Ergò ſubjectum nequit dici produci per productionem ſui accidentis. *Probatur minor*: Quia ſubjectum per productionem ſui accidentis ſolummodò accipit, ac in ſe recipit entitatem ac exiſtentiam ſui accidentis: Atqui entitas & exiſtentia accidentis non eſt entitas & exiſtentia ſubjecti; uti manifeſtum eſt: Ergò ſubjectum per productionem accidentis non accipit ſuam entitatem ac exiſtentiam propriam. Quandoquidem ergò à parentum ſpermatificatione nihil filio

hil filio

Digitized by Google

hil filio eſſentiale producatur, parentum ſpermatificatio nequaquam eſſe poteſt filii generatio: Adeoque ſi parentes tantummodò ſpermatificaſent, nequaquam ſuos filios generarent: Ergò præterquam quod ſpermatificent, adhuc aliquid aliud actionis circa filios ſuos exercent. Verùm quid eſt hoc?

SECTIO III.

Qualis actio ſit ſubſtantialis generatio oſtenditur ex Cardinali Cajetano.

7. HOc nobis eleganter tradit Cardinalis Cajetanus 1. *p. q.* 118. *a.* 2. *In reſponſione ad quartum, Antiqua: Adverte primo, quod ad hoc, quod aliquid dicatur effectivè producere aliquod compoſitum, non exigitur, quod faciat omnes ejus partes, nec requiritur, quod faciat aliquam ejus partem; ſed ſufficit, quod effectivè cauſſet conjunctionem partium, ex qua reſultet illud compoſitum. Declarantur ſingula. Primò, quod non requiritur, quod faciat omnes partes: Alioquin nullum agens naturale faceret aliquod compoſitum: Quia non facit materiam. Secundò, quod non aliquam ejus partem: Alioquin dealbans artificialiter parietem non diceretur facere parietem album: Quia nec parietem, nec albedinem facit, ſed addit unum alteri: Et veriſimiliter ſi formæ præexiſterent per ſeipſas ante generationem, & generans eſſet tantæ vis, ut generando conjungeret formam cum materia, nihilominus eſſet cauſſa illius compoſiti; puta bovis, ſi forma bovis præexiſteret. Et ex hac conditionali patet tertium, in quò clauduntur duo prima. Adverte ſecundò, quod in generatione hominis ſunt duæ actiones, & duo termini intrinſeci earum. Actio quidem una eſt ſimplex emanatio, ſeu creatio à prima cauſſa, Deo glorioſo; altera autem eſt ſeminis, ut inſtrumentum animæ intellectivæ modo expoſito, ſeu quod eſt idem, hominis generantis in quantum homo, &c. Unde applicando ſingula ſingulis dicendum eſt primò, quod anima rationalis ratione ſui eſſe eſt terminus intrinſecus creationis in inſtanti primo, quo Sortes incipit eſſe: Quoad ſuum verò modum eſſendi ſeu ineſſe non terminat creationem niſi concomitanter, & in quantum illud ineſſe ſe tenet ex parte animæ. Dicendum eſt ſecundo: Quod eadem anima rationalis quoad ineſſe ſeu unionem, &c. ut ſe tenet ex parte materiæ, eſt proprius terminus actionis ſeminis humani: Ita quod ab eo effectivè cauſſatur per ſe, & directè. Quoniam propria actio humani ſeminis terminatur ad hoc, quod materia ſubſit animæ intellectivæ de foris advenienti. Hoc enim operatur, & non fruſtra tanto tempore materia laborat. Unde ſi propriè loqui volumus, anima ipſa eſt terminus creationis; unio verò animæ & corporis eſt terminus generationis. Et quia non ex anima rationali, nec ex materia, ſed ex unione earum reſultat tertia entitas, ſcilicet humanitas, apud ponentes dari tertiam entitatem, vel ſaltem ex vel in tali unione conſiſtit compoſitum, quod eſt homo. Ideò jungendo hæc cum antedictis ſequitur, quod quia homo mediante ſuo ſemine cauſſat activè conjunctionem animæ intellectivæ cum materia corporali, ex vel in qua unione conſiſtit compoſitum, ſcilicet homo, quod homo verè generat hominem, quamvis neutram partem faciat.*

8. Profectò, Eminentiſſime Cardinalis, Eminentia tua pulcherrimè dicit. Nam homo eſt quoddam phyſicum compoſitum: Atqui quodcumque phyſicum compoſitum producitur, ac produci dicitur per ſolam productionem unionis: Ergò etiam totus homo producitur & produci dicitur per ſolius productionem unionis: Ergò quicumque humanarum partium unionem producunt, illi hominem producunt: Atqui parentes producunt hanc unionem: Quid enim obeſſet? Nam unio hæc materialis eſt, in potentia materiæ deliteſcens: Adeoque quò minùs inde à parentibus educatur, nihil omnino vetat. Ergò homò verè hominem generat. Difficultas eſt circa minorem. *Probo ergò illam*: Quia produci eſt accipere ſuam propriam entitatem & exiſtentiam: Atqui totum compoſitum per productionem unionis accipit ſuam propriam entitatem & exiſtentiam: Ergò per ſolius productionem unionis dici poteſt produci totum compoſitum. *Probatur minor*: Quia compoſitum fieri eſt compoſitum componi; Atqui per ſolam productionem unionis compoſitum componitur: Ergò per eandem productionem totum compoſitum producitur. *Probatur minor*: Quia compoſitum componi eſt compoſitum accipere ſui compoſitionem: Quid enim aliud foret? Nonne dealbari, calefieri, colorari, & id genùs alia, eſt accipere dealbationem, calefactionem, colorationem, &c.? Eodem ergò jure componi eſt accipere ſuam compoſitionem. Atqui per productionem unionis compoſitum accipit ſuam compoſitionem: Per iſtam quippe productionem accipit ſuam unionem: Unio autem eſt vera partium unitarum, totiuſque ex partibus unitis reſultantis compoſitio. Ergò per ſolam productionem unionis compoſitum componitur. Adeoque parentes filii ſui unionem producentes filium ſuum verè componunt, verè generant, verè producunt.

9. Quin imò rigoroſiſſimè loquendo, mentem ad caſus Metaphyſicos attollendo, ut quis hominem, aut aliud quodvis Phyſicum compoſitum producat, ac producere dicatur, ne quidem requiritur, ut producat unionem: Fieri enim omnino poteſt, ut quis & unum hominem deſtruat, & unum novum producat, & tamen nullam deſtruat, aut producat ejus entitatem: Neque animam, neque materiam, neque unionem. Quid miraris ergò, ſi parentes unionem producentes, producere dicantur hominem? Sine ratione. Fateor, dictum hoc meum eſt novum & inauditum; eſt tamen certiſſimè ac indubitatiſſimè verum. *Et probo illud:* Quia Deus poteſt unionem meam animæ & corpori meo eripere, & illam animæ ac corpori ſancti Auguſtini, aut cujuſcumque alterius hominis dare, eaque per illam unire. De hac, inquam, unionis translatione non dubito: Modi enim reſpiciunt quidem eſſentialiter aliquod ſubjectum in confuſo, ſed nullum determinate: Adeoque poteſt idem modus à Deo ademptus & translatus, migrare de ſubjecto in ſubjectum. De quo alibi latiùs. Atqui per iſtam unionis meæ translationem ego deſtruerer, & ſanctus Auguſtinus produceretur;

& ta-

& tamen nulla realis entitas de novo produceretur, aut deſtrueretur: Uti eſt evidens. Ergò poſſet Deus unum hominem deſtruere, & alterum producere non deſtruendo aut producendo ullam novam entitatem. *Probatur minor:* Quia tunc homo producitur, quando accipit ſuarum partium unionem; tunc verò deſtruitur, quando perdit ſuarum partium unionem: Atqui per iſtam præfatam unionis translationem meæ partes unionem perderent, & partes ſancti Auguſtini unionem acquirerent: Ergo per iſtam unionis translationem ego deſtruerer, & ſanctus Auguſtinus produceretur. Verùm tranſeamus ad ſecundam Marpurgenſium reſponſionem; de his omnibus dicemus alibi.

10. Secunda reſponſio. *Secundò, tum ſequitur, quod gallus non ſit cauſſa pulli: Quia ſecundùm Antagoniſtam pullo gallus hic non communicat animam, ſed gallina mater in utero materno.* Totum hoc verum eſt, adeoque nequaquam abſurdum. Patres enim vocantur Patres, non quia filios ſuos phyſicè effecerunt, ſed quia illis phyſicè à matre efficiendis materiam ſubminiſtraverunt. Nam quomodo pater ad mille leucas abſens, aut fortè etiam mortuus filium ſuum in utero matris efficeret? Credat hoc Judæus Apella. Ego enim non credam. Audiatur tertia reſponſio. *Tertio negatur conſequentia. Etſi enim non accipiat intra maternum uterum; tamen extra illum animam accipit, ut ſupra viſum.* Aſt à quo extra uterum acciperet? Non à Deo: Quia non ſolet. Non ab Angelo: Quia non poteſt. Non à gallo aut gallina: Quia ſæpe abſunt. Non à ſole, aſtris, furno, fimeto, aut alio ſimili principio inanimo: Quia incideretis in cenſuram ſancti Auguſtini, qua *l.* 8. *de Civit. cap.* 5. cenſurat Epicuræos, quod *A rebus non vivis res vivas fieri poſſe crediderunt.* Et ſanè omnia alia ſemina animantur intra uterum. De ſeminibus hominum, aliorumque perfectorum animalium res eſt clara; de ſeminibus verò plantarum quis dubitet? Animantur enim in ſuo pericarpio, tamquam in ſuæ matris utero. Idem ergò dici debet de ovis. Verùm hæc omnia ad longum hic diſcutere, modò mihi neque placet, neque lubet, neque vacat.

CAPUT XV.

Examinatur hæreticum diſſertationis corollarium.

1. Hic enim hæreticorum genius eſt, etiam quaſcumque veritates purè naturales hæreticis hæreticæ pravitatis putoribus conſpurcare. Audiamus corollarium. *Anima* (utpote rationalis, de brutis enim & irrationalibus nulla eſt controverſia) *per traducem infunditur, non creatur.* Revera vos boni Grammatici non eſtis: Neſcitis enim ſignificationem vocum. Quod hic corollarium vocatis, vocare debueratis Impertinens. Nam corollarium eſt omnino idem quod conſequens deductum ex dictis antecedentibus: Atqui hoc veſtrum hæreticum dictum nequaquam eſt conſequens deductum ex dictis antecedentibus: Quomodo ergo eſt corollarium? Profectò nequaquam. *Patet minor:* Quia in toto veſtro contra meam Apologiam ſcripto locuti eſtis de anima ovi, de conformatione ovi, de conformationis cauſſa, &c. De anima autem rationali ne unum quidem verbum: Quomodo ergo ex dictis illis veſtris deduci poſſit, quod anima rationalis nobis infundatur per traducem? Revera non poteſt. Dictum ergo veſtrum non eſt corollarium, ſed eſt impertinens, quia ad dicta antecedentia non eſt pertinens. Videamus tamen, quid contineat.

2. Primò ergò dicitis, animam rationalem non creari. Hoc manifeſtè hæreticum eſt. Dicit enim ſanctus Thomas 1. *p. q.* 118. *art.* 2. *in corp. Et ideo hæreticum eſt dicere, quod anima intellectiva traducatur cum ſemine.* Quod ut meliùs percipiatur, placet præcipuos de anima intellectiva, ejuſque creatione, inceatione, ac infuſione errores breviter adducere: Et oſtendere quam hæreſim, & quem errorem nobis hic reſuſcitare conentur Marpurgenſes. Si tamen hæc, uti bene intendo, bene non effecero; venia omnino dignus ero: Nam, ingenuè fateor, mentem veſtram nequaquam intelligo. Videmini ſanè mihi de verbis potiùs, quam de rebus facere controverſiam, & in iſto veſtro dicto non novitate rerum, ſed ſola delectari novitate verborum. Etenim dicitis animam non creari, & tamen infundi: Et quidem hoc per traducem. Hæc duo ego conciliare non valeo, quia mentem veſtram non ſatis clarè & diffusè explicatam non bene intelligo. Poſſet quidem infundi & non creari: Id enim fieri confitetur ſancta & Apoſtolica Catholica Romana Eccleſia in habitibus ſupernaturalibus, & in unione Hypoſtatica Verbi cum homine aſſumpto: Formas has, quarum una, unio ſcilicet hypoſtatica, eſt verè ſubſtantialis, veraque, licet tamen modalis ſubſtantia, credimus à Deo infundi, & tamen non creari, ſed ex aliquo præjacente ſubjecto per veram materialem cauſſalitatem educi. At verò infundi & traduci, ſive infundi per traducem, neſcio quomodò hæc cohæreant. Nam infundi eſt à ſolo Deo dari: Adeoque illa nobis infunduntur, quæ à ſolo Deo in nobis producuntur. At verò traduci, ſeu per traducem dari eſt à parentibus una cum ſemine effici, in nos devolvi ac derivari; adeoque ea in nos traducuntur, ſive nobis per traducem dantur, quæ à parentibus in ſemine à ſe elaborato efficiuntur ac imprimuntur, unaque cum ſemine, cui impreſſa ac involuta ſunt, à parentibus in nos transfunduntur ac communicantur. Si vos aliter verba hæc *infundi & traduci* accipiatis aut intelligatis, ſtudetis non rerum examini, ſed verborum certamini. Atqui implicat aliquid in nobis à ſolo Deo effici, & ſimul effici à parentibus: Etenim ſi efficiatur à ſolo Deo, quomodò à parentibus? Si verò à parentibus, quomodò à ſolo Deo? Nequaquam certè. Ergò implicat nobis aliquid infundi, & ſimul traduci ſeu traducem dari.

3. Mentem ergo veſtram non bene intelligo: Ideò illam præſumo & conjecturo. Ut autem omnia veſtra dicta cohærentia ſint, videmini mihi dicere hæc tria. Primò, quod anima à Deo non creetur. Secundò, quod tamen à Deo infundatur. Tertiò, quod infundatur per tradu-

cem,

cem, ſeu potiùs cum traduce, ſive quod à Deo anima ſemini infundatur, ac ſemini infuſa ſimul cum ſemine à parentibus in nos traducatur, derivetur, ac transfundatur. Quæ tria dicta non ſunt ſibi mutuò contraria, ſed quam optimè cohærentia; attamen nequaquam ſunt omnia vera. Primum enim, quod animam creari negat, eſt verè hæreticum, eſt antiquæ alicujus & jam dudum defunctæ ac proſcriptæ hæreſis reſuſcitativum. Ut autem videamus, quam vos hæreſim ex inferno in mundum revocetis, videamus breviter præcipuos de animæ noſtræ origine errores, ut vos veſtrum cognoſcatis, ac de illo cognito pœnitentiam agatis.

4. Sanctus Hieronymus ergò in Epiſtola ad Marcellinum & Anapſychiam, quæ inter Auguſtinianas eſt vigeſima ſeptima, quinque de animarum origine ponit opiniones, his verbis: *Super animæ ſtatu memini veſtræ quæſtiunculæ, imò maximæ Eccleſiaſticæ quæſtionis: Utrùm lapſa de cælo ſit, ut Pythagoras Philoſophus, omneſque Platonici & Origenes putant, anima. An à propria Dei ſubſtantia, ut Stoici, Manichæus, & Hiſpaniæ Priſcilliani hæreſes ſuſpicantur. An in Theſauro habeantur Dei olim conditæ, ut quidam Eccleſiaſtici ſtulta perſuaſione confidunt. An quotidie à Deo fiant, & mittantur in corpora, ſecundùm illud, quod in Evangelio ſcriptum eſt: Pater meus uſque modò operatur, & ego operor. An certè ex traduce, ut Tertullianus, Apollinaris, & maxima pars Occidentalium autumant: ut quo modo corpus ex corpore, ſic anima naſcatur ex anima, & ſimili cum brutis animantibus conditione ſubſiſtant.* Secunda tamen opinio magis tangit animæ eſſentiam & ſubſtantiam, quam ejus originem, infuſionem, aut incarnationem, uti advertit ſanctus Auguſtinus *Epiſt.* 27. Prima itaque opinio dicit animam eſſe partem ſubſtantiæ divinæ: Adeoque dicit animam non creari; Deus enim non creatur, ſed eſt creator: Non tamen dicit illam, aut per traducem, aut ſine traduce infundi, ſed potiùs ſuccedentibus corporibus ſucceſſivè communicari & uniri. Ita docuere Hæretici Manichæi, multique antiqui pagani, qui animam hujus mundi credidere eſſe Deum. Contra quos ex profeſſo agit ſanctus Auguſtinus *l.* 6. & 7. *de Civit.* Refert eam ex mente Varronis *l.* 7. *cap.* 23. his verbis: *Et rectè idem Varro in eodem libro de Diis ſelectis tres eſſe affirmat animæ gradus in omni, univerſaque materia. Unum, qui omnes partes corporis, quæ vivunt, tranſit, & non habet ſenſum, ſed tantum ad vivendum valetudinem, &c. Tertium gradum animæ eſſe ſummum, qui vocatur animus, in quo intelligentia præeminet: Hoc præter hominem omnes carere mortales: In qua, quoniam homines Deo videntur eſſe ſimiles, hanc partem animæ mundi dicit Deum, in nobis autem genium vocari.* Errorem hunc egregiè refutat *Epiſt.* 28. his verbis: *Anima hominis immortalis eſt ſecundùm quendam modum ſuum. Non enim omnimodè ſicut Deus, de quo dictum eſt, Quia ſolus habet immortalitatem. Nam de animæ mortibus ſancta Scriptura multa commemorat. Unde illud eſt: Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos. Sed quod ita moritur alienata à vita Dei, ut tamen in natura ſua vivere non omnino deſiſtat: Ita mortalis in aliqua cauſſa invenitur, ut etiam immortalis non ſine ratione dicatur. Non eſt pars Dei anima. Si enim hoc eſſet, omnino incommutabilis, atque incorruptibilis eſſet. Quod ſi eſſet, nec deficeret in deterius, nec proficeret in melius: Nec aliquid in ſemetipſa vel inciperet habere quod non habebat, vel deſineret habere quod habebat, quantum ad ejus ipſius affectiones pertinet. Quam verò aliter ſeſe habeat, non opus eſt extrinſecùs teſtimonio, quiſquis ſeipſum advertit, agnoſcit. Fruſtra autem dicitur ab eis, qui animam Dei partem eſſe volunt, hanc ejus labem ac turpitudinem, quam videmus in nequiſſimis hominibus, hanc denique infirmitatem & ægritudinem, quam ſentimus in omnibus hominibus, non ex ipſa illi eſſe, ſed ex corpore. Quid intereſt, unde ægrotet, quæ ſi eſſet incommutabilis, aliquo modo videlicet ægrotare non poſſet? Nam quod verè incommutabile & incorruptibile eſt, nullius rei acceſſu commutari vel corrumpi poteſt. Alioquin non Achillæa tantùm, ſicut fabulæ ferunt, ſed omnis caro eſſet invulnerabilis, ſi nullus ei caſus accideret. Non eſt itaque natura incommutabilis, quæ aliquo modo, aliqua cauſſa, aliqua parte mutabilis eſt: Deum autem nefas eſt, niſi verè, ſummeque incommutabilem credere. Non eſt igitur anima pars Dei.*

5. Secunda ſententia dicit, animas ante incarnationem ſuam in cœlo exiſtere, ac inde ad terram ac corpora decidere: Aliquas quidem à Deo, ut ob malam ante actam vitam corporibus tamquam carceribus includantur, detruſas; aliquas verò ob cœleſtis vitæ tædium, ac curioſum novæ terreſtris deguſtandæ deſiderium propria ſponte delapſas. A qua opinione aut parùm, aut certè nihil diſcordat opinio tertia: Quæ dicit animas, in neſcio quo, fonte aut Dei theſauro reconditas aſſervari, indeque ſucceſſu temporis in corpora mitti ac irrorari. Dicunt ergò hæ duæ opiniones, quod omnes omnino hominum animæ exiſtant antea vel in cœlo, vel alio aliquo Dei theſauro productæ, unde poſtmodum diſtinentur ac ablegentur in corpora; idque vel ob curioſum novæ vitæ deſiderium vel ob juſtum antiquæ ſupplicium. Hæ autem ſectæ planè diſcordant à ſecta Marpurgenſi. Etenim hæ dicunt animas creari, creataſque poſtmodum vel ab ſeipſis, vel ab alio aliquo corporibus infundi: Dicunt enim animas eſſe formas extra omne corpus ſubſiſtentes; quæ proinde non poſſunt produci niſi per veram creationem: Creari namque formis ſubſiſtentibus proprium eſt. Hunc errorem refutat ſanctus Auguſtinus *Epiſt.* 157. *ad Optatum*, his verbis: *Hactenus autem dicimus ſine periculo latere animæ originem, ut non tamen eam partem Dei eſſe credamus, ſed creaturam. Nec de Deo natam, ſed ab illo factam, atque in ejus genus adoptandam mirabili dignatione gratiæ, non parili dignitate naturæ. Nec eam corpus eſſe, ſed ſpiritum, non creatorem utique, ſed creatum. Nec ideo veniſſe in hoc corpus corruptibile, quo gravatur, quod illuc eam vitæ in cæleſtibus, vel in quibuslibet aliis partibus mundi antea malè geſtæ merita compulerunt. Nondum enim natos Apoſtolus, cum de Rebeccæ geminis loqueretur, nihil egiſſe dicit boni vel mali, ut non ex operibus, quibus nullis alter diſtinguebatur ab altero, ſed ex vocante diceretur minori ſerviturum eſſe majorem.* Neque hac de re dubitavit unquam Au-

guſti-

guſtinus; Dicit enim in eadem hac Epiſtola hanc ſuam aſſertionem eſſe unam de aſſertionibus firmiſſimè ſibi conſtitutis. Et *Epiſt.* 28. *ad Hier.* Ita dicit: *Illud verò, quod in libro adversùs Ruffinum poſuiſti, quoſdam huic ſententiæ calumniari, quod Deum dare animas adulterinis conceptibus videatur indignum, unde conantur adſtruere meritis geſtæ ante carnem vitæ, animas quaſi ad ergaſtula hujuſmodi juſtè poſſe perduci, non me movet multa cogitantem, quibus hæc poſſet calumnia refutari.* Ecce opinionem iſtam vocat calumniam: Non ergò dubitavit de oppoſito ejus, ſed fuit planè certus.

6. Quarta opinio dicit, animam eſſe ex traduce, dicit, animam naſci ex anima, ſicut corpus naſcitur ex corpore, & ſimili cum brutis conditione ſubſiſtere: Dicit, inquam, animas intellectivas nonminùs quam animas brutas educi & traduci ex potentia ſeminis. Ita Tertullianus, Apollinaris, & magna pars Occidentalium. Et hunc errorem refutat Auguſtinus *Epiſt.* 157. his verbis: *Nam & illi, qui animas ex una propagari aſſerunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, ſi Tertulliani opinionem ſequantur, profectò eas non ſpiritus, ſed corpora eſſe contendunt, & corpulentis ſeminibus exoriri. Quo perverſius quid dici poteſt? Neque hoc Tertullianum ſomniaſſe mirandum eſt, qui etiam ipſum creatorem Deum non eſſe niſi corpus opinatur. Qua dementia repulſa à corde atque ore Chriſtiano, quiſquis animam, ſicuti eſt, non eſſe corpus, ſed ſpiritum confitetur, & tamen in filios ex parentibus duci, in eo quidem nullis coarctatur anguſtiis, quod omnes animas, etiam parvulorum, quos Eccleſia non utique in falſa, ſed in vera peccatorum remiſſione baptizat, vera fides prædicat trahere originale peccatum,* &c.

7. Quinta ſententia dicit, animas in dies à Deo ad exigentiam diſpoſitorum ac actuatorum ſeminum creari, ac diſpoſitis & actuatis ſeminibus infundi. Hæc erat ſententia ſancti Hieronymi; dubitavit tamen multùm de illa ſanctus Auguſtinus. Utrumque patet ex his Epiſtol. 28. verbis: *Proinde, ne longum faciamus, hoc certè ſentis, quod ſingulas animas ſingulis naſcentibus etiam modo Deus faciat. Cui ſententiæ ne objiciatur quod omnes creaturas ſexto die conſummaverit Deus, & ſeptimo die requieverit, adhibes teſtimonium ex Evangelio: Pater meus uſque modò operatur, & ego operor. Sic enim ad Marcellinum ſcripſiſti: In qua epiſtola etiam mei commemorationem benevolentiſſimè facere dignatus es, quod hic me haberet in Africa, qui ei ipſam faciliùs poſſem explicare ſententiam. Quod ſi potuiſſem, non ille hoc abs te tam longè poſito inquireret, ſi tamen id tibi ex Africa ſcripſit. Nam quando ſcripſerit neſcio, tantùm ſcio, quod de hoc bene cognoverit cunctationem meam. Unde me inconſulto facere voluit, quamquam etiamſi conſuleret, magis hortarer & gratias agerem, quod nobis omnibus conferre poſſet, niſi tu breviter reſcribere, quam reſpondere maluiſſes. Credo, ne ſuperfluò laborares, ubi ego eſſem, quem putabas id optimè ſcire, quod ille quæſiverat. Ecce volo, ut illa ſententia etiam mea ſit, ſed nondum eſſe confirmo.* Et infra dicit: *Unde illa de animarum novarum creatione ſententia, ſi hanc fidem,* ſcilicet de originali peccato, *fundatiſſimam non oppugnat, ſit & mea; ſi oppugnat, non ſit & tua.* Auguſtinus ergò de hac ſententia dubitabat, de qua Hieronymus firmus & certus erat. Verùm Auguſtinus non dubitaret modò. Modò enim cum Hieronymo tenet univerſalis Romana Eccleſia, à qua Auguſtinus non ſe ſepararet.

8. Supereſt & alia, à ſancto Hieronymo non relata, de ortu animarum ſententia, quæ dicit animam à Deo non creari aut infundi, ſed ab alia anima produci, eò ferè modo quo candela ſolet à candela accendi. De hac ſententia etiam dubitavit Auguſtinus. Ex Epiſtola 157. hæc ejus ſunt verba: *Sed cum conſiderari & pertractari cœperit quid dicatur, mirum, ſi ullus ſenſus comprehendit humanus, quonam modo tamquam lucerna de lucerna accendatur, & ſine detrimento alterius alter inde ignis exiſtat, ſic anima de anima parentis fiat in prole, vel traducatur in prolem: Utrum incorporeum ſemen animæ ſuâ quadam occulta & inviſibili via ſeorſim ex patre currat in matrem cum fit conceptus in fœmina: An, quod eſt incredibilius, in ſemine corporis lateat. Cum autem fluunt irrita ſine ullis conceptibus ſemina, utrum ſemen animæ non ſimul exeat, an ſumma celeritate, atque atomo temporis unde exierat, recurrat? Et ſi perit, quo modo ipſa, cujus mortale ſemen eſt, immortalis eſt anima? An immortalitatem tunc accipit, quando formatur ut vivat, ſicut juſtitia quando formatur ut ſapiat: Et quo pacto eam Deus fingat in homine, etiamſi anima ſeminaliter trahatur ex anima, ſicut fingit in homine corporis membra, quamvis corpus ſeminaliter trahatur ex corpore? Si enim non ſpiritualis creatura fingeretur à Deo, non ſcriptum eſſet: Qui fingit ſpiritum hominis in ipſo. Et in eo, quod legitur: Qui finxit ſingillatim corda hominum: Si per corda ſignificatæ ſunt animæ, fingi eas poſſe quis dubitet? Sed quæritur, utrum ex una anima hominis primi, ſicut fingit ſingillatim facies hominum, ex uno tamen corpore hominis primi. Cum hæc atque hujuſmodi de hac re multa quærantur, quæ nullo ſenſu cordis explorari poſſunt, & à noſtra experientia longè remota ſunt, atque in abditiſſimis naturæ finibus latent, non erubeſcendum eſt homini confiteri, ſe neſcire quod neſcit, ne dum ſe ſcire mentitur, nunquam ſcire mereatur.*

9. Aſt quam ex his ſententiis ſequuntur noſtri Marpurgenſes? Meo quidem judicio reſuſcitant errorem Tertulliani & Apollinaris, quem dicit Auguſtinus eſſe Tertulliani ſomnium, ac dementiam à corde & ore Chriſtiano repellendam. *Hæc mei judicii eſt ratio*: Quia Marpurgenſes dicunt animam educi ex potentia materialis ſeminis: Neque enim credo illis placere ſemen animæ ſpirituale, de quo dubitavit Auguſtinus. Atqui eductio animæ ex potentia materialis ſeminis eſt Tertullianiſmus & Apollinariſmus. Uti patet ex verbis ſancti Auguſtini & ſancti Hieronymi jam adductis. Ergò Marpurgenſes non ſunt contenti Lutheraniſmo aut Calviniſmo, ſed habere quoque volunt Tertullianiſmum ac Apollinariſmum. *Patet major*: Quia negant animam creari: Ergò affirmant illam educi. *Patet conſequentia*: Quia inter eductionem & creationem alicujus formæ nulla datur actio media: Nulla, inquam, datur alicujus formæ productio,

Digitized by Google

ductio, quæ neque ſit creatio, neque eductio, ſed omnis omnino productio eſt vel creatio vel eductio. Atqui Marpurgenſes negant animam produci per creationem: Ergò dicunt eam produci per eductionem, adeoque reſuſcitant nobis hæreſim & errorem Tertulliani & Apollinaris. *Major eſt indubitata*; Quia omnis cujuſcumque formæ productio vel habet vel non habet cauſſam aliquam materialem: Etenim habere & non habere hujuſmodi cauſſam contradictoria ſunt, inter quæ proinde nullum eſſe valet medium. Atqui actio cauſſam materialem habens eſt idem quod eductio; actio verò cauſſa materiali carens eſt idem quod creatio: Uti notum eſt ex terminis. Ergò omnis omnino formæ cujuſcumque productio vel eſt creatio vel eductio.

Dabam Lovanii die decima ſeptima menſis Junii 1640. calamo feſtino & inter varias hujus laborioſæ ac infortunatæ vitæ occupationes & adverſitates non ſatis expedito. Vos æqui, boniqne conſulite, & ſi quid offendiculi occurrerit, benevolè ignoſcite. Quidquid enim dixi, ab illo Prophetæ dicto regulatus dixi. *Arguet me juſtus in miſericordia, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

FINIS.

INDEX SECTIONUM, ET CAPITUM

APOLOGIÆ PRO ANIMA SENSITIVA OVI.

SECTIO PRIMA.

Reſolutio propoſitæ quæſtionis. pag. 305.

SECTIO SECUNDA.

Proponuntur & ſolvuntur quædam argumenta. 308.

SECTIO TERTIA.

Solvuntur quædam alia argumenta. 309.

SECTIO QUARTA.

Ulterior quæſtionis reſolutio. 311.

Examen Fortalitiorum ac Baliſtarum, quibus alma Marpurgenſis Univerſitas Apologiam oppugnat.

CAPUT I.

Examinatur horum Fortalitiorum præfatio. 315.

CAPUT II.

Examen primi notabilis. 316.

CAPUT III.

Examen ſequentis notabilis. 319.

CAPUT IV.

Examinatur ingreſſus ad ſolutionem quæſtionis. 322.

CAPUT V.

Examinatur Oppugnatio meæ primæ rationis. 323.
Sect. I. Defenditur Propoſitio a Marpurgenſibus impugnata. ibid.
Sect. II. Solvitur primum Marpurgenſe argumentum. 324.
Sect. III. Adhuc examinatur vana iſta cœli ac caloris cœleſtis efficacia. 325.
Sect. IV. Solvitur ſecundum Marpurgenſe argumentum. pag. 327.

CAPUT VI.

Oſtenditur quædam evidens Marpurgenſium hallucinatio. 328.

CAPUT VII.

Examinatur oppugnatio hujus minoris, Ovum fœcundum operatur operationes vere vitales. 329.

CAPUT VIII.

Examinatur oppugnatio alia ejuſdem minoris. 330.
Sect. I. Conformatio ovi non eſt opus ullius ſpiritus ovo proprii. 331.
Sect. II. Solvuntur contraria argumenta. 332.
Sect. III. Conformatio ovi non fit etiam a ſpiritu gallinæ incubantis alieno. 333.

CAPUT IX.

Examinatur oppugnatio meæ opinionis circa cauſſam principalem. 335.

CAPUT X.

Examinatur dicta & quæſita Marpurgenſium in capite præcedenti contenta. 337.
Sect. I. Animæ ovum inhabitanti adſcribitur conformationis opus a nobilibus Philoſophis. ibid.
Sect. II. Conformatio nequit fieri a ſole aut aſtris; nequidem tanquam ab inſtrumento. 338.
Sect. III. Non etiam fieri poteſt ab aere circumſtante. 339.
Sect. IV. Cauſſa principalis ovum conformans non eſt gallina incubans. 341.

CAPUT XI.

Examinatur tertia Marpurgenſium reſponſio. 343

CAPUT XII.

Examinantur doctrina Marpurgenſium de inſtrumentis activitate ſeparatis. 345.
Sect. I. Varia ac miſcellanea quædam. ibid.
Sect. II. Impulſus loco motivus non eſt bonum exemplum inſtrumenti activitate ſeparatis. 346.
Sect. III. Neque calor ferro candenti inexiſtens eſt ſeparatum activitate inſtrumentum. 347.

CAPUT XIII.

Examinatur oppugnatio ſecundæ rationis principalis. 349.

CAPUT XIV.

Examinatur oppugnatio ſecundæ concluſionis. 350.
Sect. I. Homo homini vere communicat rationalem animam. ibid.
Sect. II. Homo vere generat hominem; & rejicitur ſententia Thomæ Fieni de ſubſtantiali viventium generatione. 351.
Sect. III. Qualis actio ſit ſubſtantialis generatio oſtenditur ex Cardinali Cajetano. 353.

CAPUT XV.

Examinatur hæreticum Diſſertationis corollarium. 354.

EPISTO-

Digitized by Google

EPISTOLA P. HENRICI NORIS AD P. CHRISTIANUM LUPUM.

Eximie, atque eruditiſſime Pater.

UBi nam Terrarum es mi Lupe? Incolis nè Lovanium? An te Bruxellæ tenent? Audio etiam te Trajectum ad Moſam perrexiſſe, ut cum Eminentiſſimo Bullionæo hujuſce noſtræ Provinciæ commoda promoveres, ac veteres Auguſtinianas Colonias reparares. Sive agas, ſive ſcribas, Catholicæ Eccleſiæ inſudas, eamdemque calamo, ac factis egregiè promoves. O te igitur beatum, qui & facis ſcribenda, & ſcribis legenda. Porrò tria, quæ hoc anno volumina edidiſti, per manus, oraque hominum volitant, ac tui deſiderium ſummis Viris, ac magnis Principibus excitarunt. Sed omnium ſtudia vicit Coſmus III. Magnus Etruriæ Dux, in quo ſanè Juvene Principe pietatis cultus cum ſacræ eruditionis amore certat. Nullus Principum eo religioſior; eſt enim ad Chriſtianam pietatem, ac Catholicæ Reipublicæ cultum totus compoſitus. Nemo eumdem in amore erga bonarum Literarum Profeſſores ſuperat. Edideram ipſe hoc anno Hiſtoriam Pelagianam, & Diſſertationem de Synodo V. una cum Vindiciis Auguſtinianis. Volumen in Etruriam vix impreſſum mittitur, ac neſcio qua mihi propitia ſorte Sereniſſimo, & Reverendiſſimo Cardinali Mediceo placet. Illicò nihil tale opinatus in Etruriam honorificentiſſime vocor, Magni Ducis Theologus, ac Piſana Cathedra ornatus; Lectionum numerus, atque argumentum meo arbitrio committitur. Nullas ad deliberandum moras ſumpſi. Nam licet Romam a SS.D.Clemente X. Qualificator S.Inquiſitionis Romanæ Univerſalis, ut vocant, nuper evocatus fuiſſem, cum magni me hic labores, ac ſtipendium nullum maneret, nempè ut probe noris, in examinandis Libris ad eamdem Inquiſitionem delatis, in dandis Conſultationibus, in reſcribendo noſtris hominibus, qui illiteratis Literis ad tormentum quotidie mihi moleſti ſunt, Magni Ducis invitamentis morem geſſi: Florentiæ enim ingens quies, Librorum copia, grande ſtipendium, ac Magni Principis gratia, ac patrocinium aderunt. Verum nuper mihi lætitia cumulata eſt, cum audivi te etiam opimo ſexcentorum, ac triginta Scutorum ſtipendio, ab eodem Sereniſſimo Duce Florentiam vocari. Quid enim mihi gratius, quid jucundius, quid utilius accidere poterat quàm Te coram alloqui, hoc eſt ſemper à Te diſcere, quem uti deambulantem Bibliothecam univerſi, & ſinguli admirantur? Sed nec quicquam Tibi honorificentius, vel Literis tuis commodius contingere potuit. Satis Belgium, ac Lovanium tuum illuſtraſti. Rumpe moras, vocat te Florentia Italicarum Urbium pulcherrima, cui vel ipſa veſtra Antuerpia cedit. Invitat Te Magnus Princeps, ac grandi ſtipendio allicit, utetur Te vicino Roma, ac frequentiùs ſuorum Oraculorum fundamenta per Te diſcet. Strepit iſthic armorum fragor, vaſtantur agri, ac Literatorum ſtipendia Militaris licentia imminuit. In Etruria citra Bellorum tumultus in ſumma quiete Hiſtoriæ Sacræ illuſtrandæ vacare poteris. Adero ipſe lateri tuo, non quidem Comes, ſed ſervus, eamque, quam olim Romæ, operam rebus tuis ſedulam commodabo. Aderunt Amici, ac nominis Tui ſtudioſiſſimi viri Illuſtriſſimus Airoldus illuc Nuntius Apoſtolicus deſignatus, Canonicus Panciaticus, tuique amantiſſimus An-

tonius Magliabecchius ingentis eruditionis vir, ac Principum Bibliothecis Præfectus, qui omem lapidem movit, ut ambo Florentiam vocaremur. Mi Lupe, Deus nobis hæc otia fecit. Hoc præteritis tuis laboribus munus, hoc futuris meis incitamentum divina gratia poſuit, cujus motibus te meo exemplo morem geſturum ſpero. Erit id Lovanienſi Academiæ ornamento, quum ex ejuſdem Scholis maximi Europæ Principes Doctores pro ſuarum Urbium academiis caro pretio conducunt. Tù interim cura, ut ex noſtra Familia Vir tibi ſuccedat, qui tua veſtigia, ſi non impleat, hoc enim de nullo ſperari licet, ſaltem ſequatur. Vale.

Dabam Romæ die 12. Auguſti 1673.

Eximiæ V. P.

Addictiſſimus Servus
F. Henricus de Noris
Veronenſis Auguſtinianus.

EPISTOLA P. CHRISTIANI LUPI
AD P. HENRICUM NORIS.

Adm. Rev. ac eximie Pater.

QUod adhuc vivam in veſtræ Paternitatis memoria ſummopere gaudeo. Utinam detur Paternitati veſtræ convivere, & commori. Ego nullos quæro proventus. Paupertatem ſum profeſſus, & me non pœnitet. Ex veſtri tamen amore non ſum alienus à Florentia. Et certò tanto Principi ſervire eſſet mihi ſumma gloria, & ante omnia utinam eſſem aptus. Verùm aliqua obſtant, & fortiter. Primò, quod ſim ſenex: ſum enim ſexaginta annorum. Hinc opus eſt, ut ſeriò cogitem de futuris. Secundò, hæc Provincia eget mea opera. Noſti rationes. Tertiò; ſi Belgio excedam, offendam multos, etiam Belgii Primates. Quartò, habeo inſignem Bibliothecam, ſine qua ſum miles ſine armis: quomodo ipſam portabo in Italiam? & ut mea inchoata ſcholia expleam, debeo illam habere ad manum. Interim me poſui ſub arbitrio Reverendiſſimi Patris ex-Generalis, & ipſi, & vobis obedio. Cum ipſo agere dignetur Veſtra admodum Rev. Paternitas, quam Deus Opt. Max. diù cuſtodiat.

Datum Lovanii die 31. Auguſti 1673.

Supplico, ut cum Reverendiſſimo Patri ex-Generali momenta hujus negocii ſeriò diſcutiatis. Non eſt res modica. Et prima vobis cura debet eſſe de bono Ordinis.

Adm. Rev. ac Eximiæ Paternitatis V. devotiſs. Famulus
Frater Chriſtianus Lupus.

EJUS-

EJUSDEM EPISTOLA AD P. REGENTEM S. SPIRITUS.

Adm. Rev. Pater Magiſter Regens.

BInas veſtras accepi Literas, benevolentiæ undequaque pleniſſimas. Ex ipſis ago ſummas gratias. Nihil magis habeo in votis, quam ſervire Sereniſſimo, ac Magno Etruriæ Duci: ſummo Principi, maximo pro merito apud omnem Chriſtianitatem. At varia obſtant. Primò, quia ego non ſum aptus. Sereniſſimus D. M. Dux eſt circa me deceptus. Quis enim ſum ego? Deinde ſi Belgio excedam, offendam multos, & præſertim hanc univerſitatem. Tertiò, Italicam linguam peſſimè calleo. Quartò, Sereniſſimæ Suæ Celſitudini ſervire non poſſum ſine noſtris libris; ut mea Scholia compleam, debent illi eſſe ad manum. Et quomodò illos portabo in Italiam? Ego interim me ſubjeci arbitrio Reverendiſſimi Patris ex-Generalis: ipſi obediam. Illuſtriſſimis DD. Capponio, Panciatico, Magliabechio, ac etiam D. Apoſtolico Nuntio mea humillima obſequia offerre dignetur veſtra admodum Reverenda Paternitas, quam Deus Opt. Max. diù cuſtodiat.

Dabam Lovanii die 31. Auguſti 1673.

Adm. Rev. Paternitatis veſtræ devotiſſimus famulus

F. Christianus Lupus.

ELEN-

ELENCHUS EORUM

QUÆ IN SINGULIS TOTIUS OPERIS TOMIS CONTINENTUR.

Sex priora volumina amplectuntur Synodorum Generalium ac Provincialium Decreta & Canones ſcholiis, notis, ac hiſtorica Actorum Diſſertatione illuſtratos.

IN TOMO PRIMO.

I. Diſſertatio Procemialis ex Anthoris Manuſcripto Poſthuma, De Meletii & Arii perſonis, moribus, atque erroribus in 16. capita diſtincta. pag. 1.

1. Prima Synodns S. Petri Alexandrini Epiſcopis & Martyris, cujus XV. Canones explicantur. 92
2. Aliæ Sancti Petri Synodi. 134
3. Alia Sancti Petri Acta. 136
4. Synodus S. Achillæ Patriarchæ Alexandrini. 140
5. S. Alexandri Patriarchæ ac Arii Preſhyteri Diſputatio. 141
6. Prima S. Alexandri Synodus. 143
7. Secunda S. Alexandri Synodus. 148
8. Tertia S. Alexandri Synodus. 151
9. Quædam Orientales circa Arium Synodi. 151
10. Acta Magni Imperatoris Conſtantini circa Arii Exordia. 155
11. Alexandrina Synodus Hoſii Cordubenſis Epiſcopi. 157
12. Syra Synodus Hoſii Cordubenſis Epiſcopi. 158
13. S. Alexandri Patriarchæ Alexandrini Relatio ad S. Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum. 174
14. Romanum Concilium S. Sylveſtri de Ariana hæreſi. 175

II. CONCILIUM NICÆNUM, cujus Canones XX. elucidantur. 177

1. Diſſertatio de Symbolo Apoſtolico & Nicæno. 177
2. Diſſertatio de Synodo Nicæna. 268

III. Concilium Sardicenſe, cujus XX. Canones explicantur. 285

1. Diſſertatio de Synodo Sardicenſi. 314

IV. Concilium Conſtantinopolitanum I. cujus ſeptem Canones explicantur. 329

1. Diſſertatio de Synodo Conſtantinopolitana. 354

V. S. Cyrilli Patriarchæ Alexandrini adverſus Neſtorianam hæreſim Capitula XII. nec non & adverſa impia Capitula Neſtorii Epiſcopi & hæreſiarchæ Conſtantinopolitani, ſcholiis illuſtrata. 369

VI. Concilium Epheſinum, cujus Canones VI. & decreta tria illuſtrantur. 399

IN TOMO SECUNDO.

1. Diſſertatio de ſacroſancta Synodo Epheſina. pag. 1
2. Diſſertatio de Latrocinio Epheſino, exponuntur Capita XVIII. contra Ibam Metropolitam Edeſſenum. 26

I. Concilium Chalcedonenſe, cujus Canones XXX. dilucidantur. 63

1. Diſſertatio de Synodo Chalcedonenſi. 118.

II. Concilium Conſtantinopolitanum II. dictum, Quinta Synodus Generalis. 133

1. Quintæ Synodi Generalis Capitula IX. contra Origenem. 133
2. Quintæ Synodi Generalis Capitula XIV. contra Neſtorianos & Eutychianiſtas. 140
3. Diſſertatio de V. Synodo Generali. 156

III. Appendix ad Sacroſanctum Concilium Epheſinum. 199

IV. Appendix ad Epheſinum Latrocinium. 211

1. Exponitur prima Conſtantinopolitana S. Flaviani Patriarchæ adverſus Eutychetem Synodus. 211
2. Exponitur ſecunda S. Flaviani Synodus adverſus eumdem Eutychetem. 218
3. Exponitur Antiochena, Tyria, ac Berytenſis ſynodus in cauſſa Ibæ Metropolitæ Edeſſeni. 222
4. Exponitur Antiochena Synodus in cauſſa Athanaſii Perthenſis Epiſcopi. 227
5. Exponuntur Acta latrocinii Epheſini. 230

V. Appendix ad Synodum Chalcedonenſem, exponens ſingulas ejus Actiones. 243

VI. Diſſertatio Poſthuma de vocibus Subſtantia, Eſſentia, Perſona, Subſiſtentia, Conſubſtantialitate. 303

IN TOMO TERTIO.

I. Concilium Conſtantinopolitanum III. dictum ſexta ſynodus Generalis. 1

1. Diſſertatio de ſexta Synodo Generali. 5.

II. Canones Concilii Trullani CII. illuſtrati. 53.

1. Diſſertatio de Synodi Trullanæ cauſſa, tempore, loco, Epiſcopis, auctoritate. 168

III. Concilium VII. Generale, quod eſt II. Nicænum. 174

1. Canones XX. Concilii VII. Generalis illuſtrati. 180
2. Diſſertatio de ſeptima Synodo Generali. 211

IV. Concilium Conſtantinopolitanum IV. ſeu Synodus octava Generalis, cujus Canones XXVII. explicantur. 259

1. Diſſertatio de octava Synodo Generali. 321

IN TOMO IV.

I. Diſſertatio de Latinorum Epiſcoporum & Clericorum continentia. 1

II. Diſ-

II. Diſſertatio de Simoniæ crimine, & variis ad ipſum ſpectantibus. 41
III. Diſſertatio de Regia Antiſtitum Nominatione. 115
IV. Diſſertatio de Laica Antiſtitum Inveſtitura. 153
V. Concilium Remenſe S. Leonis X. cujus XIV. canones illuſtrantur. 166
1. Diſſertatio de Remenſi Synodo S. Leonis IX. 199
VI. Romanum I. Concilium S. Leonis IX. 226
VII. Concilium Papienſe S. Leonis IX. 228
VIII. Concilium Moguntinum S. Leonis IX. 229
IX. Concilium Romanum II. S. Leonis IX. 234
X. Concilium Vercellenſe S. Leonis IX. 258
XI. Concilium Pariſienſe S. Leonis IX. 259
XII. Concilium Romanum III. S. Leonis IX. 262
XIII. Concilium Romanum IV. S. Leonis IX. 263
XIV. Tria alia S. Leonis IX. Decreta expoſita. 270
XV. Diſſertatio de S. Leonis IX. Actis adverſus ſchiſma Michaelis Cerularii Patriarchæ Conſtantinopolitani. 302

IN TOMO V.

I. Concilium Florentinum Victoris II. 1
II. Concilium Turonenſe per Hildebrandum S. R. E. Subdiaconum, ac Victoris II. in Gallia Legatum. 6
III. Concilium Lugdunenſe ejuſdem Hildebrandi. 10
IV. Concilium Toloſanum, celebratum per tres Archi-Epiſcopos Victoris II. Vicarios, cujus XIII. Canones explicantur. 12
V. Concilium Colonienſe Victoris II. 64
VI. Concilium Romanum Stephani X. 66
VII. Concilium Romanum Nicolai II. P. cujus XIII. Canones elucidantur. 67
1. Catholica hæreſiarchæ Berengarii Profeſſio. 107
2. Acta circa matrimonium Guilielmi Normandiæ Ducis cum Mathilde Flandrenſi. 110
IX. Concilium Amalphitanum Nicolai II. P. 118
X. Concilium Beneventanum Nicolai II. P. 120
XI. Concilium Andegavenſe celebratum à Stephano S. R. E. Presbytero Cardinali, Nicolai II. per Gallias Legato, cujus X. canones illuſtrantur. 129
XII. Concilium Romanum Alexandri II. P. cujus III. Canones elucidantur. 140
XIII. Decreta quatuor Alexandri II. explanata. 147
XIV. Dictatus S. Gregorii VII. Summi Pontificis, cujus Canones XXVII. explicantur. 164

IN TOMO VI.

I. Concilium Romanum I. S. Gregorii VII. 1
II. Concilium Romanum II. S. Gregorii VII. 39
III. Latrocinale Henrici IV. Imp. Concilium Wormatienſe. 47
IV. Concilium Romanum III. S. Gregorii VII. 49
V. Concilium Romanum IV. S. Gregorii VII. cujus quatuor Canones explicantur. 50
VI. Concilium Romanum V. S. Gregorii VII. cujus Canones XXI. elucidantur. 64
VII. Concilium Romanum VI. S. Gregorii VII. 147
1. Secunda Berengarii Profeſſio. 148
2. Cauſſa Henrici & Rudolphi de Germanico Imperio contendentium. 150
VIII. Diſſertatio de quibuſdam SS. Patrum teſtimoniis, ſpectantibus ad Berengarii hæreſim. 151
IX. Concilium Romanum VII. S. Gregorii VII. cujus Canones V. explicantur. 212
1. Excommunicatio Regis Henrici. 227
2. Exponitur Cauſa Gregorii VI. Pontificis. 232
3. Sacerdotalis Benedictionis antiquitas, forma, fructus exponuntur. 239
4. Exponitur Sacerdotalis Maledictio. 255
X. Diſſertatio de peccatorum ac ſatisfactionum indulgentiis. 262
XI. Conciliabulum Ultrajectenſe, Moguntinum, & Brixinenſe. 311
XII. Concilium Romanum VIII. S. Gregorii VII. 327
XIII. Concilium Romanum IX. S. Gregorii VII. 330
XIV. Concilium Romanum X. & XI. S. Gregorii VII. 335
XV. Romanum Conciliabulum. 338
XVI. Moguntinum Conciliabulum. 339
XVII. Conventus Bercbacenſis. 341
XVIII. Concilium Quintilinoburgenſe, cujus XIII. canones illuſtrantur. 343
1. Diſſertatio, an Romanus Pontifex poſſit omnibus ſub cœlo Eccleſiis conſecrare, aut conſecrandos jubere Epiſcopos? 362
XIX. Moguntinum Conciliabulum. 393
XX. Quædam alia S. Gregorii XII. Decreta. ibid.

IN TOMO VII.

I. Synodicon Caſſinenſe; ſeu Variorum Patrum Epiſtolæ concernentes Acta Epheſini & Chalcedonenſis Concilii, Scholiis & notis illuſtratæ. 1
II. Commonitorium Papæ Celeſtini Epiſcopis & Presbyteris euntibus ad Orientem. 385
III. Hilari Papæ Concilium. 386
IV. Concilium Neapolitanum anni 1120. 389
V. Epiſtolæ XXXVIII. Anacleti Antipapæ. 393

IN TOMO VIII.

Divinum ac immobile S. Petri Apoſtolorum Principis circa omnium ſub cœlo Fidelium ad Romanam ejus cathedram Appellationes Privilegium adſertum ac demonſtratum. 7
I. Diſſertatio de antiquis Gallicanæ Eccleſiæ ad Apoſtolicam Sedem Appellationibus. 8
II. Diſſertatio de Africanæ Eccleſiæ ad Sedem Apoſtolicam provocationibus. 145

III. Diſ-

III. Diſſertatio de Romana hæreſiarchæ Eutycheris Appellatione. pag. 290
IV. Diſſertatio de Romana appellatione S. Flaviani Epiſcopi CP. degradati per Epheſinum Latrocinium. 318
V. Diſſertatio de Romana Appellatione Theodoreti Cyrenſis Epiſcopi. 348

IN TOMO IX.

Q. Florentis Septimii Tertulliani Liber de Præſcriptionibus contra hæreticos Scholiis & Notis illuſtratus.

IN TOMO X.

Epiſtolæ & Vita D. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi; nec non Epiſtolæ Alexandri III. Pontificis, Galliæ Regis Ludovici VII. Angliæ Regis Henrici II. aliarumque plurium ſublimium Perſonarum, concernentes Sacerdotii & Imperii concordiam ex MS. Vaticano.

IN TOMO XI.

Opuſcula Poſthuma hactenus edita & inedita, videlicet

I. Diſſertatio de Antiquitate, Auctoritate, ac Legitimo uſu Sententiæ Probabilis. 1
II. Diſſertatio de Simonia Monaſteriorum. 42
III. Diſſertatio de Antiqua Diſciplina Chriſtianæ militiæ. 94
IV. Antiqua Eccleſiæ ac Reipublicæ in Pelagianam hæreſim Decreta breviter elucidata Scholiis chronologicis. 163
V. Diſſertatio Dogmatica de germano ac avito ſenſu SS. Patrum, univerſæ ſemper Eccleſiæ, ac ſacroſanctæ præſertim Tridentinæ Synodi circa Chriſtianam Contritionem & Attritionem. 205
VI. Epiſtola familiaris ad Henricum Noris e Chriſtiana Contritione. 247
VII. Exhibitio ſacrorum Canonum circa jus Regularium Eccleſiarum quoad prædicationem Divini Verbi. 281
VIII. Exhibitio ſacrorum Canonum circa jus Regularium Eccleſiarum, quoad prædicationem Divini Verbi adverſus larvati Chriſtophori Philaleris reſponſionem ſtabilita, ſeu confirmata. 309
IX. Diſſertatio de SS. Sacramenti publica Expoſitione, & de ſacris proceſſionibus, in quibus circumfertur cum ſacris Sanctorum reliquiis & imaginibus venerabile Altaris Sacramentum. 335
X. Oratio Panegyrica in laudem ſacroſanctæ Hoſtiæ miraculoſæ in carnem converſæ Middelburgi Zelandorum anno 1374. 371

IN TOMO XII.

Opuſculorum Pars altera, videlicet

I. Quæſtio Quodlibetica, An Ordo Regularis, qui vulgo Eremitarum dicitur, ſit inſtitutus ab ipſo S. Auguſtino, poſſitque ea inſtitutio probari ex ipſius libris. 1
II. Prodidagmata Philoſophica, toti Philoſophiæ præambula, in quibus accurate explicatur quidquid circa Terminorum ſignificationem, ſuppoſitionem, ac prædicationem poſſibile eſt deſiderari. 85
III. Apologia pro Anima ſenſitiva Ovi. 305
IV. Epiſtolæ tres; 1. Henrici Noris ad Chriſtianum Lupum, 2. Chriſtiani Lupi ad Henricum Noris, 3. Chriſtiani Lupi ad Regentem S. Spiritus. 359

Finis Tomi XII. & ultimi.

Digitized by Google

Digitized by Google